

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA · P. NCIANA ·
CHARITAS

Digitized by Google

921

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

ANNALES MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM
AUCTORE
A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO
S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS XV.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA
Ord. Minor. Scriptoris & Ex-Generalis, S. & Univerſ. Inquiſitionis Conſultoris, Sac. Congreg. Conſiſtor. Votantis, Epiſcoporum Examinatoris, & apud S. Sedem tractandis Luſitanis Rebus Præfecti &c.



ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXVI.)(*Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Google

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM

QUi *hoc Volumen in manus ſumet,* Beatissime Pater, *in eoque Franciſci Ximenii, ex Ordine Minorum Cardinalis ampliſſimi, facta cognoſcet, gratulabitur, opi-*

Digitized by Google

opinor, huic noſtræ Familiæ, quæ talem tantumque virum optimis legibus exemplisque inſtituerit, cujus omnes deinde vitæ partes ad religionem amplificandam, atque ad bene de Eccleſia merendum collatæ fuiſſe videantur. Ut enim ceteras illius virtutes prætermittam, quæ ſunt majoribus quaſi theatris propoſitæ & pœne populares, exercitum inſtruere, expugnare urbes, barbarorum acies profligare; quis non jure ſuſpiciat Eccleſiaſticum Principem, qui omnia fortunæ blandimenta reſpuens & aſpernans, nihil in vita magnifaciendum putaret, niſi quod eſſet cum laude vera & cum virtute conjunctum; qui perpetuum cum vitiis omnibus bellum geſſit; qui ad extremum uſque ſpiritum eandem diſciplinæ ſeveritatem, flagrans ad omnia pietatis opera ſtudium, effuſam in egentes ac miſeros benignitatem conſtantiſſime coluit? quo nihil ſane aut in tanta majeſtate demiſſius, aut in tantis opibus parcius, aut in tantis illecebris moderatius illa ætate

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe proditum eſt. Illud vero immortale, & omnium ſæculorum prædicatione celebrandum, quod ſacra Biblia multiplici lingua ex Complutenſi Academìa, quam ipſe conſtituit, ejuſdem ſumtibus & auſpiciis, hominumque doctiſſimorum diuturno labore vulgata ſunt. Quod opus cum mecum reputo, Franciſcum Ximenium Eccleſiaſtici patrimonii diſtributorem egregium fuiſſe ſtatuo, qui Sacerdotii apud Hiſpanos opulentiſſimi divitias (erat enim Archiepiſcopus Toletanus) ad Eccleſiæ univerſæ utilitatem & ornamentum inſumendas curavit. Redeo igitur nunc ad id, quod initio propoſueram, qui hoc volumen pervolutabit, eum noſtræ Familiæ de Cardinali Ximenio optimis moribus ac diſciplinis exculto grates acturum. Qui vero Te ipſius Familiæ patronum eſſe, ac parentem intelliget, judicium magnopere commendabit, ac prædicabit Tuum, Beatissime Pater*; qui Tuo dignum patrocinio eum Ordinem judicaris, unde viri ſapientia,*

inte-

integritate, animi magnitudine, gravitate, rerum denique gerendarum ſcientia præſtantes (quod ſingulari Dei beneficio tribuendum exiſtimo) nullo non tempore prodierunt.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

INTER multas magnaſque operas, quas Eccleſiæ navarunt Minorum Ordinis alumni, illa in primis numeranda videtur, quod in pleriſque Italiæ civitatibus Montes, ut appellant, Pietatis collocandos ac ſtabiliendos curaverunt. Eorum vero agmen ducit B. Bernardinus a Feltria, de cujus vita rebuſque geſtis plura narrantur in hoc volumine. Qui cum Judæorum fœnerandi licentiam in Chriſtianorum facultates impune graſſari animadverteret, eandem certis finibus circumſcribere omni ope contendit, plebiſque miſeriam nova mutuandi ratione ſublevare. Itaque cum de hujuſmodi Montium utilitate in concionibus ſæpe diſſeruiſſet, apud complures civitates evicit, ut opus egregium abſolveretur. Quod manet adhuc, manebitque, dum ſtabit Chriſtianæ pietati honos; eritque perpetuum Franciſcanæ caritatis in pauperes monumentum.

REIM-

Digitized by Google

REIMPRIMATVR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATVR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

Digitized by Google

ANNALES MINORUM.

ANNO CHRISTI	INNOCENTII VIII.	FRIDERICI III. IMP.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 285.
1492.	ANNO 8.	ANNO 53.	

ARGUMENTUM.

Chriſtophorus Columbus, adjutore Religioſo Minorita, navigationem aggreditur Indiarum Occidentalium. Moritur Innocentius VIII. ſuccedit Alexander VI. Moriuntur Petrus de Travanda, Joannes Miſnenſis, & Caſimirus Jagelloniada Rex Poloniæ. Bernardinus Feltrenſis ſolitis bonis artibus ingentem producit fructum animarum. Creantur Epiſcopi. Florent viri docti. Multiplicantur Cœnobia.

I. FELIX fauſtumque principium hoc anno accepit navigatio Indica, & propagatio fidei Catholicæ in remotiſſimis, & incognitis regionibus Indiarum Occidentalium. Cum enim Chriſtophorus Columbus * Ligur, vir acris ingenii, artis nauticæ peritiſſimus, ad novas explorandas terras, quas ex Platonis, Ariſtotelis, aliorumque veterum ſcriptis, & Geographiæ tabulis, curſu ſuperari poſſe ſibi perſuaderet, poſt fruſtra oblatam ſuam operam Joanni II. Luſitaniæ, Henrico VII. Angliæ, Carolo VIII. Galliæ Regibus, Ferdinandum & Iſabellam Reges Catholicos Hiſpaniarum convenit, ut in opus graviſſimum, commodum & glorioſum incumberent. Atqui hi diuturno & diſpendioſo, quod hoc ipſo confecerant anno, bello Granatenſi defeſſi, rem ferme incredibilem, exitu incertam, ſumptibus certiſſimam adire detrectabant. Longa mora, vana ſpe, & aperta repulſa pertæſus Columbus, in Bæticam abiit, inde in Galliam transfretaturus. Rebus magnis initia Deus ſternit infirma, ut non tam humana inventa, quam Divina portenta eſſe comperiantur. Etenim dejecti jam animi viro egregium facinus pene neglecturo, conſolatorem & promotorem dedit indigum & miſellum fraterculum Joannem Perezium, Marchena oriundum, qui tunc Minoritas Cœnobioli Arabidæ ab oppido *Palos de Moguet* D. P. diſtantis regebat, & olim confeſſiones exceperat Reginæ. Eadem hujus animum ſubierat cogitatio, ultra immenſum Oceani pelagus vaſtiſſimas latere terras, ad quas humanum imperium, & cœleſtis doctrina poſſet extendi. Coſmographiæ

Incipit hoc anno navigatio Indica per Chriſtophorum Columbum.

* *al.* Colon.

Herrera hiſtor. Indiar. Occident. decad. 1. lib. 1. c. 7. & ſeqq. Ferdinand. Columb. in hiſtoria ſui Patris c. 12. & 13.

Gonz. in proœm. Prov. Hiſpaniolæ. Daza 4. par. l. 3. c. 3. Petrus Simon hiſtor. Ind. not. 1. c. 14.

multum operis impendit, & ex Geographiæ tabulis deductas notitias cum Columbo contulit, animumque proſtratum excitavit, ut quod toties tentaverat, amplius urgeret. Acceptis ille ad Reginam, & Ferdinandum Talavericum Reginæ confeſſarium, Perezii litteris, relictoque apud eumdem Didaco filiolo, denuo Granatam regreditur, ubi Petri Gonzalez Cardinalis Mendozii, Ludovici a ſancto Angelo, & Alphonſi Quintanillæ apud Reges potentum induſtria, Talaverici precibus, & Perezii abſentis litteris primum, mox præſentis hortatu (vocavit enim Regina hominem, ut clarius ab eo totius negotii molem exciperet) eum obtinuit aditum, ut diſerta oratione, firmiſſimiſque rationibus non ſemel rei capiundæ & potiundæ deſiderium inſtillaverit: Demum variis pactis conditionibus, eo itum eſt, ut Columbus protinus navem opportune inſtructam, & duas celoces, ex his, quas vulgo *Caramuſſolas* appellant, centum & viginti milites, numeratæ pecuniæ aureorum ſeptemdecim millia acceperit, & inſuper omnia quæ ad longam & periculoſam navigationem exiſtimabantur neceſſaria. Bæticam reverſus, recepto filio, gratias habuit ſummas amico Perezio, & Gadibus ſolvit III. Nonas Auguſti, quo die olim apud Indos Perſis finitimos, Abenner Rex, Dei Eccleſiam perſecutus, multa Monachorum & fidelium agmina excarnificavit.

Inſulam appulit Hiſpaniolæ.

II. Per inſulas Fortunatas inter Occidentem ac Meridiem directo curſu, ac perpetua navigatione eodem ferme ventorum afflatu, ultra triginta tres dies inſtitutum iter proſecutus, tamdem poſt detectas alias Minores, in inſulam ingentem Caribanam, quam Hiſpaniolam appellare placuit, felici appulit eventu. Diſtat illa Gadibus rudi ſupputatione quinque milliarium millibus, Cancri Tropico in vigeſimo gradu ſuppoſita. Omnibus diligenter perluſtratis, univerſa loca etiam munitiſſima inveſtigavit, ac brevi ſpatio totius regionis tractum, incolarum mores, ritus, ſtatum, quæque ab eis partibus ad Europæos derivari poſſent commoda, ſolertiſſime exploravit. Auro inſulam abundare inde conjecit, quod incolæ pro ludicris mercibus, & nullius pretii rebus aurum copioſe profuderint. Cum ergo Columbus in hac prima navigatione nihil omnino prætermiſerit, quod obſervatione dignum judicaret, & cumulatiſſimum operæ & expenſarum pretium inde Regibus obvenire poſſe exiſtimaret, poſt longam ac moleſtam navigationem, Barcinonem ad Regem Ferdinandum regreſſus eſt. Conſideratis porro accurateque expenſis navigationis emolumentis & commodis, ſecundam aggreſſus anno ſequenti, ſocium habuit itineris, Regii favoris auctorem, Perezium, additis aliis ejuſdem Inſtituti ſociis, qui primum Chriſti fidem iis remotiſſimis regionibus feliciter invexerunt, quod nos tunc commodius referemus. Præſtitum hoc Columbo beneficium, inchoatamque per Franciſcanos Indorum converſionem ita candide Hieronymus Platus recenſet: *Primos omnium, qui tantam hanc provinciam (totius ſcilicet novi orbis converſionem) aggreſſi ſunt, Franciſcanos fuiſſe legimus, atque eoſdem etiam in iis regionibus inveniendis, cum antea, ne de nomine quidem auditæ eſſent, magnopere contuliſſe. Cum enim Chriſtophorus Columbus de ea navigatione inſtituenda apud Ferdinandum Hiſpaniæ Regem ageret, nec ei, ut in re tam nova atque incerta, multum fidei haberetur, Patres duo Franciſcani valde eum juviſſe dicuntur, tum ipſum animando, tum etiam Regem impellendo, ut eam occaſionem omnino tentaret. Itaque cum impetrata claſſe Columbus Mexicana regna feliciter aperuiſſet, atque in Hiſpaniam tam lætæ rei nuncius reverſus eſſet, ſtatim aliquot ejus familiæ Patres in ea loca navigarunt, annum circiter a Chriſto nato* MCCCCXCIII.

Redit in Hiſpaniam.

Plat. l. 2. de bono ſtat. religioſ. c. 10.

III. Opus

III. Opus hoc Indicæ converſionis plurimum promovit anno ſequenti Alexander VI. hoc ipſo ad Pontificatum evectus III. Idus Auguſti, e vivis ſubtracto Innocentio VIII. ſub diem VIII. Kal. Auguſti anno ætatis LX. poſtquam Eccleſiam partim turbulente, partim pacifice annis VII. menſibus X. diebus XXVII. gubernavit. Vir vere bonus, humanus, beneficus, & moderati erga conſanguineos affectus.

Moritur Innoc. VIII.

Succedit Alexand. VI.

IV. Hoc anno diem clauſit extremum Cetonæ in Etruria Petrus de Travanda, Senenſis agri oppido, ab ineunte ætate Divino addictus obſequio. Octennis cœleſti amore inflammatus, parentibus inſciis, ad Minoritas confugit. A patre domum reductus, mox viſum amiſit, quem tamen, ubi pater votum concepit de reddendo ſacræ familiæ, ſtatim recuperavit. Conventualibus adſcriptus, bonis moribus & litteris imbutus, in Piloſophia & Theologia Licentiatus, Doctoratus lauream propter pecuniæ indigentiam non ſuſcepit. Officium Divinum recitabat devote, ferventer prædicabat, profeſſionis ſuæ obſervantiam diligenter urgebat, omnibus gratus, omnibus reverendus, *ſancti Viri* nomen etiam ab adoleſcentia apud omnes adeptus. Ad majorem aſpirans perfectionem, & puriorem ſuæ Regulæ Obſervantiam, dum Guardianum ageret Aſciani, & ſanctum Bernardinum hoſpitio exciperet, cum eo Peruſiam perrexit, impetravitque in familiam Obſervantum admitti, in qua per annos quadraginta ſeptem ea virtute & ſanctimonia vixit, ut primis hujus Sodalitii reſtauratoribus poſſet comparari. Inde magnus Evangelii præco, Propheta, & miraculorum patrator, fœminarum congreſſum velut aſpidis vel baſiliſci fugiebat, ita ut neque neptem vetulam a longe venientem ut alloqueretur, in conſpectum admittere vellet. Juſſus & compulſus affari, paucis verbis alloquium abſolvit, eique benedixit dicens: *Regina Virginum diutius tecum eſſe mihi non permittit*, ſtatimque ab ejus oculis ſe proripuit.

Moritur Petrus de Travanda. *Marc. 3. p. lib. 7. c. 18.* *Marian. de Viris illuſtribus.* Ejus vitæ compendium.

V. Paupertatem ita coluit, ut vix ea quæ Regula concedebat, admitteret, & pro concionandi miniſterio libellum, in quem ex multis auctoribus collecta congeſſit. Concionibus longam cum profluvio lacrymarum præmittebat orationem in pedes ſemper erectus, eoque modo breviſſimum carpebat ſomnum, neque per multos annos viſus eſt in lecto dormire, aut quovis modo cubare. Rogatus a quodam amico, ut jam tandem commodius dormiret, & aliquando ſenio indulgeret, lectoque decumberet, dixit: *Cum me videris ſtrato jacentem, effodere poteris ſepulturam cito morituro.* Et vere dixiſſe eventus probavit. Quadraginta ferme annorum ſpatio duabus dumtaxat horis dormiebat, incommoda illa ſtatura, atque hinc perpetuo capitis languore vexabatur. Tantus inerat animarum zelus, ut licet continuato Præfecturæ curſu oporteret vel Fratribus vel Sororibus præeſſe, aliiſque diſtrahi negotiis, numquam tamen officium intermiſerit prædicandi. Frequenter a Deo petebat, ut morbis & tribulationibus probaretur: cum vero ſemel gravi premeretur infirmitate, & plus ſolito cruciaretur, ingemiſcens indoluit. Ad hæc infirmarius: *Ut quid bone Pater conquereris? an non hæc ipſe concupieras? an nunc pœnitet poſtulatorum?* Cui ille: *Non inde doleo, quod concupita jam ſentiam, imo ſummas bonorum omnium largitori reddo gratias, quod electorum ſuorum me gratiis affecerit. Ingemiſco, ut laboranti indulgeam miſello corpori, & compreſſum dolorem his vocibus exhalem.*

VI. Quod libere peccantes argueret, multorum incurrit indignationem, qui malis notis bonam famam maculare tentaverunt. Suas adjecerunt dæmones inſidias, & quibus poterant modis divexarunt. Adfuit adju-

tor in tribulationibus Deus, & liberavit miſericorditer a laqueo venantium, & a verbo aſpero, pro maledictione benedictionem inducens multarum ſpiritualium conſolationum. Sæviente in Etruria peſtilentia, incolæ Montenerii in campos abierunt, ſolitariiſque & diſperſis habitabant caſellis. Edito ſigno convocavit Vir Dei univerſos ad concionem, & poſtquam paulo dixit de flagellis a Deo propter reatus immiſſis, inclinato ſuper brachia capite in ſuggeſto per horam obmutuit, veluti ſomno correptus. In ſe demum reverſus dixit, ſecure poſſe in oppidum redire, nullique deinceps a peſte timendum. Regreſſi omnes probarunt vere prædixiſſe, nemine infecto. Simile prædixit in porticu templi ſancti Franciſci Columbarii, quo concurrerant infirmi & ſani, diſtinctis diſcreti locis, ii præſertim, qui ex Seggiano advenerant. Etenim hilari vultu, jucundaque voce dixit: eo ipſo tempore beatam Virginem Mariam a filio impetraſſe, ut omnes, quotquot erant, toto illo anno adjecto triduo bene valerent. Integro præſcripto termino nullus ægrotavit; ſed elapſo, protinus aliqui ſuccubuerunt. Ubi peſtis invaleſcebat, ad confortandos bene habentes, & curandos languentes advolabat, deinde ſupplicatione publica peracta, & imagine ſacroſanctæ Dei Parentis, quam in proceſſione præferebat, illis identidem oſtenſa, ad caritatem Chriſtianam, injuriarum remiſſionem, & mutuos amplexus omnes adhortabatur, mox data ſponſione futuræ ſanitatis, hilares dimittebat. Ita Senis, ubi ſummo in honore propter mirabilia opera, & vitæ ſanctitatem habebatur, Cetonæ aliiſque locis, affixo urbium portis Jeſu nomine, contagium abegit.

VII. Multos morbis diverſis conflictatos per miraculum ſanavit. Clariſſis duabus Monaſterii Camoleæ, urbis Senenſis, valde male habentibus miniſtravit confeſſarius, quæ Viro Dei ſuperaverant in menſa fragmenta, & ſtatim convaluerunt. Prætereuntis umbra, & veſtis attactus ſanavit languidum Xenodochii majoris Senenſis. Conſodalem moleſte tentatum ſuis precibus liberavit. Puerulum a nativitate cæcum in oppido *Aſinæ longæ* illuminavit. His aliiſque ſignis mire fructificavit, obedienie univerſo populo, ubicumque prædicabat, voci ejus, tamquam Angeli ſtantis inter illos. Morti propinquus, cum ſacrum die XVII. Januarii ſumma cum devotione audiſſet, levi ægritudine correptus, in lectum ſe demiſit. Accurrerunt Fratres, ſcientes ex iis quæ prædixerat, mortem imminere, & lecto circumſtantes ſalutaria decedentis monita exceperunt. Porro ipſo eodem die acceptis ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis, placide beateque in Domino quievit. Ad funus concurrerunt non ſolum Cetonenſes, verum etiam plurimi ex propinquis oppidis & caſtris, atque ex Peruſina & Urbevetana Civitatibus, omnique honore & devotione ſancto ſuo Magiſtro parentarunt. Cuſtodes tamen adhibuerunt armatos viri Cetonenſes, ne tanti theſauri jacturam pati contingeret. Expleto funere, ſecuta ſunt ingentia miracula, quorum indicia quam plurima anathemata votorum obnoxii appenderunt.

Moritur Joann. Miſnenſis. *To. 13. an. 1467. n. 8.* *Gonz. in Prov. Boem. Conv. 5.* *Marc. l. 5. c. 32. & lib. 8. c. 33.* *Gonz. cit.* Et Henricus Benninck. *Monum. MSS. Prov. Colon.*

VIII. Hoc anno Joannes Miſnenſis, de quo alias diximus, primus Provinciæ Boemiæ Commiſſarius & promotor, magna plurimarum virtutum, & ſanctitatis opinione deceſſit in Cœnobio Olomucenſi, quo ad comitia convenerat provincialia. Omni ſanctitate, omnique virtute præditum aſſerit Gonzaga, & honorifice fuiſſe tumulatum. Marcus Ulyſſiponenſis virum ſanctum deprædicat, & puellulum e mortuis reſuſcitaſſe non ſemel recenſet. In Provincia Coloniæ deceſſit Henricus Benninck Monaſterienſis, qui religioſiſſimo vitæ exemplo, & rerum agendarum peritia primis Patribus adla-

adlaboravit introducendæ Obſervantiæ. Plurima ipſe inſtituit Cœnobia, & Provinciam prudentiſſime gubernavit.

IX. Rex Poloniæ Caſimirus Jagelloniada hoc anno die VII. Julii, ætatis anno LXIV. regni XLV. humanis rebus valedixit. Multum illi debet Provincia Minorum in illo regno Regularis Obſervantiæ, quem veluti fundatorem, primumque promotorem poſſet nuncupare. Cœnobia aliquot ipſe conſtruxit, viginti & plura in diverſis Civitatibus & oppidis ædificari permiſit, regiaque beneficentia promovit. Nihil ab eo pro Fratrum neceſſitatibus aliquando petitum, quod denegaret. Quoties viri Principes, aut Eccleſiarum Rectores moleſtiam Fratribus inferebant, toties ille opem ferebat, nec aliquando injuſte opprimi permiſit. Fratribus Cracovienſis Cœnobii, aliorumque locorum veſtimenta perpetua præſcripſit. Regni turbis, aut regiminis difficultatibus preſſus, ad Fratrum orationes confugiebat, & frequenter cum prole regia ad Fratrum clauſtra pergebat, pietatem & devotionem Religioſorum verbis & exemplo filiis ingeneraturus. Tantæ erga noſtros benevolentiæ & beneficentiæ aliqualem hanc ſupereſſe volui memoriam.

Humanis valedicit Caſimirus Rex Poloniæ. *Monum. MSS. Prov. Polon.* Ejus in Minores beneficia.

X. Diximus anno præterito, Bernardinum Feltrenſem prædicaſſe Mediolani uſque ad iſtius initium. Tranſacto feſto Epiphaniæ, abiit Viglevanum morem geſturus Ludovico Mariæ Sfortiæ Mediolanenſium Duci, apud quem narravimus fuiſſe indigne traductum. Ea modeſtia & prudentia ſatisfecit ſibi objectis, ut hominem doctum & ſanctum Princeps reputaverit, & præſentibus aulicis rogaverit, vellet ad ſancti Franciſci ædes concionari. Annuit Bernardinus, & præſentibus Ludovico, ac Beatrice Eſtenſi conſorte, cum univerſis Miniſtris, diſerte & diſcrete, quæ Principis erant partes, expreſſit, Miniſtris ſtipendia, creditoribus debita (magnas enim de his excepit querelas) ſolvi perſuaſit, & demum erga beatiſſimam Virginem Mariam ſummam exhibendam eſſe reverentiam edocuit. Erant, qui indecore de ea loquerentur, erant etiam qui ſanctum nomen blaſphemarent. Illi magis hoc munus incumbere dixit, quod Mediolanenſes Duces eo uſque fuerint Mariæ amatores, ut & hoc nomen ſuo affixerint aliqui, a quibus Ludovicus ſumpſit exemplum, agnomine ſumpto *Mariæ*. Erga ejus intemeratam Conceptionem fuiſſe inſuper adeo propenſos memoravit, ut voto ſe obſtrinxerint ſolemniſſime myſterium hoc quotannis in æde ſancti Franciſci Mediolanenſi celebrare, & largiſſimas ibidem diſtribuere pauperibus pecunias, idque fideliter obſervare. Per duas horas ita venuſte, ita ſapienter dixit, ut Principi nimis cito abſolviſſe viſus ſit; & e ſuggeſto deſcendenti gratias habuerit, infra biduum debita omnia ad ultimum quadrantem perſolvi juſſerit, & contra blaſphematores ſeveras leges præſcripſerit.

Bernardin. Feltrenſis recedit e Mediolano. *Legenda MSS. Cimarel. lib. 6. c. 51. To. 14 an. 1491. n. 58.* Viglevano optima quæque perſuadet Duci Mediolanenſi.

XI. Viglevano Placentiam abiit, ubi aliquot choreas, vana ſpectacula, & inſanos Bacchanalium imminentium ludos reprobavit. Montem Pietatis a ſe inſtitutum multipliciter auctum, amplius confirmavit, eamque indidit civibus ſui reverentiam & affectum, ut, Ardicino de Porta Cardinale mediatore, has litteras obtinuerint Pontificias.

Placentiæ concionatur.

Dilecto filio fratri Bernardino Feltrenſi &c.

EX relatu dilecti filii noſtri Ardicini tituli ſanctorum Joannis & Pauli preſbyteri Cardinalis Alerien. intelleximus te in Civitate Placentina anno proxime decurſo verbum Dei prædicantem ſaluti animarum illius populi multum profuiſſe, ac propterea eumdem populum etiam ſummopere optare, ut elapſis proximæ Reſurrectionis Dominicæ feſtivitatibus, iterum eodem ad prædicandum te transferas. Nos igitur pro paſtorali officio de animarum ſalute

Ex autographo.

lute ſolliciti, iis ipſius populi annuere votis volentes, tibi committimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ ſtricte præcipiendo mandamus, quatenus poſt dictas feſtivitates Placentiam verbum Dei, ſaltem uſque ad Adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti prædicaturus accedas, populumque illum in doctrina Evangelica confoveas, & in viam mandatorum Dei dirigas, in quo faciet rem Omnipotenti Deo acceptam, & nobis admodum gratam. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXV. *Februarii anno* MCCCCXCI. *Pontificatus noſtri anno* VII.

Mantuam abit. XII. Placentia Mantuam profectus, recepto ſocio Franciſco Feltrenſi melius habente, quem diximus morbo gravatum, illic dimiſſum, cœpit inſtitutum Montis Pietatis a quibuſdam adhuc impugnatum, rationibus, multarum urbium uſu, doctorum virorum ſyngraphis, & quod ſummum erat, ſummorum Pontificum auctoritate tueri. In die ſancti Blaſii de Jeſu nomine devotiſſime concionatus, cœpit urbs tota hoc nomine repleri, & Antonius Gonzaga in hujus ſanctiſſimi nominis honorem, pulchrum ſacellum extruxit, adhibita ſancti Bernardini imagine, nomen hoc aperto corde litteris aureis exprimentis, ubi perpetuo celebrandam ſingulis annis ſacri nominis feſtivitatem inſtituit. Inde Vincentiam. Vincentiæ prædicavit in æde Cathedrali, ſumma Epiſcopi, doctorumque virorum admiratione, qui vividum hominis ingenium, inventionis facilitatem, verba caſta & genuina, raram explicandi formam, univerſalem rerum notitiam, dicendi facundiam, penetrantemque ſermonem multis extulerunt encomiis. Et quidem Barnabas Vincentinus, ſacræ Theologiæ Magiſter, Orationem tanto viro dignam, in ejus laudem compoſuit.

XIII. Ea in urbe divulgabatur, Montes Pios Patavinum, Mantuanum, & ſi quos alios a Bernardino inſtitutos, uſurarios eſſe propter ſolutinnem unius aut alterius oboli, ſuſtentandis miniſtris indictam. Erat Vincentiæ diverſo modo alter inſtitutus: dabatur quidem libere pecunia, at qui accipiebant, monebantur, ne eſſent ingrati, ſed aliquid ſponte darent, alias miniſtraturi cauſam ne amplius mutuo pecuniam acciperent. Dabant itaque ſive propter verecundiam, ſive propter timorem, ne convitiis onerarentur, quadruplo majorem mercedem, quam Bernardinus præſcripſerat. Unde duabus de hac re habitis doctiſſimis a Bernardino concionibus, Epiſcopus, & Senatus a ſententia receſſerunt, & dimiſſa priori forma, ſecundum Bernardini normam Montem denuo erexerunt. Multa etiam cum dixiſſet de Chriſtianis moribus, de vitiis & virtutibus, de ſeculi vanitatibus, eo tempore, quo inſanire ſolent homines paulo ante Quadrageſimam, tanta fuit morum reformatio, ut luxuriantes veſtes, adulterinos capillos, ſpeciei figmenta, luſoria inſtrumenta, atque id generis alia, majore contulerint fervore ad comburendum, quam alii in diebus Quadrageſimæ, aut tempore Paſſionis.

XIV. Auguſtina religioſa matrona, Joannis Michaelis Paiarini conjux, duorum Minoritarum, triumque Clariſſarum ſoror, ſcriptoris latinæ legendæ, tunc compoſitæ, qua pro his ſcribendis utimur, conſanguinea, cum a viro prohiberetur crines aſcititios deponere, flammam in capite ſenſim depaſcentem ſentiebat, donec abjecit. Unus ex primoribus urbis choreas, ſcenas & ludos paraverat parentibus & amicis, quibus multo apparatu ſubſellia diſpoſuit; ſed audito Bernardino, omnia disjecit & neglexit. Illic immoratus uſque ad Dominicam Sexageſimæ, admirabilem induxit morum reformationem, templorum frequentationem, verbi Dei audiendi deſiderium, eo maxime Bacchanalium tempore, quo ubique inſana parantur ſpe-

ctacu-

ſtacula. Ut diutius apud ſe retinerent Vincentini, promiſerunt ſingulis, dum maneret, diebus, centum aureos ſe donaturos Monti Pietatis. Ne pauperes hoc ſubſidio privaret, ante Septuageſimam, quo cogitaverat abire, hæſit uſque ad diem inſequentem Dominicam Sexageſimæ, Montique aggregavit ultra tria millia coronatorum.

XV. Patavium proficiſcenti obviam venere pii Montis Præſides, qui honores omnes reſpuentem honorifice in urbem duxerunt. A die Cinerum ſermones exorſus in Cathedrali templo, aliquos habuit in palatio Senatorio, & omnes a Dominica ſecunda Quadrageſimæ uſque ad Paſcha in area Prætoria. De judicio ultimo vehementer locutus, univerſos terrrefecit; de blaſphemiis, detractionibus, furtis, reſtituendi difficultate, aliiſque gravioribus differens vitiis, horrorem odiumque malorum induxit. Ad confeſſionis, & Euchariſtiæ frequentiam hortatus, non ſufficiebant Eccleſiarum Miniſtri Sacramentis miniſtrandis. Duo hic probatæ cœlitus doctrinæ oſtenſa ſunt argumenta. Saltanti puellæ ſub Quadrageſimæ veſtibulum, aliaſque ad choreas pertinaciter allicienti, Bernardinus maledixit: execrationem illa contempſit, ſed paulo poſt Paſcha fulmine diſperiit. Adoleſcens villicus ſponſam duxerat adſcititiis coloribus fucatam, tripudiis ludiſque indulgentem. Sub Quadrageſimæ medium monuit Vir Dei abſtinerent, & ſponſa adulterina deponeret ornamenta. Uterque verba deſpexit, ſed pœnas luit: ille in furorem actus, omnia miſcebat, omnia turbabat, & gladio percuſſæ ſponſæ cranium ſeu verticem capitis abſcidit. Mox ſibi a ſponſæ conſanguineis timens, Venetias aufugit. Ita ſponſus vagus & profugus aberrabat, & ſponſa alienis aſſueta capillis, neque ſuos jam poterat retinere. Quanta propter ejus doctrinam Patavii tunc orta ſit morum mutatio, abunde probarunt in immenſum auctus Religioſorum numerus, currentibus adoleſcentibus ad tuta Religionum latibula, & copioſiſſimus rerum inanium laſcivarumque acervus commiſſus incendio. *Patavii ſermones habet Quadrageſimales.*

XVI. Diebus adhuc quindecim poſt Paſcha illic prædicavit, rogatuſque ab Epiſcopo Regino, & ſui Inſtituti viris, ut illuc ſe conferret, in Comitiis Provincialibus concionaturus, renuit ire, dicens: ſe turbas Fratrum procul fugere, neque quidquam in iis Comitiis poſſe appetere, ſed nec in aliis velle; quippe qui ſecum firmiter ſtatuerit placidam & liberam peregrini vitam abſque officiorum vinculis traducere. Venetiis per Hebræos Patavinos, Monti erecto ſemper adverſarios, accuſatus, quod plus urbi & pauperibus obfuerit, quam profuerit illa inſtitutione Montium, parum abfuit, quin male apud Senatum audiret, aut aliquam nominis & famæ jacturam pateretur, ſed Leonardus Loredanus, primarius Senator, mox Reipublicæ Princeps, ejus partes valide defendit, Hebræoſque habuit contumelioſe, aſſerens ubique notam eſſe Bernardini virtutem & prudentiam.

XVII. Patavio noctu diſcedens, ad Campum ſancti Petri urbem propinquam aliquoties prædicavit, indeque ejecto Hebræo fœneratore, qui civium voraverat ſubſtantias, Montem inſtituit, auxiliante præ reliquis Antonio Bernardo, nobili Veneto, olim Gubernatore Vincentino, qui Bernardinum, tunc primo cognitum, cœpit habere in delitiis. Ex vicinis caſtris & oppidis confluxerunt omnes tantum Virum audituri, & Magiſtratus Baſſani, Cittadellæ, Caſtri-novi, Novalis, & Aſoli ſuos quique miſerunt Oratores, ut vel uno die apud ipſos prædicaret. Recta iturus in patriam, a qua multis aberat annis, rogavit haberent excuſatum, abiitque verſus Caſtellum Francum multa procerum turba comitatus, etſi ſæpiſſime rogaverit ut ſolum diſcedere permitterent. Rector iſtius urbis Franciſcus Grittus *Pergit ad Campum S. Petri.* *Mox ad Caſtellum Francum.*

cum

cum aliis viris primariis obviam perrexerunt per quatuor milliaria, & honores iſtos valde faſtidientem, ſumma populi lætitia in urbem duxerunt. Dum in publico foro prædicaret, Poteſtati (ita plerumque urbium Italicarum Rectores vocantur) Bernardinum audienti allata eſt epiſtola Venetiarum Ducis admonentis, in Senatu relatum, Feltrenſem concionatorem turbis & tumultibus omnia miſcere, gentemque omnem contra Hebræorum facultatem & vitas illius perſuaſu conſpirare; adhibendum itaque opportunum remedium. Lectam epiſtolam prudenter adnotavit aliquot diebus datam, antequam in eam urbem advenerit Bernardinus, eoque tempore adhuc Patavii perſtitiſſe. Reſcribit proinde fraudem hic ſubeſſe Judæorum, & Bernardinum pacifice ac prudenter Evangelicum ſuum munus obiiſſe. Hinc in Senatu occaſionem ſumpſit acriter dicendi in Hebræos vir grandævus & pius, & Bernardinum a vitæ ſanctimonia, a doctrinæ fructu, a reformatis ubique hominum moribus magnifice commendandi.

Ejus honori insidiatur Hebræi.

Prædicat Afoli.

XVIII. Ille porro condemnatis hic Hebræorum uſuris, ſuggeſtoque Montis remedio, poſtquam horis tribus doctiſſime diſſeruit, ſumpta panis buccella, itineri ſe accinxit, eo die Feltrum perventurus. Impediit tamen turba, quæ ex illo congreſſa eſt loco, & quæ aggreſſa eſt ex Aſolo, virorum ac mulierum, religioſorum ac ſecularium rogantium ut brevi illo viæ diverticulo ad ſe declinaret. Pietate populi motus, ſe duci permiſit, & ſub Veſperas in publico prædicavit foro, ſtatimque diſceſſit. Sub noctem pervenit Querum, neque enim Feneri manere voluit propter lautiſſimam cœnam, paratumque ab Aſolanis nobile hoſpitium.

Inde Feltrum proficiſcitur.

XIX. Summo mane diei ſequentis Feltrum ingreſſus, honorificentiſſime a ſuis concivibus excipitur, qui ut ſuam indicarent lætitiam, plateam omnem pannis & aulæis ornaverunt. Ille ſequenti die Sabbati ſermones exorſus, tot habuit auditores, quot ampliſſima potuit area capere, concurrentibus ex rure colonis, & opera negligentibus univerſa. Cum viris currebant & mulieres: ſed ne domus abſque cuſtodibus remanerent, vices alternabant. Hoſpitia replebantur urbana; cauponæ exteris recipiendis non ſufficiebant; multi in templis & porticibus pernoctabant. Adveniebant promiſcue Baſſanenſes, Tarviſini, Foro-Julienſes, Carnii pluſquam LX. P. M. diſtantes, atque in tanta frequentia, ut Carniæ Rectoribus neceſſe fuerit, ne oppida remanerent deſerta, & hoſtibus obnoxia (vigebat enim tunc inter Teutones & Venetos bellum) ne ſupra tercentum ſimul abirent, imperare. Quin etiam ipſi Teutones, etſi Italicæ & Latinæ linguæ ignari, magno numero confluebant; ſed hi per diem tantum recipiebantur, noctu præconis voce extra urbem fiebant. Uxores & pueri in foro, ſolariis & xyſtis, datis a Prætore Dominico Contareno Cuſtodibus, ne nocturnos paterentur incurſus, quieſcebant.

Magno illic prædicat populorum concurſu.

XX. Perturbarunt auditorum lætitiam miſſæ a Vicario Generali litteræ, quibus jubebat Veronam, ubi provinciæ S. Antonii comitia habebantur, proficiſceretur, atque in S. Bernardini feſtivitate prædicaret. Convocato itaque Senatu, deſignatus eſt ad Veronenſes Orator Daniel Caſtaldus, Cornelii inſignis Juriſconſulti & Oratoris Pater, juſſus inde Taurinum prolixo itinere ad Vicarium Generalem tendere, ut placeret præceptum revocare. Impetravit illæ quæ voluit a Prætore Antonio Moreſino, Senatuque Veronenſi, ea tamen conditione, ut abſolutis Feltri concionibus, Veronam iret, ibique aliquantulum hæreret. Taurini idipſum obtinuit a Vicario Generali, & inſuper facultatem conſtruendi ſub ſuorum Fratrum regimine Monaſterium Clariſſarum apud Feltrenſes. Quanto ſtudio Dei ſervum Fel-

Feltrenſes audiebant, vel exinde abunde probatur, quod in feſtivitate ſancti Bernardini, dum propter pluviam ventumque validum pannos, quibus forum operiebatur, convolventem, terque quaterque populi miſeratus, ſermonem claudere vellet, tota concio toties conclamarit, ut in dicendo pergeret, & patientiſſime in ſumma nimborum & venti tempeſtate per duas horas dicentem audierit.

XXI. Demum novis precibus interpellatur a Belluni, Coneliani, Serravallis, Baſſani, Cadoris, Vallis Suganæ incolis, ut apud ipſos prædicaret, ſed præventus Vicarii Generalis altero præcepto, ut Genuam pergeret, piis petentium votis ſatisfacere non licebat. Moleſta contracta raucedine ex longa pluviali illa concione, per aliquot dies ſermonem continuit. Inde ſparſum ægrotaſſe, atqui ſtatim ex multis oppidis & villis, ſed præſertim ex urbe Vincentina deſtinati, qui Magiſtratus Senatuſque nomine inviſerent languentem. Tanto concionatoris fervori, & Feltrenſium pietati Dei gratia cooperata eſt, nam pravi mores plene correcti, adoleſcentum familiaria nimis cum puellis alloquia, ex quibus paſſim clandeſtinæ nuptiæ & infidæ prodibant ſponſiones, ceſſarunt; munuſcula amatoria, tripudia diebus feſtivis inter amantes fieri ſolita, omnino prohibita; luſoria, aleæque, capilli adulterini, combuſta: Ceretani falſis privilegiis a quibuſcumque reatibus abſolventes, tota regione expulſi. Interdicta inſuper commercia & uſuræ Hebræorum, inſtituendi Montis pii præſcriptæ regulæ, picturæ prophanæ, mereque gentiles deletæ. Præceptori humanæ eruditionis indictum, ne Martialis epigrammata, Ovidii amatoria, Catullum, Petronium, aut his ſimiles diſcipulis explicaret auctores. Feltri Monaſterium ædificat Clariſſarum.

XXII. Ædificandi Clariſſarum Monaſterii ſuum indicans ex ſuggeſto deſiderium, multas ſtatim aggregavit oblationes, plureſque habuit coadiutores. Inſtituta ſolemni ſupplicatione ad locum ſacro ædificio deſtinatum, primum poſuit lapidem Andreas Triviſanus electus Epiſcopus Feltrenſis, & Eccleſia inſignita eſt nomine *ſanctæ Mariæ Angelorum*, celebraturque dedicatio die ſecunda Auguſti. Facultatem autem Monaſterium ædificandi ſub invocatione ſancti Bernardini conceſſit Nicolaus Franchus Epiſcopus Tarviſinus, Legatus Apoſtolicus, cum poteſtate Legati Cardinalis de latere per univerſum Venetorum dominium, eamdemque Innocentius Pontifex ſuis litteris præmiſerat. Do utriuſque diploma.

Dilecto filio Bernardino parvulo Feltrenſi &c.

EXponi nobis nuper feciſti, quod ſi in Civitate Feltrenſi erigeretur unum Monoſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ſub Regulari Obſervantia, ſecundum illius prima inſtituta, ſub cura profeſſorum Ordinis Minorum de Obſervantia, exinde populi Feltren. creſceret devotio, & Divinus inibi augeretur cultus, & puellis Feltrenſibus cupientibus virtutum Domino cum integritate mentis & corporis caſtum præbere famulatum, ſpirituali conſolationi provideretur. Proinde nobis humiliter ſupplicare curaſti de opportuna deſuper licentia. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, in dicta Civitate, & loco ad id commodo & honeſto, abſque alieni juris præjudicio, cum Eccleſia, campanili, campana, cæmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, jugeribus in illo neceſſariis, perpetuiſque uſibus Monialium prædictarum, per eas juxta earum ritus & mores, & laudabilia inſtituta dicti Ordinis ſanctæ Claræ applicandis, ædificandi, ac ex aliis Mo- Ex autographo.

naſteriis ejuſdem Ordinis dictæ curæ commiſſis aliquas Moniales, quas voluntarias inveneris, ad dictum Monaſterium, perfecta convenienti clauſura, ibidem pro aliarum denuo illud intrare volentium directione & inſtructione, circa ritum, mores & obſervantiam Regulares, introducendi, ac unam earum ibi in Abbatiſſam annalem præficiendi, ac ipſum Monaſterium curæ & directioni dictorum Fratrum ſubjiciendi & ſubmittendi, & ipſos Fratres ad Monaſterium hujuſmodi ſub ſua cura recipiendum compellendi, facultatem harum ſerie, Apoſtolica auctoritate concedimus pariter ac largimur: Nec non dicto Monaſterio, & illius Abbatiſſæ, Conventui, Monialibus & perſonis, ut omnibus privilegiis, gratiis, favoribus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, & Obſervantiæ conceſſis & concedendis in genere uti potiri & gaudere poſſint: indulgentiis, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Monaſteriorum Ordinum, juramento, vel alias roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXV. *Aprilis* MCCCCLXXXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

NICOLAUS FRANCHUS Epiſcopus Tarviſinus, Legatus Apoſtolicus cum poteſtate Legati Cardinalis de latere per univerſum Venetorum dominium, dilecto nobis in Chriſto Archidiacono Eccleſiæ Feltren. ſalutem in Domino.

XXIII. *EX injuncto nobis ab Apoſtolica Sede dudum legationis officio, pia & ſalubria Chriſtifidelium vota, ex quibus Divini cultus ſperatur augmentum, ſaluſque proveniat animarum, præſertim quando de erigendis locis ſacris & Monaſteriis, ac Virginum conſortio ad laudem Creatoris noſtri aggregando cogitatur, pii patris affectione proſequimur, ac plenis favoribus confovemus, & ut optatum ſortiantur effectum, opem libenter & operam attentius impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti nobis in Chriſto Andreæ Trivisſani, Patricii Veneti, petitio continebat, quod Cives ſive Communitas Feltren. diem ſuæ mortis præmeditantes, cupientes ſibi de temporalium & caducorum bonorum fœnore in cœleſtibus immortales & pretioſos comparare theſauros, de bonis ſibi a Deo collatis, & per ſe acquiſitis, extra muros Civitatis Feltri Monaſterium cum Eccleſia, ſub vocabulo ſancti Bernardini, ac cum ſuo campanili, cœmeterio, clauſtro, ſacriſtia, & aliis officinis neceſſariis & opportunis, in quo aliquæ Moniales Ordinis ſanctæ Claræ, ſeu ſancti Franciſci, ſub Regulari Obſervantia, ac ſub perpetua clauſura degant, & perpetuum Altiſſimo præſtent famulatum, ac horas Canonicas nocturnas & diurnas celebrare jugiter poſſint, fabricare & erigere, & poſtquam hujuſmodi Monaſterium cum Eccleſia, & aliis officinis prædictis erectum & fabricatum, ac clauſum fuerit, aliquas Moniales honeſtæ & laudabilis vitæ, ejuſdem Ordinis, de quovis Monaſterio dicti Ordinis convocare & includere in eodem, ut illic vitam ſub hujuſmodi Regulari Obſervantia perpetuo agant, & bonæ vitæ ſuæ odore & ſuavitate alias Virgines ad Dei famulatum alliciant, & allectas inſtruant & erudiant, & talia jaciant ſemina, per quæ ſicut novellæ olivarum, illæ & aliæ pro tempore florere poſſint, intendunt, ſed quia præfati Cives ſeu Communitas hæc minime facere poſſe dubitant, opportuna deſuper licentia non obtenta, ideoque pro parte ipſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus hujuſmodi Monaſterium erigendi fabricandique & dotandi, & poſtquam, ut præfertur, erectum*

ctum ac fabricatum & dotatum fuerit, Moniales dicti Ordinis ad illud convocandi, & eas in illo includendi eiſdem Civibus & Communitati licentiam concedere, ac in præmiſſis alias opportune providere dignaremur. Nos igitur, qui cultum animarum noſtris potiſſime temporibus vigere, & adaugeri ſtudiis indefeſſis affectamus, diſcretioni tuæ, de qua in his. & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, ſpeciali ad hæc & alia præmiſſa per Apoſtolicæ Sedis litteras poteſtate muniti, & qua fungimur in hac parte, per hæc ſcripta committimus & mandamus, quatenus vocatis vocandis, & his quorum intererit, de loco, in quo Monaſterium ædificaturum erit, de conſilio fratris Bernardini de Feltro, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, prædicatoris eximii, te diligenter informes, & ſi per hujuſmodi informationem, locum ædificio deputandum, congruum & honeſtum ac conveniens infirmo & lubrico ſexui muliebri eſſe, ac cetera præmiſſa veritate fulciri repereris, hujuſmodi Monaſterium in ipſo loco per te eligendo & nominando, cum Eccleſia ſub prædicto vocabulo ſancti Bernardini, campanili, cœmeterio, clauſtro, ſacriſtia, & aliis officinis neceſſariis & opportunis erigendi & fabricandi: necnon Moniales bonæ converſationis & famæ, & in quibus aliæ venturæ Virgines pro emulatione bonitatis & virtutum ſe ſpeculari poterunt, ex aliis Monaſteriis Ordinis & Obſervantiæ ſanctæ Claræ, ſeu ſancti Franciſci, ad illud Monaſterium, poſtquam erectum & fabricatum ac dotatum fuerit, de licentia tamen ſuorum Superiorum, aut Abbatiſſarum extrahendi, convocandi, transferendi, & includendi in eodem ſub perpetua clauſura, & Obſervantia Ordinis, & Obſervantiæ prædictorum, quot in ipſo commode reſidere, ac vitam ſuam ducere poterunt; cum facultate etiam, quod ipſæ Moniales, quæ convocatæ, translatæ & incluſæ, ut præfertur, fuerint, aliarum Virginum, & mulierum in eodem Monaſterio, illius, qui ſpecioſus eſt forma præ filiis hominum, beneplacitis inſervire volentium, profeſſiones per ipſas emittendas, admittendi & recipiendi, ut illæ per ipſas jam veteranas erudiri & inſtrui, ac illæ ſic eruditæ & inſtructæ aliis poſt ſe traditam eruditionem & inſtitutionem impertiri poſſint, licentiam pariter & facultatem auctoritate Legationis noſtræ nobis a ſanctiſſimo Domino noſtro, Domino Innocentio Papa VIII. conceſſa, concedas & indulgeas: decernendo & declarando eadem auctoritate Legationis noſtræ, idem Monaſterium & Moniales pro tempore in eo reſidentes eiſdem privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, favoribus & præeminentiis, ac prærogativis in poſterum perpetuis futuris temporibus gaviſurum & gaviſuras, quibus cetera Monaſteria & Moniales Ordinis & Obſervantiæ prædictorum gaudent, ſeu gaudere poſſint de jure vel de conſuetudine: Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis prædicti, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Venetiis in Monaſterio ſanctorum Joannis & Pauli, die XIX. menſis Junii MCCCCXCII. Pontificatus præfati ſanctiſſimi Domini noſtri anno VIII.

XXIV. Quadraginta habuit Bernardinus in patria ſermones miro fructu, & ſignis admirandis. Febri quartana diu laborantem ſola benedictione ſanavit: multique variis morbis affecti, deguſtato ſolo pane vel cibo, qui ei ſuperfuerat, convaluerunt. Genuam juſſus proficiſci, in feſtivitate ſancti Joannis Baptiſtæ, Civitati bona cuncta precatus diſceſſit. Omnes civium Ordines eum cum lacrymis comitati ſunt uſque ad oppidum ſancti Victoris. Inde Querum profectus, duarum horarum concione incolas hortatus eſt ad bene beateque vivendum, utque miſſas facerent choreas diebus feſtivis, aliter certo ſcirent contra ſe concitaturos iram Divinam. Poſt

Feltro Genuam abire jubetur. Prædicat Queri, Cavaſi, Baſſani.

prandium in vico Cavaſi prædicavit; die ſequenti in foro Aſolano rogatus pridie a duodecim civibus, qui obviam præceſſerunt. Rogatus a Baſſanenſibus ut ſuo conſpectu & doctrina eos rurſum ſolaretur, Montemque, quem ejus hortatu erexerant, ſtabiliret, ire decrevit, ſed ad quartum uſque lapidem ſecuti ſunt Aſolani, & viæ inſuper replebantur, concurrentibus ex omni latere ruſticanis, qui domos operaſque relinquebant, ut benedictionem acciperent, Baſſani diebus quinque remanſit, tumultuantibus Hebræis, qui Ducis Veneti litteras in ſuum favorem impetrarunt. Nihilominus Bernardinus conciones proſecutus, Montis neceſſitatem & commodum explicavit, & Regulas præſcripſit, monens ut quamprimum confirmationem a Principe peterent, ne ſubverti aliquando poſſet ab Hebræis. Tripudia ut dimitterent, hortatus, nolentibus grandinis flagellum comminatus eſt; & populo poſt ejus abſceſſum, dum in die ſancti Petri choreas reaſſumit, eadem die ſegetes procelloſis nimbis ſunt contritæ.

Et Maroſticæ. XXV. Maroſticenſes, Vicarii Provincialis litteris, miſſoque fratre Ruffino, qui novam ſancti Sebaſtiani ædem Obſervantibus conſtruebat, hominem ad ſe traxerunt. Illic cum de beatæ Virginis Viſitatione dixiſſet, deque caritate differendo, in odia civilia, quæ ibi erant multa, procurriſſet, eos valde conterruit, quoniam oratione interrupta, abſque peroratione & benedictione diſceſſit; hac enim arte adverſus infrænes, & in malo pertinaces, etiam pulverem pedum in eos excutiens, eorum ferocitatem devicit. Vincentinum populum videndi fervore ardentem, quatuor concionibus adeo inflammavit, ut modis omnibus a Vicario Generali procurarit ſibi remitti pro concionibus Adventus. Hinc licet æger diſceſſerit, noluit jumentum oblatum admittere, ſed pedes abiit uſque ad Montembellum; ubi cum ſe reficere vellet, non potuit, nimio correptus languore. Hoſpes publicus Viri Dei commiſeratus, equum dedit uſque ad Villam novam, deinde pedes proceſſit Calderium, vicum agri Vincentini. Hic inhumane ab omnibus repulſus, a nullo potuit hoſpitium impetrare, neque a divite quodam equorum ſtabulum, ut ſub tecto ea nocte jaceret. Irato ſocio, & oppidanis ſummam exprobranti crudelitatem, dixit: *Moderare, frater, paſſionem tuam: noſtram vult Deus exercere patientiam, & experimento docere, quam fallax falſuſque ſit mundus, quam inconſtans in rebus ſuis. Pridie univerſus populus Vincentinus, quidquid habet, in nos profunderet; ſanguinem etiam ſi opus eſſet pro nobis effunderet; hodie incogniti, deſpecti ſub dio ægri jacemus, nec eſt, qui miſereatur.* Accepta demum a trituratoribus palea, ea nocte ſub humilis caſulæ portu quieverunt.

Vincentiæ.

Calderii inhumane recipitur.

Gloria humanæ inconſtantia.

Veronam abit. XXVI. Veronam die ſequenti fatigatus & debilis pervenit; ſabbato in Eccleſia Cathedrali, die Dominica in publico foro infinitæ hominum multitudini prædicavit. Monte Pietatis ad meliorem formam juxta Pontificium diploma redacto, abiit Aſolam, inde Orzum novum, ubi propter civiles diſcordias exortas, die ſanctæ Mariæ Magdalenæ de bono pacis, & diſſenſionum incommodis diu docteque diſſeruit; hinc Cremam die XXIII. Julii appellens, a primariis eum inviſentibus, in Cœnobiolo ſancti Bernardini extra Urbem, honorifice habitus eſt. Sed a Vicario & Cancellario ſecreto præmonitus ne prædicaret, propter edictum Principis Senatuſque Veneti, ne ſcilicet Judæis noceret; etſi populus ſummo mane ad concionem convenerat, & dato bis ſigno æramenti, expectaretur in numeroſiſſimo cœtu prædicaturus Bernardinus, ſecreto receſſit. Prætoris id juſſu factum, ubi populus reſcivit, orta magna ſeditio, non aliter ſedari potuit, quam Bernardino revocato ex itinere, & per aliquot dies prædicante.

Inde Cremam.

XXVII. Lau-

XXVII. Laudam perrecturum præierunt ultra duo millia hominum, mulierumque tota nocte itinerantium, ut ſequenti die Dominica prædicantem audirent. Præoccuparunt Cremenſes ſummo mane ſedes, maga Laudenſium admiratione, qui ſuperventuro Bernardino præpararunt conſeſſus locum in foro. Duo fratres Lucenſes illuc appulere, a Magiſtratu miſſi ut impetrarent, vellet Vir Dei apud eos per menſem unum prædicare. Quibus ille reſpondit, non in ſua, ſed Vicarii Generalis poteſtate ſitum, & proinde cum ipſo agendum. Ad illum Genuam profecti, obtinuerunt, ut piis civium votis ſatisfieret. Iter proſecutus, Ticini ſolis Clariſſis prædicavit, & Vogeræ ſermonem habuit in feſto ſanctæ Mariæ ad Nives. In vigilia ſancti Laurentii Genuam pervenit opportune: nam Pontifice Innocentio, qui per Bernardinum Monaſteria Monialium clauſerat, paulo antea defuncto, alioque ſubrogato, reformationis impatientes mulieres, per ſuos fautores jam tentare cœperunt ad priſtinam libertatem reverti; ſed præſentia & prudentia Bernardini ſtabilire non potuerunt, quæ cogitaverunt conſilia. Inde etiam utilis ejus adventus, quod ſuis prædicationibus, conſiliis & comminationibus effecerit, ne illic reciperentur multa millia Hebræorum a Ferdinando Rege Catholico ab Hiſpaniis expulſa, quorum tamen familiaritatem & commercium dum Genuenſes vitare noluerunt, peſtis flagellum prædixit & belli, quæ anno ſequenti nobilem Civitatem miſere vexaverunt. Ex his perfidis exulibus Catalanam unam adoleſcentulam paulo antea deſponſatam, ad fidem convertit, & Chriſtianis rudimentis erudivit.

Mox Laudam.

Deinde Ticinū, Vogeram, & Genuam.

XXVIII. Lucam ex ſui Primicerii præcepto iturus, Maſſæ Carrariæ, ubi Parii lapides exciduntur, ter concionatus, tamdem Lucenſes prædicationibus triginta recreavit, & ad pia quæque opera excitavit. Sacerdotes urbis, cum Canonicis & Epiſcopo in Templi ſacrario congregatos, clauſo oſtio, ne a ſecularibus audiretur, accommodato ſtatui ſermone, ad vitam religioſe & ſancte tranſigendam, vehementi conatu hortatus, in illis totius populi mores reformavit. In vigilia ſancti Franciſci iliaco correptus dolore, tota nocte male habuit, ſed fomentis recreatus, a concionando ſequenti ſui Inſtitutoris die non abſtinuit. Poſtridie inchoato itinere, tamdem aſperrima juga ſuperavit Alpium, & Parmæ quindecim habuit conciones in Templo Cathedrali, aliaſque per diverſa urbis Monaſteria, & cenſum auxit Montis Pietatis. Legnani ſemel, Arzignani decies incredibili undequaque adventantium concurſu, magnoque fructu reconciliati inter diſcordes cives firmiſſimi fœderis, & Montecchii bis, explicatis ſancti matrimonii fructibus, propter duos, qui tunc ſe ad ſolemnes nuptias præparabant, ſummo omnium applauſu prædicavit.

Ad Maſſam Carrariam concionatur, & Lucæ.

In urbe Parmenſi.

XXIX. Ita loca univerſa per quæ tranſibat, dulci ſuo eloquio, & gratiarum ſtillicidio inebrians, lucrum ingens reportavit. Vincentiæ præter manifeſtam morum reformationem, duo Collegia, ſancti Nominis Jeſu unum, alterum ſancti Joſephi verecundis pauperibus juvandis & alendis curavit inſtitui, magno bono & certo ſubſidio nobilium, qui ad eum ſtatum pervenerunt, ut rerum omnium indigi, mendicare verecundentur. Pium hoc Inſtitutum etiamnum perſeverat, deſignatis piis viris, qui ſuis collegiorumque ſumptibus egenos nobiles per domos, & pauperes mendicos per plateas refocillent. Aliis piorum hominum Societatibus & Congregationibus multa adjunxit documenta, & Tertium ſancti Franciſci Inſtitutum commendans, plurimos attraxit etiam ex primariis, qui ſe huic cœtui aggregarent. A die ſancti Andreæ ſermones exorſus, uſque ad ſequentis anni exordium illic perſeveravit.

Multa bona præſtat Vincentinis.

XXX.

Fr. Joan. Epiſc. Chriſtopolit.

Joann. Epiſcop. Varadienſis fit Minorita.

XXX. Joannes de Sorceyo, ſacræ Theologiæ Baccalaureus, creatur Epiſcopus Chriſtopolitanus in Macedonia, ſub Archiep. Philippenſi, per obitum alterius Joannis v. Idus Maii, & datur ſuffraganeus Epiſcopo Tullenſi. Alius hoc anno Joannes, non tam ex Minorita creatus Epiſcopus, quam ex Epiſcopo factus eſt Minorita. Is eſt Joannes Antiſtes Varadienſis, ſub Archiep. Coloſenſi in Hungaria, & adminiſtrator Eccleſiæ Olomucenſis in Moravia, quem hoc anno, ipſo die Pentecoſtes in Cœnobio Uratiſlavienſi, poſtquam coram frequentiſſimo populo ſacra in Pontificalibus exercuit, omnium admiratione & ædificatione habitum ſuſcepiſſe Minorum per manus Alexandri Javorenſis Guardiani narrat Gonzaga. Et quidem hoc anno ita feciſſe, mihi conſtat ex regiſtro Vaticano, & ex libris Conſiſtorialibus, in quibus III. Non. Septembris promotus dicitur Valentinus Forens, Præpoſitus Eccleſiæ Varadienſis, ad eamdem Eccleſiam per reſignationem ejuſdem Epiſcopatus factam a Joanne de oppido Peſtani, * & ingreſſum ejuſdem Epiſcopi in Ordinem Minorum. Rem omnem diffuſe narrat Bonfinius, qui multis in locis honorificentiſſime de hoc loquitur Epiſcopo, ſummæ tunc apud Hungaros auctoritatis. Poſtquam enim Matthia Corvino defuncto, Uladiſlaum Boemiæ Regem in ſumma Principum contentione, ad illud ſceptrum evectum recenſet, & ornatiſſimæ ad eum deſtinatæ Legationis Principem Joannem hunc omnia pro rei majeſtate dixiſſe & feciſſe, donec Rex Regni diadema ſuſcepit, diſerte commemorat, ita ſubjungit: *Joannes Varadienſis Epiſcopus, qui una cum Urbano, Quæſtore regio, & Agrienſi Epiſcopo apud Matthiam ſemper obtinuerat principatum, coronata e ſententia ſua Rege, cum ſe patriæ, & humanæ gloriæ ſatisfeciſſe putaſſet, præter omnium opinionem, omiſſa mortalium rerum cura, ad Divi Franciſci collegia, invito Rege, confugit: facinus de ſe præclariſſimum edidit, per omnia tempora commemorandum. Quandoquidem de activa contemplativaque vita juxta triumphare ſtuduit, ſe omnibus honoribus perfunctum eſſe ſenſerat, quibus noſter animus humanarum rerum cupiditate ſolet irretiri. Quaſcumque legationes maximas obierat, tam honorifice geſſit, ut ceteros ſui temporis oratores apparatu, prudentia, liberalitate, ac eloquentia ſuperaret. Honeſtiſſima ſemper, & perquam culta familiarium multitudine delectatus eſt: tantum ſibi ex Regis Matthiæ beneficentia divitiarum, oppidorumque compararat, ut ad centum aureorum millia, præter villas & oppida poſſideret. Unus tantum e ſorore nepos ſupererat, & tantæ quidem molis, ut nec avunculo, nec pari dominatu videretur indignus. In ſalutarem igitur incidit reſipiſcentiam. Secumque ita diſſeruit.* En ſtultam mortalium ſapientiam: en irritos hominum labores: en perquam vanum, ſtultiſſimumque finem. Quid ex his tandem ſperare licebat, præter maximum Pontificatum? altius enim evehi non poteram. Quid demum conſequuti ſumus, præter catenatos labores, perpetuamque procellam, & æternam ſpiritus afflictionem? Valeant hæc omnia, quæ me mei ipſius immemorem effecere, quæ me terreſtribus infodere miſeriis, quæ me ad Divini Numinis vultum numquam ſuſpicere permiſere: humanis ipſe rebus ultro renuncio, me ab omni miſera vindico conditione, & Divini Numinis dexteritate, iter illud inibo, quo me (ni fallor) ab omni mortalitate jam afferam. Cuncta recenſui voluptatum agmina, ambitionis omnia munera prægustavi, formidoloſa divitiarum fomenta poſſedi, clientum ſalutationes, anteambulonum turbas, familiarium multitudinem non ignoravi: neque popularis aura, nec gratia Principum, nec plauſus populorum, nec congratulationes amicorum, nec cultus aſſiduus domi foriſque ſervatus, mihi defuit. Quid tam-

Gonza. in Prov. Boem. Conv. 3. Ex lib. 18. reg. Alexan. VI. fol. 215.

* *Al.* Preſtanni.

Bonfin. dec. 4. rerum Hungaric. lib. 9.

Qualis & quantus hic vir!

tamdem ſolidæ utilitatis ex his legere licuit ? nempe nihil, præter mentis detrimentum, defectum, interitumve animi, & aſſiduam ſpiritus afflictionem. Cedamus igitur terreſtri patriæ, & momentaneis his rebus ultro renunciemus, ne dum mortalium amore rapimur, mortem quoque perpetuam nobis comparemus. Sat luſum & inſanitum eſt, ſat in ridiculoſo errore verſatum, ſat corpori denique ſit indultum: nunc animæ, nunc immortalitatis habenda ratio, ne animantium more vivere videamur. Poſtquam in hoc aſſiduo bello mortalium nemo fere tuto vivere poteſt, niſi ad munitiſſimas arces effugiat, editiora loca petamus, & ex humili genere nati, vitam quæramus illuſtriorem: nec abre quidem nobis factum erit. Si Chriſtum optimum maximum, Servatorem noſtrum imitati, quanto huic vano ſeculo clariores viximus, tanto deliteſcemus obſcurius, uti cumulatas vanæ hic noſtræ gloriæ pœnas exolvamus: & diſcat exemplo quiſque noſtro, non in rebus momentaneis & fluxis, ſed ſtabilibus & æternis ſpem ſolidam eſſe collocandam. Ex humilibus exorti parentibus, in priſtinam humilitatem, quod reliquum eſt vitæ redigamus: ne, cum hac ætate plus ſapere debeamus, in obſtinata vitæ miſeria, & cæcitate perſiſtendo, gravius deſipere videamur. Proinde nos a quotidianis naufragiis & fortunæ poteſtate tamdem aſſeramus, Servatoris noſtri humilitatem imitemur, & Crucem ſubeamus: ut, dum fragilem hanc vitam contempſerimus, perpetuam nobis comparemus. Si quot labores in ſervitio mortalium Principum toleravimus, tot in Divino officio pertuliſſemus, jam vere beati poſſemus exiſtimari. Quare vanitati omnium cedamus, & ſalubre Dei quæramus obſequium. *Hac mente pareitus, haud aliter, atque ſi cœleſti numine foret admonitus, in primis omnibus ſe ſacris exuit præfecturis, ſe Pontificatu Varadienſe ſponte abdicavit, ad meliorem vitam emigraturus, ne amicorum quidem & familiarium rationem omiſit, ut ingenitam uſquequaque caritatem retineret. Cum Regem nactus eſſet indulgentiſſimum, & ob ſuperiora merita ſibi deditiſſimum, Valentino Pannonio, cui Lupo cognomen erat, Epiſcopatum renunciavit, & ut continuo potiretur, cum auctoritate regia facile impetravit. Præpoſituram Budenſem, in ſuburbano ſitam, Oſualdo Epiſcopo Zagabrienſi, amicoque vetaſtiſſimo Nicolao Propontifici olim ſuo, primariam in Voradino præpoſituram: alia aliis pro dignitate diſtribuit. Albæ ab amicis dudum digreſſurus, cuncta, quæ apud ipſum erant, his prodegit. Quin & gemmatos annulos, quotquot geſtabat, præter Pontificium, in eos partitus eſt, obſignatorio Dominicum Albenſem Antiſtitem ultro donavit. Joannes igitur difficulter a Uladislao Regiæ aulicæ militiæ vacatione donatus, Olomucium in Moraviam ſe recepit, uti, priusquam divi Franciſci ſacris initiaretur, rite cuncta diſponeret. Familiares partim inter ſervitia Regis, partim inter Valentini ſui ſucceſſoris familiam inſinuavit: quem diutina experientia ita dilexit, uti filii loco ſemper haberet. Antequam Religionis illius ſumeret habitum, illic annum exegit. Interea ædem Olomucii mira celeritate exædificatam, & Pantheon appellatam, cunctis Numinibus ex voto dicavit, magnificeque donavit: ſacras veſtes, auro gemmiſque onuſtas, & multa vaſorum genera non Varadienſi ſolum, Budenſique baſilicæ, verum & aliis mira liberalitate diſtribuit. Nepoti adhuc infanti e ſorore villas & oppida cuncta, ſua virtute parta, legavit. Aureum circiter quinquagies mille in ſacros uſus erogavit. Mox exacto anno, implorata publice venia, tamquam ſi humanis excederet, complorante populo, & collacrymantibus amicis, accitis e Sileſia divi Franciſci ſacerdotibus, ſacroſanctum ſumpſit habitum: & ab illis exceptus, conſcenſo curru, Uratislaviam evectus eſt, ibi-*

que

que in ſacro Franciſci Collegio dic noctuque in Divino cultu verſatur. Tantum Hungaris, Boemiſque ſui deſiderium hac inſigni emigratione reliquit, ut pientiſſimo quiſque parente, ac patrono offitioſiſſimo, ſe orbatum reputaret.

XXXI. Diſcordat aliquantulum finis narrationis ab hiſtoria Gonzagæ; non enim in Sileſia, & Conventu Uratislavienſi, ſed in Moravia apud Olomucenſes habitu donatum enarrat. Olomucenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe quidam volunt, alii ſolum adminiſtratorem. Plerique ſcriptores multis eum extollunt encomiis. Auguſtinus Moravus, Hungariæ Regis Secretarius, in ſerie Epiſcoporum Olomucenſium ita habet. *Mortuo Prothaſio, Eccleſia Olomucenſis longo tempore Antiſtite ſuo caruit: quindecim fere annis apud adminiſtratores ad hoc per Capitulum deſignatos, adminiſtratio & ſpiritualium & temporalium fuit. Interea Matthia Corvino Pannoniæ & Boemiæ Rege providente, ut Joannes Epiſcopus Varadienſis ejus curam ſuſceperit, Pontificemque geſſerit. Ex obſcuro hic oppido Moroviæ Proſtanno proceſſit, ingenio tamen & induſtria ſua ad id culminis evectus, ut neminem per ea tempora inter ſui Ordinis homines parem habuerit; brevi adminiſtrationis ſuæ tempore glorioſis ſtructuris arcem Viſchaw, & Mirow ornavit. Cœnobium omnium Sanctorum Canonicorum Regularium in ſuburbanis Olomucenſibus ex fundamentis erexit; oppidum Muglicz ex Epiſcopalibus ſumptibus redemit, Eccleſiæque reſtituit: verum eo familiæ Divi Franciſci non multo poſt adſcripto, cum Epiſcopatus ad Sedem Apoſtolicam devolutus fuiſſet, Innocentius VIII. Pontifex Maximus Cardinali Allerienſi hunc conſuluit.* Gonzaga. *Fuit hic pientiſſimus Epiſcopus humanioribus Diviniſque litteris apprime eruditus, & aulicis in negotiis ſatis verſatus: quippe qui Sereniſſimi Hungarorum Regis Motthæi * perſonam plurimis in comitiis præſe tulerit, atque pro eodem tum apud Fridericum III. Germanorum Imperatorem, tum apud Francorum, Polonorumque Reges, tum quoque & apud plures alios Principes honorificis legationibus functus fuerit. Præterea divitiis, atque tum animi, tum quoque corporis dotibus ceteros omnes ſui temporis Germanos Epiſcopos longe anteivit.*

Catalog. Epiſc. Olomucenſ. n. 36.

Gonz. cit.

* Al. Matthiæ.

XXXII. Inter eas legationes, quas Gonzaga indicat, honorificentiſſima fuit illa, quam ad Regem Gallorum ſuſcepit, quam ita deſcribit Bonfinius: *Cum igitur in Galliam Joannes Varadienſis Epiſcopus (quo ad id munus obeundum nemo magis idoneus videbatur) Orator profectus eſſet, atque Legatum Gallorum ſecum reducturus, raram profecto pompam inſtituit, ut rem Principe ſeque dignam faceret. Trecentos in primis equos eodem colore omnes & magnitudine; trecentos quoque juvenes ex univerſis procerum Ordinibus, & ex tota nobilitate delegit, qui per ſingulas urbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu uterentur: item intonſi omnes, & eadem proceritate ætateque conſimiles. Ex his torquatos multos cernere erat: ceteros vero quibus aurei crines fuerant, gemmatis capita ſertis obductos. Supellex ad hæc pluſquam Pontificia, quæ nec ubi explicari potuit, quin Regiæ Majeſtatis hoſpitium referret. Varia a Principe mandata accepit, illudque in primis, ut per Galliam Ciſalpinam iter faceret, Mediolani ſororem Ducis Regii filii nomine deſponſoret, quom quidem affinitatem, inſcia Regina, tractarat, & exacto adeo ſub fugæ prætextu Fontana Brixienſi viro callidiſſimo, cujus adminiculo commodaque opera ſæpe alias in Italia uſus erat, clandeſtinis jam litteris fere tranſegerat, deinde ut cum Gallorum Rege fœdus iceret, fraternamque ſocietatem iniret, ut diſtractum bello duplici Maximilianum abſumeret. Item Czaliabum, Mahumetis Ottomani, Turcorum Imperatoris fillum,*

Bonfin. cit. lib. 7. in fine.

Legatio ejus ad Regem Gallorum.

filium, qui a fratre pulſus Aſia, prima Rhodum, deinde in Galliam effugerat, & in poteſtate Francorum Regis erat, precario nomine impetraret, ut ſub illius nomine Turcum graviori, quam ante bello metuque afficeret. Cuncta igitur mandata e ſententia confecit, præterquam, quod Turci fratrem ſummo Pontifiti promiſſum abducere non potuit. Legationem tanta ubique pompa geſſit, ut nihil tempeſtate noſtra magnificentius uſquam gentium ſpectatum eſſe referatur. Pariſiis ſæpe forum piſcarium in celebrandis conviviis ſic exhauſit, ut diſpenſatores quandoque regii piſces menditare coacti fuerint. Deſtinata Regi Gallorum munera obtulit, quæ pluſquam viginti quinque millibus aureum veniere. Inprimis Turcicos equos viginti quinque miræ pernicitatis, vaſa præter hæc aurea & gemmata, equos quoque cataphractos & gradarios, deſultoreſque Dacitos. Accedebant ephippia auro, lapilliſque diſtincta, ſuperbæque cum frænis phaleræ. Reginæ e ductili auro contextam trabeam, veſtes Perſicas, balthea, & aureum cubiculi apparatum miſit. Legatus etiam Francorum, cui Chriſtophoro nomen erat, cum Varadienſi Epiſcopo honorifice dimiſſus, quem nos ipſi & a Rege Reginaque donatum ampliſſime vidimus.

Hominis initia, progreſſus & indoles. *Bonfin. citat.*

XXXIII. Ex his quantus qualiſque vir iſte fuerit, perſpicue apparet, a quibus tamen initiis ad tantam excreverit majeſtatem, & quibus artibus optimi Principis animum tantopere ſibi devinxerit, ſi Lectorem ſciendi cupido inceſſerit, ex eodem auctore, & quidem coævo do notitiam, omnemque exſcribo hominis indolem, per quam tot divitias, honores, Regum favores, populique conciliavit benevolentiam: *Ex humilibus, ut ipſe ingenue fatebatur, parentibus, & in tenui re ad Olomucium, ſupradicto ſcilicet oppido Proſtanno natus, tanta ingenii dexteritate, conſilio & induſtria valuit, ut apud Regem inter primos & cariſſimos haberetur, & ſupremus, ut ajunt, Cancellarius & Secretarius eſſet. In bello namque Boemico, cum Rex Moraviam in provinciam redegit, capto Olomucio, hunc adoleſcentem Ciupori Vaivodæ commendavit. Hic mox ingenii præſtantia, & experientia rerum ſic excrevit, ut in gerenda provincia, Boemiciſque rebus adminiſtrandis, hoc potiſsimum adminiculo & moderatore uteretur. Quare perbrevi ſua fide, integritate, prudentia & magnanimitate ſic Regi placuit, ut in primis Varadienſi, deinde Olomucenſi Pontificatu exornarit: quinetiam multis Baſilicarum præfecturis adauctus eſt; triginta enim aureorum millia e proventibus annuis accipiebat. Immenſa huic inerat liberalitas & magnificentia; ut munus quodque ſibi delegatum honorificentiſsime gereret, nec labori, nec ſumptui pepercit. Nobiliſsimas domi ſemper clientelas aluit: omnia mandata Regis non modo e ſententia, ſed præter omnium opinionem, feliciſsime geſsit. Graviſsima huic quæque negotia, quæ foris imminerent, a Rege committi ſolita. Accedebat fauſtus & venerandus aſpectus, oratio liberalis, animi magnitudo, robur & pulchritudo corporis operoſiſsimi, cui indefatigabile ac perſpicox inerat ingenium. Adde his mores præſtantiſsimos, inauditam manſuetudinem, hilaritatem ſummam: præterea comitatem cum magna popularitate conjunctam. Promptiſsimus ad officia ſemper habitus: cui nihil moleſtius, quam aut quemquam lædere, aut ſimulare, diſſimulareve quidquam. Amicos nimium ex corde dilexit. Obtrectatores & inimicos bene potius reconciliare, quam male merendo ulciſci ſtatuit. Ad oblivionem injuriarum, & bene merendum potius, quam ad vindictam natus erat. Sat habuit quandoque inimicum libera quadam, & præſenti maledicentia ulciſci: a facinoroſa ultione ſe ſemper abſtinuit; quare vir bonus & innocens a Rege & judicatus & pronunciatus eſt.*

XXXIV. Ne vero quiſpiam putet nobilem hunc rerum Hungaricarum auctorem ceſpitare, parumque ſui memorem hic aſſerere Joannem iſtum a Matthia Rege fuiſſe ad Varadienſem Epiſcopatum evectum, cum ſuperius aliquot ante annos dixerit Joannem Varadienſem Epiſcopum a Joanne Corvino, magno illo Turcarum domitore, & Hungariæ liberatore, de quo toties alibi locuti ſumus, Matthiæ Regis patre, per omnes ordines ad hanc dignitatem fuiſſe promotum, datumque filiorum, Matthiæ ſcilicet & Ladiſlai natu majoris moderatorem & Magiſtrum, conjectumque cum illis in carcerem a Ladiſlao Rege propter cæſum Ulricum Ciliæ Comitem, Regis avunculum, quem Ladiſlaus Corvinus Albæ regalis, ſeu Belgradi, ſuæ vitæ inſidiantem occidit. At non hic eſt noſter Joannes, ſed ejus prædeceſſor Joannes Veleſius, ex Præpoſito Eccleſiæ Varadienſis factus Epiſcopus anno MCCCCXLV. pridie Non. Junii, auctoritate Joannis Corvini, deinde ſub Matthia filio translatus ad Strigonienſem Archiepiſcopatum. Vixit porro Joannes hic noſter annis multis in Religione ſumma animi demiſſione, & religioſiſſimo vitæ exemplo, ut plane apparuerit ſolida virtute mundum contempſiſſe. Imitatorem quidem poſt unum, aut alterum menſem habuit Joannem alium Epiſcopum Canadienſem in eodem Hungariæ regno, qui Religionem ſancti Pauli primi Eremitæ ingreſſus eſt, cui anno ſequenti ſubſtituitur Lucas Epiſcopus Boſnenſis.

Bonfin. dec. 3. lib. 8. Tom. 12. ad ann. 1455. & 1456.

XXXV. Ab illo noſtro Joanne initium ſumpſiſse familiam Baronum a Kunovicz in Moravia, ejuſque virtutes orbi ſuiſse notiſſimas, pluraque Cœnobia Franciſcanorum in Sileſia extruxiſse, ſcribit Thomas Jordanus in notationibus ad finem libri 21. & 22. hiſtoriæ Boemicæ a Dubravio deſcriptæ. Sed & idem Dubravius illum aliquando ad regni negotia curanda evocatum commemorat, & per illum etiam poſt Monachatum liberatam urbem Pragenſem, univerſumque Boemiæ regnum ab imminente ruina. Cum enim apud Boemos omnia ſurſque deque fierent, diviſis per factiones & contentiones ordinibus, & turbulentiſſimum undique, plenum inſidiarum, plenumque armorum regnum eſſet Boemiæ, Rege Uladiſlao in Hungaria degente, continuæ ad eum litteræ datæ, & frequentes item legationes miſſæ, orantes ut adventum ſuum in Boemiam celeraret, vix alias unquam magis neceſſarium: aut ſi adhuc negotiis regni Hungariæ impediretur, quominus ipſe ſtatim venire poſſit, Legatos cum plena poteſtate ad componendos præſentes motus præmitteret, qui ſimul viam quoque commodam Domino ſuo pararent, quam ſine animi moleſtia libenter paulo poſt obiret. Delecti adhoc duo Epiſcopi, partibus minime ſuſpecti, quia a ſtudio illarum contentioneque alieni: Stanislaus Olomucenſis, & Joannes Varadienſis, qui quamquam veſtem religioſam induit, curas tamen aulicas non plane exuerat, quibus ab ineunte ætate innutritus, ac ſub Rege Matthia peritiſſimo Magiſtro edoctus exercituſque, quoties opus erat, multum arte in illis pollebat.

Dubrav. lib. 32. hiſtor. Boemiæ. Regnum Boemiæ ab imminenti liberat ruina.

XXXVI. Frequentiſſimus omnium Ordinum Conventus Pragæ tunc adfuit, cum Legati mandata Regis expoſituri ſuggeſtum conſcenderent, quibus breviter initio expoſitis, jubet ante omnia Varadienſis litteras cum ſignis exhiberi eas, quibus nomen quiſque ſuum, fidemque in ſocietatem novi fœderis obligavit. Tacentibus primum univerſis, mox non paucis tergiverſantibus, & nonnullis extare illas negantibus, inſtat Varadienſis urgetque, & ſe auctoritate regia uſurum minatur, niſi dicto mandatoque regio audientes fuerint: quo audito, vadunt, tollunt, afferunt litteras; quibus ille acceptis, explicat pellem longam latamque: ſed neque quid in

in illa ſcriptum eſt, legit, neque ligna circumquaque pendentia conſiderat, ſed cultro ſumpto per medium illam diſcindit, ſignaque amputat, ac mox ea diſpergit, unde recolligi illa non potuerint. Cum hæc fierent, aderat non nemo in illo Conventu, qui diceret: *Quin detrahimus huic Monacho bardocucullum, & imponimus ei trabeam palmatam, quando tam inſignem de nobis egit triumphum?* At Varadienſis ab hoc facto hilari vultu ordines affatur, ſpem illis dans optimam, omnia ex uſu regni ipſorumque utilitate ſucceſſura poſtquam res huc adducta ſit, ut libere omnibus in medium conſulere liceat; atque ita ſane evenit, ut communi intercedente conſilio, adhibitaque ab utroque Legato medicina, quæ vitioſas partes ſanaret, totum inde regni corpus belle convaluit.

XXXVII. Ab iiſdem Legatis, mandato Regis peculiari, hoc quoque de Piccardis actum fuit; ut ne in cœtus publice aut privatim coirent, ſynagogas ſuas omnes occluderent, a concionibus ſcriptiſque de ſecta ſua plane abſtinerent, & intra certum tempus, ut ad alterutram partem Romanam, aut Calixtinam diſcederent. Convenit inter omnes ordines, ut mandatum iſtud ad publicas tabulas cum mulcta tranſgreſſoribus impoſita referretur, ejuſque exequendi poteſtatem arcis præfectus cum judicibus haberet. Hinc Regi opportunitas adeſſe viſa eſt eundi in Boemiam, quam protinus etiam arripit, Ludovicum Regem paulo amplius triennium agentem, & Annam filiam aliquanto natu majorem ſecum adducens. Cumque omnia inſtructa apparataque inveniſſet, quæ ad feſta coronationis gaudia apparanda erant, jamque Marchio Brandeburgenſis cum liberis, & uxore ſua, quæ Uladiſlai Regis ſoror germana fuerat, cumque aliis Principibus & hoſpitibus Pragam veniſſet, nulla mora interpoſita, ad Regnum Boemiæ Ludovicum, augure Stanislao Pontifice Olomucenſi, inaugurandum curavit. Quanta unius hominis virtus integris regnis Hungariæ & Boemiæ præſtitit! Magno quidem tempore Piccardos, hæreticos ſcilicet, alias Pauperes de Lugduno nuncupatos, & Calixtinos, Huſſitas ſcilicet, ita a calicis uſu, quem omnibus conferendum prædicabant, appellatos, a tumultibus coercuit. *Piccardos, e Boemia profligat.*

XXXVIII. Alium etiam virum Epiſcopo hoc Varadienſi dignitate illuſtriorem, ad Minoritas hoc anno tranſiiſſe habetur in Firmamento trium Ordinum apud auctorem Apologiæ pro defenſione Obſervantum. Is fuit Ardicinus de la Porta junior, Novarienſis, alterius Ardicini Cardinalis nepos, Epiſcopus Alerienſis, presbyter Cardinalis ſanctorum Joannis & Pauli, titulo Pammachii; qui poſtquam pleraque pro Sede Apoſtolica obivit munera, magnoſque aſſecutus eſt honores, mundi, blandientiſque dignitatis pertæſus, ægre licet, obtinuit tamen ab Innocentio facultatem purpuram dimittendi, & Regularem vitam ſubeundi. Ita porro de illo ſcribit auctor prædictus: *Nuperrime ſummus Pontifex conſenſit Reverendiſſimum Dominum Adrianum Ardicinum de la Porta, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem, ac Epiſcopum Alerienſem omnibus dignitatibus, & Eccleſiaſticis beneficiis in Conſiſtorio Dominorum Cardinalium ſuæ Sanctitati reſignantem, ſacram Fratrum Minorum de Obſervantia ſub Vicariis intrare Religionem.* Et quidem ille exuta purpura, Urbe exceſſit; ſed ad Cœnobium Monachorum Montis Oliveti prope Senas abiiſſe, ibique habitum ſuſcepiſſe ſcribit Ciacconus, ſtatimque uti Cardinalem revocatum in Urbem, reclamantibus reliquis Cardinalibus, quod clam quodammodo feciſſet, graviſſimique Senatus auctoritatem in tanta re viſus ſit contempſiſſe. Ille vero humillima, & re- *Ardicinus Card. factus Minorita.*

& religioſiſſima Epiſtola, quam Ciacconus exſcripſit, ſe primum apud Innocentium excuſavit, mox in Urbem venit, Senatuſque cenſuræ ſe humillime ſubjecit. Verum in hac rerum agitatione morbo correptus, quinto poſt menſe moritur, anno MCCCCXCIII. die v. Februarii ad divi Petri Baſilicam ſepultus. Circa modum renunciationis Cardinalatus, & inſtitutum, erraſſe videtur ille Auctor Apologiæ; non enim in Conſiſtorio, ſed in manibus Pontificis, obtenta ab eo prius vivæ vocis oraculo, deinde per duo reſcripta licentia Religionem ingrediendi, pileo reſignavit. Quod vero Religionem Minorum ingredi decreverit, fortaſſis propoſitum mutavit, ſi verum eſt quod Ciacconus ſcribit, eum Monachorum ſubiiſſe Inſtitutum; vel fortaſſis in illo Monaſterio paululum ſubſtitit ſe paraturus ad arctioris hujus vitæ rationem ineundam: & quidem Epiſtola ipſius ad Pontificem, Roncilione ſcripta, nihil indicat de aſſumpto adhuc habitu, aut Religioſo ſuſcepto Inſtituto.

Florent Viri docti. Auguſtin. Barnabos. *Lib. 61. Regiſt. Alexand. VI. fol. 212.* Petrus Ramirez. Lucas de Rothobio. Michael Aquenſis. *Tom. 14. anno 1491. n. 59.* *Lib. 9. Regiſt. Alex. fol. 25. & 26.* Oliverius Mayllardus. * vel Molliardi. Joannes Mauleonius. *Ferron. in Carolo VIII. Belcar. lib. 4. ante finem.*

XXXIX. Occurrit hoc anno memoria quorumdam clarorum Virorum ex Patribus Conventualibus, Auguſtini Barnabovis viri docti & nobilis, ſacræ Theologiæ Profeſſoris, cui confertur Præpoſitura Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ Januenſis, per reſignationem Pauli Fregoſii, tituli ſancti Sixti Cardinalis, XI. Kalend. Januarii; Petri Ramirez, Regibus Catholicis Ferdinando & Eliſabethæ gratiſſimi, quorum caſtra ſecutus eſt ſemper ab incepto bello contra Mauros Granatenſes; Lucæ de Rothobio ſacræ Theologiæ Profeſſoris, Maximiliano Romanorum Regi cariſſimi Conſiliarii; Michaelis Aquenſis Obſervantini, qui hoc anno in Civitatibus Brixienſi & Cremonenſi *Scholam* ſeu *Conſortium ſanctæ Pietatis* ad inſtar Montium Pietatis inſtituit, quod & Veronæ feciſſe narravimus anno præcedenti. Utriuſque ſcholæ erectionem Alexander VI. hoc anno confirmavit ſimili diplomate, quo Innocentium feciſſe diximus ſcholæ Veronenſis. Oliverii Mayllardi * celeberrimi ſui temporis concionatoris, Carolo VIII. Galliarum Regi gratiſſimi, & Joannis Mauleonis, Annæ Reginæ ſorori a ſacris confeſſionibus, qui Carolo perſuaſerunt, ut Ferdinando Hiſpano Regi Comitatum Ruſcinonenſem, & Perpiniani arcem pecunia Ludovico Regi oppignoratam reſtitueret. Ingenti pecunia a Ferdinando devinctos comminiſcuntur quidam Scriptores, non adeo erga Monaſtici Inſtituti viros pie affecti; & quidem hi duo religioſiſſime abſque tam fœdæ notæ cenſura, vitam duxerunt, & valde diverſo nomine apud ſuos audierunt, præſertim Mayllardus, uti anno ſequenti obſervabimus.

Multa Cœnobia Obſervantibus traduntur. *Lib. 4. fol. 246.*

XL. Multa Patrum Conventualium Cœnobia ad Obſervantes tranſlata in regno Hungariæ per Julianum olim Epiſcopum Tuſculanum, tituli ſanctæ Sabinæ Cardinalem, necnon per Eugenium IV. alioſque Romanos Pontifices, penes eoſdem Obſervantes voluit hoc anno Alexander, remanerent, videlicet ſancti Joannis Buden. ſancti Petri Poſthien. & alterius in foro Siculorum, Veſprimien. Vachien. & Tranſilvaniæ diœceſum, beatæ Mariæ Strigonien. de Willork, de Suichim, ac de Pathale, Quinqueccleſien. Strigonien. & Agienſis diœceſum, præcepitque, ne circa regimen domorum aut perſonam Vicarii Obſervantum quidquam auderet Miniſter provinciæ Hungariæ, ita petentibus, ut Pontifex narrat, Uladiſlao Rege Hungariæ, univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, Baronibus & Nobilibus Regni prædicti.

Conv. S. Caſſiani. *Conv. in Provin. Tuſciæ Conv. 37.*

XLI. Hieronymus Caſtrutius Fratres Obſervantes, concionum vel itineris cauſa ad oppidum ſancti Caſſiani in Tuſcia divertentes, humaniſſime excipiebat hoſpitio, eiſque tandem domum, ad quam liberius declinare

poſ-

poſſent, ſoluto pretio comparavit, omnibuſque neceſſariis inſtruxit. Fratrum religioſa converſatione allecti oppidani, ſtatuerunt eis Cœnobium prope oppidi muros conſtruere, ſed Caſtrutius id ſibi minus honorificum reputans, fundum ex tempore emit, congeſtiſque brevi neceſſariis, domum Fratribus duodecim commodam ſatis conſtruxit, capaciſſimos hortos, amœnamque ſilvam adjecit. Opus ſuis numeris abſolutum hoc anno Fratribus in Comitiis Provincialibus ad Podibontium congregatis obtulit, & acceptantibus liberaliter conceſſit. Inſignia ſua appoſuit, nihil aliud præter hoc nomen *Chriſtianus* continentia. Conſpiciuntur etiam Caroli VIII. Regis Gallorum ſtemmata, propter collatam pecuniam Refectorio conſtruendo, dum illac acquirendo regno Neapolitano tranſiret. Eccleſia conſecrata eſt ſub nomine ſancti Franciſci, licet a prægrandi cruce ibidem in ſignum erecta, quando primus jactus eſt lapis, paſſim audiat ſub nomine ſanctæ Crucis. Quia vero die Aſſumptionis Virgineæ Crux illa erecta eſt, pius Caſtrutius dum vixit, bene inſtructum convivium ſingulis annis eo die Fratribus parabat, quod ut facerent etiam ſucceſſores, deſignata bonorum ſuorum parte, ultimis tabulis injunxit.

XLII. In eiſdem Comitiis Podibontii Hieronymus Cortonenſis, Vicarius provinciæ Etruſcæ alium acceptavit Conventum a Fluviani oppidi accolis prope muros inchoatum in loco amœno, a turbis remoto, & aeris ſaluberrimi. Accidit prope illud oppidum res miranda ſancti Franciſci virtute. Homines ſeptem imminente tenebroſa & grandinoſa nocte, cum ad ripam oppoſitam adjacentis lacus accederent, nec ſcapharius eſſet, qui ad alteram partem trajiceret, ſancti Franciſci opem unanimiter implorare cœperunt, ſtatim que cymba ſe ipſa vinculis abſoluta, nullo impellente, ab uno milliari ad eos pervenit, receptoſque abſque ullo reduce, optato continenti reſtituit.

Conv. Fluviani. *Addid. Conv.* 38.

XLIII. Franciſcus Gonzaga Marchio Mantuanus, cupiens in oppido ſuo Vitelliano (vulgo *Viadana*) Cremonenſis diœceſis, Fratres Regularis Obſervantiæ habere, emit fundum Eccleſiæ & Conventui ædificandis a Caleſſorum familia, in quo Communitas oppidanorum ædificium majori ex parte conſtruxit, conferentibus viris peculiaribus varia ſubſidia. Facultatem acceptandi domum contulit hoc anno XIII. Septembris Pontifex Alexander, & Eccleſiam conſecravit Lucas Seriates Cremonenſis Epiſcopus anno MDXV. die IV. Novembris. Ex hoc loco prodiit Hieronymus Menghius, auctor libri, cui titulus *Flagellum dæmonum* & artis exorciſticæ.

Conv. Vitelliani. *Idem in Provin. Bonon. Conv.* 24.

Fr. Hieron Menghius.

XLIV. Oppidani Montis Alboti, diœceſis Senogallienſis, impetrarunt hoc anno IV. Kalend. Junii facultatem ab Innocentio VIII. ut domum *Congregationis ſive Societatis quondam Angeli de Clareno, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Populo*, conſtruerent. Extra oppidum P. D. ædificatam, ſub Leone X. anno MDXVI. ad Fratres Regularis Obſervantiæ tranſtulerunt.

Conv. Montis Alboti. *Lib.* 14. *fol.* 297. *Gonz. in Provin. March. Conv.* 41.

XLV. Joannes Comes oppidi Carpinei, diœceſis Feretranæ, annuente per ſuum Vicarium Celſo Mellino Epiſcopo, ædificavit Fratribus Conventualibus Conventum, ſub invocationibus Annunciatæ Virginis Mariæ & ſancti Franciſci, inter quoſdam ſaltus ad D. P. ab oppido. At anno MDXCIX. Thomas a Carpineo, ſacræ Theologiæ Magiſter, populi & Fratrum commodo proſpiciens, conſentientibus Horatio Comite, & Franciſco Sormano Epiſcopo, domum tranſtulit ad locum, oppido valde propinquum, & ab Arce Saxi Ducis Etruriæ II. M. P. diſtantem.

Conv. Carpinei. *Monumen. MSS. provin. Marchiæ.*

XLVI. Hoc anno die VI. Februarii, Catholici Reges Ferdinandus & Iſa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Iſabella ab expugnatione Granatenſi revertentes, ut perfidia Mahumetana ab illis finibus penitus abigeretur, ſtatuerunt Minoribus Obſervantinis Cœnobium ponere ad Abdaræ vulgo *Almeriæ* Civitatem. Ita factum brevi tempore, tum ex regio ærario, tum ex Maurorum ſpoliis miniſtratis ſumptibus, deducta etiam per occultos ſyphones aquarum copia, ex publico urbis fonte, conſentiente Senatu. In Altari majori digna colitur veneratione quædam imago Salvatoris, a devota & paupercula muliere olim religioſe cuſtodita, donec anno MDXXXII. die XIV. Auguſti ſudare cœpit, & in diverſos colores ſe transformare. Quod ubi ſecundo & tertio mulier conſpexit, advocatum Minorum Guardianum, multoſque pios viros, rei teſtes adhibuit. Hi ubi rem manifeſtam, doloque carentem, rigorſo præmiſſo examine judicarunt, imaginem ſumma veneratione, ſolemni pompa & publica ſupplicatione ad Cœnobium Minoritarum transferri curaverunt. In ipſa translatione ingens apparuit miraculum, ut appoſitis cujuſdam cæci oculis ſudoris guttulis, ab imagine defluxis, viſum, univerſo ſpectante populo, ſtatim cæcus receperit.

Conv. Abdaræ. Gonz. in Provin. Granat. Conv. 10.

XLVII. Conceſſit hoc anno Alexander Pontifex facultatem Guttierro de Cardenas, magno Legionis Commendatario, & Tereſiæ Henriquez conjugi Cœnobium Minorum conſtruendi in oppido Turrigii, Toletanæ diœceſis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, licet nunc audiat ſub nomine ſancti Franciſci. Eo devotionis fervore inchoarunt opus, ut ſub annum MDII. quantumvis nobile, magnificum, & quadraginta Fratrum capacissimum plene abſolverint, & anno MDIII. Joanni a Toloſa Vicario provinciæ Caſtellæ poſſidendum tradiderint. Inde domus magnificentiam conjicere licet, quod etſi eo ſeculo univerſa materies vili compararetur, rariorque eſſet pecunia, nihilominus hi pii generoſique fundatores ultra centum & triginta millia aureorum in hac expenderint ſtructura, nulli Franciſcanorum, neque Regiæ Tolelanæ ſancti Joannis, per Hiſpaniam celeberrimæ, ſecunda. Vix hoc infelici ſeculo ſexcentis aureorum millibus poſſet conſurgere. Sive Templum, ſive Fratrum ſpectes domicilium, nihil non ſumptuoſum dices & regium; materia ex ſecto & polito lapide; forma ad artem ſpecioſa, in univerſis locis & officinis copioſa ſupellex, mira majeſtate, & pulchra proportione, omnia ſuis numeris librata.

Conv. Turrigii. Gonz. in Provin. Caſtellæ Conv. 18. Salazar. de hac Prov. lib. 4. c. 16.

XLVIII. Commodum & pulchrum ſibi adjecerunt pii fundatores habitaculum, & cultui Divino vaſa dicarunt aurea & argentea in tanto pondere & copia, ut vix credibile ſit, paucæque ſint Eccleſiæ Cathedrales, quæ tantum habeant theſaurum. Ultra numerum & menſuram, adeoque pauperum Fratrum ſtatui indecentem, imo & adverſum ita hæc judicavit Franciſcus ab Angelis Miniſter Generalis, quod cum prædicta Tereſia, jam mariti conſortio deſtituta, egerit, ut magnam ſuperflui hujus apparatus partem, multa Indica tapetia, pulchra aulæa, & pretioſa ornamenta reſumeret, quæ partim illa in pios uſus convertit, partim per alias Eccleſias diſtribuit. Numerum & pretium acceptorum & redditorum, præſcriptamque Fratribus alendis rerum copiam, ſi quis curioſius ſcire deſiderat, conſulat Petrum Salazarium; & qui alia pleraque inſignia pietatis monumenta ab his heroibus conſtructa legere cupierit, adeat Franciſcum Gonzagam, a nobis hic citatos. Alienis referendis habitaculis ſuperſedemus, noſtra dumtaxat referemus, ne nimis prolixi videamur. Alia nobis poſuere optimi hi benefactores, quæ ſuis locis recenſemus. Jus patronatus hujus ædis remanſit apud Duces Maquedæ, fundatorum hæredes, quibus humandis deſervit ſummum ſacellum, elegantiſſimis & ſumptuoſiſſimis mauſoleis vere magni-

gnificum. In medio nobiles hi jacent fundatores, ſepulcro alabaſtrite, ac jaſpideo, quod a terra elevant leones duodecim marmorei.

XLIX. Conceſſit hoc anno Alexander Pontifex licentiam Carolo Francorum Regi, & Annæ Reginæ domum ædificandi pro Fratribus Reformatis, Miniſtris Generali & Provinciali ſubjectis, in ſuburbiis Lugdunenſibus, ea parte quæ *duorum amantium* dicebatur, ubi præerat quoddam hoſpitale, cujus regimen ſpectabat ad Camerarium & Capitulum ſecularis & collegiatæ Eccleſiæ ſancti Pauli Lugdunenſis: *Eximiæ devotionis*. xv. Kal. Novembris. Hæc illa domus eſt, quam Gonzaga ſanctæ Mariæ de Angelis nuncupat, ſed locum determinatum non indicat, & circa annum & Regem oberrat. Et quidem non alium quam Carolum VIII. auctorem fuiſſe, & ſtructuram incepiſſe anno ſequenti, docet hæc inſcriptio primi lapidis fundamentalis, ab ipſo Rege & Regina ſolemniſſimo ritu poſiti; *Jeſus Maria. Carolus VIII. fundator hujus Eccleſiæ Dominæ noſtræ de Angelis & Anna Regina* 1493. Sed nonniſi anno MCCCCXCIV. jactum primum hunc lapidem indicat Claudius Roberti, dum in cathalogo Archiepiſcoporum Ebredunenſium, Joannem Bal Archiepiſcopum, ait præſentem fuiſſe in appoſitione primarii lapidis Conventus Obſervantiæ Lugduni, anno MCCCCXCIV. die XXV. Martii. Quod item repetit in catalogo Archiepiſcoporum Lugdunenſium ſub Andrea de Eſpinay, primamque hanc petram fundamentalem benedictam fuiſſe a Joanne Relii Epiſcopo Andegavenſi. Opus hoc promovit apud Regem Joannes Burgenſis ei valde familiaris, & a ſacris concionibus, de quo alias frequens incidit mentio, & diffuſius ſub mortis annum agemus, conſentiente per ſuas patentes litteras Joanne de Vallibus, Provinciæ ſancti Bonaventuræ Miniſtro. Domum, quoad vixit, rexit ipſe Burgenſis ſumma religioſitate. Totam tamen voracibus flammis tradiderunt anno MDLXII. hæretici incendiarii; priſtino demum reſtituerunt nitori cives & ædis Præfecti. E regione chori viſitur ſacellum Lucanorum, ingentibus columnis marmoreis, & picta tabula Altaris docta manu ſatis admirandum. Jacent hic prædictus Burgenſis, Joannes Tiſſeranus prædictæ Annæ Reginæ confeſſarius & concionator, de quo frequens incidit ſermo.

Conv. Lugdunenſis S. Mariæ Angelorum.

Gonz. in Provin. S. Bonav. Conv. 6. Foder. & Picquet.

Claud. Robert. in Gallia Chriſtiana

L. Philippus Bandot Gubernator Cancellariæ Ducatus Burgundiæ, & Regius Conſiliarius in Parlamento Lingonenſi, obtinuit ante biennium facultatem ab Innocentio Pontifice ædificandi domum Fratribus Minoribus in ſuburbiis loci ſancti Nicolai de Divione, diœceſis Lingonenſis, quam etiam Alexander hoc anno VII. Kal. Septembris confirmavit. An vero ædificaverit, incompertum; neque enim domus hæc inter reliquas Provinciæ Lugdunenſis, ſive ſancti Bonaventuræ, recenſetur.

Conv. S. Nicolai de Divione. Lib. 31. reg. Alex. fol. 363.

LI. Horaeſdiovicſii, quod Boemorum oppidum eſt, hoc anno incolæ Catholici Obſervantibus Conventum ſub nomine ſancti Michaelis conſtruxerunt, ſed ejuſdem oppidi hæretici poſt unam aut alteram annorum decadem deſtruxerunt. Nec ſecus accidit Conventui ſanctæ Annæ in Sileſiæ oppido Camecſiano hoc anno conſtructo ope & favore Uladiſlai Regis, & perſuaſione fratris Joannis, olim Olomucenſium, & Varadienſium Epiſcopi, quem hoc anno diximus in ea Sileſiæ Provincia tirocinium apud Franciſcanos peregiſſe. Etenim hæretici majores quotidie vires aſſumentes, Fratres viginti, qui ibidem habitabant, dicteriis & conviciis quotidie proſequentes, tamdem effugarunt, & Conventum majori ex parte in ſuos uſus converterunt.

Conv. Horaeſdiovicſii. Gonz. in Provin. Boem. Conv. 28. & 29.

Conv. Camecſii.

LII. Capitulum Canonicorum Cameracenſe, hoc anno expoſuit Innocentio Pontifici nonnullas tunc in ea Civitate extitiſſe devotas perſonas,

Monaſt. Cameracen.

quæ

Anno Christi 1492.	Innocentii VIII. anno 8.	Friderici III. Imp. anno 53.	Religionis Minorum anno 285.

quæ terrena in cœleſtia commutare deſiderantes, volebant Monaſterium Clariſſarum juxta reformationem beatæ Coletæ illic ædificare, gubernandum ab Obſervantibus, qui ſub Miniſtrorum degebant obedientia. Scripſit Pontifex Henrico Epiſcopo Cameracenſi, ut ſi expediens judicaret, auctoritatem concederet ita faciendi: *Inter univerſa opera*. XVII. Kal. Julii. Statim admotæ manus operi, & fabricatum eſt religioſiſſimum Monaſterium, quod tamquam primum enumerat Gonzaga inter Monaſteria Provinciæ ſancti Andreæ.

Gonz. in Provin. S. Andr. in fide.

LIII. In Civitate Barenſi in Apulia, erat quædam Eccleſia beatæ Mariæ, quæ ſpectabat ad Præceptoriam domus ſancti Leonardi *de la Mattina* Ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum Hieroſolymitan. Sipontinæ diœceſis, & plurima indigebat reparatione & inſtauratione. Nobilis vir Ludovicus Maria Sfortia Vicecomes, Dux Barenſis, & urbis Communitas petiit ab Innocentio, ut reſervatis Præceptori bonis quibuſcumque, fructibus, proventibus illius Eccleſiæ, & parte domorum ad eamdem pertinentium, ipſam cum domibus & hortis adjunctis a dicta Præceptoria ſeparare liceret, & in Monaſterium Clariſſarum convertere, ita ut in recognitionem honoris & ſuperioritatis, ac demembrationis factæ, Monaſterium erigendum, illiuſque Moniales, Præceptori ſeu Commendatario pro tempore exiſtenti ſubjicerentur, & confirmatio electionis Abbatiſſæ, illiuſque inſtitutio ac viſitatio, correctio & omnimoda juriſdictio ad eumdem Præceptorem pleno jure pertineret. Erat tunc Præceptoriæ Commendatarius Joannes Jacobi, tituli ſancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis, qui ad omnia hæc ſuum præbuit conſenſum: ſcripſit itaque Pontifex hoc anno x. Kal. Julii ad Epiſcopum Melfeten. & duos ejuſdem Eccleſiæ Canonicos, ut ſuppoſita facti veritate, & rei congruitate, ita faciendi impertirent facultatem.

Monaſt. Barenſe. Lib. 141. fol. 213.

LIV. Hieronymus Caſtrutius, quem ſupra diximus Fratribus Cœnobium ædificaſſe ad ſancti Caſſiani oppidum, etiam Sororibus Clariſſis poſuit Monaſterium eo loco, quo prius Fratribus erexerat hoſpitium, ibique quinque aut ſex neptes collocavit, adductis aliunde aliquot Clariſſis, quæ juvenculas edocerent. Sed cum, ingruente bello, ne militum injuriæ ſubjicerentur, ad tutiora loca transferrentur, ædificium adhuc imperfectum, & Sororibus incommodum, diſtributis bonis per ea Monaſteria, ad quæ convolarunt, ad Fratres retroceſſit.

Monaſt. S. Caſſiani. Gonzag. in Prov. Tuſc. Conv. 37.

LV. Pleræque nobiles Virgines & Viduæ hoc anno ab Innocentio primum, deinde ab Alexandro petierunt ſibi conferri Eccleſiam ſancti Jacobi, extra & prope muros oppidi Schuſen. diœceſis Verdenſis, Clero & cultu Divino deſertam, ut prope eam Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ ſibi conſtruerent, obtento jam pridem conſenſu Bertholdi Epiſcopi Hildeſemen. Eccleſiæ Verdenſis tunc Adminiſtratoris, & Joannis Marchionis Brandeburgenſis, Romani Imperii Archicamerarii & Electoris, ac Domini oppidi prædicti, & licentiam concedi, ut ex Monaſterio Antuerpienſi, religioſiſſimi tunc nominis, tranſmitterentur quatuor Sorores pro informandis & inſtituendis novis diſcipulis. Quod circa hæc alias conceſſit Innocentius, confirmavit Alexander, Monaſteriumque ſubjecit Vicario Obſervantum Provinciæ Saxoniæ: *Rationi congruit*. VII. Kal. Septemb. Multas res peculiares, plurimaque nomina perſonarum in hac Bulla licebit inſpicere.

Monaſt. Schuſen.

LVI. Monaſterii ſancti Proculi Interamnenſis, necnon ſanctæ Claræ extra muros urbis Cumanæ, Sorores hoc anno tranſlatæ ſunt a regimine Patrum Conventualium ad Obſervantum. Anno ſequenti ſtuduerunt acriter Conventuales hoc poſterius reſumere, ſed conatus omnes Pontifex Alexan-

Mon. S. Proculi Interamnæ. Ex brevi originali. Monaſt. Cumanum.

xander diſſipavit. Sorores domus ſanctorum Simonis & Judæ Viterbien. primo auctoritate Innocentii, & ſecundo Alexandri VI. hoc anno ab Inſtituto Tertii Ordinis, ad ſanctæ Claræ, acceptis Magiſtris e Monaſterio ſanctorum Coſmæ & Damiani Urbis, tranſierunt. Sorores etiam domus ſanctæ Trinitatis, diœceſis Caſalen. ejuſdem Tertii Ordinis, ad perfectiorem ſtatum aſpirantes, habitum & Regulam ſanctæ Claræ aſſumpſerunt, conceſſis per Pontificem multis privilegiis,& bonis omnibus, quæ ſub priori ſtatu poſſidebant. Similiter conceſſum eſt Sororibus ejuſdem Tertii Ordinis domus Bethaniæ, Atrebaten. diœceſis, ad primæ Regulæ ſanctæ Claræ Obſervantiam aſpirantibus, licet aliquæ ſe hujuſmodi translationi vehementer oppoſuerint.

Lib.8. reg. Alex. fol.135. Lib.6. fol. 124. Monaſt. SS. Simonis & Judæ. Lib.102. fol.198. Monaſt. S. Trinitatis Caſalen. Lib.12. fol. 149. Mon. Bethaniæ. Lib.4. fol. 257.

LVII. Adrianus de Veeglet * Canonicus Eccleſiæ ſancti Walburgis oppidi Furnen. Morinen. diœceſis, expoſuit hoc anno Innocentio Pontifici, quod ipſe cum aliis piis perſonis deſiderabat domum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci ædificare in oppido Brugen. Tornacen. diœceſis, ſive extra & prope illud, ſeu in territorio dicti oppidi Furnen. in qua Sorores hoſpitalitatem exercerent, & curam gererent infirmorum, ad inſtar Sororum domus Noviportus, prædictæ diœceſis Morinen. Ex qua etiam cupiebat educi pro primis diſciplinæ regularis Magiſtris, Mariam Porret, & Margaritam etiam Porret cum aliis duabus Sororibus, & regimen illarum committi Miniſtro & Fratribus Conventualibus Provinciæ Franciæ. Ejus votis annuit Pontifex XVI. Kal. Aprilis, ſcriptis litteris ad Epiſcopum Sareptanum in iis partibus degentem.

* al. de Woght. Domus Sororum Tertii Ord. Brugenſis. *Lib.134. reg. Innocent. fol.86. & lib 26. reg. Alex. fol.76.*

LVIII. Propter varias contentiones inter Sorores Tertii Ordinis oppidi Bruxellen. diœceſis Cameracenſis, inde exortas, quod diverſos haberent ſuperiores, quædam Fratres Obſervantinos, aliæ Tertiarios, pleræque Miniſtras Tertii Ordinis, Vicarius Generalis Obſervantum omnes a quibuſcumque ſuperiorum obedientiis abſolvit auctoritate quarumdam litterarum Sixti IV. ſubjecitque regimini Vicarii Obſervantum Provinciæ Coloniæ. Ratum id habuit Alexander datis litteris: *Rationi congruit*. VII. Kal. Septembris.

Domus Bruxellenſis.

LIX. Quidam Henricus Bueſuſſ de Dephelt, Tertii Ordinis profeſſor, prætendens ſe per litteras Apoſtolicas ſubreptitie obtentas, inſtitutum fuiſſe Viſitatorem & correctorem in Germania ſuperiori & inferiori, auſus eſt omnes ejuſdem Inſtituti Miniſtros Baſileam vocare ad capitulum pro eligendo Miniſtro Generali, & accedere renuentes multis cogere cenſuris. Cum vero hujus Ordinis viri & mulieres pro majori parte regerentur a Fratribus Minoribus, habuerunt recurſum ad Sedem Apoſtolicam, a qua reportarunt remedium injuncti Henrico ſilentii: *Exhibita ſiquidem nobis*. Nonis Aprilis. Invenio hoc anno mentionem domus ſancti Franciſci de Eleemoſyna Sororum Tertii Ordinis in urbe Neapolitana domos quaſdam ad ſe pertinentes, in emphyteuſim perpetuam ſub certo annuo cenſu locantium & concedentium.

Tertiarii Germaniæ ſubjiciuntur Obſervantibus. *Lib.150. fol.25.*

Domus S. Franciſci de Eleemoſyna Neapolit.

LX. Ab Ordine S. Hieronymi in Hiſpania tranſibant frequenter Religioſi ad Minoritas Obſervantes. Id male habuerunt ſuperiores, egeruntque cum Vicario Provinciæ Caſtellæ Joanne Toloſa, ut nonniſi præmiſſis quibuſdam conditionibus reciperentur. Initum pactum, ſcriptamque concordiam Pontifex hoc anno confirmavit: *Ea quæ pro ſtatus quiete*. VI. Kalendas Aprilis. Fratribus Provinciæ Coloniæ Obſervantinis facultatem conceſſit per ſuos ſyndicos deputandi Conſervatores privilegiorum: *Ordinis veſtri ſacra Religio*. IX. Kalendas Martii.

Lib.54. fol.167. Concordia inter Hieronymianos & Minoritas. Facultas deputandi Conſervatores privilegiorum.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Speculum fol. 76.

Ferdinandus fugat Mauros & Hebræos.

I. PRima die Januarii Dominicæ Circumciſioni ſacra, hoc anno MCCCCXCII. Ferrandus ſeu Ferdinandus & Eliſabeth ejus conjux, feliciſſimi Reges Caſtellæ, Aragoniæ & Siciliæ, poſt diuturnum bellum duodecim annorum fortiter geſtum contra Mauros, tamdem iis debellatis, & pulſo Rege Molem, triumphantes cum ingenti gloria, cunctis admirantibus & exultantibus, Granatam urbem Regiam ingreſſi, Vexillo Dominicæ Crucis feſtanter erecto, plures Eccleſias & Monaſteria immediate conſtruxerunt: dieque Maii prima ejuſdem anni per omnia Hiſpaniæ Regna voce præconis indictum eſt exilium cunctis Judæis, præfixo trium menſium ſpatio: hinc centum viginti quatuor millia Judaicarum familiarum Hiſpania diſcedere coacta ſunt, nec permiſſum illis ſecum deferre quidquam auri vel argenti, aliæve ſuppellectilis, ſed tantum ad victum neceſſaria indulta fuere. Ex eoque tempore Ferdinandus dictus eſt Rex Catholicus, ideſt univerſalis Hiſpaniarum Dominus. Innocentius VIII. cum annos ſeptem, menſes decem, & dies viginti ſeptem ſui Pontificatus expleſſet, creatis Cardinalibus octo, VIII. Kal. Auguſti, in feſto ſancti Jacobi Apoſtoli, anno MCCCCXCII. Romæ obiit: ejuſque corpus in Baſilica ſancti Petri tumulatum fuit. Tertio vero Idus ejuſdem menſis in ejus locum ſuffectus eſt Rodericus Borgias, Lenzolius Valentinus dictus, Joſredi filius, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, Collegii Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius, qui nuncupatus Alexander VI. pridie Kal. Septembris eodem anno coronatus eſt.

Joannes Rex cū ſua Conjuge jacit primum lapidem Monaſt.

Ad annum 1489. & infra ad an. 1495.

Monum. MSS. ſup. cit.

Indic. ex Vatic.

II. Prædiximus ſub anno proxime præterito Joannem II. Luſitaniæ Regem cum Leonora ſua conjuge, cauſa fundationis Monaſterii Dominæ Juſtæ Setobrigam iviſſe: at hoc anno paratis & diſpoſitis neceſſariis, adhuc ſubſiſtente proviſionali Eccleſia lignea, illuc cum Regina rediit, ab Antiſtite Tingitano, Aulicis, & Juſta fundatrice, quos univerſus populus ſequebatur ovans, comitatus, profectuſque ad fabricæ locum, ſolemniter Miſſam decantatam in ea Eccleſia devote audivit, & poſtea ab Antiſtite lapidem quadratum, bipalmarem, ſanctiſſimo Nomine Jeſu Eccleſiaſtico more inſignitum, Rex mira pietate, adminiſtrantibus Aulicis cæmenta, in fundamentum perpetuum novi Templi erigendi ſuis ſumptibus, poſuit die XXII. Auguſti anno MCCCCXCII. ſtatimque ablata fabrica lignea, juſſu Regis, qui Eccleſiam Sacellumque majus ſtemmatibus Regiis cohoneſtandum, ſibi reſervabat, ſub perito Architecto artifices proſequebantur opus: ac Juſta ſollicita ædes Monaſterii ad habitandum proprio ære curabat: XIV. Kalendas Septembris facultas conſtruendi Cœnobium Filgenarum, Rodonenſis diœceſis in Turonia facultas e Vaticano prodiit: *Sacram Ordinis*. X. Kalendas ejuſdem pluribus noſtri Sodalitii collatis beneficiis, videlicet fratribus Petro Paulo de Aquapendente, Joanni de Tronemalis, & Lucæ de Botibio: *Rationi congruit*. & dimiſſo Guillelmo *Derbal* ad Benedictinos, etiam erectio Hoſpitalis ſub titulo Conceptionis B.V. Mariæ, in Prioratu ſancti Marci, Legionenſis diœceſis indulta fuit: *Romanorum geſta*. X. Kalendas Octobris decretum eſt Monaſterium Trinitatis Sororum Tertii Ordinis S. P. Franciſci Caſtillen. transferri ad Clariſſas: *Injunctum nobis*. Et VII. Kalendas ejuſdem in Regno Hungariæ noſtris Fratribus

Re-

„ Regularis Obſervantiæ nonnullos Conventus erigere permiſſum eſt: „ *Licet ea*. pridie vero Kalendas Novembris conventio facta inter Ob- „ ſervantes & Conventuales ejuſdem Regni a Summo Pontifice approba- „ ta & confirmata fuit: *Ea, quæ judicio*. & VIII. Idus ejuſdem ſchola „ ſanctæ Pietatis, quam Brixiæ frater Michael de Aquis; & alia Confra- „ ternitas Cremonæ erecta: *Intenta ſemper*. Fratribus ſancti Franciſci „ Mediolani ob ſuas neceſſitudines permiſſa alienatione quorumdam bo- „ norum: *Ex injuncto*. XII. Kalendas Decembris; XI. Kalendas Januarii „ beneficium fratri Auguſtino de Tornabonis elargitum eſt: *Religionis* „ *zelus*.

„ III. Ab Andrea Bonfanti in ſuo Catalogo, quem de ſanctis & beatis „ Viris noſtri Ordinis conſcripſit, commemoratur Joannes Ulyſſiponenſis, „ qui Regali proſapia natus, vitam Angelicam ducebat, ac ita vitæ ſancti- „ tate generis nobilitatem longe ſuperans, dum hoc anno micaret, Cabil- „ lone in Burgundia migravit in Cœlum.

Andr. Bonf. in Catal.
Joannes Ulyſſiponen. clarus.

„ IV. Venerabilis Soror Angela Rancea, patria Vercellenſis, diſci- „ pula beatæ Michaelinæ Piſaurienſis, & ſoror germana beati Candidi Ran- „ cei, anno MCCCCLXXV. Maii die quintadecima Inſtitutum ſanctæ Claræ „ profeſſa eſt in Monaſterio Gratiarum ibidem constructo, cum antea „ Iſabellina vocaretur: quantum in Religione profecerit, miraculorum „ fama poſt ejus obitum publicavit: meritis tamdem & virtutibus conſpi- „ cua hoc anno MCCCCXCII. incerta die migravit ad Dominum, miracu- „ lis in vita & poſt mortem celebris, ut ſcribit Guillelmus Baldaſſanus „ Theologus graviſſimus.

Guil. Bald. lib. 1. hiſtor. de Beatis Pedemontanis ad eum annum.

ARGUMENTUM.

Moritur Fridericus III. Imperator, ſuccedit filius Maximilianus. Ad Indias Occidentales navigant Minoritæ. Obſervantes utriuſque familiæ Comitia celebrant Generalia. Decedit Balthaſſar Florentinus. Bernardinus Feltrenſis fructuoſe ubique ſuæ doctrinæ ſemina diſpergit. Aliquot fiunt Epiſcopi. Propagatur Inſtitutum.

I. FRIDERICUS Auſtriacus, poſt diuturnum annorum quinquaginta trium Imperium, demum hoc anno ætatis LXXVIII. in pervigilio Nativitatis beatæ Virginis rebus humanis feliciter & Chriſtiane valedixit, aſſecutus, quod ipſe omnium, quæ homini contingere poſſunt, optimum dixit, bonum ſcilicet ex hac vita exitum. Ita enim pie credendum eſt obtigiſſe homini ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis procurato, qui Germaniam compoſitis Principibus ſumma in tranquillitate reliquit; qui Romanis Pontificibus obſequentiſſimus, conciliabulum Baſileenſe diſſolvit, Schiſma Felicis Sabaudi extinxit; qui peragratis in juventute locis omnibus, in quibus noſtram redemptionem Chriſtus operari dignatus eſt, Monaſteria plurima in patria conſtruxit, & reditibus locupletavit; qui demum omnia, quæ Principis Chriſtiani & boni erant Imperatoris pariter peregit, auguſtamque dignitatem conſtanti decore ſuſtinuit. Succeſſit in Imperio Maximilianus, dignus tali parente filius, in quem, ab aliquot annis Romanorum Regem renunciatum, facile conſenſerunt Electores & Ordines Imperii, ut Patri in hac etiam dignitate ſubſtitueretur.

Moritur Fridericus Imperator.

Laudatur.

Succedit Maximilianus filius.

II. Anno præcedenti diximus, Chriſtophorum Columbum navigatio-

Franciſcani trajiciunt in Indias Occidentales. Platus de bono ſtat. relig. lib. 2. c. 30. Herrera in hiſt. Ind. Occid. dec. 1. l. 1. c. 2. & ſeqq. Gonz. in proœm. Prov. Hiſpaniolæ.

nem Indicam animoſe aggreſſum, feliciter ad Regem Ferdinandum regreſſum, ſub hunc annum iterum vaſtiſſimi & incogniti Maris pericula ſuperaſſe. In hac ſecunda cum eo etiam trajeciſſe Franciſcanos, ſcribunt præter Hieronymum Platum, regioſque hiſtoricos, noſtri auctores a nobis eo loco citati. In his præcipuum Joannem Perezium de Marchena navigationis promotorem, ubi Columbus inſula Hiſpaniola potitus eſt, ait Gonzaga, ſtramineum tuguriolum ædificaſſe, in eo rem ſacram primum omnium feciſſe, & ſanctiſſimam repoſuiſſe Euchariſtiam. Prima hæc Indiarum Occiduarum Eccleſia fuit, & ſecunda, quam ædificavit in ſancti Dominici Civitate. Cum enim Columbus devictis idololatris, qui neque Dei verbum audire volebant, neque aliis diſſeminari permittebant, ſubactaque inſula, coloniam Hiſpanorum inſtituere cogitaret, Civitatem in ampliſſimi fluminis margine a ſancto Dominico (propter ſuum genitorem hoc nomine inſignitum) appellandam, ſatis magnifice conſtruxit, in eaque Perezius ædiculam ſuis Conſodalibus tumultuario opere ſub ſancti Franciſci invocatione fabricari curavit. Ea fuit deinde Columbi erga Sodalitium pietas, & erga Perezium gratitudo, ut ditior potentiorque effectus, Eccleſiam, & Fratrum habitaculum ſolidius, magnificentiuſque ex polito lapide refecerit, & neceſſaria inſtruxerit ſupellectile. Cœpit in immenſum creſcere erga Fratres inſularium Neophytorum devotio; etenim tamquam fidei Magiſtros reverenter colebant, & tamquam animarum ſuarum curatores abunde ſuſtentabant.

Columb. pietas.

Res miranda ſub initium hujus miſſionis. Herrer. in hiſt. Occid. Ind. dec. 1. l. 1. c. 4. Daça 4. par. l. 2. c. 4.

III. Ex his, qui ad Evangelicum illud opus transfretarunt, unum ex Ferdinandi Columbi hiſtoria refert Antonius de Herrera Regius hiſtoricus, nomine Joannem, patria Burgundum, cum aliis Conſodalibus ad vaſtiſſimum Maguæ Regnum profectum, docuiſſe Regulum, ſive Cacicum Guarionexum fidei rudimenta, humaniterque in ejus Aula receptum, plurimos ad fidem convertiſſe. Sed cum Hiſpani Regem offenderent, abire coguntur Religioſi reculis ſuis ſpoliati. Imagines aliaque pietatis inſtrumenta, quæ ferebant, Indi in campo effoderunt, ex quo loco radices quædam, *Axi* dictæ, ad modum rapulorum, in crucis formam mirabiliter prodierunt.

IV. Hic pauliſper hærendum, & examinandum, quod recenti prodiit libello, quem inſcriptus auctor, propter quædam in illo contenta, in judicium vocatus, genuinum ſuum fœtum eſſe negavit, corruptumque, & adulterinis additamentis fœdatum pro ſua defenſione allegavit. Libelli titulus eſt: *De religioſa ſancti Ignatii per Patres Benedictinos inſtitutione*: auctor præfixus, ſive verus ſive falſus, Conſtantinus Caetanus Abbas Benedictinus. Hic porro ſolis Benedictinis primam Indiarum Occidentalium miſſionem tribuit, præfectumque miſſioni Bernardum Boillium Abbatem Montis-Serrati, quem Indiarum Patriarcham, Apoſtolum, Legatum a latere appellat, aliiſque titulis, ita mirum in modum repetitis non ſemel elogiis extollit, ut res Indicas vel mediocriter ſcientis fidem ſuperent & patientiam. Ipſum licet audire: in Prologo ad Patres Societatis Jeſu, aliquantulum ante finem, ita habet: *Bernardus nepos* (ait enim alium fuiſſe hujus nominis & cognominis Boillii patruum) *dum Alexandri VI. Pont. Max. Vicarius, & Patriarcha Indias peragraret, regnum Dei evangelizabat Idololatris illis gentibus*. Paucis interpoſitis: *Ex India Occidentali reverſus, & ſpoliis inferni onuſtus, victor glorioſiſſimus &c.* Et Libelli c. 8. paulo ante finem: *Bernardus Boillii Tarraconenſis, & Monaſterii Montiſſerratenſis Monachus, ob notiſſimam illius ſanctitatem & doctrinam, judicio Catholicorum Regum dignus habitus fuit, & auctoritate Alexandri VI. Pontificis Maximi,*

Bernardus Boillius primus effingitur Indiarũ Occidentalium Apoſtolus.

mi, Patriarcha Indiarum, Vicarius ſummi Pontificis, cum auctoritate Legati a latere munitus, ut cam aliis XII. *Benedictinis Monachis, miſſionis hujus ſociis, in Indias deſtinaretur. Noverant enim ſummus Pontifex, & Reges Maximi, quæ fuerant decora, quæ magnalia Benedictini Ordinis, quæ felicitas gentibus convertendis; propterea eos ad immunes gentes, quæ ferina crudelitate humanas comedebant carnes, filioſque ſacrificabant Idolis, miſerunt. At quo fructu? quo ſucceſſu? audi: In una Inſula, quæ Hiſpaniola vocatur, centum ſeptuaginta millia Idola confregit, & combuſſit Boillius, erecto ubique vivifico trophæo Crucis, quod cum nec ferro poſſet, nec igne lædi (impediente videlicet beatiſſima Dei Parente) venerandum barbaris illis populis redditum eſt. Penetravit dein in ipſa viſcera Indiarum, confregit Idola, templa deſtruxit, & infinitum populum ad fidem vocavit, Eccleſias extruxit, inſtituit ſcholas, Monaſteria exædificavit, Epiſcopatus erexit, ut merito Indiarum Apoſtoli primi cognomentum meritus & adeptus fuerit: rediitque dein ſpoliis devicti paganiſmi onuſtus. Hæc de primo Indiarum Occidentalium Apoſtolatu Benedictino.* Citat autem pro hac magnifica Indiarum converſione, & pro glorioſo hoc Indico Apoſtolo, & Patriarcha Gonſalvum Ferdinandum lib. 2. novi orbis c. 8. Martialem Fumæ Hiſtor. lib. 1. c. 2. Petrum Hiſtor. Indic. p. 2. Honorium Philoponum de Navigatione Boillii. Trium potiorum teſtimonium infra examinabimus; poſtremi quam inane ſit, quippe efficti auctoris, & libri ſuppreſſo impreſſionis loco in tenebris nati, ex ipſa libri fronte, & gloriabundo titulo lector excipiet. Ita quidem inſcriptus: *Nova typis tranſacta navigatio novi orbis Indiæ Occidentalis admodum Reverendiſſimorum PP. ac FF. Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi Domini D. Boillii Catalani, Abbatis Montiſſerrati, & in univerſam Americam, ſive novum orbem ſacræ Sedis Apoſtolicæ Romanæ a latere Legati, Vicarii, ac Patriarchæ, ſociorumque Monachorum ex Ordine S. P. N. Benedicti ad ſupradicti novi mundi barbaras gentes Chriſti ſanctum Evangelium prædicandi gratia delegatorum Sacerdotum, dimiſſi per ſanctiſſimum D. Papam Alexandrum VI. anno Chriſti* MCCCCXCII. *Nunc primum e variis ſcriptoribus in unum collecta, & figuris ornata. Auctore V. Fr. D. Honorio Philopono Ordinis S. Benedicti anno* MDCXXI. Totus mox liber pompoſis iconibus, & ſpecioſis repletur figuris, quibus magnifica quæque munia Boillii exprimuntur, vel incautis aut neſciis lectoribus objiciuntur. Modo Patriarchæ vices obit, modo Vicarii Apoſtolici, & a latere Legati auctoritatem oſtentat, modo templa conſtruit, modo fana deſtruit, modo Idola perfringit; Sacerdotes inſtituit, Epiſcopos conſecrat, diœceſes diſtinguit; undique rem Eccleſiaſticam diſponit, nihilque quod ad rempublicam Chriſtianam integre condendam attinet, facit omiſſum. Nihil quidem ſpecioſius: ſed nihil a veritate magis alienum.

V. Ex primis & potiſſimis rerum Indicarum ſcriptoribus, illius ætatis viris, rem aperiam, totque errorum tenebras veritatis ſpiculo facile diſſipabo. Patris ſui Chriſtophori hiſtoriam Indicam Ferdinandus Columbus exacte narravit. Petrus Martyr Anglerius Mediolanenſis præcipuas res totius navigationis Indicæ ſub Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabella, eorumque nepote Carolo V. cui erat a ſecretis, recenſuit. Gondiſalvus Hernandes de Oviedo & Valdes, annis viginti duobus Fortalitio urbis S. Dominici in Hiſpaniolæ Inſulæ a Columbi tempore præfectus, Caroli V. Chronologus, illius regionis hiſtoriam ampliſſimam, rerum, ait, a ſe viſarum contexuit. Franciſcus Lopez de Gomara, vetuſtus & candidus auctor, rerum Indicarum Hiſtoriam edidit generalem. Franciſcus Pizarro, & Orellana

Sed quàm inani fundamento?

lana opus compoſuit de primis illuſtribus novi orbis heroibus. Antonius de Herrera per Philippum II. & III. Hiſpaniarum Reges rebus Indicis ſcribendis præfectus, per plures Decades a prima navigatione Columbi ad ſua tempora integram hiſtoriam deduxit. Hi porro omnes Boillii meminerunt, præfectumque miſſioni Indicæ anno MCCCCXCIII. (non MCCCCXCII. ut fictus habet Philoponus in ipſa ſui libri inſcriptione) unanimiter conſpirant. Nullus eſt tamen qui vel Apoſtolum, vel Patriarcham appellet Indiarum, vel Legatum a latere Alexandri VI. Pontificis pronunciet.

Quinam illi primi duodecim cū Columbo in Hiſpaniolam miſſi.

VI. Miſſi ſunt viri duodecim probatæ virtutis ſacerdotes ex utroque ſtatu ſeculari & regulari in hoc miniſterium a Catholicis Regibus ex univerſis ſuis dominiis ſelecti. His præfectus eſt Boillius Vicarius Apoſtolicus cum neceſſariis facultatibus rei Eccleſiaſticæ adminiſtrandæ. Anno Domini MCCCCXCIII. die XXV. Septembris Gadibus ſolvit cum Columbo, adhibito ſocio itineris ſuo conterraneo Catalano, Petro Margarite, viro nobili, Regibus familiari. Ubi in inſulam Hiſpaniolam die XXII. Novembris appulerunt, & compertum eſt Hiſpanos omnes, quos ibi reliquerat Columbus, ab inſulanis fuiſſe occiſos, actum eſt de inferenda vindicta, & de ſtatuendis firmis ſedibus, præparandiſque Hiſpanæ genti munimentis. Erecto inter alia fortalitio ſancti Thomæ, præfecit Columbus Margaritem, jactiſque fundamentis novæ urbis in Reginæ Iſabellæ memoriam nuncupatæ, dum in officio continere milites, & a rapinis, ſtupris, inferendiſque innocuæ genti injuriis, pœna quibuſdam illata capitali, cohibere ſtudet, offenſionem incurrit Boillii. Hic enim tamquam in virum crudelem, & tyrannum cenſuras contorſit, quos ille fame retorſit: dum enim Boillius Columbum aqua & igni interdicit, ille viciſſim Boillium pane, vino, obſonio, quæ ex communi promptuario miniſtrabantur, interdicebat. Frequenter exortis his controverſiis, totieſque ſopitis, Columbus ſtatuit ad alias explorandas inſulas abire; ſed prius cœtum, ſeu conſilium inſtituit præcipuorum quos habebat virorum (inter quos etiam deſignatus Boillius) qui abſentis vices communibus ſuffragiis in regimine obirent, Præſide totius negotii Didaco Columbo ipſius fratre germano.

Simultates inter Boillium, & Columbum. Vide Colum. cap. 51. & ſeqq. Herrer. dec. 1. lib. 2. c. 12. & ſeqq.

Boillius & Margarites in Hiſpaniam redeunt.

VII. Ita rebus diſpoſitis, in Cubæ inſulam ſolvit Chriſtophorus anno MCCCCXCIV. die XXIV. Aprilis; ubi cum aliquandiu hæreret, novas ſemper terras exquirens, Margarites male adminiſtrati regiminis, laxatæque diſciplinæ militaris pœnas formidans, pertæſuſque itineris, & impatiens laborum atque inediæ Boillius, qui opulentiores mente terras effinxerat, inſalutato Columbo, nullaque poſtulata licentia, in Hiſpaniam redierunt, nondum expleto anno ſui incolatus in Hiſpaniola; etſi Gomara, & Hernandes cum Columbo in judicium vocatos, & ſimul cum ipſo in vinculis miſſos in Hiſpaniam enarrent. Tot porro Columbum apud Reges Boillius, & Margarites onerarunt criminibus, ut miſſo, qui in eum inquireret, Joanne Aquado, Regio Miniſtro, ei redeundum fuerit in Hiſpaniam anno MCCCCXCV. ubi ita ſe exoneravit, effictiſque purgavit calumniis, ut jam tertio auctus honoribus, rebuſque inſtructus neceſſariis, juſſus ſit ad eas partes proficiſci, lata prius a Regibus lege propter injuſtos hos e gente Catalana accuſatores, ne ex alia natione præter Caſtellanam quiſpiam deinceps ad Indias navigaret.

Quæ de Boillii Apoſtolatu & trophæis referuntur, ſunt penitus conficta.

VIII. Hæc ſumma eſt & compendium eorum, quæ de Boillii miſſione ſcribunt auctores; neque ullus eſt, qui de conſtructis Templis, deſtructis aris, contritis Idolis, conſecratis Epiſcopis, relatis trophæis, reportatis ſpoliis Inferni, quidquam recenſeat. Quiſnam ille infinitus populus per Boil-

Boillium ad fidem converſus? Quinam illi Epiſcopatus erecti? ubinam ſcholas inſtituit? ubi Monaſteria exædificavit? quænam illa viſcera Indiarum, quæ penetravit? ubi tunc illa America, ad quam miſſus eſt a latere Legatus? Nonne multis poſt annis Veſpucius Americus eam orbis partem, a ſuo cognomine inſignitam, cum aliis tanti laboris ſociis detexit? heu quam pompoſus hic Apoſtolatus, quam ſpecioſus Patriarchatus, quam potens a latere Legatus! Primus Indiarum Patriarcha inſtitutus eſt a Clemente VII. anno MDXXIV. die XI. Maii, Antonius de Roxas Archiepiſcopus Granatenſis. Primus Epiſcopus Hiſpaniolæ, ſive ſancti Dominici, electus eſt ſub annum MDIV. frater Garſias de Padilla Minorita, cui antequam transfretaret, in Hiſpania defuncto, ſubſtitutus eſt Alexander Geraldinus ſub annum MDVI. Vides ergo, quam glorioſa illa Caetani narratio, quam vera, & certa illa Philoponi libri inſcriptio. Certe univerſa errabunda, omnia nutabunda: Non ille annus miſſionis, quem præſcribit; efficti ſunt Boillii ſpecioſi tituli; duodecim ſocii alieni a Benedictino erant; nulla tunc America, nullus orbis novus, ſola detecta inſula Hiſpaniolæ; neque tota, ſed partim ſubjugata. Pictus auctor Philoponus, falſi icones, omnia fabuloſa. Teſtes demum tantæ rei omnino contrarii: Gonſalvus nihil præter ea, quæ retulimus, narravit; nullum apud eum Patriarchatus, Apoſtolatus, legationis a latere, veſtigium. Petrus, non alius, quam Joannes Petrus Maffejus eſt, qui rerum Indiæ Orientalis, non Occidentalis libris ſexdecim ſcripſit hiſtoriam; *Martialis Fumæ* vereor ne abierit in fumum; nullibi enim, quantumvis omnem diligentiam adhibuerim, hujus Martialis veſtigium invenio.

Ex libris Conſiſtorialib.
Primus Patriarcha Indiarum. Primus Epiſcopus Hiſpaniolæ.

IX. Hoc anno die XXIV. Maii, in Comitiis habitis Florentiæ ad Cœnobium ſancti Salvatoris, aſſumptus eſt in Vicarium Generalem Obſervantum Ciſmontanorum Evangeliſta Peruſinus provinciæ ſancti Franciſci. Adlecti Definitores, Franciſcus Contarenus provinciæ ſancti Antonii, Joannes de Sigeſtro provinciæ Januenſis, & Hieronymus Torniellus provinciæ Mediolanenſis. Inſtitutus Romanæ Curiæ Commiſſarius, Iſidorus Peruſinus provinciæ ſancti Franciſci; Guardianus ſacri loci Montis Sion, Franciſcus Sorianus de Venetiis ejuſdem Provinciæ; Vicarius Candiæ, Petrus Patavinus provinciæ ſancti Antonii, Corſicæ, Joannes de Pinis, Sardiniæ, Antonius Torniellus provinciæ Mediolanenſis; Commiſſarius Terræ ſanctæ, Rhodi, Chii & Candiæ, Franciſcus de Montagna provinciæ ſancti Antonii.

Capitulum Generale Obſerv. Ciſmontanum XIX. Florentiæ. *Regiſtr. Ordinis.*

X. Obſervantes Ultramontani ſua etiam celebrarunt Comitia ſub feſtum Pentecoſten in Cœnobio Florentiaci provinciæ ſancti Ludovici, electuſque eſt omnium ſuffragiis Vicarius Generalis Oliverius Mayllardus, alias ad hoc ipſum munus aſſumptus; ſed & tertio idem laudabiliter peregit, ut ſuo loco dicemus. Unde minus probabile redditur, eum a Ferdinando Rege pecuniis corruptum fuiſſe, uti anno præcedenti obſervavi; neque enim facile credi poteſt a viris doctis & piis, quibus tunc florebat Inſtitutum, toties in Primicerium eligendum, qui cumulandis pecuniis, contra vitæ, & Inſtituti formulam nummos rigoroſe averſantem, adeo ſordide inhiaret. Per trienni ſpatium ab ultimo capitulo defuncti numerantur Fratres quingenti quadraginta.

Capitulum Generale Obſerv. Ultramontanum XIX. Florentiaci.
Tom. 14. anno 1487. n. 2.
Anno 1499. Num. 40.

XI. In his Comitiis lectum eſt diploma Alexandri Pontificis ad Vicarium & Fratres Ultramontanos miſſum, in quo declaratur, quis debeat præſidere Capitulo; & Vicarium noviter electum cenſendum eſſe Commiſſarium Apoſtolicum, donec adveniat Miniſtri Generalis confirmatio. Simile alias diximus conceſſum a Sixto IV. pro Vicariis Ciſmontanis. Do ipſum diploma.

Tom. 14. anno 1478. n. 11.

Di-

Dilectis filiis Vicario Generali &c.

Lib. 21. fol. 123. Quis debeat præſidere Capitulo, & quid de Vicario noviter electo.

SAcræ Religionis &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim fel. record. Sixto Papæ IV. prædeceſſori noſtro, pro parte Vicarii Generalis & Vocalium Capituli Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Ciſmontanorum, expoſito, quod in certis litteris recol. mem. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, per piæ mem. Pium II. & nonnullos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros confirmatis, continebatur, quod Vicarius Generalis Fratrum Ciſmontanorum dicti Ordinis pro tempore exiſtens, poſt depoſitionem ſui officii in Capitulo Generali, in quo alius Vicarius eligi debebat, remaneret Apoſtolicus Commiſſarius, præſideretque Capitulo & toti familiæ dictorum Fratrum, uſque ad confirmationem Vicarii poſtmodum electi, & quod id in detrimentum dicti Ordinis cedere poſſe videbatur, ex eo quia, qui deponebat officium, regimini Fratrum non poterat convenienter intendere. Idemque Sixtus prædeceſſor, eorumdem Vicarii Ciſmontani & Vocalium ſupplicationibus inclinatus, per ſuas litteras in forma Brevis decrevit, quod deinceps perpetuis futuris temporibus Vicarius noviter electus, ſtatim facta de eo electione, Capitulo & toti regimini Fratrum, ut Commiſſarius Apoſtolicus, donec confirmaretur, præſideret. Vicarius vero, qui renunciaret, poſt electionem novi Vicarii, quoad commiſſionem nullo fungeretur officio, niſi forte contingeret Vicarium recenter electum, non eſſe præſentem. Quo caſu voluit eum, ut Apoſtolicum Commiſſarium præſidere, donec Vicario de novo electo foret ſua electio intimata, qui, dictæ electionis notitia habita, Commiſſarius eſſe intelligeretur, uſquequo foret confirmatus, prout in eiſdem litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Provinciæ Fratrum dicti Ordinis, ſecundam illius morem, ultra montes conſiſtentes, ſint magis latæ, quam illæ quæ conſiſtunt citra montes, & in eis, ut creditur, ſit longe major numerus domorum & Fratrum dicti Ordinis, quam citra montes; & pro eo quia Generalis Miniſter Fratrum dicti Ordinis, a quo obtineri confirmatio electionis Vicarii Generalis ſolet, ut plurimum in Romana Curia, & citra montes permaneat, electus Ultramontanus Vicarius Generalis non poſſit ſuæ electionis confirmationem in brevi tempore habere, præſertim miſſorum Fratrum pro confirmatione hujuſmodi nonnumquam infirmitatibus, & aliis impedimentis cauſantibus, notis interim neceſſitatibus Ordinis providere, & domorum illius viſitationem incboare, ut expediret, attenta latitudine Provinciarum, & multitudine domorum & Fratrum ejus curæ commiſſorum, non ſine dicti Ordinis detrimento. Pro parte Vicarii & Fratrum prædictorum ultra montes degentium, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi incommodis obviare, & quod Vicarius Generalis, qui deponit officium in Capitulo Generali, in qua Generalis Vicarius ejus ſucceſſor eligi debet, eſſe debeat Commiſſarius Apoſtolicus, & præeſſe Capitulo, uſque ad conſummationem Capituli, & durante illius celebratione dumtaxat; Capitulo vero facto, de novo in Vicarium electus, illico Commiſſarius Apoſtolicus eſſe incipiat & permaneat, uſquequo ſuæ electionis confirmatio a Generali Miniſtro obtenta, ad eum delata fuerit, pro qua habenda, infra quindecim dies poſt expletum Capitulum, nuncios dirigere, abſque dolo & fraude, pro illius impetratione, & ejus habenda notitia, diligentiam ſibi poſſibilem facere teneatur & debeat, vobis concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea, per quæ Religioſarum perſonarum quarumlibet opportunitatibus conſulitur, libenter in-

intendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Vicarius Generalis Fratrum Ultramontanorum veſtri Ordinis, qui deponit officium in veſtro Capitulo Generali, in quo Generalis Vicarius ejus ſucceſſor eligi debet, eſſe debeat Commiſſarius Apoſtolicus, & præeſſe Capitulo, uſque ad conſummationem Capituli, & durante illius celebratione dumtaxat, Capitulo vero finito, de novo in Vicarium electus illico Commiſſarius Apoſtolicus eſſe incipiat, & permaneat uſquequo ſuæ electionis confirmatio a Generali Miniſtro prædicto obtenta, ad eum delata fuerit, pro qua habenda, infra quindecim dies poſt expletum Capitulum, abſque dolo & fraude, nuncios pro illius impetratione dirigere, & pro ejus habenda notitia, diligentiam ſibi poſſibilem facere teneatur & debeat, Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore vobis concedimus, ſicque ſervari debere in poſterum dicta auctoritate ſtatuimus & ordinamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac litteris Eugenii & aliorum prædeceſſorum prædictorum, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. III. *Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno* I.

XII. Et quia in eiſdem partibus Ultramontanis quidam æmuli Fratres carpebant Obſervantes, aſſerebantque eos a ſua Regula deviare, quia non Miniſtris ſed Vicariis parebant, innovandas duxit Alexander litteras Pii II. quas de hac ipſa re alias emiſerat. *Tom. 13. anno 1464. n. 18.*

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in quorum Civitatibus aut Diœceſibus, ultramontes conſiſten. domus Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub Generalis, & Provincialium Vicariorum obedientia exiſtentium, ſunt ſitæ, & aliis illarum partium Eccleſiarum Prælatis, ſalutem &c.

Sanctam Regularem vitam profeſſis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Generalis & Provincialium Vicariorum, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in partibus Ultramontanis commorantium, petitio continebat, quod, licet olim in Generali Concilio Conſtantienſi, non ſine magna ac rationabili cauſa fuerit determinatum, ac per Eugenium IV. & Nicolaum V. ac alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros confirmatum & approbatum, quod dicti Fratres, de Obſervantia nuncupati Superiores haberent, qui non Miniſtrorum, prout in eorum Regula, ſed Vicariorum nominibus appellarentur, quibus dicti Fratres ſecundum eorum Regulæ præceptum, & quantum ad ea, quæ Regularem concernunt Obſervantiam, tenerentur obedire, & demum per piæ memoriæ Pium Papam II. etiam prædeceſſorem noſtrum fuerit ordinatum, quod, cum Sedes Apoſtolica, in cujus arbitrio & juſtitia dicti Ordinis . . . ſi velit in melius commutare, & prout ſaluti animarum expediens eſſe cognoverit, Prælatorum nomina & vocabula mutare, in eorumdem Fratrum familia loco Miniſtrorum Generalis & Provincialium, prout in Regula dicti Ordinis, Vicarios Generalem & Provinciales eſſe voluerit, qui ſcilicet Vicarii dictis Fratribus, de Obſervantia nuncupatis præſidentes, & quibus ipſi Fratres, ex debito ſuæ profeſſionis obedientes exiſtunt, tunc erant, & perpetuo forent eorumdem Fratrum veri & indubitati Miniſtri, & tales, quales beatus Franciſcus Regulam condens, intendebat, quouſque eadem Sedes aliud

Lib. 19. fol. 9. Declarat Pontifex Obſervantes Regulæ S. Franciſci in ſuo ſtatu conformari.

alio tunc reſpectu ordinare decerneret: Quodque dicti Fratres eiſdem Vicariis obedientes ſecundum determinationem prædictam, Regulæ ſuæ, præſertim in ea parte, ubi dicitur. Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut obediant ſuis Miniſtris, *plene & integre ſatisfaciunt, prout in eorumdem prædeceſſorum litteris plenias continetur. Nihilominus, quia hujuſmodi determinationis, confirmationis, ac litterarum prædictarum publicatio nulli extra Ordinem præfatum committitur ſive demandatur, apud clerum & popalum redditur minus nota, & ob hoc quidam utriuſque ſexus & ſtatus, eorumdem Fratrum æmuli, partim, ut creditur, invidia, partim vero ignorantia ducti præfatos Fratres caninis latratribus lacerantes, tamquam ſui ſtatus tranſgreſſores accaſant: quodque ex eo quod non Miniſtris immediate, ſed dictis Vicariis obediunt & ſubſunt, ſecundam Regulam præmiſſam non vivunt, falſo aſſerunt, ipſos aut inobedientes, aut ligatos, aut Fratres* de Bulla *ſeu aliis ignominioſis vocabulis, quaſi non eſſent ſub Regula approbata, tam publice, quam private, aut per libellos ſeu litteras diffamatorias appellantes, caritativa ſubſidia ſuorum benefactorum modis quibus poſſunt, impediunt. Nonnulli vero Religioſi, licet ſub ſimili habitu, ſub alterius tamen conſiſtentes obedientia, eleemoſynas, quibus ipſi Fratres, de Obſervantia nuncupati, ſub dictorum Vicariorum obedientia degentes, ſuſtentari deberent, a Chriſtifidelibus ſub nomine ac titulo eorumdem Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, indifferenter petunt & recipiunt, in non modicam Fratrum prædictorum jacturam & infamiam, proximorum pernicioſum exemplum, & ſimplicium errorem & deceptionem. Quare pro parte dictorum Vicariorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis & eorum pro tempore ſucceſſoribus paterno præſidio aſſiſtentes, prædictas litteras per vos & quemlibet veſtrum in Eccleſiis veſtræ juriſdictioni ſubjectis, & alibi, ubi & quando opus fuerit, ſolemniter publicari, & quoad præmiſſa & his ſimilia, ipſoram Vicarios & eorum ſubditos coram clero & populo excuſari & defendi, ſicque hujaſmodi obtrectatoribus, æmulis eorumdem Fratrum diffamatoribus ſilentiam imponi, ac ipſos Fratres ſic, ut præmittitur, ſecundum Apoſtolicam determinationem, ſub cura & regimine dictorum Vicariorum viventes, in bona fama conſervari, & non permitti alios Religioſos, ſive ſeculares, ſub nomine vel titulo dictorum Fratrum, aut domorum ſive locorum de dicta Obſervantia, & ſab dictis Vicariis, ſecundum prædictas confirmationes viventium, in ipſorum terminis, niſi fuerint de eorum familia, & ſub dictis Vicariis immediate conſtitati, publice vel occulte eleemosynas quæritare, recipere; aut eos quomodolibet perturbare, ſeu diffamare, mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus firmiter ac mandamus, quatenus qailibet veſtrum, & ſi poſtquam dictæ litteræ Eugenii aut Pii prædeceſſorum prædictorum ſibi fuerint præſentatæ, vel de eis aut altera ipſarum per earum tranſſumpta authentica, ſeu alias fuerit facta fides, & pro parte Vicariorum prædictorum nunc & pro tempore exiſtentium, vel Commiſſariorum aut Fratrum per eos deputatorum fuerit legitime requiſitus, per ſe, vel aliam, ſeu alios, prædictas litteras in Eccleſiis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, dum major inibi multitudo fidelium convenerit ad Divina, & alibi, dum opas fuerit, pablice, ſolemniter, & quantum ad præmiſſa, & his ſimilia, eiſdem Vicariis, & eis obedientibus Fratribus nunc & pro tempore efficaci præſidio aſiiſtens, eos coram clero & populo excuſet & defendat, ſicque eorum hujuſmodi detractoribas, æmulis & diffamatoribus, ſuper præmiſſis ſilentium imponat, ac ipſos Vicarios, & eis*

Reg. S. Franciſ. cap. 10.

eis obedientes Fratrec, ſic, ut præfertur, ſecundum Apoſtolicam determinationem ſub cura & regimine dictorum Vicariorum viventes, in bona fama conſervet, & juxta decreta Viennenſis Concilii contra falſos eleemosynarum quæſtores edita, dicti Ordinis profeſſoribus, ſub dictorum tamen Obedientia Vicariorum, ſecundum eorum conſtitutiones immediate non degentibus, & quibuſvis aliis perſonis & ſecularibus, ne falſo aſſerant ſe eſſe de Fratribus ſub dictorum Vicariorum Obedientia degentibus, aut pro eis & eorum domibus immediate de cetero, præſertim infra limites quæſtarum domorum eorumdem Fratrum, ſub dictorum Vicariorum Obedientia degentium, nec quod ipſi Fratres ſub Vicariorum, qui quoad eos Miniſtrorum locum tenent, obedientia degentes, non ſint veri Fratres Minores, & regularia inſtituta dicti Ordinis non obſervent, affirmare, eoſque injurari, inobedientes, Byſocbos, aut Fratres de Bulla, *ſeu aliis ignominioſis vocabulis publice vel occulte, aut per litteras diffamatorias ſeu libellos appellare quoquo modo præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibeat, & illos, quos in hujuſmodi inhibitionem contraveniendo, excommunicationis ſententiam prædictam incurriſſe conſticerit, excommunicatos publice denunciet, faciatque ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos iteratis vicibus aggravare procuret; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, donec compuncti corde, prævia ſatisfactione, meruerint a dicta excommunicatione abſolutionis beneficium obtinere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXCIII. III. *Kalend. Aprilis, anno* I.

XIII. Aliud etiam dubium circa auctoritatem Vicarii Generalis, & correctionem ac viſitationem Monialium ſecundi & Tertii Ordinis, ab ipſo faciendam his litteris declaravit.

Dilecto filio Vicario Generali Fratrum Minorum Ultramontanorum, de Obſervantia nuncupatorum &c:

Specul. Ord. tract. 1. fol. 38.

Declaratur auctoritas Vicarii Generalis circa Monaſteria Monialium.

E*Xponi nobis feciſti, a nonnullis nimium curioſis in dubium revocari, an tibi liceat in Monaſteriis Monialium ſanctæ Claræ, ac domibus Tertii Ordinis beati Franciſci, de pœnitentia nuncupati, curæ, directioni, viſitationi & correctioni Vicariorum Provincialium, Cuſtodum, Guardianorum, Confeſſorum, Viſitatorum & Fratrum tibi tuoque officio ſubditorum commiſſis & ſubjectis, nec non in Monaſteriorum & domorum hujuſmodi Abbatiſſas, Matrec, Moniales & Sororec eam ſuperioritatem exercere, quam ipſi Provinciales Vicarii, Cuſtodec, Guardiani, Confeſſores & Viſitatores, ac Fratrec alii tibi ſubditi exercere poſſunt, quo ſit, ut tu nonnumquam ab exercitio ſuperioritatis hujuſmodi duxeris abſtinendum, non ſine Regularis Obſervantiæ detrimento, cum propter hujuſmodi abſtinentiam, nonnulla in eiſdem Monaſteriis & domibus impunita remaneant, quæ indaginis tuæ notitiam pro eorum correctione requirerent. Nos igitur hujuſmodi ambiguitatem ſubmovere volentes, te eadem ſuperioritate & auctoritate in præmiſſis uti potuiſſe & poſſe, qua Vicarii Provinciales, Cuſtodes, Guardiani, Viſitatores, Confeſſores & Fratres alii tibi ſubditi uti poſſunt, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore declaramus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXCIII. III. *Kalend. Aprilic Pontificatus noſtri anno* I.

XIV. Inſuper licentiam conceſſit Monialium Confeſſariis, ut propter rationabiles cauſas ingredi poſſent ſepta Monaſterii, emiſſo hoc diplomate.

Dilectis filiis Generali ac Provincialibus Vicariis Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in partibus Ultramontanis commorantibus.

Ibid. tract. 2. fol. 72.
Cōceditur Confeſſariis Monialium poteſtas ingrediendi Monaſteria.

Exponi nobis fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ & Moniales Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ in partibus illis conſtitutorum, quod licet per ipſarum Regulam concedatur expreſſe, quod Confeſſores per vos eiſdem pro tempore deputati, neceſſitate adveniente, pro miniſtrandis Sacramentis Eccleſiaſticis poſſint competenti ſocietate comitati, clauſuras eorumdem Monaſteriorum ingredi; quia tamen interdum accidit aliquas Moniales ipſorum Monaſteriorum diutina infirmitate detineri, & quandoque per annum aut biennium ita morbo laborare, ut pro receptione Sacramentorum non poſſint ad communem cratem accedere, ſpirituali propterea conſolatione, illa præſertim, qua ceteræ Moniales, quæ in receptione Euchariſtiæ quintadecimo die recreantur, omnino carent, cum Confeſſores prædicti, ex eo quod dictæ Moniales in extrema neceſſitate, aut mortis articulo conſtitutæ non ſint, abſque conſcientiæ ſcrupulo, pro earum viſitatione, & adminiſtratione Sacramentorum, clauſuras interiores eorumdem Monaſteriorum ingredi non audent. Quare nobis eædem Abbatiſſæ & Moniales ſupplicare humiliter curarunt, ut dignaremur ſpirituali conſolationi infirmarum præſertim Monialium, circa hoc paterna benignitate conſulere. Nos Religioſarum perſonarum, fragilioris præſertim ſexus, votis, ut eo ferventius Divino famulatui inſiſtant, quantum cum Deo poſſumus, benigne annuentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & Fratribus ſeu Confeſſoribus per vos pro tempore deputatis, ut Monaſteriorum Monialium earumdem quæ veſtro regimini & adminiſtrationi immediate ſubjiciuntur, pro eiſdem cauſis & aliis rationalibus interdum occurrentibus pro tempore, prout vobis ſecundum Deum expedire videbitur, clauſuras interiores ingredi poſſitis, & Moniales prædictæ portam majorem aperire licite valeant, auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus pariter & indulgemus: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrarium facientibus quibuſcumque. Volumus inſuper, quod præſentium litterarum tranſumpto, manu publici Notarii ſubſcripto, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ſeu perſonæ in dignitate conſtitutæ ſigillo munito, plena & indubia fides adhibeatur &c. Datum Corneti ſub Annulo Piſcatoris, die XVI. *Novembris* MCCCCXCIII. *Pontificatus noſtri anno* II.

Moritur Balthaſſar Florentinus.
Gonza. in Prov. Floren. Conv. 9. Ummarel. lib. 5. c. 43.

XV. Deceſſit hoc anno Florentiæ in Conventu ſancti Salvatoris Balthaſſar Florentinus laicus ſive converſus, dum celebrarentur Comitia Generalia ſupradicta. Vir erat ſuæ profeſſionis obſervantiſſimus, & miræ pœnitentiæ: ſpiritu prophetico multa prædixit, bella, famem, peſtilentias, regnorumque ſubverſiones, quæ poſtea, uti prænunciavit, manifeſte contigerunt, etſi Fratres irriderent hæc dicentem. At ubi viderunt Carolum VIII. Gallorum Regem tamquam fulgur per Italiam tranſeuntem, Mediolanum, Florentiam, Romam, regnum Neapolitanum ſubjugantem, iterumque mira facilitate perdentem, atque ex his bellis calamitates, peſtem & famem inſecutas, doluerunt ſe prophetias ejus contempſiſſe, & neglexiſſe quaſdam gloſſulas, quas ad præcipua quæque & obſcuriora Apocalypſis loca congeſſit.

XVI.

XVI. Regina Neapolitana Joanna, Ferdinandi Regis conjux, Aquilam in Veſtinis, ut exuvias ſancti Bernardini veneraretur, profecta, ingenti honore ſacrum corpus excoluit, multiſque donariis ſepulcrum exornavit.

Regina Neapolitana peregrinatur ad corpus S. Bernardini.

XVII. Ineunte hoc anno ſub Januarii medium, Bernardinus Feltrenſis ab urbe Vincentina, ubi per Adventum, & ſolemnitates Chriſti Natalitii prædicaſſe diximus, profectus eſt Patavium ab Epiſcopo Baroccio enixe rogatus. Per aliquot dies prædicavit in Eccleſia Cathedrali, inde dilapſus, jubente Vicario Generali, ad Campi ſancti Petri oppidum duas habuit conciones in aperto prato, prope ſacellum ſancti Antonii, ibique approbante Senatu Veneto, Montem erexit Pietatis. Regreſſus Patavium, diebus octo prædicavit, invectus contra profanos luxus nimioſque exceſſus, quibus in celebrandis nuptiis ſacramentum Matrimonii temerabant, & contra timidos corruptoſque Judices, qui vel metu vel muneribus juſtitiam pro ſuo flectebant arbitrio. Aucto deinde pii Montis ærario, ſcapha a Patavinis inſtructa per Padum Mantuam perrexit. Hic ter concionatus, profectus eſt Cremam, ubi a civibus, & duobus concionatoribus, circa conciones Quadrageſimales habendas inter ſe litigantibus, rogatus ut onus hoc ſuſciperet, dixit, non licere Ticinenſes, quibus erat deſtinatus, ſua ſpe fruſtrare. Miſſis Oratoribus obtinuerunt Cremenſes, ut hominem ſibi ſuæque componendæ Civitati perquam neceſſarium retinere liceret uſque ad Sexageſimam.

Cyrill. in Annal. Aquil. lib. 9. Cimarel. c. 61. Legend. MSS.

Bernardin. Feltrenſis prædicat Patavii.

Mantuæ.

Cremæ.

XVIII. Erecto hic Monte, abiit Ticinum, prædicavitque in templo ſancti Franciſci Patrum Conventualium, dolentibus & querentibus Canonicis, quod in æde Cathedrali non id munus obierit. A Vicario Generali juſſus ad ſancti Franciſci conciones habere, non eſt auſus alio ſe transferre, donec Ludovicus Dux Mediolanenſis Prætori injunxit, ut vocatis ſuo nomine Guardiano Conventualium, & altero domus ſancti Jacobi Obſervantum, apud quem Bernardinus reſidebat, ſignificaret id ſe velle, ut ſermocinaretur in Eccleſia urbis præcipua, cui frater ejus Aſcanius Cardinalis Sforza præſidebat. Advenit etiam Breve Pontificium id ipſum præcipiens, ab Aſcanio impetratum. A prima ergo hebdomada deinceps in Cathedrali prædicavit, cujus fabricam imperfectam valde promovit ſuis exhortationibus, decorem domus Dei omnibus commendans. Apud Eremitas Auguſtinianos concionem habuit doctiſſimam de ſancta Monica, audiente univerſo populo, & admirante inſignem hominis doctrinam, miramque facilitatem in explicandis abditiſſimis quibuſque fidei myſteriis.

Ticini.

XIX. Reformatis mirabiliter hominum moribus, quatuordecim adoleſcentes nobiles ſtudioſos ſuæ aggregavit Sodalitati ad ſancti Jacobi Cœnobium. Ad erectionem Montis Pietatis omnes ardenter hortatus, tandem obtinuit, licet quidam contradicerent, objecta illa ſpecie fœnoris & uſuræ. Ut omnium ſatisfaceret dubiis, ingeſtoſque removeret ſcrupulos, docuit ex Panormitano, quot quibuſve de cauſis præter ſortem principalem mutuatæ pecuniæ, poſſit aliquid admitti, rogavitque collegium Juriſtarum, ut in ea re ſuam dicerent ſententiam. In unum collecti, diſcuſſaque materia, pronunciarunt, Montem non ſolum licitum cenſeri, ſed & utilem valde ac meritorium pauperibus ſublevandis. Hinc pia æmulatione certatim omnes offerebant in pium opus, quod licebat, brevique in tantum crevit ærarium, ut Dominica IV. poſt Paſcha, habita in concione gratiarum actione, & inſtituta ſolemniſſima ſupplicatione, Montem erexerit, & domui pio huic operi decretæ benedixerit. Deinde mundanas execratus vanitates, mulierum fucos, ludorum inſtrumenta, peccatorum incentiva able-

Multa hic religioſe peragit.

Abbas in c. conqueſtus. ext. de uſuris.

ablegari jubens, die ſequenti teſſerarum acervos, chartularum, abacorum, calculorum plauſtra, turriculas, & orbiculos luſorios innumeros, capillos adulterinos, pixides opobalſami, aliorumque unguentorum, argenteos aureoſque libellos amatorios & magicos, picturas laſcivas, muliebria, diſcriminalia, calamiſtra, flabella, ſpecula, purpuriſſum, perſonas, larvas, veſtes peregrinas in tanta copia & pretio accepit, ut duorum millium aureorum ſummam exceſſerint, quæ in omnium conſpectu juſſit comburi.

XX. Alia deinceps viſa eſt Civitas, obſtupentibus ſingulis ad hominis dicendi efficaciam, & doctrinæ virtutem. Admirabantur omnes, & ſecum dicebant: *Mutatio hæc dexteræ excelſi: ecce fænerator ille, quam nunc erga pauperes liberalis! juvenis ille intemperantiſſimus uti frænum adhibuit concupiſcentiæ! vanam & impudicam mulierem an non vides conſpectum hominum fugere! juvenes a malis artibus abduci? omnium mentes ad meliora ſuccendi, & a mundi oblectamentis avocari?* Adeo omnium corda in manu Bernardini repoſita, & ad ejus verba ignita flecti, Prætor conſpexit, ut gravem illorum, qui dicentem non audirent, reputarit jacturam. Publico proinde cavit edicto, ne quis tabernam aperiret, dum Bernardinus prædicaret. Verum cum grave hoc eſſet quibuſdam lucri avidis, ipſe prædicator, ut revocaretur effecit. Sed hinc amplius eſt conſecutus, nam qui inviti apothecas clauſas tenebant, ſponte cum reliquis, ut prædicationi piiſque operibus intereſſent, ultra præfixum tempus, ab exponendis mercibus abſtinebant. Etſi vero mercatoribus & tabernariis quibuſque indulgeri etiam concionis hora conſueverit, non tamen potuit ſufferre mercatum, ſeu forum nundinarium in feria ſexta Paraſceves exerceri. Obtinuit deinde ut lata rigoroſa lege, deinceps omnino tolleretur. Collegia aliquot virorum ſe ſponte flagellantium, & reatus pœnitentia dilventium, necnon alia quæ infirmis deſervirent, & infantes expoſitos diligenter alerent, & Chriſtiane nutrirent, inſtituit.

Doctrina miraculis confirmatur.

XXI. Neque hæc omnia ſine Divinæ virtutis oſtenſione peracta ſunt. Mulier quædam, dum omnes concurrerent Monti erigendo collaturi, ad locum ſe ferri juſſit (erat enim membrorum uſu deſtituta) oblato munuſculo, ſuis pedibus domum reverſa eſt. Juvenis Mantuanus vitiis quibuſque immerſus, ſuperum contemptor, concionatorum irriſor, arti magicæ totus addictus, in condiſcipulum Bernardini auditorem jocatus, quod aſſidue illius concionibus intereſſet, tamdem illius hortationibus inductus eſt, ut ſemel audiret. Accidit illo die ut ſermonis thema fuerit: *Diſpone domui tuæ, quia morieris*, cujus demonſtratio, exaggeratioque adeo juvenis pectus, licet duriſſimum, penetravit, ut jam non deriſor, ſed freqnens factus auditor, impedimenta omnia, & colligationes ſeculi procul fecerit, & poſt paucos dies, viſibilemque cum dæmone a bono propoſito retrahente colluctationem, ad Religionem Minorum, habitum conferente Bernardino, convolarit. Juvenis alter annos novem muteſcens, Epilecticus, bis in die comitiali hoc morbo in terram procidens, accepta bucella panis, quæ e menſa ſervi Dei ſupererat, ſtatim utroque malo liberatus eſt.

Multa in uno miracula.

XXII. Orantem in templo Cathedrali Bernardinum rogavit quidam Piſcator, ut reatus confeſſurum audiret. Fecit, abſolutumque admonuit, ut a mendaciis abſtineret. Diſceſſurum rogavit, ut ſummo mane die ſequenti piſcaretur in Ticini flumine, & quod primum caperet, ad ſe in illum locum deferret. Laxatis in capturam retibus, Piſcator extraxit infantulum, vultu difformem, ante aliquot dies a genitrice, ut peccatum celaret, illic projectum. Miſeratus ille infelicis ſortis infauſtæ prolis, ſub fabulo

bulo ſepeliit; jactiſque ſecundo retibus piſcem optimum apprehendit. Lætus in templum Bernardino tulit: ſed ille commoto vultu hominem aſpiciens: *an non*, inquit, *heri monui*, *rogavi*, *indixi*, *ne mentireris? hoc ne illud fortaſſe quod primum hodie prendidiſti?* veritus & reveritus Piſcator adeo ſcite reprehendentis virtutem, confeſſus eſt non piſcem, ſed infantulum a ſe illo loco ſepultum, primum obtigiſſe: *vade*, inquit Servus Dei, *& exhumatum afferto infantem*. Ubi confeſtim tulit, ſuper Altare collocavit Bernardinus, eaſque Deo & beatæ Virgini preces effudit, ut vivum receperit. Nihil immoratus ſacro intinxit baptiſmate, & paulo poſt placide ſpirantem, ſepultura donavit eo in templo, coram ſanctæ Annæ ſacello. Circumſtantes ad miraculi magnitudinem obſtupefactos hortatus, ut gratias coagerent Deo, qui non ſprevit neque deſpexit deprecationem pauperis, ſed exaudivit clamantem ad ſe, animamque putreſcenti reſtituit corpuſculo, ut ſacro renata baptiſmate, gloria potiretur æterna, Piſcatorem juſſit ut recta ad ſancti Jacobi Cœnobium iret, & ubi vento exufflante linteum, piſcis operimentum, decideret, domui proximæ munuſculum inferret. *Vide ſimile quid de B. Cherubin. Spoletan. tom. 14. an. 1484. n. 18.* Obſervato ſigno, ad pauperis fœminæ fores prope ſanctæ Mariæ in Pertica pulſavit, comperitque lecto decumbentem filium in diuturno gravique morbo, nihil tam cupiiſſe, quam piſcem. Quod matris pauperies tanto tempore non potuit, Dei providentia tunc per ſuum ſervum miniſtravit; majuſque inſuper addidit beneficium reſtitutæ ſalutis, ſtatim ubi miraculoſum edulium deguſtavit. Quanta & qualia hic congeſta miracula?

XXIII. Multis Ticini relictis ſanctitatis & doctrinæ veſtigiis, diſcedere oportuit prædicaturus Florentiæ ex Vicarii Generalis præcepto, in Comitiis Generalibus a nobis ſupra relatis. Jacobum ſocium male habentem conducturo, clam non licuit abire, unde ſequentibus civium turmis, & benedictionem ſingulatim expoſtulantibus oportuit impertiri. Illi memoriam poſteris relicturi ſalutiferæ Bernardini doctrinæ, & concionum, apud ſe cum tanto fructu habitarum, ſuggeſtum novum erexerunt in area minori Regiſolii prope Cathedralem Eccleſiam, ubi concionari ſolebat, illiuſque effigiem expreſſerunt, ſuperpoſitis capiti illis verbis, quæ frequenter repetebat & fervide conculcabat. *Nolite diligere mundum*. In itinere, cum Doſolum, Cremonenſis agri caſtrum, acceſſiſſet, & inſane tripudiantes conſpexiſſet: *Ceſſate*, inquit, *ab hac veſtra dementia*, *& irritamento malorum*, manumque in tibicinem extendens, graviter increpavit. *Doſoli concionatur.* Ille licet juvenis, robuſtæque virtutis, extemplo quievit, ſed tremula voce ſubjunxit: *an celebrandis nuptiis ſaltare non liceat?* idque noviter nupta, aliæque mulieres ſubdiderunt, quas idem pavor & tremor ad homuncionis vocem occupavit. Dum tamen Bernardinum ubique celeberrimum eſſe cognoverunt, ſummis precibus rogarunt, ut die ſequenti concionantem liceret audire. Congregatos ad auroram in multis inſtruxit, ſed in eo præſertim, quatenus nuptiæ ſecundum ritum Chriſtianum eſſent celebrandæ. Per Boniam & Pianorum occulte tranſiens, magno labore, fractiſque viribus Alpes ſuperavit, & Florentiolam pervenit, ubi in die Aſcenſionis prædicavit. *Florentiolæ.* A prandio iter acceleravit acceptis repetitis Vicarii litteris, ut quam primum appelleret.

XXIV. Ad caſtrum ſancti Laurentii ſemel concionatus, ut cujuſdam viri devotiſſimi, Minoritis addictiſſimi votis ſatisfaceret, ſanatoque ejus nepote epyleptico, in vigilia ſancti Bernardini Florentiam ingreditur. *Florentiæ iubetur ne prædicet.* Prædicaturo die ſequenti ſummo mane, ex Petri Medicæi, & Senatus conſulto intimatur, ne concionetur. Roganti Vicario, unde vel quare tam ſe-

ſeverum emanarit præceptum: reſponſum eſt, propter timorem commovendæ plebis, ex ore illius, qui veteres injurias indicti exilii fortaſſis refricaret, univerſim pendentis. Subridens Vicarius, inquit Bernardino: *vir magnus es, o fratercule, quem tantopere veretur Senatus Florentinus*! Cum vero nuncios Religioſos & Urbanos ad Petrum miſiſſet ſignificaturos, nihil a Bernardino metuendum, neque eum hominem eſſe, qui vindictam cupiat, aut ad dominium urbis aſpiret, permiſſum eſt, ut die ſequenti extra urbem in Fratrum Cœnobio, ubi coactum Capitulum, ſermonem haberet. Licet vero præterierit ſancti Bernardini feſtum, voluit Vicarius, ut de illius virtutibus & gloria ſermonem haberet, cumque ille obſequeretur, & inter dicendum adderet: *ecce jam rediit ad vos, veſter parvulus Bernardinus, quem probe noſtis Chriſtiana vos proſequi dilectione, quipþe denuo promittit ſe nullatenus a vobis ſeparandum*; admirabili tota concio geſtierat exultatione, neque a lacrymis potuit contineri.

Vide tom. 14. an. 1438. n. 10.

XXV. In die Pentecoſtes injunctum ei dicendi munus; ſed cum imbre multo accedere non poſſet populus ad ſancti Salvatoris Cœnobium, aliquanto remotum, nec permitteretur in Conventualium Eccleſia, ita curante Medicæo, intra urbem prædicare, ad ſancti Miniati Montis Oliveti Monachorum templum capaciſſimum, ſed in arduo colle extra urbem ſitum, ſtatuit ſermonem habere. Pulſata campana, nec continua pluvia, nec viæ difficultas, populum ab aſcenſu continuit, ſed omnium Ordinum viri turmatim accurrerunt, ne locus præriperetur. Cum ergo ne minimum quidem verbum tribus peractis concionibus de ſua feciſſet expulſione, murmurque in populo non modicum fieret, quia non permiſſum fuit eo die in urbe concionari; tamdem Mediceæ factionis ſagaciores ſuggeſſerunt Petro, nihil ab homine iſto timendum, occaſionemque nunc dari gratiæ cum populo ineundæ, ſi in urbe prædicare concederet. Ægre licet & timide, demum ille conſenſit, ſtatimque per urbem inſonuit magna omnium lætitia, die tertio Feltrenſem in foro prædicaturum. Inchoata Fratrum verſus Cathedralem Eccleſiam (uti moris eſt in Comitiis Generalibus) ſupplicatione, cum reliquis incedentem Bernardinum tanta circumſtetit turba, ut niſi ſex robuſti viri, baculis eum videndi & tangendi cupidos repuliſſent, comprimente populo, omnino per viam obrueretur. Tantus huic concioni populus affuit, ut numquam alias numeroſior fuerit: ſed nec forum ampliſſimum capiundæ multitudini ſufficiebat; per feneſtras, tectorum culmina, viri fœminæque aſcendebant, ut ſi verba promentem non audire, ſaltem geſtu & motibus ſuadentem conſpicere liceret. Peracta concione, cum viri Principes contactu & oſculo manuum gratias habuiſſent, majori cum diſcrimine propter comprimentem turbam, etſi adhibiti cuſtodes diligenter repellerent, remeavit.

Sed tidem permittitur ut concionetur.

XXVI. Sequentibus diebus multi parentes & conſanguinei illorum, qui conſenſerunt aut ſubſcripſerunt edicto expellendi e ſtatu Florentino Bernardinum, ad eum accedebant, veniam errati deprecantes, & rogantes, ut ſibi, filiis, univerſæque familiæ ignoſceret & benediceret, palam annunciantes multa mala ſuis accidiſſe, poſtquam iniquum illud emanavit Decretum: quibus ille pie benigneque, quod in ſe peccatum erat, condonavit, bona quæquæ illis illorumque familiis imprecatus. Eo ipſo tempore Florentiam venit vir Princeps Hiſpanus, Regum Catholicorum Legatus, de rebus Aragoniorum, & tumultibus, qui jam pullulabant in Italia, acturus, qui Bernardinum reverenter inviſit, ſerioque conſuluit circa periculoſa fœdera, quæ cum Gallo iciebantur, & demum rogavit inſtantiſſime, ut

in

in Hiſpaniam tranſmigrare vellet, illic ſacra doctrinæ ſemina certo cum fœnore ſparſurus. Cui ille ſumma animi demiſſione reſpondit, priora extra ſuam ſphæram eſſe: poſteriora ad Vicarium Generalem ſpectare, penes quem erat imperandi poteſtas.

XXVII. In Comitiis & ſecreto concilio Patrum propoſita quæſtione circa modum erigendi Montes Pietatis, Michael Aquenſis, abſque ulla mercede, ut omnis odioſæ, & injuſtæ uſuræ ſpecies tolleretur, mutuandam dicebat pecuniam, & Bernardinus ſolvendum obolum, vel ſextantum, aut bagatinum (nomina ſunt in gente illa denarioli tenuiſſimi pretii) per ſingulas libras in mercedem Officialium,& ſtipendium Gubernatorum aſſerebat. Speciosius & religioſius fatebatur Bernardinus fore, ſi abſque ullo penitus obolo & pretio mutuum daretur, libereque commodaretur pecunia, ſed pium opus & pauperum ſubſidium exiguo ſic duraturum tempore: *non enim, inquit, tantus eſt ardor hominum, ut Gubernatores & Officiales, Montium miniſterio neceſſarii, velint laborem hunc omnem gratis ſubire; quod ſi remunerandi ſint ex ſorte principali, vel ipſo depoſito, ſeu exili Montium ærario, brevi hoc exhaurietur, & commodum opportunumque iſtud pauperum refugium utique peribit*. Scrupulum porro omnem jam ubique remotum dicebat tum exemplo doctiſſimorum piiſſimorumque virorum Jacobi Piceni, Marci Bononienſis, Cherubini Spoletani, Marci de Monte ſanctæ Mariæ in Gallo, Michaelis Mediolanenſis, Antonii Vercellenſis, Fortunati Peruſini, auctoris celeberrimi conſulti *Civitas Florentina &c.* aliorumque, qui in plerisque Italiæ urbibus Montes ſic erexerunt; tum ſyngraphis ſapientiſſimorum virorum, & illuſtrium Academiarum Peruſinæ, Senenſis, Bononienſis, Papienſis & aliarum; tum demum, eaque potiſſima, confirmatione quatuor ſummorum Pontificum, Pii Paulique II, Sixti IV. & Innocentii VIII. *ſi quid vero diverſum*, inquit ad Patres conſcriptos, *vobis conſultius videtur, paratus ſum audire & docere*. Auditis diſcuſſiſque utrinque rationibus, Evangeliſta Peruſinus Vicarius Generalis; Franciſcus Contarenus, Joannes e Sigeſtro, Hieronymus Torniellus, Definitores; Angelus a Clavaſio, Ludovicus a Turre, præcipui Ordinis Patres decreverunt Bernardini normam tenendam; at vero circa eos qui aliter inſtituti erant, Montes diſſimulandum.

Controvertitur circa modũ erigendi Montes Pietatis.

XXVIII. Solaturus Sorores ſuas Clariſſas Monaſterii Monticelli a ſancta Clara fundati, unam aut alteram habuit illic concionem, præmiumque ſibi cariſſimum retulit, tunicæ ſancti Franciſci ibidem repoſitæ mediocre ſegmentum. Neque Xenodochii ſanctæ Mariæ novæ infirmis & Miniſtris prædicare dedignatus eſt, quibus dum concordiam, alternumque ſuaſit amorem, ut ſua utrique ſervarent officia, ſacete dixit, unicuique tradendum ſuum libellum, per quem paucis verbis apprehenderet, quidquid ad ſuum munus ſpectaret. Infirmorum libris hæc ſola inſcribenda: *Patientia, Patientia, Patientia*; Miniſtrorum iſta: *Caritas, Caritas, Caritas*, atque ita unicuique ſui libri curam habendam, ut alterius non legat: *Si enim*, ajebat, *æger dicat querulus Miniſtro, ubi eſt caritas tua? & ipſe patientiæ obliviſcatur; aut ſi Miniſter moleſto importunoque infirmo improperet, dicens: ubi eſt patientia tua? & non recordetur caritatis, quam erga ægrum debet exercere, erunt ſicuti pueri, qui dum lectionem ſuam in proprio libro debent legere, alternos verſant libellos, nec lectionis rationem Magiſtro exhibent, & ſcutica vapulant. Unicuique proinde ſuum librum committimus legendum, ut æger patienter ferat Miniſtri defectus, & Miniſter omnem exerceat circa infirmos caritatem*. Ita grata hæc inſtructio fuit Xeno-

Doctrina valde appoſita pro infirmis, eorumque Miniſtris.

dochii Rectoribus, ut in Bernardini memoriam unicuique cubili binas tabulas ita inſcriptas, quarum unam æger, alteram Miniſter legat, appendi curaverint.

A multis urbibus expetitur.

XXIX. Venerant hoc tempore ex primariis Italiæ urbibus tum litteræ, tum Nuncii ad Vicarium Generalem, ut ſibi concederetur per dies aliquot Bernardinum audire. Quædam inſtabant pro Adventu, aliæ pro ſequentis anni Quadrageſima. Tot circumdatus nunciis, pulſatuſque petitionibus Vicarius, quo ſe verteret, neſciebat; dicebatque Bernardinum ſolum tot populorum, Provinciarum, Principumque poſtulationibus plus ei cogitationum anguſtiarumque advehere, quam reliquos ſibi ſubditos Prædicatores. In eam tandem itum eſt ſententiam, ut Brixienſibus pro Adventu; Mediolanenſibus pro Quadrageſima; Ravennatibus & Faventinis per quindecim dies; per octo aut decem Aretinis, Peruſinis, Aſſiſiatibus, Spoletinis, Civitati caſtelli concederetur. Meſſauenſibus, Panormitanis, aliiſque Siculis urbibus reſponſum, hoc anno non ſupereſſe tempus transfretandi. Repulſam paſſa pro Quadrageſima urbs Vincentiæ, vinci neſcia, vel repulſæ impatiens, recurrit ad ſummum Pontificem, qui Vicarii Generalis juſſa revocavit. Interim Bernardinus ſingulis diebus Florentiæ prædicabat; ſed inde gravamen ſenſit Conventus ſancti Salvatoris, remanentibus centenariis Fratribus etiam poſt ſoluta Comitia, quos inſatiabilis inceſſit cupido hominem quotidie audiendi. In die ſolemnitatis Corporis Chriſti prædicavit in capaciſſimo templo ſanctæ Crucis, incapaci tamen tantæ multitudinis ad concionem concurrentis.

Abit Aretium.

XXX. Juſſus quamprimum Aretium proficiſci, ut tumultuantem populum compeſceret, clam pro more ſuo Florentia diſceſſit; inſecuti ſunt attamen multi Nobiles, Doctores, & viri Religioſi, qui Figinum uſque reluctantem aſſociaverunt. Atqui hujus oppidi viri obviam proceſſerunt, & cum jubilo exceperunt. Sermonem habuit in templo ſancti Franciſci, & poſt prandium abiit ad caſtrum ſancti Joannis; remanſit tamen apud ſuos Conſodales extra in monte poſitos, ubi per biduum populum turmatim accedentem edocuit. Illuc ſupervenerunt quidam Piſanæ Academiæ Profeſſor cum duobus Minoritis a Florentinis miſſi rogatum ut rediret; inſtabat enim ſancti Joannis Baptiſtæ Nativitas, quam illi ſolemniſſimo apparatu ſingulis annis per dies octo ſolent celebrare. Quibus ille; imperatum ſibi ad Aretinos pergere, non ad Florentinos redire. At illi: *Et hoc jubebit ſuperior*. *Dum*, inquit vir Dei, *non juſſerit*, *quod jam juſſit*, *complebo*; nulloque expectato reſponſo Aretium perrexit. In itinere hærere oportuit ad Pontem-Levanum, unde, dum noctu diſcedere ſtatueret ſub noctis medium, excubabant præforibus viri pluſquam quadringenti, rem ſacram verbumque Divinum audituri. Ita ſe præoccupatum conſpiciens, ante auroræ crepuſculum rem ſacram peregit, verſoque ad Altare dorſo, integræ horæ concionem abſolvit.

Florentiam redit.

XXXI. Aretium ipſo illo mane appulit prodeuntibus obviam Civibus, qui in palatium Magiſtratus conducere volebant; ſed ille ad ſuos Conſodales humiliter divertit, apud quos, dum paululum ab itineris moleſtia reſpiraret, ad concionem vocavit. Avide convenerunt omnes Ordines, quibus ille, aſſumpto themate: *Vigilate*, *neſcitis diem neque horam*, pacem commendavit, & diſcordiæ damna numeravit. Altera concione perſuaſit, ut veteres inimicitias, ſævaque odia, urbem ad interitum impellentia deponerent. Interim latæ Vicarii Generalis litteræ, miſſique duo nobiles Florentini, ut rediret. Tertia tantum peracta concione, obſequendum erat,

erat, lacrymantibus in ejus receſſu Aretinis. Ad vicum Laterinæ convolantibus ex agro ruſticis & meſſoribus, qui falces inter ſegetes reliquerant, ſola interula contectis, humaniſſime prædicavit, accommodato ad eorum vitam & miniſterium ſermone. Similiter fecit in caſtellis Varci & Inciſæ; demum multo labore & inedia calcato Apennini jugo (numquam enim voluit in comitatu, qui pecunias expenderet, neque præcurſores, qui menſam pararent, ſat ſua pauperie contentus) Florentiam regreſſus eſt, geſtiente populo univerſo.

XXXII. In ipſa feſtivitate ſancti Joannis Baptiſtæ, ad ſanctæ Reparatæ ſermones exorſus, a viris prudentibus & piis admonitus, ea in urbe nova collegia Vaticinantium, peregrinos mores, ſuperſtitioſa viſionum & revelationum figmenta, ſub Religioſi cujuſdam viri patrocinio pullulaſſe, judicavit maturum adhibendum eſſe remedium. Compertum quidem eſt, quod mulieres multæ, eæque præcipuæ, omiſſa vita activa, ut contemplationibus intenderent, & viſiones viderent, domeſtica negligebant negotia, conjugiorum officia fraudabant, Chriſti corpori ſingulo quoquo die communicabant, & tamen plurimæ illarum domi erant moleſtæ, diſcolæ, ſuperbæ, ſibi invicem invidentes, viſioneſque ſuas alienis præferentes. Statuit itaque Vir Dei dæmoniacam hanc fraudem, & palliatum vitium ad vivum uſque, ſed caute, ne auctorem taxaret, reſecare. Sub octavam ſancti Joannis, dum verba illa: *Etenim manus Domini erat cum illo*, expoſuiſſet, & manum Domini, auxilium ſpiritumque dixiſſet Divinum, & propterea Joannem dæmonis fucatas artes larvatamque virtutis ſpeciem procul feciſſe, deſcendit ad diſcretionem ſpirituum: *Quædam*, inquit, *ſpirituum genera bona ſunt, placida, humilia, nihil a ſacra Scriptura, Diviniſque præceptis diſcrepantia: qui hoc ſpiritu aguntur, ſunt pacifici, mites, minime ſuſpicaces, minime turbulenti, non gloriabundi, non moleſti, interneque lætantur in Deo ſalutari ſuo. Alia ſunt ſpirituum genera mala, a dæmone immiſſa, quæ mentem turbant, inflant, ab initiis bonis ad vitia manifeſta declinant, a Divinis documentis ſenſim abducunt. Quæ ab his oriuntur viſiones, obſcuræ ſunt, ambagibus involutæ; non docentes, ſed confundentes; non conſolantes, ſed mæſtitia propter obſcuritatem replentes. Si te hujuſmodi revelationes humiliorem, pacatiorem, mitiorem & ſanioris reddant judicii; ſi magis pium, ſi Divinorum præceptorum faciunt obſervantiorem, a Spiritu ſancto ſunt, maxime ſi non concupitæ, vaniſque artibus acquiſitæ comperiuntur. Spiritus enim bonus & vere humilis ſe hiſce viſionibus indignum reputat: mihi credite, ſuperbiſſimus eſt, qui hujuſmodi affectat revelationes. Quapropter ſi qui veſtrum has ſe habere gloriantur, caveant, ne dum Divino ſpiritu afflati ſibi videntur, a Pithonico in varios craſſoſque errores abducantur*. Prudenti hac inſtructione multi viſiones imaginationeſque ſuas ſcriptis exaratas Viro Dei attulerunt, inter quas, & illa apud eos celebris, futurum ſcilicet ut ille ſuus præceptor novam ſacræ Scripturæ expoſitionem, præteritis quibuſque veriorem & puriorem exhibeat.

Ubi periculoſas doctrinas profligat.

Et diſcretionem explicat ſpirituum.

XXXIII. Rogatus ut hora pomeridiana ſacras Virgines recluſas doceret, annuit, occluſis tamen templi foribus, præſentibuſque dumtaxat iis, qui curam agebant Monaſterii, dicens ſacrorum hominum mulierumque peccata, aut negligentias coram populo non eſſe redarguendas. Remotis igitur arbitris, præter ſuperiores & confeſſarios, de obedientia, paupertate, humilitate, mutua caritate, de clauſuræ meritis & fructu ratiocinatus, molles fractoſque cantus, & modulaminis lenocinia graviter reprehendit; aliena dicens a Divinis laudibus; ad voluptatem potius accedere, & libi-

dini ancillari. In die ſancti Pauli, accepta ab ejus gladio de juſtitia diſſerendi occaſione, multam celeremque Dei vindictam Civitati dixit imminenere, propter male adminiſtratam juſtitiam, nimis familiare cum Hebræis commercium, toleratasque publicas uſuras manifeſto pauperum exitio. Sibi porro alias eorum cauſa indictum exilium, in quos tamquam in fidei Chriſtianæ perpetuos juratoſque hoſtes dixit, quæ neceſſaria judicavit urbis honori pauperumque remedio. Et ſub ſermonis finem civibus tenere valedixit, prædicens, quod non eſſent amplius faciem ejus viſuri.

Pergit Peruſium.

XXXIV. Dum hæc Florentiæ aguntur, ab urbibus ſexdecim per litteras & Nuncios expetitur, juſſit tamen Vicarius Generalis ut Peruſium, inde Aſſiſium iret, gentem illam miſere diſciſſam pacificaturus. Eo die, quo Florentia diſceſſit, oportuit hærere propter multorum civium preces prope urbem ad templum ſanctæ Mariæ Improvetæ, celeberrima Virginis imagine notiſſimum, ibique ſequenti die prædicare frequentiſſimo populo, qui illuc ex urbe confluxerat. A prandio ad ſancti Caſſiani oppidum perrexit, ubi inter concionandum, rupta pectoris vena, ſanguinem expuit abunde. Senas ductus, per dies quindecim ab omni opere ceſſavit medicorum conſilio, cibo uſus tenuiſſimo. Sparſa per multas partes opinione illum e vivis abiiſſe, dixit: *Sæpe pereo, falſo tamen rumore, ſed dico vobis, cito verum erit, quod nunc dicunt, nec creditur:* præmiſitque Aſſiſium Jacobum ſodalem melius habentem, ut moræ cauſam nunciaret. Adveniente autem die Aſſumptionis glorioſæ Virginis, cui urbs illa ſe profitetur devotiſſimam, ſenſit ſolidari vocem, pectuſque firmari, unde ſe duci permiſit civium precibus, ut illo die prædicaret, audiente Franciſco Cardinale Piccolomineo Archiepiſcopo Senenſi, populoque univerſo. Altero etiam die, rogante eodem Cardinale, cum prædicaſſet, & abire tentaſſet, detentus eſt a Cardinale, qui viſum ivit in Conventum, multiſque horis colloquium protraxit, conſcientiæ ſuæ pandens arcana, & gratias agens pro beneficiis in eam urbem collatis, relatis inſuper, quæ Peruſii Vir Dei patrarat, dum ipſe per illam regionem Legati fungeretur officio.

Rupta pectoris vena ceſſat a cōcione.

Invehitur acriter in odia cruentaſque inimicitias.

XXXV. Illinc valde diluculo digreſſus, Peruſium abiit, ubi Divino protegente & movente ſpiritu, afflictum humiliatumque populum conſolatus, frequenter in vitam tyrannicam, odia, homicidia, invehebatur, introducta ſemper aliqua veterum tyrannorum perſona, modo Domitiani, Neronis, Leonis, & Zenonis Iſauricorum, Juliani Apoſtatæ, modo Dionyſii Siculi, modo Phalaridis increpata tyrannide, damnata vita ſemper anxia, ſemper meticuloſa: Guido Ballionus præcipuæ factionis caput, ut ſua præſentia a dicendo terreret, ſemper e regione ſuggeſti ſedebat: ſed tantum abfuit, ut perturbaret, ut potius Bernardinus fixis in eum oculis impavide tyrannidis damna, miſeraſque explicaret ſequelas. Et quidem tyrannus anxius, cogitabundus, toto pallens ore, aliquando e concione regrediens, dum a ſuis conſectariis moneretur, Prædicatorem nimium licentioſe per iſta excurrere: reſpondit, plane verum eſſe, quod dicebat: *Ab expulſis*, inquit, *Oddis, eorumque partiariis etſi habeam quod minus timeam, habeo tamen quod animam magis inficiet*. Videns demum Bernardinus ſe omnem ſuam operam apud gentem, in malis obſtinatiſſimam prodigere, multa flagella, quæ poſtea contigere, in ſpiritu vehementi minatus, Aſſiſium perrexit.

Idque ipſum facit Aſſiſii.

XXXVI. Urbem hanc iiſdem furiis agitatam & in ferales partes miſere diſciſſam invenit. In tantam enim gens illa devenit inſaniam, ut cum civium corpora eorum crudelitati non ſufficerent, etiam Sanctorum templis

bella

bella indixerint; ſancti Franciſci Baſilicæ portas incenderunt, ut templi refugas in ipſis ſacris laribus occiderent, aliiſque in templis in alternas neces gladios diſtrinxerunt. Hic etiam cum parum proficeret, multis terrificis concionibus impendentia mala prædixit, & in poſtrema flevit amare, dicens illorum ſe conſpicere ruinam, neque ſanctum Franciſcum, quem graviſſime offenderant, amplius pro illis interceſſurum, neque Deum exauditurum in ſummis calamitatibus conſtituendos, qui nunc Dei vocem per ejus Miniſtrum intonantem contemnunt. Ceterum ſæpe ſed fruſtra tentatis illorum animis, Spoletum acceſſit, ubi cum ea, quæ alias inſtituerat ad unguem obſervari, gentem pacifice vivere, leges tenere perſpexiſſet, collaudatam tribus concionibus amplius in bono confirmavit. Aſſiſium reverſus, alio in ſancti Franciſci ſolemnitate habito ſermone, in malis obduratum ſentiens populum, Eugubium profectus eſt. Hic populum laudavit, quod in iis, quæ ſibi obſervare promiſerat, firmiter perſeveraret; & Pietatis Monte aucto, per Candianum, ubi ſemel, & Urbinum ubi ſecundo coram Duce prædicavit, ad Montem Florum progreſſus, egit ut pellerentur Hebræi duo, unus Patavio ejectus, alter Ravennas, qui paucis diebus præcipua regionis illius pignora ad ſe pertraxerunt.

Spoletum proficiſcitur.

Inde Eugubium.

Multas alias urbes percurrit.

XXXVII. Arimini & Ravennæ, quæ illum magna exceperunt lætitia, nihil actum memorabile, niſi quod Ariminenſes docuerit coercendam nimiam Judæorum & Maranorum illic excreſcentium licentiam, & Ravennatibus ſuorum documentorum obſervatoribus, multa bona imprecatus ſit, auctum videns Montem Pietatis, & numerum Confratrum ſodalitatis ſanctiſſimi Sacramenti, a ſe olim inſtitutæ. Id ipſum fecit Faventiæ, ſibi addictiſſimæ, ab illo tempore quo illic prædicavit, pacatiſſimæ. Ferrariæ una peracta concione in Eccleſia Cathedrali, & Duciſſæ declinato colloquio, Mantuam venit, ubi ter concionatus, Brixiam, juxta Vicarii Generalis præceptum abiit, in Adventu prædicaturus. In itinere prædicavit ad Caſtilionem Stivereum ſub auroram, ex vicino enim agro in templum convenit ingens noctu multitudo. Brixiæ multa bona operatus eſt, mores correxit, abuſus ſuſtulit, palliolum pretioſum, indecorum mulierum habitum, quod ſola læva virili more laſcive geſtabant, etiam perorante pro mulieribus Comite Petro de Gambara, viro præcipuo, dimitti, carceres diſtinctos fœminis deputari (promiſcue enim utriuſque ſexus Rei ſub una tenebantur cuſtodia) uxorum dotes, quas mariti profundebant, integras fecit reſervari. Depoſitis odiis pacem induxit, urbemque ab imminenti ruina liberavit. Jactis enim in Concilio magno periculoſis diſcordiæ fundamentis, hora noctis ſecunda, portis urbis jam clauſis, mane ſequenti de ſeditione civili, ejuſque initiis & damnis cum luculenter & copioſe diſſeruiſſet, Avogrados, & Martinengos ad arma paratos, totamque Civitatem ad rixam trahentes, ad concordiam revocavit.

Brixienſibus multa præſtitit beneficia.

XXXVIII. Auxit ejus æſtimationem, ut hæc omnia poſſet facilius, vitæ ſanctitas, etiam miraculo comprobata. Habitabat apud ſuos Conſodales ad ſancti Rochi, novum extra urbem domicilium, unde quotidie per frigora & nives concionatum veniebat ad ſancti Joannis Canonicorum Regularium templum, quod cives & Epiſcopus, ut commodius audiretur, Cathedrali prætulerunt. Ad prædictam ſancti Rochi ædem mulier quædam puerum pede veluti pumice fiſtuloſo laborantem, ulceribus per ſeptennium inveteratis, cura per chyrurgos deſperata, portavit, rogavitque ut filii & genitricis Vir Dei miſereretur. Pietate motus, miſello benedixit, monuitque ut ſingulis diebus Coronam Mariæ Virginis recitaret, & matri injunxit, ut inter me-

medendum Jeſu nomen invocaret, *quo fiet*, inquit, *ut brevi recuperet ſanitatem*. Dum ita faciunt, fiſtulæ omnes recluduntur, & pes infra paucos dies conſolidatur. His pietatis virtutumque operibus intentus, Brixiæ permanſit uſque ad ſequentis anni principium. Quid ab illo tempore ad mortem uſque peregerit, a diſceſſu Brixienſi dicere tunc auſpicabimur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Petruccius Senenſis. *Cimar. l. 5. c. 41.* *Pollinar. in Chronic. MSS. Prov. Tuſciæ.* Fr. Petrus Ludovici Latinus.

,, XXXIX. Iſto anno diſceſſit ab hoc ſeculo Petruccius Senenſis, ſancti
,, Bernardini ſui conterranei diſcipulus, vir adeo bonus & candidus, ut
,, verus diceretur Iſraelita, in quo dolus non erat, neque malitia. Per-
,, petuus & conſtans in Obſervantia ſuæ Regulæ, & diſciplinæ a ſuo præce-
,, ptore traditæ, in ſenectute bona ſepultus eſt in Conventu Capriolæ, &
,, ſacello ſancti Antonii inter pios illos viros, qui eo in loco curſum feli-
,, citer conſummarunt. Illi adjacet Petrus Ludovici Latinus, eadem urbe
,, oriundus, humilitate, jejunio, oratione, corporis maceratione admi-
,, randus. Ter Vicarius electus Obſervantum provinciæ Etruriæ, ſumma
,, caritate & prudentia regimen peregit, annis undecim bonis propitius,
,, malis ſeverus. Tamquam ſi oleum eſſet effuſum, tantam virtutum ſua-
,, rum emittebat fragrantiam, ut illum adeſſe vel paulo antea receſſiſſe, om-
,, nes ex odore perſentirent. Inter Senas & Capriolam obvium leproſum
,, frigore contremiſcentem ſua veſtivit tunica, eoque indumento ſtatim
,, ille mundatus eſt.

Fr. Andreas Faventinus erigit Cremonæ Montem Pietatis.

,, XL. In urbe Cremonenſi prædicavit hoc anno in Eccleſia Cathe-
,, drali frater Andreas Faventinus magna cum laude, ſualitque erigi in illa
,, Civitate *Montem Frumenti Pietatis*, dicatum beatæ Mariæ Virgini, ex
,, quo ſubveniri poſſet neceſſitatibus pauperum illius urbis, & diſtrictus.
,, Sed cum ſtatueret ſolvi debere pro ſuſtentatione Miniſtrorum, aliiſque
,, neceſſariis expenſis Montis per ſingulos annos denarios tres Imperiales
,, pro quolibet Sextario, donec reſtitueretur: hinc orta Controverſia,
,, diſputatum eſt acriter inter Franciſcanos, & Dominicanos, an licita erat
,, hujuſmodi Montis erectio: de quo dubio paulo ſuperius monuimus.
,, Tandem Vicarius Generalis Aſcanii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Cardi-
,, nalis Diaconi, Bononiæ Legati, & Eccleſiæ Cremonenſis Adminiſtra-
,, toris perpetui, hac prolata ſententia litem diremit.

IN CHRISTI NOMINE. Amen.

Ex autographo.

,, *ANno ab Incarnatione ejuſdem* MCCCCXCIII. *Indictione* XII., *die*
,, *Mercurii* XVIII. *menſis Septembris in Civitate Cremonæ in Epiſco-*
,, *pali Palatio dictæ Civitatis in Sala Rubea dicta Epiſcopalis Palatii, præ-*
,, *ſente pro eiſdem Notario Andrea de multis denariis Notario de Cremona,*
,, *ſe huic Inſtrumento ad confirmandum ſubſcripturo, etiam rogato de infra-*
,, *ſcriptis omnibus poſtea debere publicum conficere Inſtrumentum, & præ-*
,, *ſentibus venerabilibus Viris Domino Roberto de Patrino, Domino Ale-*
,, *xandro de Regacils, & Domino Matthæo de Dulvaſſiribus, presbyteris*
,, *Cremonenſibus, ſpectabili viro Domino Dominico de Conbarero Referen-*
,, *dario, necnon nobilibus viris Domino Euberto & Joanne Antonio de*
,, *ſummo, Benedicto de Jodris, Franciſco quondam Domini Raphaelis de la*
,, *Foſſa, Joanne de Sfondratis Cancellario Civitatis Cremonen. Ludovico de*
,, *Sfondratis, Petro de Pedruzanis, Antonio de Pariſiis, omnibus Civibus*
,, *Cremonen. teſtibus notis & idoneis ad hoc ſpecialiter vocatis & rogatis,*
,, *qui ibi dixerunt ſeſe cognoſcere infraſcriptum Reverendum Dominum Ja-*
,, *cobum Vicarium infraſcriptum. Cum ſit quod jam pluribus diebus elapſis.*

Re-

„ *Reverendus Pater D. frater Andreas Faventinus Ordinis ſancti Franciſci*
„ *de Obſervantia, devotiſſime maximaque cum caritate prædicaverit in*
„ *Cathedrali Eccleſia Cremonen. &, Altiſſimo concedente, erexerit in prædicta*
„ *Civitate Cremonæ Montem Frnmenti Pietatis dicatum glorioſiſſimæ Vir-*
„ *gini Mariæ, ad utilitatem pauperum tam Civitatis prædictæ, quam di-*
„ *ſtrictns ejaſdem, & in ipſis prædicationibns ipſe D. frater Andreas expo-*
„ *ſuerit & dixerit, quod ut Mons antedictus manuteneri poſſet & valeret,*
„ *& de eodem nihil diminueretur, bonum & utile eſſet, qaod pro quolibet*
„ *Sextario dicti frnmenti acciperentur ſeu exigerentur denarii tres Imperia-*
„ *les in anno pro Sextarii reſtitutione, nt de eis ſatisfieri poſſet & deberet*
„ *Mercenariis, ſen Officialibus eligendis ad curam & regimen Montis præ-*
„ *dicti, pro eorum mercede & labore, & aliis expenſis neceſſariis occurren-*
„ *tibus dicto Monti; & quod ipſi denarii tres poterant accipi & exigi ſine*
„ *aliqua labe uſuraria, & ex prædictis tribus denariis inſurrexerunt contra*
„ *dictum fratrem Andream aliqni ex Fratribus ſancti Dominici de Obſer-*
„ *vantia, reſidentes in Conventu Cremonæ, & propoſuerint quod accipien-*
„ *do ipſos tres denarios pro qnolibet Sextario, erat contractns fæneratitius,*
„ *& qaod exigi ſeu accipi non poterant, ſine onere conſcientiæ, & ex*
„ *hoc diſpntatum fuerit per dictos Fratres ſancti Dominici, & dictum*
„ *D. fratrem Andream in prædicta Cathedrali Eccleſia Cremonæ coram*
„ *Reverendo & ſapiente J. U. Doctore Domino Jacobo Marentio, Reveren-*
„ *diſſimi in Chriſto Patris, & Illuſtriſſimi D. Domini Aſcanii Mariæ, mi-*
„ *ſeratione Divina ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis Sfor-*
„ *tiæ Vicecomitis, Vice-Cancellarii Apoſtolici, Bononiæ item Legati, nec-*
„ *non Epiſcopatus, & Eccleſiæ Cremonen. Adminiſtratoris perpetui, Vica-*
„ *rio Generali, & tamdem res ipſa indeciſa remanſerit. Idcirco præfatus*
„ *Reverendus, & ſapiens J. U. Doctor Dominus Jacobus Marentius Vica-*
„ *rius antedictus ſedens pro Tribunali loco ſupraſcripto, ſnper quadam Ca-*
„ *thedra ibidem poſita: quem locnm, & quam Cathedram, qnantum eſt pro*
„ *infraſcriptis omnibus, ipſe D. Vicarius ſibi prius & ante omnia elegit,*
„ *& eligit pro ſuis congruo & idoneo Tribunali & loco, volens, ut tenetur*
„ *ex debito officii ſui Vicariatus, prædicta dubia diſputata & non deciſa ad*
„ *puram & meram veritatem reducere & declarare, & erroneas opinio-*
„ *nes claras & lucidas reddere: viſis prins per eum concluſionibus adductis*
„ *per dictos Fratres Ordinis prædicti ſancti Dominici contra prædicta per*
„ *eumdem Dominum fratrem Andream in prædictis ſuis prædicationibus*
„ *propoſita & publicata, ſeu prædicata, reſponſionibus per eumdem Domi-*
„ *num fratrem Andream prædicatorem antedictum, & certos alios Fratres*
„ *ejuſdem Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia in diſputatione prædicta*
„ *factis & allatis contra ipſas Concluſiones, necnon replicationibus factis*
„ *per eoſdem Fratres Prædicatores ſancti Dominici, litteris Apoſtolicis pro*
„ *nunc quondam per ſanctiſſimum Dominum noſtrum, Dominum Innocentium*
„ *Papam VIII. conceſſis & indnltis, ad ſnpplicationem Commnnitatis Ci-*
„ *vium Civitatis Parmæ Monti Pietatis in dicta Civitate Parmæ erecto,*
„ *cum ampliſſima poteſtate & facnltate exigendi ſeu accipiendi denarios*
„ *duos pro qualibet libra, pro mercede & labore deputatorum ſeu Officia-*
„ *lium per ipſam Communitatem eligendorum ad curam & regimen Montis*
„ *prædicti, & aliis expenſis neceſſariis occurrentibus Monte prædicto, per*
„ *præfatum Dominum Vicarium originaliter, & in publicam formam lectis:*
„ *viſis etiam pluribus conſiliis per quamplures excellentiſſimos Doctores il-*
„ *luſtrium Collegiorum Civitatum Peruſii, Paduæ, & Placentiæ ſuper hu-*
juſ-

,, *juſmodi exactionibus factis, & ſigillis Doctorum Collegiorum ſigillatis, &*
,, *per eos ſubſcriptis: participato quoque per ipſum Dominum Vicarium de*
,, *& pro prædictis omnibus & ſingulis in prædictis litteris Apoſtolicis præ-*
,, *dicto Monti Civitatis Parmæ antedictæ conceſſis, ut ſupra, cum illuſtri*
,, *Collegio Dominorum Juriſtarum Civitatis Cremonen. qui unanimiter,*
,, *& eorum nemine diſcrepante affirmaverunt, prædictam exactionem dicto-*
,, *rum trium denariorum recipi poſſe pro quolibet Sextario, ſtantibus ſupra-*
,, *dictis litteris Apoſtolicis prædicto exiſtenti Civitatis Parmæ conceſſis, prout*
,, *ſupra: qui etiam conſilia ſupradicta affirmaverunt, & ſigillo dicti eorum*
,, *Collegii munierunt, & ceteris circa hoc negotium dicendis, & ſuper ipſis*
,, *matura deliberatione præhabita, Dei, & glorioſæ Virginis Nominibus*
,, *invocatis, ſedentes pro Tribunali, ut ſupra; nam ubi periculum majus*
,, *intenditur, ibi procul dubio eſt cautius, & plenius conſulendum, & ut*
,, *animarum periculis obvietur: ideo dixit, ſententiavit, declaravit, pro-*
,, *nuntiavit, & terminavit in hunc modum, & prout infra, videlicet.*
,, *Quia per hanc ejus ſententiam definitivam ad declarandum meram verita-*
,, *tem, & tollendum omnem ambiguitatem & dubietatem ex cordibus pu-*
,, *ſillorum, & ad evitandum animarum periculum, dixit, declaravit, ſen-*
,, *tentiavit, & jure prævio pronuntiavit, & terminavit poſſe, & jure, &*
,, *abſque aliquo peccato & labe uſuraria exigi & accipi prædictos tres dena-*
,, *rios pro quolibet Sextario, pro labore & mercede ſervientium Monti præ-*
,, *dictæ magnificæ Communitatis Cremonæ, & aliis neceſſariis expenſis ei-*
,, *dem Monti occurrentibus. Quam quidem declarationem, ſententiam, pro-*
,, *nunciationem, & terminationem idem D. Vicarius mandavit ab omnibus*
,, *Chriſtifidelibus, & tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus obſervari debere,*
,, *& eidem in aliqua ſui parte non opponi, nec contradici publice vel occulte,*
,, *directe vel indirecte, nec alio quovis quæſito colore, & nec contra prædi-*
,, *ctas litteras Apoſtolicas, de quibus ſupra fit mentio, prædicare, nec aliis*
,, *quibuſcumque perſuadere, ut dicto Monti eleemoſynam non impendant, &*
,, *hoc ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omni Canonica monitio-*
,, *ne præmiſſa, a qua abſolvi non poſſint, niſi per prælibatum Reverendiſſi-*
,, *mum Dominum Dominum Adminiſtratorem, vel ipſum Dominum Vica-*
,, *rium, & ejus ſucceſſores. Et ita dixit, ſententiavit, pronunciavit, decla-*
,, *ravit, & terminavit in omnibus, & per omnia prout ſupra, officio &*
,, *auctoritate ſibi per prælibatum Reverendiſſimum Dominum Adminiſtrato-*
,, *rem commiſſis, in omni modo & forma, quibus, & prout melius potuit &*
,, *poteſt, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & prælibatæ glorioſiſſimæ*
,, *Virginis Mariæ, totiuſque Curiæ cœleſtis triumphantis. De quibus omni-*
,, *bus, & ſingulis ſupraſcriptis præfatus Dominus Jacobus Vicarius antedi-*
,, *ctus mandavit fieri debere unum, & plura publica inſtrumenta per me*
,, *Joannem Petrum de Crottis Notarium infraſcriptum cum appenſione ſui*
,, *impreſſi ſigilli in fidem & teſtimonium præmiſſorum.*

Frat. Benedictus Archiep. Trajanopolitanus. Fr. Anton. Epiſc. Acernen.

XLI. Hos invenio hujus anni Antiſtites: Trajanopolitanum Archiepiſcopum in Thracia, Benedictum de Zegedino per obitum Ladislai, IV. Nonas Januarii. Acernenſem in regno Neapolitano, ſub Archiep. Salernitano, Antonium de Cuccaro, translatum a Montiſmarani Epiſcopatu, per translationem Menelai ad Archiepiſcopatum Surentinum, XIV. Kalend. Aprilis. Multa ille beneficia huic præſtitit Eccleſiæ, & ſancti Petri Montiſcorvini Presbyterium fecit, organa & multa paramenta: *Pater pauperum* dictus, vitam vixit ſanctiſſimam. Etiam ſub annum MDX. Eccleſiam hanc rexiſſe refertur, & poſt multos ab obitu annos, integrum ejus corpus fuiſſe re-

repertum. Thephelicienſem in Media, ſub Archiepiſcopo Voſpren. Albertum Engel, per obitum Joannis, XIII. Kalend. Maii. Factus eſt ſuffraganeus Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis. Majonenſem in Hibernia, ſub Archiepiſc. Tuamenſi, Joannem Bel, per obitum Odonis, pridie Nonas Novembris. Viros etiam dotibus aut doctrina claros; Chriſtophorum Stordou, Friderico Imperatori, & Uladislao Regi Hungariæ & Boemiæ gratiſſimum, & propter res bene prudenterque in eorum obſequiis adminiſtratas, in pretio habitum. Matthæum Perotta, virum gravem & doctum, Ferdinandi Siciliæ Regis Sacellanum. Nicolaum Craſſellum Patavinum, Doctoratu inſignitum, antequam inter Obſervantinos initiaretur, cujus Opuſculum de gradibus conſanguinitatis ſe vidiſſe narrat Bernardinus Scardeonius, aliumque adjunxit Nicolaum Craſſetum, quem ego reputo eumdem, corrupto ſolum cognomine. Tertium enumerat Ludovicum a Flumine, ſeu Bagelardum Conventualem, eximium Philoſophum & Theologum, Pariſiis ad Magiſterii honorem promotum, Patavii publicum Theologiæ profeſſorem. Doctrina, moribus, prudentia & pietate inſignis, creatus eſt provinciæ ſancti Antonii Miniſter. Magna cum laude uſque ad vitæ terminum Dei verbum edocuit. Defuncto ante januam chori in tabula marmorea appoſitum eſt hoc epitaphium.

Fr. Albert. Epiſc. Thephelicien.
Fr. Joan. Majonenſis.
Fr. Chriſtophor. Stordou.
Fr. Matthæus Perotta.
Frater Nicolaus Craſſellus.
Scardeon. lib. 2. claſſe 7. fol. 151.
Fr. Ludovicus a Flumine.

Relligio quem flet Fratrum veneranda Minorum,
Fluminis a clara Ludovicum ſtirpe creatum,
Regalis Patavi clauſit mors ultima rerum,
Hunc jam majorem provincia tota Miniſtrum:
Pariſii civitas Sophiæ quem ſacra Magiſtrum,
Fecerat: hoc buſto corpus, mens ſiſtit in aſtris.

XLII. Bernardinus Caymus, de quo ſæpe alias diximus, poſtquam ſacra Paleſtinæ loca peragraſſet, & domus Hieroſolymitanæ, uti quibuſdam placet, Guardianum egiſſet, ſummopere cupiens locum invenire Chriſti vitæ præcipuis myſteriis repræſentandis idoneum, incidit in Montem, Calvariæ ſimilem, prope Varallum, oppidum diœceſis Novarienſis, Vallis Siccidæ * in finibus Galliæ Ciſalpinæ, verſus Pedemontium, ad lapidem quinquageſimum quintum ab urbe Mediolanenſi. Illius hortatu, doctiſque concionibus allecti oppidani, cœperunt ad Montis radices extra oppidum, in margine fluvii Maſtalonis, Fratribus Obſervantibus Conventum ædificare ſub titulo ſanctæ Mariæ Gratiarum, & aliquot ſacella per montem diſtribuere. Ut hæc admittere poſſet, obtinuit Bernardinus ab Innocentio VIII. facultatem anno MCCCCLXXXVI. die XXI. Decembris. Poſtquam Cœnobium, & tria ſacella, videlicet ſancti Sepulcri, alterius Mariæ Virginis ſubtus crucem, & Aſcenſionis completa eſſent anno MCCCCXCIII. (non MCCCCXCII. uti habet hiſtoria Novarienſis) die XIV. Aprilis, communi oppidanorum conſenſu & decreto, deſignatus eſt Procurator & ſyndicus Milanus, ſeu Æmilianus Scarogninus, ſacrarum ædicularum magnus promotor, & Fratrum benefactor, cum aliis duobus, qui Bernardinum in prædictorum locorum poſſeſſionem introduceret.

Gonza. in Prov. Mediolan. Conv. 21.
Monume. MSS. ejuſd. Prov.
Conv. B. Mariæ Gratiarum Varalli.
* *Al.* Seſiæ.
Sacer Mons Varalli.

XLIII. Ita tunc factum magna totius populi lætitia, majori etiam deinceps lucro & incremento. Creſcente namque per omnia montis latera, jugum & fimbrias ſacellorum & ædicularum numero, præcipua quæque vitæ, Paſſioniſque Dominicæ myſteria peritorum artificum docta manu; Gaudentii præſertim Novarienſis, ita ad vivum exprimuntur, ut non tam ſimulacra, quam res ipſas aſpicere facile putent peregrini, qui illuc undi-

que, etiam ex remotiſſimis confluunt provinciis. Hinc parvum prius oppidum, in latam & locupletem urbis ſpeciem excrevit, atque in omnem vallem ex tanta advenarum frequentia non mediocre commodum redundat. Mons etiam in aliam tranſivit formam, ſacrum potius vicum quemdam, aut pia caſtra referens, quam montem. Primum Eremitorum ſancti Sepulcri conſtruxit prædictus Milanus, uti ex inſcriptione iſta ſupra oſtium inciſa luculenter apparet. *Milanus Scarogninus hoc ſepulchrum cum fabrica contigua, Chriſto poſuit anno M.CCCC.XCI. Frater Bernardinus Caimus de Mediolano Ordinis Minorum de Obſervantia ſacra hujus montis excogitavit loca, ut hic Hieruſalem videat, qui peregrinari nequit.* A Fratrum Cœnobio ad montis jugulum aſcendentes, murum conſpiciunt, totum cacumen cingentem, atque ad latiſſimi oſtii, per quod ingrediendum eſt, partem utramque copioſum fontem aquarum, his inſcriptis ſuperliminari carminibus.

Hæc nova Hieruſalem, vitam ſummoſque labores,
Atque Redemptoris omnia geſta refert.

XLIV. Acta, quæ ſparſim per ædiculas referuntur Chriſti Domini, beatæ Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum, partim egregiis picturis, partim anaglyptico opere, frequentius ex candidiſſimo marmore, confectis ſimulacris exprimuntur. Omnium nobiliſſimum ſacellum eſt Martyrii ſacrorum Innocentium, a Carolo Emanuele & Catarina Hiſpaniarum Infante, illius conſorte, largiſſimis ſumptibus extructum. In vertice Montis ſacellum eſt Montis Calvarii nuncupatum, in quo Chriſtus pendet ex cruce fabrefacta Hieroſolymis ex Calvariæ lignis, quæ per horas quadraginta ſtetit in eodem loco, ſeu terræ hiatu, in quo vera Chriſti crux fuerat erecta. Ædicularum ſtruendarum nondum finis, creſcente in dies Principum & advenarum pietate.

XLV. Oblationum multitudo, & minime ſpernenda menſura, lites ſevit inter Minoritas & Varallenſes, contendentibus his ſibi deberi liberam omnium adminiſtrationem, & fabricæ diſpoſitionem. Sanctus Carolus Borromæus controverſiam cupiit dirimere, ſed non potuit. Itaque Sixtus V. anno MDLXXXVII. multis circa curam hujus ſacri montis præſcriptis legibus, commiſit judicium totius rei Caroli ſucceſſori, & Epiſcopo Novarienſi, data huic poteſtate viſitandi capellas tam factas, quam faciendas, an ſcilicet imagines pingerentur, aut ſimulacra exciderentur juxta præſcriptum Canonum, & Concilii Tridentini, atque inſuper curaret, ut neceſſaria quæque ad Divinum cultum a Fabriceriis (ita vocant incolas ad fabricæ curam deſtinatos) adminiſtrarentur. Hinc alia exorta lis, contendentibus nunc Epiſcopis Novarienſibus jus viſitandi devotum paucorum Fratrum habitaculum ſeu Cœnobiolum, in Montis vertice conſtitutum, ſibi competere. Acriter utraque controverſia etiam hoc anno MDCXLIV. quo iſta ſcribo, agitatur in hac Curia, & apud Senatum Mediolanenſem, contendentibus Fratribus plenam & liberam Montis curam ad ſe ſpectare, & Epiſcopos Novarienſes nihil juris in ſuis ædibus habere. Et quidem meo judicio, ſi hæc pacato animo, & veritatis potius, quam lucri ſtudio diſcernerentur, ex ipſis Pontificiis reſcriptis, & primis donationis inſtrumentis, quæ adhuc extant, & mihi potiſſimam narrationis miniſtrarunt materiam, facile potuiſſent terminari. Cœnobia inferum & ſuperum nunc poſſident Fratres ſtrictioris Obſervantiæ, per diploma Clementis VIII. anno MDCIII. ad eoſdem tranſlata. Utriuſque Cœnobii Eccleſiam conſecravit anno MDI. Julius Gotardus Soladienſis Epiſcopus, Novarienſis Antiſtitis ſuffraganeus, inferioris die v. ſuperioris die VIII. Septembris.

XLVI.

XLVI. Fuerunt multi, qui rebus humanis abdicatis, in hoc monte per totam vitam in Chriſti myſteriis contemplandis perſtiterunt: fuerunt etiam, qui ad tempus animæ excolendæ & ſeceſſus ſtudio illic latuerunt. Sanctus Carolus hic ſanctiſſimam degebat vitam, & prævisam præſtolabatur mortem, ibique poſtrema correptus eſt infirmitate. Jacet in Eccleſia Fratrum, copiarum Caroli V. Præfectus Cæſar Neapolitanus, qui ſacellum inſigne in hoc monte conſtruxit, & pulchrum calicem ex auro ſolido donavit. Habent Fratres inferioris Cœnobii, a ſanctæ Mariæ de Gratiis nuncupati, domum capaciſſimam & commodam, hortos ampliſſimos, & bene inſtructam Bibliothecam. Hinc prodiit Leonardus de Pretis, vir doctus & inſignis Prædicator, qui Provinciam Mediolanenſem laudabiliter gubernavit.

XLVII. Ante hunc annum, prope & extra oppidum Pitiliani, Suanen. diœceſis, conſtructum fuiſſe Conventum Minorum, ſub invocatione ſancti Franciſci, conſtat ex diplomate Alexandri Pontificis, quo committit Epiſcopo Suanenſi examen petitionis Nicolai Urſini Comitis Pitiliani, Imperatoris exercitus Pontificii, qua dicebat expedire ſecuritati prædicti oppidi, ut deſtrueretur Conventus, & transferretur intra oppidum ad parochiam ſancti Petri. Sed nihil in hac re factum inde conſtat, quod primo loco Conventus perſtiterit. Ædificatum a Ludovico Urſino ejuſque conjuge Julia e Comitibus, indicant litteræ fornici chori inſcriptæ. Alii id tribuunt cuidam heroi gentis Sfortianæ.

Conv. Pitiliani. Lib. 52. fol. 08: Gonza. in Prov. Rom. Conv. 2.

XLVIII. In Provincia Mediolanenſi, ut Fratres Conventuales haberent ubi inter Mediolanum, urbemque Comenſem commodius requieſcere poſſent, circa hunc annum cogitarunt in medio multorum pagorum & oppidorum domum ædificare, quam a ſitu campeſtri ſanctæ Mariæ in Campo nuncuparunt. Magno ſunt hic Fratres duodecim uſui & commodo ſpirituali tot fidelium in frequentibus pagis circum circa poſitis habitantium. Eccleſia conſecrata eſt anno MDXVIII. a Franciſco Landini Epiſcopo Laudenſi, translata jam æde ad Obſervantes. Habetur illic in magna veneratione imago beatæ Mariæ Virginis, quæ crebris miraculis occaſionem primo dedit ædificandi iſtic Cœnobium. Singulis annis feria ſecunda Reſurrectionis eam veneratura ex voto accedit in forma ſupplicantium Communitas Cermenati, peractoque ſolemni ſacro, offert pulchrum cereum librarum viginti quinque, idemque facit feria ſecunda Pentecoſtes cum eiſdem cæremoniis & oblationibus Communitas Ceſati.

Conv. S. Mariæ in Campo. Gonza. in Prov. Mediol. Con. 31.

XLIX. Confirmavit hoc anno Alexander Pontifex diploma ab Innocentio ante biennium conceſſum Paulo de Vigono, provinciæ Genuenſis Commiſſario, ut Conventum ex publicis facultatibus prope oppidum Buſcæ in Pedemontio, ſub titulo beatæ Mariæ de Angelis conſtructum, & in Comitiis Provincialibus anno MCCCCXC. die XV. Novembris acceptatum, admitteret. In eadem regione & provincia, Duces Sabaudiæ conſulturi Fratrum itinerantium neceſſitatibus, prope oppidum Vigoni, ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ Cœnobiolum, quinque aut ſex Fratrum hoſpitium condiderunt. Tertium in eadem Provincia, ſub eodem titulo erectum eſt aliquantulum diſtans ab oppido Carmaniolæ pro Fratribus duodecim. Licentiam conſtruendi hoc anno die XXX. Maii Pontifex conceſſit.

Conv. Buſcæ. Gonza. in Prov. Genuæ Conv. 24.

Conv. Vigoni. Indid. Conv. 19.

Conv. Carmaniolæ. Indid. Conv. 16.

L. In Tuſcia ad D. P. ab oppido Petræ ſanctæ, Franciſcus Aſſiſias Tertiarius, ex bonis ſibi a Rubeorum familia collatis, Eremitorium ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratiis conſtruxit, loco quidem ſalubri & amœno. Sed Petro ejuſdem Inſtituti, illius ſucceſſore jus omne totius ſtructuræ, & loci in Communitatem prædicti oppidi transferente, advocati ſunt Fratres Obſer-

Conv. S. Mariæ Gratiarum Petræ ſanctæ. Idem in Provin. Tuſcia Conv. 40.

ſervantes, ut incolerent & augerent. Structa per dictam Communitatem magna Cœnobii parte, cum a præterlabente fluvio ruinam timerent, locumque humidum experirentur Fratres, ad alium transferre decreverunt, ſub invocatione ſancti Franciſci. Sed probata aeris intemperie, licet commorentur Fratres duodecim, opus remanſit imperfectum.

Conv. S. Geneſii de la Xara.

LI. Incidi hoc anno in diploma Alexandri, quo alterum confirmat Innocentii VIII. concedentis auctoritatem nobili viro Joanni Chaconio Præfecto Regni Murciæ, ut in Eremitorio ſancti Geneſii de la Xara, aliquanto ab urbe Carthaginenſi diſtante, Conventum Fratrum Congregationis Amadei Hiſpani, Miniſtro Generali ſubjectorum conſtrueret: *Juſtis*. pridie Kalend. Julii. Hinc repullulat dubium, quod alias propoſui, de habitantibus illic Fratribus ſub annum MCCCCXXXVII. ubi probavi non primum fuiſſe Chaconium ædis ſtructorem. Fortaſſis Mauri Africani, qui frequenter in campos Carthaginenſes excurrunt, domum expilarunt & incenderunt, aliamque Chaconius conſtruxit. Quæ de hac domo dicenda erant, alias prænotavimus ad annum citatum.

Tomo 11. anno 1417. n. 49.

Conv. Scalonæ. *Gonza. in Prov. Caſtellæ Con. 11. Salazar. libr. 4. c. 19.*

LII. Nobili viro Didaco Lupi Pacheco Marchioni Villenæ, & Duci Scaloniæ conceſſit hoc anno Pontifex licentiam, ut in oppido prædicto Scalonæ Fratribus Obſervantibus (ad quos ſingularem dicebat ſe gerere affectum, propter illorum claros mores, vitæ ſanctimoniam, verbi Dei prædicationem, & exemplarem vitam) Cœnobium ædificaret: *Piis ſupplicum votis*. pridie Kalend. Martii. Ab hoc itaque tempore ſumendam eſſe hujus domus originem judicaverim, non ab anno MDII. & ab illo diplomate Alexandri, quæ citat Gonzaga; maxime cum alia ſuppetat Bulla data anno MCCCCXCIX. & III. Non. Octobris: *Injunctum nobis*, quam nos dabimus in regeſto, in qua prædictus Didacus ait ſe domum illam jam conſtruere incepiſſe, & majori ex parte conſtruxiſſe, & multa petit ad ſtabiliendam & conſervandam Regularem Obſervantiam, & Monaſticam diſciplinam. Porro Gonzaga ait, per illam Bullam a ſe citatam, & anno MDII. datam, conceſſam fuiſſe poſteriori licentiam demoliendi cujuſdam vetuſti Eremitorii, & transferendi Confraternitatem in eodem ſitam ad Cœnobium, & Eccleſiam Minorum, quam vel exinde colligo fuiſſe jam ex parte ſaltem conſtructam, & Eremitorium deſtructum fuiſſe, non ad fundationem, ſed ad promotionem novi Conventus. Ita nunc probabilius conjicere licet, donec in conſpectum veniat ipſum diploma. Unde etiam rationem deſumere licebit, quare inditum Templo nomen hoc *Dominæ noſtræ Excalceatorum*; non enim penitus arridet ratio a Gonzaga producta, nudipedum ſcilicet Obſervantum, cum non magis in ea domo, quam in aliis univerſæ Europæ Cœnobiis nudis pedibus tunc inceſſerint.

LIII. Conſtructam porro ædem dedit Didacus Petro Balcazaro, Joannis a Toloſa Vicarii provinciæ Caſtellæ Commiſſario in Cuſtodia Toletana, adjunxitque plura vaſa aurea & argentea, & ornamenta quam plurima cultui Divino neceſſaria, largiſſimas inſuper eleemoſynas dum vixit, & ſub mortem teſtamento ſtatuit eis miniſtrari dimidiam tritici menſuram, nummumque argenteum per ſingulos dies. Hujus pietatem æmulatus Franciſcus Pacheco nepos, alium nummum adjunxit, aliamque mediam menſuram. Ingens aliud adjecit Didacus fundator beneficium, magnumque reliquit ſuæ erga Obſervantes hujus provinciæ devotionis argumentum, injuncto hoc onere ſuis hæredibus & poſteris, ut celebrandis omnibus Caſtellæ provinciæ Comitiis, & inſuper totius Ordinis, quæ in ea Provincia haberi contingeret, expenſas adhiberet, rogatis Patribus, ut ſi commode

Marchiones Villenæ Comitiis Generalibus celebrandis ſumptus miniſtrant.

fieri

fieri poſſit, omnia in ſua celebrarent ditione. Ita porro fit, ut Marchionum de Villena ſumptibus cogantur & ubertim abſolvantur, eoſque proinde inter præcipuos ſuos benefactores & patronos, Fratres provinciæ Caſtellæ agnoſcant, multiſque ſacrificiis & religioſis ſuffragiis, quæ vel in Capitulis Generalibus per univerſum Ordinem, vel in provincialibus per ſingulos Conventus provinciæ habenda decernunt, gratiſſime tanta beneficia recompenſent. Comitia Generalia Toleti habita anno MDLXXXII. ſuis ſumptibus copioſiſſime celebravit Joanna de Toleto vidua prædicti Marchionis Franciſci, & tutrix Joannis adoleſcentuli, aliiſque ibidem celebrandis anno MDCIX. neceſſaria quæque affluenter tribuit idem Joannes, etſi abſens in Siciliæ regno, cui tunc pro Rege imperitabat.

LIV. Ad Mariani Montis radices, in confinio Prioratus Legionenſis, Ordinis ſancti Jacobi, prope oppidum Guadalcanalii, præcedentibus licentiis Innocentii, Regum Catholicorum Ferdinandi & Eliſabethæ, & Alphonſi a Cardenas prædicti Ordinis ſive malitiæ Magiſtri, Henricus Henriquez Legionenſis Commendatarius, Præfectuſque domui Regiæ, ejuſque conſors Maria a Luna, domum Obſervantibus, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Pietate, aggregandam tamen Cuſtodiæ Angelorum erexerunt. Alexander Pontifex hoc anno die XXIV. Octobris conceſſit, ut hic victuri, ex quacumque tranſmigrarent provincia Fratres viginti quinque.

Conv. Guadalcanalii. Idem in [illegible] Conv. 4.

LV. Prope villam de Jarandilla, Placentinæ diœceſis in Hiſpania, habitarunt aliquot Patres Conventuales Minoritæ, ubi præerat Eremitorium ſub invocatione ſancti Dominici; ſed tædio loci affecti, inde receſſerunt. Succeſſerunt aliquot Fratres Ordinis Prædicatorum domus ſancti Vincentii Placentinæ, qui poſt aliquot annos ex decreto Capituli provincialis locum dimiſerunt. Demum Ferdinandus Alvarez de Toleto, Comes Oropeſſæ, obtinuit hoc anno facultatem a Pontifice prædictum Eremitorium in domum Fratrum Obſervantum Minoritarum erigendi, eamque aggregandi Cuſtodiæ Angelorum, ſub regimine Vicarii Generalis Obſervantum: *Iis fidelium nobis*. XVIII. Kalend. Octobris. Opus tamdem abſoluit viginti Fratrum capaciſſimum, ſub annum MD. conſtructa Eccleſia ſub ejuſdem ſancti Dominici nuncupatione. Hortos adjunxit amœniſſimos, gelidoſque fontes, & ſolitaria Oratoria, in quibus Fratres ſeorſim ab aliis orationi & contemplationi ſub arcto jejunio intendunt. Loci delicias, aeris ſalubritatem, Cœnobii quietem & devotionem omnes qui vident, commendant: etenim a ſecularibus turbis remotus, ad editiſſimi cujuſdam montis radices, inter conſertiſſimas arbores ſitus, omnes in ſui rapit admirationem. Multi hic vixerunt pietate inſignes; inter quos longe emicuit Alphonſus ab Herrera ſacerdos, qui abſtinentiæ, vigiliis, manſuetudini, caritati, aſſiduæ orationis virtutem adjunxit, & fidelium animas in Purgatorio exiſtentes continuis ſuffragiis ſublevabat, unde & earum *Pater* paſſim vocabatur.

Conv. Jarandillæ. Indid. Conv. 5.

LVI. Addita etiam huic cuſtodiæ Angelorum hoc item anno, Cœnobium Fratrum Minorum tituli ſanctorum Berardi & Sociorum martyrum, necnon Monaſterium Clariſſarum ſancti Franciſci de Columna Cordubenſis, quæ hactenus ſubjecta erant regimini Miniſtri Provinciæ de Sanctoyo: *Injunctum nobis*. XVIII. Kalendas Octobris. Brevi hæc cuſtodia excrevit multorum Cœnobiorum numero, tum propter virtutem Religioſorum, qui primas domos inhabitarunt, tum propter devotionem, & potentiam nobilium conſanguineorum fratris Joannis de la Puebla, primi Cuſtodiæ inſtitutoris.

Cuſtodia Angelorum adjectis creſcit Conventibus.

LVII. Nobili viro Jacobo Zecbel militi loci de Fridau, Salisburgen. diœ-

Conv. Fridau. Lib. 20. fol. 247.

diœceſis, conceſſum hoc anno xvi. Kalendas Maii, ut in prædicto loco Conventum ædificaret Obſervantibus, eoſque liceret ex Hungaria aut Sclavonia evocare, qui immediate ſubeſſent Miniſtro Generali, vel Vicariis illarum partium. Quid fecerit, non comperio.

Conv. S. Gerardi. Lib. 19. fol. 167.

In regno Hungariæ, & diœceſi Canadienſi Monaſterium ſancti Gerardi Ordinis ſancti Benedicti ab incolis derelictum, applicatis bonis & reditibus Lucæ Boſnenſi Epiſcopo ad Canadienſem Eccleſiam translato, Obſervantibus conceſſum eſt.

Stabilitur Reg. Obſervantia in Côventibus provinciæ Coloniæ.

LVIII. In Monumentis Colonienſibus MSS. magnum experimur zelum Antonii Raſfeldii Vicarii provinciæ Colonien. circa ſtabiliendam retinendamque ſtrictiorem obſervantiam in ſingulis domibus ſibi ſubjectis. Magnis enim & ſolemnibus proteſtationibus coram eo ſe obligabant Fratres ad vivendum pure & ſimpliciter ſecundum Regulam: a qua ſi aliquando deflecterent communiter, aut minus religioſe viverent, poteſtatem dabant Obſervantiæ zelatoribus, publiciſque Miniſtris ſe expellendi ab illis Conventibus, alioſque veros & puros Regulæ Obſervatores ſuperinducendi. Ita hoc anno proteſtati ſunt in Cœnobiis Segenenſi Moguntinæ, & Durſtenſi Colonienſis diœceſum. Hujus Antonii ſucceſſor Schuederus Coſfeldiæ ſub hujus anni finem electus, inſtante vehementer Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi, conceſſit aliquot Fratres ut habitarent in oppido Bruellenſi ejuſdem diœceſis, in domo & Eccleſia ab eodem Archiepiſcopo

Conv. Bruellenſis.

conſtructis, ut illi fideliter aſſiſterent, & pro ejus conſolatione & pietatis incremento cohabitarent, & Divina officia celebrarent. Quod ſi ipſi & ſummo Pontifici placeret habitaculum illud in Conventum erigere, & perficere, juxta ſanctiones Apoſtolicas, & Ordinis Inſtituta, tunc eis liceret illud admittere. Hoc ipſum, ſed cum magno ſcrupulo, antea conceſſerat Raſfeldius prædeceſſor, ſed ſcrupulum & defectum omnem abolevit anno ſequenti Alexander, emiſſo Brevi, quod nos dabimus in regeſto. Tunc admiſſum a Fratribus debita ſolemnitate Cœnobium, ſcriptis pactiſque hinc inde conditionibus, & vere omnes, quas Fratres propoſuerunt, perſectam ſui ſtatus obſervantiam, & vitam reſpiciebant religioſam. Una ſuit, ne per deambulatorium concameratum, quod a caſtro nobili Archiepiſcopi, uſque ad tribunam reſpicientem ad Altare præcipuum, neque per portam, quam ſtruxit in choro a parte Aquilonari, pateat cuipiam, quacumque dignitate fulgeat, aditus, niſi ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, eiſque immediate ſervientibus.

Monaſt. Caſtilionis.

LIX. Impetrarunt hoc anno incolæ oppidi Caſtilionis, diœceſis Cremonenſis, facultatem fundandi Monaſterium ſanctæ Claræ in quarterio, ſeu regione Maſtalergi prope muros, ubi hoſpitale erat pauperum, quibus aliud volebant conſtruere: *Debitum Paſtoralis officii*. viii. Kalend. Junii. Nihil aliud circa hoc mihi conſtat Monaſterium.

Domus Sororum Tertii Ordinis Caeta.

Cives Caetani ſimiliter obtinuerunt, ut ſuppreſſis in Monaſterio ſancti Quirini Ordinis ſancti Benedicti, a quatuor annis derelicto, eodem titulo & Ordine, ibi conſtrueretur domus Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſub invocatione ſancti Montani Martyris, & cura Fratrum Minorum de Obſervantia. *Ex ſupernæ providentia*. vii. Kalend. Martii. Montanum hunc dicunt illum fuiſſe Centurionem, qui viſis in paſſione Chriſti, quæ fiebant mirabilia, dixit: *Vere filius Dei erat iſte*, cujus brachium Sorores ſervant in ſacrario.

Gonz. in Prov. Terræ labor. Monaſter. 8.

Illarum pietatem, Regularem Obſervantiam, & promptam erga Prælatos Obedientiam maximopere Gonzaga commendat.

Domus Almagri. Gonz. in Provin. Caſtellæ Monaſter. 16.

LX. Catarinæ Sanchez, & ſex honeſtis mulieribus oppidi Almagri, diœceſis Toletanæ, militiæ Calatravenſis, conceſſum a Ferdinando Rege & Eli-

Eliſabetha Regina Catholicis, tamquam prædictæ militiæ adminiſtratoribus, ut domum ſibi ædificarent prope ædiculam de Planitie, curamque haberent contigui Xenodochii. Miſſus ut recte omnia fieri curaret, Franciſcus Ximenius tunc Guardianus Conventus ſanctæ Mariæ de Saliceto, Reginæ a ſacris confeſſionibus, qui a Petro Gonzalvo de Mendoza Archiepiſcopo Toletano obtinuit, ut piis mulierum votis annueret, ea tamen conditione ut ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſubderentur. Succeſſu tamen temporis Apoſtolica auctoritate regimen translatum eſt ad Franciſcanos, idque ante annum MDXXXIII. quo conſtat ex publico inſtrumento, Miniſtrum & Definitores dediſſe Sororibus facultatem acceptandæ cujuſdam Capellaniæ. Orta ſæpe inter Sorores, & prædicti Xenodochii Confratres controverſia circa proprietatem & poſſeſſionem Eccleſiæ, Catholici Reges ſententiam pronuntiarunt pro Sororibus. *Salaz.lib.7.c.15.*

LXI. Ante aliquot annos Didacus Lopetius a Toleto, urbis Toletanæ Rector, & Maria conjux decreverunt domum, quam habebant in parochia ſancti Salvatoris, in Collegium ſeu Monaſterium Sororum Tertii Ordinis convertere, & ſufficienti dote fundare, appoſitis tamen variis conditionibus circa adminiſtrationem bonorum, quam ipſi Mariæ, dum viveret, adjudicarunt, circa recipiendas quatuor conſanguineas, circa patronatum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus adſcribendum, circa ſepulturam utrique in ſacello majori tribuendam, circa locum, & Sorores ſubmittenda regimini Cuſtodis Toletani Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, aliiſque hujuſmodi. Sed antequam iſta fierent, Didacus ex hac vita deceſſit, & Ferdinandus Alvarus de Toleto ejus frater, Regum Catholicorum Ferdinandi & Eliſabethæ Conſiliarius & ſecretarius, & Maria Didaci relicta conjux, ultimam ejus voluntatem adimplere curarunt, reductamque domum prædictam ad formam Regularem tradiderunt Sororibus præfati Inſtituti, quæ ad numerum duodecimum excreverunt, quibus ipſa fundatrix Maria ſe adjunxit, omnia dirigente, habitumque tradente Didaco Valcaçer Cuſtode Toletano. Omnia hæc aperte confirmat Alexander Pontifex hoc anno, dato diplomate: *His quæ pro Divini cultus*, III. Kalend. Auguſti: ex quo lector percipiet quam aberrent Gonzaga & Salazar in ſua narratione, præſertim dum aſſerunt Didacum fundatorem nonniſi anno MDIV. obiiſſe, cum diu ante hunc annum deceſſerit; & Fratres germanos Ferdinandum prædictum, & Joannem Magiſtrum Scholæ in Eccleſia Toletana jus patronatus ſibi reſervaſſe propter ampliatum & dotatum prædictum Monaſterium, cum id Didacus & Maria primitus publico decreverint inſtrumento. Dicitur primas Inſtitutrices Mariam a Cruce, & Joannam de Piſa evocatas ex Monaſterio Cubano ſanctæ Mariæ de Cruce, utrumque fratrem Eccleſiam nobiliorem, ſub titulo ſancti Michaelis Regii, propter pleraque a Regibus accepta beneficia conſtruxiſſe. Sorores demum ad majorem aſpirantes perfectionem, Inſtitutum ſubierunt ſanctæ Claræ, ſub quo vivunt religioſiſſime.

Domus Toletana ſancti Michaelis.

Gonz.ibid. Monaſt. 9. Salaz. l. 5. c. 36.

LXII. Alphonſus de Azevedo Fonſeca Archiepiſcopus Compoſtellanus pepigit hoc anno cum Abbatiſſa & Conventu Annunciationis beatæ Mariæ Salamantino circa illum ampliandum, ſuiſque ſumptibus magnifice fabricandum. Varias adjecit conditiones circa modum vivendi, numerum Sororum, ſuæ ſepulturæ locum, circa præferendas ſuas conſanguineas & alia hujuſmodi, quæ Pontifex voluit confirmata: *Ea quæ pro Religionis*. VI. Kalend. Septembris.

Domus Annunciationis Salamanticæ.

LXIII. Magiſtræ & Sorores domorum ad Stellam Pontis, & ſancti Mar-

Domus Stellæ Pontis, & ſancti Martini.

Digitized by Google

Martini Tertii Ordinis, Auguſtanæ urbis, provinciæ Moguntinæ, pro felici regimine prædictarum domorum, & pro Religionis & honeſtatis in eiſdem conſervatione, nonnulla ſtatuta, ordinationes, promiſſiones & obligationes condiderunt, quæ Fridericus Epiſcopus Auguſtanus approbavit, & Alexander Pontifex hoc anno x. Kalend. Junii confirmavit. In urbe Regii Lepidi in Lombardia, domum & ſocietatem fuiſſe hoc tempore Fratrum iſtius Inſtituti, ſub nomine *Conſortii Fratrum della Carita de Pajolo*, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatorum, mihi conſtat ex lite mota inter Franciſcum Epiſcopum, & Ancianos ſeu Senatores urbis, circa jus deputandi œconomos, Conſervatores, Maſſarios, Notarium, alioſque Officiales prædictorum Fratrum & Conſortii, quantumvis olim Beſarion Epiſcopus Tuſculanus Legatus Bononienſis, & partium adjacentium, controverſiam ſopierit. Concordiam ab eo tunc præſcriptam Pontifex hoc anno confirmavit.

Societas caritatis Tertii Ordinis RegiiLepidi.

Monaſt. Crucis Venetum. *Tom. 14. anno 1481. n. 32.*

LXIV. Ex diplomate Alexandri hoc anno emiſſo magis elucidantur, quæ de Monaſterio Clariſſarum ſancti Franciſci de Cruce urbis Venetæ alias narravimus, & in altera Innocentii VIII. Bulla continentur circa ejus fundationem. Ejus Sororibus concedit juſpatronatus quatuor beneficiorum, quæ in illarum Eccleſia exiſtebant, dum eſſet Ordinis Cluniacenſis: *Sacræ Religionis*, VIII. Idus Junii.

Conv. Chamberiaci.

LXV. Orta importuna lite inter Fratres Conventuales oppidi Chamberiaci, diœceſis Gratianopolitanæ, & Joannem Burgheſium, alioſque Obſervantes propter domum ab iſtis inchoatam extra & prope muros prædicti oppidi, Pontifex hoc anno ad ſe cauſam evocavit, tandemque favit Obſervantibus. Privilegium eiſdem Chamberiaci Fratribus olim ab Alexandro V. circa legata rerum mobilium eis relicta, extendit hic ſextus ad Fratres Cœnobii Valentinenſis: *Pia decet conſideratione*. IV. Nonas Maii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. QUod a Franciſco Cibo Januenſi, & filio naturali Innocentii VIII. quædam oppida parvaque loca prope Urbem emiſſet Virginius Urſinus indignationem Alexandri VI. incurrit: opera tamen Regis Ferdinandi, cujus partes ille ſequebatur, compoſita res eſt. Conceſſerat Paulus II. anno MCCCCLXVII. Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ, ut in Villa Bethunæ, diœceſis Attrebatenſis, domum Tertii Ordinis Sororum conſtruere poſſet: ſed in noſtris Annalibus ambigitur an conſtruxerit: dubium autem tollere videtur Pontificis diploma: *Humilibus*. Pridie Nonas Januarii expeditum pro Sororibus præfatis. Prodiit etiam facultas conſtruendi Cœnobium apud Montem Ilcinum in agro Senenſi: *Exponi nobis*. die XVII. Februarii. Idibus Martii fratri Alexandro de Teſta: *Religionis zelus*; ac III. Kalendas Aprilis declaratum eſt Vicarios Regulares Obſervantiæ eſſe vere Prælatos, ut latius ex ipſa Bulla apparet *.

* *Conſtit. habes a P. Waddingo hoc an. n. 12.*

„ II. Fratrem Virginium de Spinoſa poſſe inhabitare Eremitorium beatæ Mariæ de Angelis de Alcalà Guadajere Hiſpalenſis diœceſis indultum eſt per Breve: *Fideles quoslibet*. Pridie Kalendas Maii. Chriſtophori Columbi felices auſus, & glorioſa geſta ſub præpotenti patrocinio & præſidio Ferdinandi V. & Eliſabethæ ſuæ conjugis, Caſtellæ, Legionis, Aragonum, Siciliæ & Granatæ Regum Illuſtriſſimorum, in novi Orbis inventione, ad incrementum & dilatationem Fidei Catholicæ, no-

„ noſtri Annales referunt: unde nobis ea redicendi ſublata occaſione, tantummodo adjiciemus Alexandri VI. Pontificis juſtam cordis lætitam, & quæ ad magis feliciuſque promovenda bene cœpta, ſummo conſilio decreverit, cum inde noſtris Religioſis præcipue magnum opus & meritorium in cultura Vineæ Domini emerſerit; ut igitur primum pientiſſimus Pontifex, hujuſcemodi rerum Nuntium accepit, de tanto ſucceſſu, ac de nova ſobole Chriſtifidelium Eccleſiæ adjicienda omnino lætus, & quod uni Hiſpaniæ Regi Ferdinando innotuiſſent, quæ antiquiores Romanos, alioſque populos, licet novarum rerum cupidos, per tot temporum curricula fugerant, ſummopere admiratus, Inſulam Haiti, Hiſpaniolam a Columbo nuncupatam, & alias, atque etiam continentem, verſus Occidentem, de novo inveniendas, ſibi & ſuis in Regno Caſtellæ atque Legionis ſucceſſoribus, dummodo de Prædicatoribus & Sacerdotibus, qui hujuſmodi populum ſuo imperio de novo ſubactum, ſacro Baptiſmate purificarent, Chriſtianiſque ritibus imbuerent, opportune providerent, proprio motu, atque de Cardinalium conſenſu, quod ſequitur Apoſtolicum diploma dedit.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

In Chriſto filio Ferdinando Regi, & cariſſimæ in Chriſto filiæ Eliſabethæ Reginæ, Caſtellæ, Legionis, Aragonum, Siciliæ, & Granatæ Illuſtribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ III. *INter cetera Divinæ Majeſtati beneplacita opera, & cordis noſtri deſiderabilia, illud profecto potiſſimum exiſtit, ut Fides Catholica, & Chriſtiana Religio noſtris præſertim temporibus exaltetur, ac ubilibet amplietur & dilatetur, animarumque ſalus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur, & ad Fidem ipſam reducantur. Unde, cum ad ſanctam Petri Sedem, Divina favente gratia, meritis licet imparibus, evocati fuerimus, cognoſcentes vos tamquam veros Catholicos Reges & Principes, quales ſemper fuiſſe novimus, & a vobis præclare geſta, toti pene jam Orbi notiſſima, demonſtrant, nedum id exoptare, ſed omni conatu, ſtudio & diligentia, nullis laboribus, nullis impenſis, nulliſque parcendo periculis, etiam proprium ſanguinem effundendo, efficere, ac omnem animum veſtrum omneſque conatus ad hoc jam dudum dedicaſſe; quemadmodum recuperatio Regni Granatæ a tyrannide Sarracenorum hodiernis temporibus per vos, cum tanta Divini nominis gloria facta teſtatur: digne ducimus non immerito & debemus, illa vobis etiam ſponte & favorabiliter concedere, per quæ hujuſmodi ſanctum & laudabile ac immortali Deo acceptum propoſitum in dies ferventiori animo, ad ipſius Dei honorem, & Imperii Chriſtiani propagationem, proſequi valeatis. Sane accepimus, quod vos, qui dudum animum propoſueratis aliquas Inſulas & terras firmas remotas & ignotas, ac per alios hactenus non repertas, quærere & invenire, & illarum incolas & habitatores ad colendum Redemptorem noſtrum, & Fidem Catholicam profitendam, reducere, hactenus in expugnatione & recuperatione ipſius Granatæ plurimum occupati, hujuſmodi ſanctum & laudabile propoſitum veſtrum ad optatum finem perducere nequiviſtis: ſed tamdem, ſicut Domino placuit, Regno prædicto recuperato, volentes deſiderium adimplere veſtrum, dilectum filium Chriſtophorum*

,, Columbum, virum utique dignum, & plurimum commendandum, ac tanta
,, negotio aptum, cum naviglis, & hominibus ad ſimilia inſtructis, non ſine
,, maximis laboribus & periculis ac expenſis deſtinaſtis, ut terras firmas, &
,, Inſulas remotas & incognitas hujuſmodi per mare, ubi hactenus naviga-
,, tum non fuerat, diligenter exquireret. Qui tamdem Divino auxilio, facta
,, extrema diligentia, in Mari Oceano navigantes, certas Inſulas remotiſſi-
,, mas, & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant,
,, invenerunt, in quibus quamplurimæ Gentes pacifice viventes, &, ut aſ-
,, ſeritur, nudi incedentes, nec carnibus veſcentes, inhabitant, &, ut
,, præfati Nuntii veſtri poſſunt opinari, gentes ipſæ in Inſulis & terris præ-
,, dictis habitantes, credunt unum Deum Creatorem in Cælis eſſe, ac ad Fi-
,, dem Catholicam amplexandam, & bonis moribus imbuendis, ſatis apti vi-
,, dentur, ſpeſque habetur, quod, ſi erudirentur, nomen Salvatoris Domini
,, noſtri Jeſu Chriſti in terris & Inſulis prædictis facile induceretur: ac
,, præfatus Chriſtophorus Columbus in una ex principalibus Inſulis prædi-
,, ctis, jam unam turrim ſatis munitam, in qua certos Chriſtianos, qui ſe-
,, cum iverant, in cuſtodiam, & ut alias Inſulas ac terras firmas remotas
,, & incognitas inquirerent poſuit, conſtrui & ædificari fecit: in quibus
,, quidem Inſulis & terris jam repertis, aurum, aromata, & aliæ quamplu-
,, rimæ res pretioſæ diverſi generis, & diverſæ qualitatis reperiuntur; unde
,, omnibus diligenter, & præſertim Fidei Catholicæ exaltatione & dilata-
,, tione, prout decet Catholicos Reges & Principes, conſideratis, more pro-
,, genitorum veſtrorum, claræ memoriæ Regum, terras firmas & Inſulas
,, prædictas, illorumque incolas & habitatores, vobis, Divina favente gra-
,, tia ſubjicere, & ad Fidem Catholicam reducere propoſuiſtis. Nos igitur
,, veſtrum hujuſmodi ſanctum & laudabile propoſitum plurimum in Domino
,, commendanses, ac cupientes ut illud ad debitum finem perducatur, &
,, ipſum Nomen Salvatoris noſtri in partibus illis inducatur, hortamur vos
,, quamplurimum in Domino, & per ſacri Lavacri ſuſceptionem, qua man-
,, datis Apoſtolicis obligati eſtis, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri
,, Jeſu Chriſti attente requirimus, ut expeditionem hujuſmodi omnino proſe-
,, qui & aſſumere prona mente, Orthodoxæ Fidei zelo intendatis, populoſque
,, in hujuſmodi Inſulis & terris degentes ad Chriſtianam Religionem ſuſci-
,, piendam inducere velitis & debeatis: nec pericula, nec labores ullo un-
,, quam tempore vos deterreant, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod Deus
,, omnipotens conatus veſtros feliciter proſequetur. Et ut tanti negotii Pro-
,, vinciam, Apoſtolicæ gratiæ largitate liberius & audacius aſſumatis, motu
,, proprio, non ad veſtram vel alterius pro vobis ſuper hoc nobis oblatæ peti-
,, tionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac
,, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes Inſulas & terras firmas inven-
,, tas & inveniendas, detectas & detegendas verſus Occidentem & Meri-
,, diem, fabricando & conſtruendo unam lineam a Polo Arctico, ſcilicet Se-
,, ptentrione, ad Polum Antarcticum, ſcilicet Meridiem, ſive terræ firmæ &
,, Inſulæ inventæ & inveniendæ ſint verſus Indiam, aut verſus aliam quam-
,, cumque partem, quæ linea diſtet a qualibet Inſularum, quæ vulgariter
,, nuncupantur de los Azores, & Cabo verde, centum leucis verſus Occi-
,, dentem & Meridiem; itaque omnes Inſulæ & terræ firmæ repertæ &
,, reperiendæ, detectæ & detegendæ a præfata linea verſus Occidentem &
,, Meridiem, quæ per alium Regem aut Principem Chriſtianum non fuerint
,, actualiter poſſeſſæ uſque ad diem Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti
,, proxime præcedentis, a quo incipit annus præſens MCCCCXCIII. quando
fue-

„ *fuerint per Nuncios & Capitaneos veſtros inventæ aliquæ prædictarum*
„ *Inſularum, auctoritate Omnipotentis Dei nobis in beato Petro conceſſa, ac*
„ *Vicariatus Jeſu Chriſti, quo fungimur in terris, cum omnibus illarum do-*
„ *miniis, Civitatibus, Caſtris, Locis & Villis, juribuſque & juriſdictioni-*
„ *bus, ac pertinentiis univerſis, vobis hæredibuſque & ſucceſſoribus veſtris*
„ *Caſtellæ & Legionis Regibus, in perpetuum, tenore præſentium donamus,*
„ *concedimus & aſſignamus: v ſque & hæredes ac ſucceſſores præfatos, illa-*
„ *rum Dominos cum plena, libera & omnimoda poteſtate, auctoritate &*
„ *juriſdictione facimus, conſtituimus & deputamus: decernentes nihilominus*
„ *per hujuſmodi donationem, conceſſionem & aſſignationem noſtram nulli*
„ *Chriſtiano Principi, qui actualiter præfatas Inſulas & terras firmas poſ-*
„ *ſederit uſque ad prædictum diem Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti,*
„ *jus quæſitum ſublatum intelligi poſſe, aut auferri debere: & inſuper man-*
„ *damus vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, ut, ſicut etiam pollicemini, &*
„ *non dubitamus pro veſtra maxima devotione, & Regia magnanimitate,*
„ *vos eſſe facturos, ad terras firmas & Inſulas prædictas Viros probos, &*
„ *& Deum timentes, doctos, peritos & expertos, ad inſtruendum incolas &*
„ *habitatores præfatos in Fide Catholica, & bonis moribus imbuendum de-*
„ *ſtinare debeatis; omnem debitam diligentiam in præmiſſis adhibentes.*
„ *Ac quibuſcumque perſonis cujuſcumque dignitatis, etiam Imperialis &*
„ *Regalis, ſtatus, gradus, Ordinis vel conditionis, ſub excommunicationis*
„ *latæ ſententiæ pœna, quam eo ipſo, quod contrafecerint, incurrant, di-*
„ *ſtrictius inhibemus, ne ad Inſulas & terras firmas inventas & invenien-*
„ *das, detectas & detegendas verſus Occidentem & Meridiem, fabricando*
„ *& conſtruendo lineam a Polo Arctico ad Polum Antarcticum, ſive terræ*
„ *firmæ & Inſulæ inventæ & inveniendæ ſint verſus Indiam, aut verſus*
„ *aliam quamcumque partem: quæ tamen linea diſtet a qualibet Inſularum,*
„ *quæ vulgariter nuncupantur* de los Azores, *&* Cabo verde *centum leucis*
„ *verſus Occidentem & Meridiem, ut præfertur; pro mercibus habendis, vel*
„ *quacumque alia de cauſa, accedere præſumat abſque veſtra, ac hæredum &*
„ *ſucceſſorum veſtrorum prædictorum licentia ſpeciali: non obſtantibus con-*
„ *ſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. in illo, a quo Imperia &*
„ *Dominationes, ac bona cuncta procedunt, confidentes, quod dirigente Do-*
„ *mino actus veſtros, ſi hujuſmodi ſanctum & laudabile propoſitum proſe-*
„ *quemini, brevi tempore cum felicitate & gloria totius populi Chriſtiani*
„ *veſtri labores & conatus exitum feliciſſimum conſequentur. Verum, quia*
„ *difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expe-*
„ *diens foret, deferri, volumus, ac motu & ſcientia ſimilibus decernimus,*
„ *quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis,*
„ *& ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ*
„ *Eccleſiaſticæ munitis, ea prorſus fides in judicio & extra, ac alias ubili-*
„ *bet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſten-*
„ *ſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ commenda-*
„ *tionis &c. Si quis autem hoc attentare &c. Datum Romæ apud ſanctum*
„ *Petrum, anno Dominicæ Incarnationis* MCCCCXCIII. IV. *Nonas Maii,*
„ *Pontificatus noſtri anno* 1.
„ IV. Expeditis litteris pro Sororibus Tertii Ordinis Auguſtenſibus
„ Provinciæ Maguntinæ: *Ex aſſuetæ*. x. Kal. Junii; & pro Conventu de *Indic. ex Vatic.*
„ Galvia, Eduacenſis diœceſis: *Ex injuncto*. Et pro legatis Fratribus de
„ Camberio, Gratianopolitanæ diœceſis: *Ea, quæ per*. v. Idus Junii: fra-
„ tri Chriſtophoro *Stordoce* beneficium collatum eſt: *Religionis zelus*. xv.

„ Kal. Julii; & fratri Andreæ de Crapileis Abbatia: *Sollicitæ conſiderationis*. xiv. Kal. ejuſdem: ſubinde vero expedito diplomate pro conſtructione Eccleſiæ ſancti Franciſci Chamberii: *Humilibus*. Kalendis præſati; iv. Nonas Julii indulta receptione domus oppidi Pultelarienſis in Provincia Coloniæ: *Quanto magis*. Frater Guillelmus Gardas ad obtinenda beneficia approbatus fuit: *Religionis zelus*. Prodiir eriam decretum de reformatione domorum Fratrum Conventualium: *Dudum certis*. die xviii. Julii: & Epiſcopo Lauſanenſi licentia conſtruendi Cœnobium in ſuæ diœceſis loco apto: *Inter caras*. iv. Kalendas Auguſti. Kalendis Decembris conceſſis veniis pro Conventu ſancti Sabini Urbevetan. *Licet is*. Datur beneficium fratri Bernardino de Bellonis: *Religionis zelus*. Kalendis Decembris.

„ V. Venerabilis Soror Claudia Meanſæa, Surregienſis antea Monaſterii cum eſſet alumna, ad novum Gebennenſe Monaſterium translata anno mcccclxxvii. ultima die Maii Aſcenſioni Dominicæ conſecrata, in primam ejus loci Abbatiſſam electa eſt, ibique vitæ ſanctitate ac miraculorum gloria floruit. Aſtra vero petiit xv. Kal. Septembris anno mccccxciii. teſte Fodereo, ex quo Arturus in Martyrologio.

Podere. in deſcrip. Monaſterii Clariſſ. Annicii. Martyr. ad diem 30. Maii.

„ VI. Ingolſtadii autem Sorores Tertii Ordinis S. P. Franciſciſci per id temporis tanta præmebantur paupertate, ut nihil domi ad veſcendum haberent: verumtamen piæ atque devotæ omnem fiduciam in Divina Providentia firma ſpe orantes unanimiter collocabant; nec earum quidem oblitus eſt Deus, qui aves Cœli, ac terræ jumenta liberaliter paſcit; expectabat tamen adhuc parum precibus vexari, ut liberalius ipſis provideret; anxia ergo earum Antiſtita, cui ceterarum cura commiſſa erat, quo ſe verteret neſcia, ſecum ſumptis aliis Sororibus, ita ſaſſa eſt: *Dilectiſſimæ Filiæ, Deus miſericors eſt, & pientiſſimus Pater, ut ſcitis, ſed rogari amat: Oremus ergo inſtantiſſime ſimul*; ita cum illis in genua provoluta, lacrymis profuſis, Divinum enixe implorabat auxilium, offerenſque ſuam & ſuarum neceſſitudines, totius cordis humillima contritione, & magna cum fiducia, ſuæ Divinæ manus largitatem expoſtulabat. At amanti Deo non ſunt aures ſurdæ, nec oculi cæci: ecce extemplo quædam ſpectabilis Matrona, vultu gravis, & decora ſpecie, vas pulmento plenum Janitrici Religioſæ domus defert, inquiens: *Accipe, & cito perge, famelicæque Virginum familiæ quantocyus appone*: his ſenſibus vix hærebat janitrix, ſed tamdem revocato ſpiritu, benefactricem interrogat, quænam eſſet? Et unde? Illa vero reſpondens ait: *Meum nomen manifeſtari non debet*. Abiit illa, diſparuit iſta, ſed Sorores unanimiter grates reddidere Deo, qui dat eſcam timentibus ſe.

„ VII. Hoc eodem pariter anno in ſimilibus anguſtiis præfatæ Sorores poſitæ, ad Deum Altiſſimum gementes & flentes clamabant, veluti pulli corvorum rorem miſericordiæ Divinæ expoſtulantes: non tamen erant adeo in extremis, quod longiores moras inter orandum & expectandum pati non poſſent, ſed didicerant prolixa oratione ſiniſtros prævenire eventus. Sequenti die ſpecioſiſſimus Juvenis duodecim circiter annorum, ut apparebat, ſtans ad oſtium Monaſterii pulſavit, & Sorori Oſtiariæ, ut januam aperuit, decem florenos numeravit Antiſtitæ deferendos, ut ſuarum Religioſarum neceſſitudinibus opportune provideret: interrogabat & iſta adoleſcentulum, quis aut cujus eſſet? At iſte reſpondens ſe eſſe Altiſſimi Servum, repente evanuit. Opulenta profecto eſt menſa Domini, nec unquam cœleſti deſtituuntur auxilio animæ Deo ſin-

cere

„ cere famulantes: & quando unquam factum eſt, ut juſto ſubſidia vitæ
„ deeſſent, cum ſcriptum ſit, non occidet Deus fame animam juſti? Jactet
„ ipſe cogitatus ſuos in Dominum, & ſperet in eo, ſic enim haud fraudabi-
„ tur a deſiderio ſuo.

ARGUMENTUM.

Ex humanis abeunt Evangeliſta Peruſinus, Joannes Burgenſis, & Joannes Tiſſerandus. Bernardinus Feltrenſis poſt multa egregia pietatis facinora in cœlum conſcendit: cujus vita compendioſe & miracula referuntur. Florent viri docti. Creantur Epiſcopi. Conſtruuntur Cœnobia.

I. EVANGELISTA de Peruſio Vicarius Generalis Obſervantum familiæ Ciſmontanæ, quem diximus anno præcedenti electum, dum Raguſii res curabat Provinciarum Dalmatinæ & Boſnenſis, in febrim incidit, rebuſque humanis valedixit hoc anno die v. Auguſti. Vir erat inſignis, ſanguine clarus, ex nobili ſcilicet Ballionum familia, clarior vitæ ſanctimonia. Peractis exequiis, dum cadaver tumulo inferretur, viſi ſunt duo Angeli arreptis thuribulis ſuffumigaſſe. Succeſſit illi in officio Commiſſariatus juxta diſpoſitionem bullæ Eugenianæ frater Seraphinus de Raguſio.

Moritur Evangeliſta Peruſinus. Regiſtr. Ordinis Marc. lib. 7. c. 25.

II. Hoc anno die xix. Auguſti debitum humanitatis exolvit Joannes Burgenſis, vulgo *Bourgeois*, de quo frequens incidit ſermo annis ſuperioribus. Honeſtis parentibus ortus in arce Burgenſi, aliis ſancti Trivieri, agri Sebuſiani, olim ditionis Ducis Sabaudiæ, nunc Regis Gallorum, præcipua, humanioribus litteris & pietate imbutus, prædicatores, quos audiebat, imitari geſtiebat, aſcenſo ambone, defuncti calvitium oſtendebat, omneſque ad mortis memoriam excitabat. Anno ætatis xxi. amiſſo patre, habitum ſuſcepit Minorum apud Sequanos in Conventu Dolenſi. In humilitate radicatus, reliquas ſuperexſtruxit virtutes, maxime vero in beatam Virginem tenerrimum affectum, ſui Inſtituti zelum conſtantem, corporis mortificationem valde ſeveram. Abſoluto ſtudiorum curriculo, prædicare juſſus, munus iſtud annis quadraginta fideliter exercuit, vanam gloriam ſemper exoſus, Dei honorem & fructum quærens animarum. Miſſus Pariſios anno MCCCCLXXXVIII. ſuperaturus difficultates, quæ in conſtructione Conventus Pontis Vallium inſurrexerunt, ea præluxit virtute, ut Carolus VIII. eum ſibi adſciverit Prædicatorem, Confeſſarium, & in litteris inſtitutorem. Genitor etenim Ludovicus XI. nullis omnino litteris eum imbui patiebatur, ſed eo dumtaxat latino effato, quod illi inſigi mandaverat, contentum eſſe jubebat: *Qui neſcit diſſimulare neſcit regnare.* Itaque Carolus ex quo per Patris obitum, regni habenas capeſſivit, Joannem, quo utebatur familiariſſime, cum ad reliqua propoſita munera, tum etiam ad inſtillanda litterarum principia adhibuit. Anna Regina, Caroli conjux, primogenitum enixa Delphinum, a viris piis & ſanctis baptizari deſiderabat. Quare Carolus Rex ſanctum Franciſcum de Paula Minimorum inſtitutorem delegit, qui patrini vices gerebat, & Joannem hunc Burgenſem, qui ſacris aquis intingeret. Ita factum in capella Pleſſiaca prope urbem Turonenſem anno MCCCCXCII. die XIII. Octobris, impoſito infantulo nomine Caroli Rolandi, cujus rei in antiquis noſtræ Religionis monumentis memoria habetur, eamque confirmant Gallici ſcriptores.

Et Joan. Burgenſis. Foder. in deſcription. Conv. Lugdun. S. Mariæ de Angelis. Marc. 3. p. l. 5. c. 57. Raynaud. in MS. tiſſa. Indic. Lugdun.

Caroli VIII. Regis Galliarū Magiſter.

III. Regum opera Conventum Lugduni, uti diximus, fabricavit, & præ-

Vide Rubis in hiſtor. Lugdun.

Coſta lib. 2. hiſtor. Cathol. pag. 59. & 60.

præter hunc alios quatuor, Cluſarum, Tarantaſienſem, Pontis Vallium, Chamberiaci, in quibus ardentiſſimo zelo curavit Regulam adamuſſim obſervari. Poſt vitæ curſum ſanctiſſime conſummatum, obiit Lugduni, ſepultuſque eſt in Cœnobio illo a ſe constructo. Poſtea translatus eſt ad ſacellum a ſuo nomine nuncupatum. Anno MDLX. irruentes hæretici in nobiliſſimam hanc urbem, quibus potuerunt, Sanctorum exuviis ſpoliarunt, multorumque Sanctorum corpora, & hujus Joannis reliquias, præter unum dumtaxat armum, qui nunc quoque ſupereſt, in Ararim projecerunt.

Ejus miracula.

In vita & poſt mortem multis dicunt floruiſſe miraculis; Ligeris fluvium ſtrato deſuper palliolo tranſiiſſe; ſtrages & ſacrilegia, quæ hæretici per univerſam Galliam exercituri erant, Fratrumque fugam ſub ementito habitu, prædixiſſe; & mercatorem Lugdunenſem in Italia graviter ægrotantem ſanaſſe, poſtquam ei apparuerat, & manum decumbentis apprehenderat. Illuſtre quidem illud prodigium, quod Viri ſancti obitum nobilitavit. Crux lignea erat, quam ad Cœnobium ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ apud Allobroges a ſe, ut diximus, conditum, ſtatui in præ alata rupe curarat. Ea cum ad Boream ſpectaret, quo momento optimus Pater Lugduni deceſſit, mutato ſitu, vi Divina ad occaſum obverſa eſt, Lugdunum verſus: unde illi a fratre Joanne Burgenſi indita appellatio, quæ nunc quoque perſeverat.

Tom. 13. ann. 1465. n. 13.

Moritur Joann. Tiſſerandus.

Tom. 13. ann. 1408. n. 16.

Foder. citat.

Marc. l. 7. c. 29.

IV. Joannes Tiſſerandus, ſocius hujus Burgenſis, de quo alias multa diximus, paulo poſt obiit in eodem Conventu, ſepultus in æde Capitulari. Vir fuit ſingularis doctrinæ, & vitæ exemplaris, e cujus facie viſi ſunt fulgentes radii prodire. Supradictæ Annæ Reginæ a ſacris fuit confeſſionibus, & intimis conſiliis. Facundus erat & fructuoſus Prædicator, multoſque peccatores ad pœnitentiam reduxit. Per biennium ſingulis diebus Pariſiis prædicavit, ultra centum mulieres proſtitutas ad Chriſtianam caſtamque vitam convertit, quibus, uti diximus, domum ea in urbe poni curavit. Alias monui hiſtoriam quinque Martyrum Marrochii compoſuiſſe.

Ibidem.

Tom. 1. an. 1220. n. 51.

Legenda MSS.

Cimarel. lib. 6. c. 70.

Bernardin. Feltren. Brixia Feltrum proficiſcitur.

V. Primo hujus anni die, Bernardinus Feltrenſis Superioris præcepto obſecuturus, ſtatuit, relicta Brixienſe, ad urbem Aſculanam proficiſci. Convenit univerſa civium multitudo, ut valediceret, cupiens ab illo benedici. Ut inſequentium turbas eluderet, nocte clam receſſit, relictis ſociis, quorum conſpectu crederetur adhuc Bernardinum Brixiæ remanere. Monitus per varias litteras Mediolano ſcriptas, Ducem brevi Roma Pontificium diploma recepturum, quo Vincentinis primum, mox Aſculanis conceſſæ litteræ, ut Bernardinus apud eos proxima prædicaret Quadrageſima, revocarentur, nihilominus rigido anni tempore longum & tædioſum iter, ne moroſius videretur obedire, voluit ſuſcipere. Bidozzoli ſemel concionatus, ubi Mantuam pervenit, Mediolanenſis Ducis tabellarius litteras porrigit, rogans ne longius progrediatur, quia Vincentinis & Aſculanis conceſſas litteras Pontifex revocaverat, obnixe deprecantibus Cardinalibus Aſcanio Maria Sfortia Ducis patruo, & Joanne Antonio a ſancto Georgio.

A multis deſideratur.

Placentino, Epiſcopo Alexandrino. Vix iſto nuncio dimiſſo, ecce alter alia progreſſus via, idipſum annuncians, ideoque miſſus, ut ſi primus non inveniſſet, iſte conſequeretur. Sed & tertius adeſt Vincentinorum nuncius; itidem rogans ne Mantua diſcederet, certam ſpem ſibi ſubeſſe dicens: irrita fore & inania Aſculanorum & Mediolanenſium vota, omnemque movere lapidem Concordiæ Epiſcopum, civem Vincentinum Romæ commorantem, Pontifici gratiſſimum, eique diligentiſſime cooperari Venetum Oratorem, ut promiſſio omnium prima, Vincentinis facta ſubſiſteret. En quantum viri boni religioſa vita, caſti mores, Chriſtiana poſſit eloquentia.

Tot

Tot nobiles decertant urbes, tanta in Curia Romana contentio, tam ardens, adverſumque Principum ſtudium, ut tantillum homunculum in ſuum trahere poſſint conſpectum, & morum habeant correctorem. Bonum omnes appetunt, Dei amicos omnes diligunt, & geſtiunt audire. *Fideles in Eccleſia, ut amicus ſponſi loquatur, pio deſiderio expectant.* Rurſus, qui vita immaculata, & verbo irreprehenſibili honorificant Miniſterium ſuum, ab omnibus in pretio habentur, tamquam qui pro Chriſto legatione funguntur. Si Dei negotium agunt, & non ſuum, ſi fructus quærunt animarum, & mundi honores aſpernantur, ab omnibus honorificantur. *Solet humanum genus eſſe quodammodo contentioſum, & pervicax:* quod affectas, negat; quod reſpuis, ultro concedit.

Gregor. in cant. c.8. in fine.

Chryſoſt. hom. 39. ad popul. ſub med.

VI. Dum autem Mantuæ conſtitiſſet, piarum expectans finem contentionum, accidit ut quidquam Inquiſitor in montis pii fautores moliretur, ſemper huic operi adverſarius. Poſt tot diſputationes irritaſque jam pridem habitas altercationes, quibus ſemper abunde oſtendit in re ſumme proficua nihil ſubeſſe ſcrupuli, magno fervore, dicendique ardore adverſas profligavit rationes, omnemque in ſuam ſententiam ita attraxit auditorum multitudinem, ut nullus deinceps auſus ſit quidquam objicere. Inſtante porro Septuageſima, & tardante Romano edicto, decrevit Aſculum tendere, juxta priſtinum Pontificis præceptum. Hyemis medio, per nives horridumque cœlum iter inchoatus, dum conducta cymba Ravennam ire congelato Mintio, minime poſſet, pedes Riperium uſque, ut per Padum veheretur, perrexit. Sed illo itidem gelu operto, magno labore & tædio tamdem appulit Ferrariam. Inde Ravennam profectus, cum mare vehementer elatum conſpiceret, ne moram traheret, ad Cæſenæ portum, inde Aſculum navigaturus, proceſſit. At ecce hic ſupervenit nuncius Vincentinus Pontificias afferens litteras, quæ pro Aſculanis & Mediolanenſibus datas irritabant.

VII. Monitis itaque Aſculanis, per mare retrogrado ſuſcepto itinere, Clugiam appulit, ubi ter concionatus de mundi vanitate, & quarto de Virginis Mariæ Purificatione, audiente Theani Epiſcopo, Cardinalis Joannis Baptiſtæ Urſini germano fratre, in Hungariam Legato ut Cruciatam contra Turcas inſtitueret, die altero mirantibus civibus, quod longiſſimum iter adeo breviter ſit emenſus (cuncta enim nuncius ex ordine recenſuit) Vincentiæ ſummo omnium gaudio exceptus eſt. Quanta ejus exiſtimatio eo fuerit in populo, inde licet conjicere, quod eximio quodam Prædicatore Dominicano tantæ apud ſuos famæ, ut alter pene Joannes Baptiſta reputaretur, adhuc concionante, non expectato ſermonis fine, ſcamna tranſportata ſint ad ædem principalem, ubi tunc Fraterculus hic erat prædicaturus, eoque advolarint cives univerſi. Poteſtas & Capitaneus, præcipui urbis Rectores, gravi impenſa præpararant in Prætoria theatrum, & loca choreis & ſpectaculis Bacchanalium; at Bernardinus feria quinta ante Quinquageſimam multis rogavit, ab his peccatorum irritamentis abſtinerent. Cum id obtinere non poſſet, Dominica ſequenti vehementer excanduit in peccatorum auctores & patronos, dixitque rem indignam patrare viros nobiles, qui ad ſimiles malorum illecebras ſuas mittunt uxores. Hinc factum ut nulla ex nobilibus, quamvis omnes fuerint vocatæ, voluerit prodire. Prætores eluſi, valde in Prædicatorem irati, quaſi injuriam ulturi, legem, quam die Veneris præterito, Servi Dei monitu tulerunt, ne quis perſonatus incederet, bonis omnibus indignantibus abrogarunt, & Venetias ſcripſerunt, Bernardinum ſolita ſpectacula populique lætitiam perturbaſſe, iram-

Regreditur ex itinere Vincentiam.

Ubi per totam prædicat Quadrageſimam.

Spectacula evertit Bacchanalia.

que

que amplius teſtaturi, ab ejus concionibus abſtinuerunt. A civibus derelicti, dum ſoli ad alium declinarent Prædicatorem, rubore ſuffuſi, ad Bernardinum redierunt, & reconciliati, ex bellariis conditiſque ſaccaro fructibus, quæ nobilibus fœminis ad ſpectacula venturis præparata erant, munuſcula miſerunt. Ille vero, qui hujuſmodi delicias nullibi admittebat, referri juſſit; ſed cum nuncius & portitores nollent, diuque perſiſterent, ut acceptaret, tamdem admiſſa, per eumdem nuncium pueruliseexpoſitis ad ædem ſancti Marcelli diſtribuenda remiſit: ita quod laſcivientium pompæ deſtinata, in pauperculorum uſum ſunt converſa.

VIII. Ultimo Bacchantium die in larvarum reſtitutionem, laſcivaque tripudia, adeo querulam & terrificam concionem habuit, ut ipſe auditoreſque in lacrymas ierint, & eo furentium die præcipuo, a ſolitis inſaniis penitus abſtinuerint. Magna quidem & Divina fuerit oportet hominis in dicendo potentia: quæ enim humanæ eloquentiæ vis ſufficeret, ut juventus ad hilaria proniſſima, ab inveterata grataque conſuetudine ita retraheretur? Dominica prima Quadrageſimæ thema illud, quod nunc in toto agro Vincentino abiit in proverbium. *Attende tibi* uſurpavit, eoque ſingulis diebus repetito, novas rationes adhibebat animæ curandæ. Quidam Peruſinus Præceptor publicus, hac in urbe humaniorum litterarum profeſſor, Græce doctus, cum quotidie rationem aliquam ex tractatu ſancti Baſilii ab illis verbis: *Attende tibi*, incipiente, quem penes ſe habebat Græce manuſcriptum, depromi audiviſſet, Latine translatum, & Bernardino dicatum attulit, dicens: *Ex materia tuarum concionum, religioſe Pater, a ſancto Baſilio jam olim tradita, & a me nunc tuis concionibus excitato traducta, accipe munuſculum a me exiguum, ab auctore pretioſum.* Humaniſſime libellum accepit Bernardinus, ſed cum tunc primum a ſe viſum diceret, admiratus eſt interpres, qui eaſdem, quas exſcripſit, audiebat proferri virtutum laudes, vitiorumque increpationes. Sed mirandum non eſt quod unus idemque Spiritus, quo inſpirati locuti ſunt Dei homines, eadem ſuggeſſerit; cœleſtique inſtinctu eadem illi ſcripſerint & docuerint, qui eidem Domino fideliter ſerviunt, & in domo magni patrisfamilias corde uno & anima una in idem tendunt miniſterium, licet diverſis temporibus, diverſiſque vixerint regionibus.

IX. Cum per aliquot dies prædicaſſet, laxata pectoris vena, copioſe ſanguinem expuebat; unde medicorum conſilio a concionis munere oportuit per triduum abſtinere. Reſumpto labore, cum de pœnitentiæ virtute & Sacramento docte dixiſſet, adjunxit, eam eſſe confeſſionis ſacramentalis virtutem, ut etiam dæmones miſericordiam conſequerentur, ſi peccata ſua poſſent confiteri. Hinc horribiles ſtridores, & ingratiſſimi clamores cujuſdam Energumenæ, quæ ex Montis Lugamei oppido illuc advenerat, & confeſſum totum turbaverat. Expleta utcumque concione, a ſuffraganeo Epiſcopo, Rectoribus aliiſque interrogata, ſerio & ſagaciter ad omnia reſpondit; de Bernardino autem ſtrophulam hanc rythmicam pronunciavit.

Magna ejus poteſtas erga Energumenam.

Credete al Santarello *Guai a colui, che non gli crede*
Al buon Padre Bernardello *Miſero Criſtiano ſenza fede.*

X. Inde in ſancti Marcelli ædem ad Bernardinum a Patre violenter attractam ut benediceret, noluit aſpicere, neque exorcizare, dicens ſe peccatorem eſſe, & indignum cui ſpiritus obſequerentur immundi. At illa in Deum, Sanctoſque blaſphemans, acriter etiam objurgavit comptas adulterinis illitas coloribus, alieniſque ornatas capillis, quæ illuc confluxerant mu-

mulieres: *Itane*, inquit, *docuit vos Bernardinus? hæc veſtra in eum obſervantia? pergite, agite uti ſoletis, meum vobis non deerit obſequium*. Sequenti die hanc dæmonis objurgationem vanis mulieribus objecit Eccleſiaſtes, & ſurrecturum contra incorrigibiles in judicio proteſtatus, retulit ex ſancto Antonino, diabolum in Religioſi Viri perſona populo prædicaſſe, ut vehementius in judicio extremo crimen objiceret obſtinationis. Energumena in pleno conſeſſu ſtatim vociferans, ait id omnino verum eſſe, atque ob hoc ipſum ſe Vincentiam veniſſe: *ſed heu*, inquit, *nimium perdidi: Vincentiæ dimidium poſſidebam; terreſeci hic Fraterculus ſicarios, vanaſque & lubricas mulieres; magnam mihi prædam eripuit*. In aliis concionibus amplius non eſt locuta, cauſam reddens, Bernardinum linguam cohibuiſſe, ſuoque imperio ligaſſe. Orto in populo murmure, quibuſdam negantibus, aliis aſſerentibus vere fuiſſe poſſeſſam; Joannes quidam dignitate Comes, ſcientia, præſertim Theologiæ illuſtris, in ſe ſuſcepit onus explorandi. Adhibitis viris doctis, in hoc genere peritis, de multis interrogavit, de mundi creatione, Adæ formatione, Chriſti paſſione, Crucis virtute, dæmonum tortura, ſanctæ Mariæ Conceptione, aliiſque ſimilibus, & dum ad ſingulos articulos ruſticana pauperque puella diſertiſſime reſpondiſſet, non immerito judicavit, in miſellæ corpore ſpiritum latuiſſe.

XI. A Dominica Paſſionis ſingulis diebus in aperto foro prædicabat, niſi cœli intemperies ſub tectum reduxiſſet; diebuſque Palmarum & feriæ ſextæ Paraſceves ſummo mane docebat, exhortans cœtum, ut a prandio reliquos urbis audirent concionatores. Feria ſecunda Paſchatis, dum feſtivam Chriſti annunciat Reſurrectionem, vehementi corripitur herniæ dolore, qui ſermonis curſum abſcidit. Mira quidem illic præſtitit, magnoſque ſui laboris fructus reportavit. Societatem nominis Jeſu magno auxit incremento, ut pudoroſis egenis ſubveniret, a ſe alias inſtitutam. Inhumanam & feralem legem, qua viris & mulieribus exulum conſanguineorum capita ferentibus, venia cujuſcumque criminis & exilii concedebatur, revocari impetravit ab utroque Senatu Vincentino & Veneto, præſertim quoad mulieres: eo etenim feritatis proceſſerant, ut una viſa ſit in deſignato fori loco quatuor conſanguineorum capita congeſſiſſe. Eccleſiæ Cathedralis fabricam, ſuadente Marco Barbo Epiſcopo Cardinale, collecta multa pecunia, valde promovit. Montem ſolidius fundavit Pietatis, ſtatuta ſolutione denarioli (partis ſcilicet denarii argentei centeſimævigeſimæ; denarii autem duo liram ſeu libram conſtituunt Vincentinam) ſine qua judicavit facile ruiturum. Clauſis januis, Epiſcopo ſuffraganeo, Canonicis & Sacerdotibus multa dixit de dignitate Sacerdotali, & ſacrorum hominum majori recte vivendi obligatione. Fratrum Cœnobia adoleſcentibus, Monialium clauſtra Virginibus replevit; uſurarios, avidos mercatores, & fœneratores ad reddenda injuſte ablata, & male retenta potenter induxit.

Multa præſtitit Vincentinis beneficia.

XII. In tanta tamen erga urbem beneficentia non defuerunt, qui apud ſuos Patres in Comitiis Provincialibus tunc habitis, per Epiſtolas accuſarent, quod contractus licitos condemnaret, quod fœnora probaret, eleemoſynam ſeu ſtipendium pro Miſſis legendis dari prohiberet. Remiſſis ad illum comminationum libellis a nullo ſubſcriptis, reſpondit, ſe contractus uſurarios palliatos, nominetenus honeſtos, re ipſa illicitos condemnaſſe, approbaſſe ſolutionem oboli in Monte Vincentino, qui prius non ſolvebatur, ne cito pium opus deficeret, ſuperſtitionem reprobaſſe eorum, qui triginta Miſſas Gregorianas, ad certam liberationem animarum quarumcumque a Purgatorio ſufficere, & neceſſario triginta continuis diebus, abſ-

que interpellatione legendas eſſe dicebant. Hæc cum ad Conſules Civitatis perveniſſent, in auctores inquirendum rigoroſe voluerunt, donec Bernardinus, ut parceretur, obtinuit. Heu quam frequenter hoc accidit, ut benefacientibus mali nocere ſtudeant, & contra Dei Miniſtros, Satanas ſuos exſuſcitet: *Sæpe virtutum adverſarii conſilia contra bonos ineunt, pravis inventionibus innituntur, ad excogitandos dolos ſe conferunt, & qui eoſdem dolos bonis prodere deberent, ipſi inſtituunt latenter, ipſi tranſmittunt.* Sed Viri ſancti, & fideles Chriſti prædicatores a fervore ſuo per iſta minime compeſcuntur; *Imo quo majori perſecutione premuntur, eo ad prædicandam veritatem acrius inſtigantur, & eum patienter perſecutores tolerant, ardenter ad ſe auditores trahere feſtinant.* Ita quidem Bernardinus exinde ferventius prædicare cœpit, quo diligentius vidit inimicum ſuas tetendiſſe inſidias, ut denigrato dicentis honore, etiam doctrina deſpiceretur.

Gregor. lib. 31. Moral. c. 15.

Indidem.

XIII. In die Aſcenſionis inſtituta ſolemni feſtivitate, & numeroſa ſupplicatione in honorem Coronæ ſpineæ Salvatoris, quæ illa in urbe aſſervatur, relata diſerte tranſlati nobiliſſimi pignoris hiſtoria, omnes ad dignam ejus venerationem excitavit. Alio feſtivo urbis die, quo memoriam recolunt Vincentini traditæ Venetis Civitatis, multa dixit in Sereniſſimæ Reipublicæ laudem, utque diuturnius & felicius in ejus fide perſiſterent, Deo ante omnia fidem obſervandam edocuit: quod ſi a peccatis non reſipiſcerent, ingentia mala, & calamitates bellorum cito venturas, quas ſuo malo veras probaverunt, prædixit. Auditores ea in urbe habuit præter Epiſcopum ſuffraganeum, proceresque urbis, Legatos Maximiliani Imperatoris, & Caroli Regis Francorum Venetias deſtinatos, diverſis tamen diebus, quorum uterque ad ſancti Marcelli ædem, ubi ejus erat domicilium, Dei Virum veneraturus acceſſit, neque diſcedere voluit, donec benedictionem acciperet. In ſancti Bernardini natalibus, quæ Vincentini, Viro ſanctiſſimo valde addicti, eo anno feria tertia Pentecoſtes ſolemniter celebrabant, per tres horas abſque audientium tædio prædicavit, & ex roſtris vale dicto, ſecreto feſtinanterque diſceſſit, dum ſolemni univerſa Civitas incederet ſupplicatione.

Vincentia Patavium abit.

XIV. Patavium, nulla itineris interpoſita mora, profectus, in Eccleſia Cathedrali aſſumpto illo trito ſuo themate: *Attende tibi*, egregie populum de rebus ſaluti maxime neceſſariis inſtruxit, & beatæ Virginis cultum impenſe commendavit. Alias habuit diverſis diebus & locis variorum argumentorum conciones, ſed omnium potiſſimam in die ſancti Antonii ad Minores Conventuales, ubi Vir ſanctus requieſcit, & ſolemni interfuit ſupplicationi, ita præcipiente Vicario Provinciali Ludovico a Turre, qui tunc aderat, & a proceſſione ſe retraxit, potiſſimum locum Bernardino propter Viri reverentiam humaniter ceſſurus. Dum ex roſtris diceret, & poſtea cum reliquis incederet, Pictor quidam Utinenſis, a Proceribus juſſus, effigiem ejus ad vivum delineavit. Illinc Brixiam abiturus, Vicario valedixit, præſagienſque ſuæ vitæ finem, inquit: *Deus ſcit an ſim amplius huc reverſurus: de hac noſtra Provincia non eſt, quod deinceps cogitem: eam Domino commendo.* Ad Montis Silicis oppidum opulentum & frequens ſæpius invitatus, nunc tamdem ire decrevit. Appropinquanti Poteſtas cum toto Populo in portu occurrit, eoque ipſo adventus die prædicavit in foro per ſeſquihoram de tollendo fœnore Judæorum, de cavenda illorum converſatione, de fugiendis eorum muneribus, de pii Montis utilitate pro pauperibus ſublevandis. Itur ſtatim in concilium, & Montis decernitur inſtitutio; die ſequenti ſancti Joannis Baptiſtæ e roſtris exhortante Bernardino, tot

Patavio Brixiã.

AdMontem Silicis concionatur.

tot factæ ſunt oblationes, ut erigi ſtatim potuerit Mons, juxta leges Montis Patavini, etiam Senatu Veneto approbante.

XV. Inde progreſſus ad Oppidum Eſtenſe, ipſa hora nona, qua pervenit, ſermonem habuit, Oratoreſque excepit Montagnanæ, aliorumque oppidorum, ut illis etiam ſitientibus doctrinam propinaret cœleſtem. Aſſenſit, ſed dum Montagnanæ ad concionandum in foro pergit, Rector populi oſtendit Ducis Veneti litteras, ſtatuentis, ne Bernardinus concionetur, ut populi tumultus contra Hebræos certo ſecuturus, evitetur. Hæc audiens Vir Dei, ſecreto ſe ſubducens, ab illo populo receſſit. Qui prædicaturum ſperabant, & in cœtum audituri cojerunt, de receſſu admoniti, contra Rectorem fremere, Bernardinum turmatim inſectari, & ultra duo milliaria progreſſum genuflexi rogare ut rediret, ſaltem populo benedicturus. Tot ſupplicantium precibus victus, regreditur, & humiliter benedicit, ſed dum iterum abire tentat, prædicare cogitur, rogante etiam Rectore. Nihil contra Hæbræos dixit, leges tantum Canonicas & Chriſtianas recitavit, quibus uſuræ prohibentur, & inimicorum Chriſti familiare commercium condemnatur. Remedium deinde malorum propoſuit, ut Mons erigeretur Pietatis, inſtar plurimorum per optimas quaſque Civitates erectorum. Placuit propoſitio, cunctiſque offerentibus, etſi furerent Judæi, coacervata eſt brevi tanta pecunia, quanta Monti inſtituendo ſuffecit. Hinc diſcedenti occurrunt Oratores Oppidi Colonniæ rogantes, ut eos ſua præſentia & doctrina ſolaretur, ne, uti accidit Lonigi incolis, ad quos Bernardinus Senenſis noluit deflectere, reputarentur Dei verbo indigni, & haberentur pro Samaritanis. Abiit, & ſerotina conſolatus eſt concione horis duabus.

Ad oppidum Eſtenſe. *Ad Montagnanæ.* *Ad Colonniæ.*

XVI. Veronæ inventis litteris Veneti Principis, ante triennium ad Marcum Antonium Moroſinum, urbis Rectorem procuratis, ne contra Judæos prædicaret, tacere conſtituit. Prædicare coactus, nihil neque in Hebræos, neque in illorum fautores, qui falſis ſuggeſtionibus litteras in ſe impetrarunt, commotus, ſolummodo falſas oſtendit, reliquam proſecutus concionem, de perfecta vita Chriſtiana. Secundo habito ſermone in feſtivitate ſanctorum Petri & Pauli, de libertate Eccleſiaſtica, de auctoritate ſummorum Pontificum, & de debita eis reverentia, Piſcariam, ubi primos habuit ſermones Quadrageſimales, perrexit, ibique ſemel in arce militibus & Præfecto, & bis in aperta area univerſo populo concionatus, ſalutatiſque Fratribus, qui in inſula lacus religioſe vivebant, populo Salenſi prædicavit in die Viſitationis Virginis Mariæ. Ilthinc Brixiam tetendit, ubi plures habuit ſermones in area templi Cathedralis, creſcente ſemper audientium cœtu, concurrentibus etiam Epiſcopo Paulo Zanio, & univerſo Magiſtratu. Duo hic accidere adverſa: primum ſparſa vox, quod ſevero edicto Veneto juſſus ſit toto exulare dominio; evanuit tamen poſt aliquot dies, oſtendente Magiſtratu ipſas litteras Ducis, quibus id dumtaxat vetabat, ne prædicaret contra Hebræos. Secundo audientibus pluſquam viginti millibus in die ſancti Jacobi Apoſtoli, dum per duas horas de parentum in filios, & filiorum in parentes officio gratiſſime prædicaſſet, horribili ſpectro Æthyopis, equo inſidentis, magnaque clava in populum irruentis, concio tota perterrita in fugam inconditam, paucis occiſis, aliquibus contritis, multis læſis, omnibus attonitis, ſe receperunt, nec a concionatore nomen *Jeſu* fortiter inclamante, animoſque addente, a fuga cohiberi potuerunt.

Veronæ. *Piſcariæ.* *Brixiæ.* *Horribile ſpectrum.*

XVII. Fuerat antiquis temporibus in die illo, qui nunc vigilia eſt Aſſumptionis beatæ Virginis, certandi curſu in Dianæ ſacris conſuetudo, quam cum aliter amovere non potuiſſent Brixienſes, in equorum hominumque,

ſed & mulierum curſum feſtivo Aſſumptionis die agitandum permutarunt. Cum veloces equos, aliaque in promptu haberent, multique a longinquis partibus ad ſpectacula veniſſent, Bernardinus iis perſuaſit rationibus, diem ſacrum non in profanis ludis, ſed in beatæ Virginis cultu tranſigendum, braviique pretium pauperibus diſtribuendum, ut publicis tabulis ſtatutum ſit, iſthæc omitti, quod & illius urbis referunt Annales. Montem Pietatis valde diminutum, ob non ſtatutum Miniſtris ſtipendium, quod ex ipſo ærario ſacro ſolvere oportebat, ut populo commendaret rogatus, licet ex rupta jam tertio vena pectoris plurimum ſanguinis expueret, viribuſque deficeret, aſello in forum vectus, languida voce, gravi anhelitu per horæ dimidium, cum de pauperum ſubſidio, eleemoſynæ laudibus dixiſſet, tacere coactus eſt, neque tamen inde niſi oblatione facta aureorum bis mille trecentorum diſceſſit. Aucto confirmatoque Monte, judicatum eſt, Hebræos minime neceſſarium, ſed grave pernicioſumque eſſe Reipublicæ pondus, quare tota illa urbe & diſtrictu recedere ſunt coacti. Die ſequenti ad concionandum rediens, Dei voluntate incidit in ſacerdotem, qui ſacrum Chriſti Corpus ægroto ferebat, vetula una lanternam geſtante ſociatus; quare mutato ſermonis argumento, die illo diutiſſime & ferventiſſime de hac re ita peroravit, ut per omnes Eccleſias animarum curam habentes, facta ſint collegia hominum, qui cum cereis accenſis Divinum Sacramentum, dum ferretur & referretur, religioſe comitarentur. Multi benedictione ab eo impetrata, acceptoque nomine Jeſu chartulis inſcripto, a variis languoribus corporis, & animæ tribulationibus ſunt liberati. Urbem demum eodem modo, quo Vincentiam & Patavium prænunciato Dei appropinquante flagello terreſecit, ut finem facerent peccandi. Accepit hic diploma iſtud Pontificium, per quod Aſculani procurabant anno ſequenti, quod iſto non potuerunt, obtinere.

Capreol. in hiſt. Brixien. lib. ult.

Dilecto filio fratri Bernardino de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex originali. Jubetur prædicare Aſculanis.

XVIII. D*ilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut nuper ab eorum Oratoribus accepimus, dilecti filii Antiani & Commune Civitatis noſtræ Aſculi cupiant pro eorum in te caritate, proque tuæ vitæ exemplaritate, ac gratia, qua in annunciando verbo Dei polles, te in prædicationibus audire, & apud te, Deo favente, multum proficere ſperent: Nos volentes pro ipſius populi, quem inter alios noſtros paterna proſequimur caritate, deſiderio in hac parte ſatisfacere; tibi per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in futura proxima Quadrageſima Aſculum ad prædicandum accedas, ibi ſecundum traditam tibi a Domino facultatem, & Evangelicam doctrinam, lucrum facere ſtudeas animarum. Quocumque mandata tibi etiam per nos facto, quod interim ſuſpendimus, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XX. *Junii* MCCCXCIV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Brixia recedit. Ticinum pergit.

XIX. Rogatus ab Epiſcopo & civibus Bergomenſibus, ut illuc iret, ſaltem per dies octo prædicaturus, reſpondit, ſe a Superioribus juſſum Ticinum recta proficiſci, viribuſque fractum, non poſſe illorum votis ſatisfacere. Accreverunt itidem morbi, continuum ſanguinis ſputum, dolores iliaci, calculi, & mingendi difficultas. Statuit itaque recedere expletis illic menſibus duobus, quibus ea in urbe hærere præceptum erat, combuſtiſque pro

more

more malorum incentivis, libris præſertis laſcivis, atque inter hos Boccaccii novellis, diſceſſit. Ad Trajadi oppidum per diem unum requievit, peractaque concione die ſequenti, dum ad lautiſſimum prandium ſibi ſociiſque paratum duceretur, juſſit in pauperes diſtribui, & extra oppidum ſub arboribus in terra ſedens panem tantum cum fructibus admiſit. Clarino oppido appropinquanti, obvius factus eſt quidam Grammaticæ Magiſter cum diſcipulis, qui multa carmina ejus adventui gratulantes recitarunt. Gratias habuit, Magiſtrumque rogavit, ut pie & Chriſtiane puerulos inſtrueret, reſecatis omnium vitiorum illecebris, libris præſertim laſcivis. E roſtris die ſequenti aſſumpto themate: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum*, de recta juventutis educatione doctiſſimum habuit ſermonem; erant enim ibi ſcholæ publicæ & Academia linguæ Græcæ & Latinæ, perſuaſitque Præceptoribus ut ablegatis Martialis, Ovidii amatoriis, Petronii Arbitri, aliiſque libris obſcœnis, ſubintroducerent Poetas pios, Sedulium, Juvencum, Prudentium, alioſque Chriſtianos auctores, nomenque Jovis & Apollinis in Jeſu Chriſti ſanctorumque commutarent. Placuit valde hæc doctrina adoleſcentulorum parentibus, qui ſæpius quærebantur in ſcholis corrumpi filios, quos illi caſte nutriebant. 1. *Cor.* 15. 41.

XX. Ad Urſosnovos appropinquans, dum præ languore pervenire non poterat, Magiſtratus, miſſis viris primariis, qui honorifice exciperent, in domo per milliaria aliquot diſtante reſocillari curavit. Die ſequenti ſancti Auguſtini acceſſit, feſſuſque prædicavit de ſancti Doctoris inſignibus prærogativis, præmiſſis ſermoni illis verbis: *Vas ſolidum, ac ornatum omni lapide pretioſo*; adjecta opportuna & accommoda inſtructione audientium. Apud Soncinates aliquantulum reſtauratis viribus, Cremam perrexit, ubi beniguiſſime excepto dixit Prætor, a Senatu Veneto interdictum, ne prædicaret, ut Hebræorum caveretur perſecutioni. Valde ſe dolere dixit Bernardinus, Sereniſſimam Rempublicam tam impenſe Hebræis cavere, ut ne quidem verbum Dei libere prædicaretur, protegendiſque Chriſtianis, quorum ſubſtantias devorabant, potius quam Hebræis, debuiſſe intendere. Porro ſe neque velle, neque poſſe infirma valetudine, ut aliis proficeret attrita, prædicare. Inde Laudam progreſſus, poſtquam aliquantulum requievit, eodem die ad Caſtrum ſancti Angeli pervenit. Importuna victus hominum prece, die ſequenti prædicavit ab illis verbis: *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, ſumpta materia, ſtatimque impranſus receſſit. Ad ſingula ferme milliaria reſpirare, languentemque ſpiritulum oportebat refovere; reliquum vero iter pedes voluit perficere, quantumvis ſocii ſummopere inſtarent, ut caballo ſe vehi permitteret. *Eccli.* 50. 10. *Pſal.* 90. 11.

XXI. Occurrentibus paſſim equitum cohortibus, militumque turmis, quæ Caroli Francorum Regis partes ſectabantur, dicebat ſociis: *ita in ſupernis ſtatutum eſt, ut tam caput, quam membra pœnas luant, & Principes Italiæ ſentiant virgam furoris Dei. Me quidem tædet vitæ meæ, nollemque videre mala gentis noſtræ, quæ abunde ſupervenient*. Ticino tandem appellens, ſumma totius populi exultatione receptus eſt, cui gratificari cupiens, ad prædicandum vires utcumque reaſſumpſit, propoſitoque themate: *Curam illius habe, tibi animam commendo tuam, mihi meam* (jam mortem, uti dictum eſt, præſagiebat) dicere inchoavit: *Medice cura te ipſum, alios doces, tuam in te reflecte doctrinam, magnum mare tranatandum, cui aliorum cura mandata; quanto autem mihi, qui parvulus ſum, erit profundius? Sed ego ad littus me colligam*. Digreſſionem hanc, quam tunc auditores non perceperunt, de ſe, atque de Vicario Generali, tunc Raguſii, uti diximus, Ticini concionatur. *Hoc anno n.* 1.

mus, defuncto, feciſſe paulo poſt intellexerunt, cum litteræ ſub paucos dies ad eum allatæ ſunt, quibus annunciabatur omnium conſenſu in defuncti locum illum fuiſſe ſubſtitutum, atqui ille provinciam hanc conſtanter recuſavit. Nona concione invectus eſt in errorem quorumdam, adeo extollentium Dei miſericordiam, ut juſtitiam extenuarint, & dixerint paucos valde eſſe, qui damnentur, reſpectu ingentis numeri electorum, multumque ingeſſit peccatoribus timorem, ne profuſa ſpe veniæ liberiori vitæ laxarent habenas, obliti conſilii Apoſtolici, *cum timore & tremore multo operandam eſſe ſalutem*.

Philipp. 2. 12.

XXII. Ingraveſcente autem ægritudine, & reſolutionis tempore appropinquante, ferventius quidem concionabatur, veluti olor morti propinquus, modo ſpe præmii ad virtutem alliciens, modo ſupplicii timore a malis revocans, quæ imminebant Italiæ flagella palam annunciabat: *Heu*, inquit ſub orationis finem, *quantus vini in multorum capita fumus aſcendit, ſed aqua paratur tanta, quod celerrime comprimetur?* Quo verborum tropo voluit fortaſſis ſignificare Caroli Francorum Regis adventum, Ducis Mediolanenſis, & Regis Neapolitani ruinam, magnorumque Italiæ Potentatuum contritionem, quæ paulo poſt evenerunt. In Nativitate beatæ Virginis Mariæ ſermonem ab ejus laudibus exorſus, repetitis ſingulis, quæ alias ibi conſtituit facienda, ad obſervantiam eorum, & perſeverantiam in bono auditores diffuſiſſime hortatus, prolixæ orationis veniam petiit, dicens, non ſemper futurum dicendi tempus, & proinde, quod breve ſupererat, non eſſe negligendum. Altero die, cum de regno Dei & Angelis ejus verba faceret, dixit: *Quanta ſit ſpirituum horum cæleſtium circa noſtram cuſtodiam ſollicitudo, opportuno loco & tempore docebo; dic ſcilicet Angelorum Principis Archangeli Michaelis, ſi vobiſcum eſſe licuerit, quod tamen reor negandum*.

Infirmatur.

XXIII. Ex his ſuſpicati Papienſes, vel viribus defeciſſe, vel propinquæ mortis tempus prævidiſſe, & nihilominus animoſius ferventiuſque conciones proſequentem, & effœta membra baculo ægre ſuſtinentem conſpicientes, inſtanter rogarunt, ut tribus ſaltem diebus ab orandi munere ſe contineret, quod a Servo Dei, qui ſe diem illum, quo non prædicabat, perdere arbitrabatur, vix obtinuerunt. Itaque ad ſuum ſancti Jacobi Cœnobiolum profectus, etſi æger, non feriabatur, ſed vel legendo, vel ſcribendo, aut orando tempus reddebat fructuoſum. Etſi pharmaca nihil proficerent, febris continuo creſceret, morbique ſigna viderentur mortifera, vix volebat lecto decumbere, ſed ad cubiculum Eccleſiæ conjunctum, unde Divinum officium & Sacrificium audiret, ſe conferebat, aut Conſodales ægrotos inviſebat, vel advenientes urbis Proceres amice excipiebat, piiſque monitis ad bene beateque vivendum hortabatur. A quodam Conſodale infirmo interrogatus, quid de Gallis? (nam jam adventabant) *Italiæ*, inquit, *ſtragem apportant, ſed & illa tamdem illorum erit ſepultura*; quod poſt aliquot annos viſum eſt eveniſſe. Cum vero ab eo recederet, *vale*, inquit, *neque enim ad te deinceps revertar*.

XXIV. Ab illa hora creſcente ſemper morbo, non potuit e lecto reſilire, & licet morbus eſſet auctus, neque de medicis, uti ſolent infirmi, neque de ſociis, neque de ciborum condimento, neque de corporis moleſtia ullo unquam tempore conqueſtus eſt, ſed potius miniſtantibus, ad ſingula vel minima obſequia gratias exhibebat, & ne quemquam illorum contriſtaret, quidquid afferebant, etſi nihil ei ſaperet, accipiebat, medicisque potiones porrigentibus dicebat: *parcbo, etſi ſuperfluum putem omnem veſtrum laborem*:

rem: de me jam conſummatum eſt. Fervebat tamen in languidulo corpore ſpiritus promptus ad pia quæque opera exercenda. Cum Fratres ad Matutinas preces ſurgerent, vocato comite, ſedens in lecto eaſdem recitabat, & reliquas Divini officii partitiones horis ſtatutis. Poſtquam vero medici, cognita nimia ejus imbecillitate, interdixerant officio recitando, curavit ſaltem audire, ſociis legentibus. Viſum venientes ſedens excipiebat, pudebat enim videri ſegniter decumbentem. Extrema die, cum ſacroſanctum Chriſti Corpus afferretur, animoſius proſiliens e lecto, extra cubiculum efferri voluit, reputans indignum intra penetralia expectare Regem Cœlorum, & non prodire reverenter in occurſum. Humi reveritus, ut commodius exciperet, in cubiculum ſuum dominum comitatus, lacrymis multis tunſoque pectore veniam deprecatus errorum, ſacro Pane diſceſſuram animam refocillavit, corpuſque ſtatim curavit ſacro Unguento delibari. Accepta demum benedictione Pontificia, quam diu antea conceſſerat pro mortis agone Innocentius VIII. pſallentibus & orantibus Fratribus, abſque ullo perturbationis ſigno, placido & ſereno vultu ab extenuato corpuſculo ſanctum emiſit ſpiritum die Sabbati XXVIII. Septembris, poſt horam noctis decimam, in vigilia ſancti Michaelis, hoc anno Chriſtianæ ſalutis, ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto. Sanctiſſime moritur.

XXV. Ipſa illa hora qua deceſſit, Angelus Minorita, Clariſſarum in ea urbe confeſſarius, cum poſt Matutinum e choro in cellulam rediret, tubam clare reſonantem audivit. Importuno tempore ſonitum miratus, Gallos, quos fama erat adventaſſe, adeſſe ratus, feneſtram aperuit, nihilque aliud ſentiens, dum quid eſſet, ſecum penſitaret, nuncius accurrit, fratrem Bernardinum deceſſiſſe recenſens: *Ceſſet*, inquit ille, *hæc noſtra admiratio: decuit quidem ut ſuaviſonus totius Italiæ tubicen, cæleſti tuba præeunte, ad cæleſtia regna tranſiret*. Ex illis Clariſſis una, dum pro viri ſalute pridie oraret, vocem audivit, non eſſe pro eo amplius orandum, qui poſtridie in ſancti Franciſci ſinum erat transferendus. Lucas Papienſis, quem in valetudinario paulo antea diximus Bernardinum inviſiſſe, in ejus obitu ſuaviſſimum audivit concentum, & vocem dicentem: *Lætitia & gaudium eſt in morte Deo ſervientium*. Ceterum illuceſcente die, tantus advolavit populus, ut domum omnem repleret. Omnes ſanctum corpus videre, venerari, oſculari, veſtis particulas abſcindere, roſariis, ſudariolis tangere, ſe illius meritis commendare. Inciſa uſque ad genua veſte, & undique dilacerata, timentes Fratres ne totum corpus denudaretur, & ad illius etiam injuriam ut reliquias decerperent, procederetur, ad ſacrarium exportarunt. Hinc tantus populi tumultus, & clamor ſupervenientis & excreſcentis multitudinis, ſuum Magiſtrum piumque patrem videre expoſcentis, ut ſecundo & tertio veſtitum in medium oportuerit reproducere. Miranda poſt mortem.

XXVI. Cum vero tangendi corporis, & periculoſæ compreſſionis non eſſet finis, in ſicello crate ferrea munito, loco alto, ut ab omnibus videri poſſet, Fratres expoſuerunt. Viri primarii, quibus fuit permiſſum tangere & palpare, admirati ſunt membrorum flexibilitatem, & totius corporis mollitiem. Societates ſeu Confraternitates univerſæ, quas Bernardinus inſtituit, ordinatim proceſſerunt in Templum, & coram feretro proſtratæ, Letanias decantantes, adjunxerunt unanimi altiorique voce: *Beate Pater Bernardine parvule noſter ora pro nobis*. Tunc colonus quidam nobilis gentis Beccariæ, totis membris contractus, cum ſe Bernardini meritis & precibus commendaret, ſtatim convaluit, ſuiſque pedibus domum redivit. Sub veſperam acceſſerunt urbis Conſules, & Eccleſiæ Cathedralis Canonici rogaturi Diſceptatur de funere.

turi

turi ut die ſequenti ſancti Michaelis per urbem ſolemniter ſanctum corpus circumferretur, ſeque omnes, diſpoſitis ordinibus, funus ſecuturos, & demum curaturos promiſerunt. At monitus Michael Provinciæ Vicarius, propterea eos cupiiſſe urbi corpus inferri, ut apud ſe in æde Cathedrali retinerent, etſi ſub veſperarum horam univerſi civium Ordines, Magiſtratus cum nobilibus, Aſcanii Cardinalis Epiſcopi Vicarius cum Canonicis & Clero, omnes Religioſæ familiæ, cuncta hominum Sodalitia ſeu Confraternitates, puerorum bina millia, Angelorum more cum mœſtitia incedentium, & vexillula Jeſu nomine inſcripto geſtantium, ſimul proceſſuri convenerint, noluit tamen ſacrum pignus e Cœnobio nimis elongari, ſed ducto gyro in circuitu Monaſterii, in templum rediit, ubi elevato in altum corpore, ne violaretur, exequias ſolemniſſime Canonici celebrarunt. Illis abeuntibus, Conſodales ſua etiam munia peregerunt, integrum Defunctorum Officium decantarunt, funuſque clauſis januis, quibuſdam ex Canonicis, potiorique Clero præſentibus, procurarunt. Corpus ſepulcro lapideo depoſitum, & lateritio opere circumvallatum, etſi ſecure requieſcere videretur, nihilominus excubitores adhibuit Vicarius, ſecreto admonitus, in conſeſſu Canonicorum decretum fuiſſe, ut raperetur. Id enim ſibi juris ineſſe cauſabantur, quod illi impetrarint ejus in urbem adventum, illorumque precibus apud Pontificem & Vicarium Generalem factum eſſe, ut potius ibi, quam alibi curſum vitæ conſummaret.

XXVII. Biduo poſt obitum advenit ejus frater germanus, de quo alias diximus, Antonius, qui licet fratrem ſe perdidiſſe dolebat, tamen in Cœlum abiiſſe gaudebat, obtentaque a Ludovico Duce Mediolanenſi licentia, defuncti reculas, librorumque ſarcinulas in patriam revehendi, cum Franciſco & Jacobo Feltrenſibus ſancti Viri individuis ſociis remeavit. Ubi vero certa mortis fama Mantuam, Brixiam, Veronam, Vincentiam, Feltrum, ad aliaſque Civitates pervenit, ſolemnes ei decreverunt inferias, & præter morem, omnes Eccleſiæ etiam parrochiales, pulſatis campanis, juſta perſolverunt. Feltrenſes ſolemniſſime parentarunt interventu Epiſcopi Andreæ Triviſani, Rectoris Loredani, Magiſtratus, Cleri, omniumque ſacrarum Familiarum. Multis cœpit Vir Dei ſtatim clarere miraculis, quorum præcipua referemus, præmiſſo prius brevi vitæ compendio, quam ſub itinerantis ſpeciem diffuſe hucuſque diſpartivimus, ſubindicatis dumtaxat præclaris religioſæ vitæ virtutibus, quas hic item breviter ſumus daturi.

Multi eum ſolemni funere cohoneſtabant.

XXVIII. Vultu venerabili & gravi, ſed placido & hilari, moribus etiam compoſitis & delectabilibus, omnium rapiebat oculos & affectus. Naturæ quantumvis debili nihil indulgebat ſingulare, communi victu & veſtitu contentus. In cibo & potu parciſſimus, in continuis diſcurſibus, & perpetuo labore vix neceſſaria ſuſcipiens. Bellaria, aut ſaccaro condita, etſi extenuatæ complexioni opportuna, frequenter ab amicis tranſmiſſa, noluit admittere; vel nuncium remittebat, vel oblata infirmis mittebat, dicens, delicias iſtas pauperculum dedecere mendicum. Vinum bene dilutum, abſque ullo delectu in minima bibebat quantitate, neque aliquando auditus eſt rubeum, a medicis propter herniam commendatum, aut aliud quodcumque genus nobile, generoſum aut leve petiiſſe. Jejunia ab Eccleſia inſtituta, vel ſuæ Religioni peculiaria, rigoroſe obſervavit, nullo prætermiſſo die, quantumvis longo itinere, vel arduo labore conficeretur. In vigiliis beatæ Mariæ panem ſolum admittebat & aquam, reliquis jejunii diebus ſemel dumtaxat edebat, nihilo prorſus ſub noctem delibato.

Breve illius vitæ compendium.

XXIX. Ter in hebdomada, juxta ſui Sodalitii conſuetudinem, ſive inter

ter

ter ſuos reſidens, ſive extra pererrans, aſperis flagellis in ſe animadvertebat; iis, qui ut indulgentius ſecum ageret, rationem reddens, dæmones valde timere Religioſorum flagella, atque ad ipſum flagri fugari conſpectum. Veſtis ei paupercula & ſegmentitia, novamque ferre pudebat: ſomnus ei breviſſimus, duarum plerumque horarum; & triginta continuis annis, nulla unquam nocte ad matutinas preces ſurgere prætermiſit. Summo mane ſub auroram, præmiſſa ſemper confeſſione, ſacrum celebrabat vel audiebat, dicens, rem turpem eſſe Religioſo præſertim viro, a Sole præveniri. In oratione aſſiduus & fervidus, ruminabat ſecum quidquid erat in concione dicturus, Deum rogans, ut prius in ſe, mox in auditoribus eum produceret fructum, quem ſuæ gloriæ, & fidelium animabus magis noverat expedire. Hinc accenſi ſermones, & fervida ex ardenti pectoris fornace prodibant eloquia: unde deſumpta eſt occaſio in urbe & agro Feltrenſi, ejus imagini hæc verba circumducendi: *Ignitum eloquium tuum Bernardine beate*. Importuna & moleſta adventantium viſitatione cum tempus concionibus componendis deeſſet, ad orationem recurrebat, dicens, brevius & melius orando, quam ſtudendo componi. Spem omnem in Deo bonorum omnium auctore, ejuſque Genitrice reponebat; ubicumque ergo ad prædicandum hærebat, orationes omnium Religioſorum & Monialium, & quos noſcebat, piorum virorum per ſocios expoſcebat, dicens, ſparſum Divini verbi ſemen, nonniſi rore cœli poſſe fructificare.

XXX. Sacroſanctum Jeſu nomen ſumma reverentia intimoque cordis affectu proſecutus, frequens habebat in ore, & erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum vehementer exardeſcens, nullam præteribat occaſionem ubique ejus cultus augendi. Virginis Mariæ laudes perpetuo celebravit, neque unquam ad votum potuit ejus encomiis ſatiari. Paupertate dives, ſolum ſarcinulas ferebat librorum, reliqua omnia contemnens mundana. In humilitate radicatus, nullam admiſit libenter prælaturam, & cum ſe ſuoſque ſermones tam ab eloquentia, quam a fructu commendari perſentiret, Deo omnem laudem & gratiam referendam eſſe dicebat, cui placuit per infirma & contemptibilia mundi, potentiæ ſuæ monſtrare majeſtatem, eoſque fructus in Chriſtifidelibus producere, in quibus ille minimam habebat participationem, non aliter quam muſca, cornui bovis arantis inhærens. Illius totum eſſe aſſerebat, qui dixit: *Sine me nihil poteſtis facere*. In omnibus, quas *Joan. 15. 5.*
exercuit, prælaturis viliſſima quæque ſubibat officia, panem oſtiatim mendicabat, domum verrebat, utenſilia lavabat, nullo unquam parcens labori. Pietate erga pauperes, infirmos, afflictos flagrabat incredibili; utque miſellos egenoſque Chriſtianos ab Hebræorum liberaret voracitate, quos non ſubivit labores & tribulationes?

XXXI. Læto & jucundo vultu omnes humaniſſime excipiebat, mœſtoſque ſocios, vel itinere vel labore fatigatos, piis jocis modeſtiſque facetiis exhilarabat. Per univerſam Italiam peregrinatione ſuſcepta, nullo ferme loco conſiſtens, ut omnes Chriſto lucrifaceret, jumenti numquam voluit admittere ſubſidium, ſed ſemper pedes per nives, pluvias, ſcabroſa itinera, loca horrida & aſpera lætanter incedens. Cum Florentia, uti retulimus, *Tom. 14. ann.*
ejiceretur, viſus eſt radius igneus ab ore illius proſilire. Lucæ concionan- *1488. n. 10.*
tem viderunt auditores radiis circumdatum; alia vice roſam pulcherrimam ore tenentem. Aquilæ Angelum ante conſpectum prædicantis librum apertum tenentem. Mirabilis quidem fuit in omnibus operibus ſuis, pleneque complevit prolatum de ſe a ſancto Bernardino Senenſi vaticinium a nobis *Tom. 11. ann. 1456. n. 150.*
alias relatum. Ut vero ad portentoſa ejus opera deſcendamus, miracula ſe- *Multa patrat miracula.*

quentia narranda duximus ex legendis actiſque MSS. & duobus proceſſibus Ticini & Feltri compilatis, quæ majoris claritatis & tædii vitandi gratia, ſecundum varias morborum affectiones diſtribuemus.

Contractos rectificat.

XXXII. Joannis a Navi uxor Catarina, integro menſe membris penitus contracta, nullo modo in lecto ſe movere valens, ea ipſa nocte, qua Vir Dei deceſſit, ſibi apparentem radiorum ſplendore fulgentem conſpexit, & orationes quaſdam, ut recitaret, dicentem audivit, ſtatimque pulſo morbo, conjugem exſuſcitat, & quæ facta erant, enarrat. Summo mane in templum conjuges ambo perrexerunt, mortuumque conſpexerunt, quem adhuc vivum reputarunt. Simili morbo longo poſt tempore liberata eſt filia Philippi Rivoldi, quæ veluti mortua per menſes immobilis jacuerat.

Cum Venetias rumor pervenit Bernardinum deceſſiſſe, aromatarius quidam, contractis a cingulo deorſum nervis, abſque ferulis incedere non poterat, & plerumque lecto decumbebat. Vincentia uxor, auditis, quæ de Bernardini referebantur mirandis operibus, pro mariti oravit ſalute, vovitque ſe devotum illi obſequium præſtituram. Cum nihil horum intellexiſſet maritus, admiratus eſt ſe, nullo ſuperſtite morbi veſtigio, ſanum effectum; ſed cum a conjuge emiſſum votum reſciret, ut confeſtim ſolveret, rogavit, gratiaſque ſuo egit liberatori.

In urbe Cremenſi, Annibalis filius bimulus, crure, brachio, & toto latere dextro attractis nervis vehementer dolens, multo fuit oneri & dolori parentibus; nihil enim quod prodeſſe poſſet, aut medici ſuaderent, prætermiſſum. Suaſerunt aliquando amici, ut voto facto Bernardini opem implorarent. Faſtiditi reſponderunt: *neſcimus, cui amplius vota profundamus, tot tantiſque emiſſis, caput hebeſcit: vos illi vota porrigite, quidquid promiſeritis, nos perſolvemus*. Res mira! emiſſo ab hortatoribus voto, puerulus ea nocte convaluit, & quod illi ſpoponderunt, mater exhibuit.

Eadem in urbe, puerulus alter toto impotens corpore, pollicentibus parentibus, habitu Franciſcano indutum, ſe ad Viri ſancti ſepulcrum conducturos, membrorum uſum recepit.

Alexandri Mirandulæ, viri Ticinenſis filius, partes demiſſiores ſtupidas habuit & ſideratas. Bernardini meritis cum ſanarentur, pater ad ejus ſepulcrum crus argenteum appendit. Bonacurſius civis Parmenſis, illo etiam invocato, a trium menſium ſtupore ſanatus eſt. Vincentiæ Cypriani filia, cui armus cum brachio ſtupebat, rogans Divum hunc auxiliarem, convaluit. Antonius Barenſis annis decem paralyticus, retorto collo, hianteque ore ad aurem uſque, fruſtra adhibitis remediis, ſolum illud efficax probavit Bernardini invocati patrocinium.

Nervis reſolutis, membris capta, in inguine duriſſimo laborans apoſtemate fœmina quædam Cremenſis, cum longo tempore decumberet, induceretque medicum Hebræum, & poſtea reminiſceretur Bernardinum vehementer invehi ſolitum in eos, qui a Judæis ſe curari permittebant, eum repulit, remediumque a Bernardino imploravit. At ille ferre diu non diſtulit; nam & illa ſtatim melius cœpit habere, & poſt dies octo ex integro convaluit.

Epi-

Epilepſiam expugnat.

XXXIII. Etſi nulli remedio cedat hic morbus Herculeus, aut deifica lues, virtute tamen Bernardini non ſemel ſuperata eſt. Agneſina Simonis Gracini conjux, Ticinenſis Cœnobii, ubi Vir Dei requieſcit, Fratres advocavit, porrectaque argentea imagine: *en*, inquit, *hanc offero Patres, pro filia mea, quæ ſæpiſſime mente & ſenſibus alienata corruebat, ſed nunc Bernardini veſtri meritis perfecte liberata eſt*.

Antonius Neapolitanus paralyticus ſimul & Epylepticus, translatus ad monumentum ſervi Dei, ſe illi ex animo commendavit, atque illico ab utraque ſanatus eſt ægritudine. Quam ob rem cunctis admirantibus, qui aderant, coram Epiſcopi Vicario, ad publicam firmamque rei fidem, Notarii manu conſcriptum eſt miraculum, & tabella ad ſepulcrum appenſa.

Alegrina Mazentina Ticinenſis, frequenter hoc malo corruens, & miſere affecta, poſt longum fruſtraneumque remediorum experimentum, intercedente Bernardino, greſſibus confirmata eſt, malo penitus expulſo. Bartholomæus Simonis, unus ex ſcriptoribus actorum Bernardini teſtatur, ſororiam ſuam Cherubinam Clariſſam, Monaſterii ſancti Bernardini Vincentini, eodem ſontico morbo laborantem, liberatam fuiſſe chartula, cui manu Viri Dei Jeſu nomen erat inſcriptum, ad collum appenſa.

Podagram abigit.

XXXIV. Parmæ, dum Montem Pietatis inſtitueret, & Miniſtros curandis rebus præſcriberet, Præſidem totius negotii deputavit virum probum & pium, pauperum amatorem. Hic cum ſe vehementer podagra & chyragra ſtatis anni temporibus vexari cauſaretur, & proinde non poſſe onus iſtud ſubire, Bernardino Deum rogante, ab acuto iſto dolore deinceps ſe ſenſit immunem.

Dum adhuc jaceret in feretro Bernardinus, Franciſcus de Caballis Ticinenſis, cum aliis ad mortis & ſanctitatis famam licet æger accurrit, tactoque corpore domum redit incolumis.

Hydropiſim exſiccat.

XXXV. In Albano oppido, cum grandioris ætatis fœmina, in immenſum creſcente aqua intercute, a medicis linqueretur ut incurabilis, votum vovit ſe Bernardinum veneraturam, in honorem ejus ut ſimulacrum fieret, curaturam, pictamque tabellam ad ſepulcrum miſſuram; deficcato humore quam celerrime, medicis admirantibus, Divina virtute tumor omnis abſceſſit. In urbe Parmenſi, hoc ipſo veterno, ſeu aquoſo languore puerulus laborabat, donec emiſſo a Patre voto de honoranda ſancti Bernardini memoria, a ventris inflatione liberatus eſt.

Hernioſos conſolidat.

XXXVI. Paſſus ipſe Bernardinus ex utroque latere moleſtum herniæ malum, iis compati novit, qui decidentium viſcerum onera portabant; omnemque poteſtatem ſuper hernioſos Deum illi conceſſiſſe viſum eſt, qui pro Chriſto, quam diutiſſime gravem hanc affectionem patienter toleravit.

Cremæ, Chriſtophorum hortulanum graviter ramice laborantem, poſtquam argenteam imaginem ſepulcro appendendam promiſit; fratrem Franciſcum Varium Prædicatorem, necnon fratrem Peregrinum laicum, ubi ejus femoralia tetigerunt; alios duos Cremenſes juvenes, quorum alter filius erat Bartholomæi de Vermicato, emiſſis votis, perfecte ſanavit.

Franciſcus chyrurgicus, qui alios quandoque hoc malo liberabat, cum ſe eurare non valuiſſet, ſervum Dei quam religioſiſſime colere cœpit, & templum, in quo picta ejus imago venerationem obtinuit, inviſere, vel tum maxime, poſtquam audivit eo malo ipſum Dei ſervum diu laboraſſe. Cum vero ſemel ardentius oraret, ſequenti nocte ſenſit ſe penitus liberatum, poſtquam annis triginta quinque tædioſæ huic paſſioni ſubjacuit.

Patavii Antonius Turchetus Hernioſus, cum in aurora vehementer doleret, viſus eſt Bernardinus ſibi apparuiſſe, & interrogaſſe: *Me ne noſti? ne timeas, vove, & ſalvus eris.* Vovit, ſtatimque viſcera ad locum ſuum regreſſa ſunt, & tumor evanuit. Beneficium receptum teſtaturus, & gratias curatori acturus, argenteam imaginem Ticinum miſit, ſepulcro affigendam.

Ad ripam Nanzani fratrem Joannem Chienſem, Ordinis Minorum Obſervantum, annis novem magna moleſtia, defluentia ex parte dextera viſcera geſtantem, poſt orationes & vota, vir Dei ſuo compaſſus Sodali, mirabiliter conſolidata ruptura, hoc fœdo onere levavit. Similiter fratrem Peregrinum e Nono ejuſdem Ordinis, hoc malo diu gravatum, & Jacomini de Arena filium, poſt patris preces & lacrymas, extemplo ſanavit. Peregrinus rem, uti geſta eſt, ſcripſit, & publici Notarii ſingrapha confirmari curavit. Jacominus cum filio ad ſepulcrum progreſſi, gratias & donaria ſuo obtulerunt benefactori.

Catarinæ Papienſis Joannis Mariæ de Nave conjugis, de qua ſupra diximus, filius ruptura utriuſque partis per annos octo fatigatus, dum tertio genitor ad ſepulcrum Viri Dei pro illo oraret, turpi hoc onere ſe levari perſenſit.

Lues venerea pellitur.

XXXVII. Joanninus Piccapredius Papienſis, gravi febre, & morbo Gallico fœdiſſimo, quaſi lepræ ſpecie ex articulari, & apoſtemate, & pruriente undequaque corporis commixto oppreſſus, inde etiam factus ſurdus, vovente uxore, ſe curaturam, ut aliquot Miſſæ legerentur, cingulum ſuum lapillis reſperſum oblaturam, & tabellam ad ſepulcrum poſituram, pulſis omnibus pravis affectionibus, incolumis evaſit.

Ab eadem horrenda & ferme incurabili ægritudine Paulinus de Rubeis ejuſdem urbis, poſtquam magnæ puſtulæ per totum corpus erumperent, & ille promitteret ceream imaginem ſuæ ſtaturæ æqualem, ad tumulum ſe delaturum, perfecte mundatus eſt, aliique multi ab hac turpi contagione ejus meritis ſunt liberati.

Apoſtemata curantur.

XXXVIII. Multorum varia apoſtemata ab eo deſiccata teſtantur pleraque ſigna cerea, & pictæ ad monumentum tabellæ. A fiſtula, a tumore item gutturis, & levi apoſtemate, quod *bocium* vocant, atque a fluxu ventris Mariam Romariam Papienſem, a medicis deſperatam Bernardinus ſanavit. Alexandrum etiam adoleſcentem Joannis Crizzi Doctoris Papienſis filium,

filium, ſimili malo quinquennali, & ſtrumis Bartholomæum de Caponibus fratrem germanum Hyppolitæ Clariſſæ, de qua inferius, Florentiæ a periculoſo capitis apoſtemate, emiſſa ſtatim poſt conceptum votum ſanie multa per aures, plene liberavit.

In eadem urbe Catarinam Antonii Quocieci conjugem, longo tempore ſub ilia vexebat grave durumque apoſtema, ſeu abſceſſus malignus, nullo medicabilis remedio. Medici, deſperata fœminæ ſalute, mederi reſtiterunt. Applicato operimento cervicalis ſive pulvini parti affectæ, ſtatim vomice rupit, brevique tempore perfectæ ſanitati mulier reſtituta eſt.

Cæcis viſus, Surdis auditus, Mutis loquela reſtituitur.

XXXIX. Unum vel alterum documentum pro collatis ſingulis his beneficis in medium proferemus. Ticini, Bernardina Baſſani de Paganis filia, utroque lumine ex longa infirmitate orbata, & in Comitatu Ticinenſi ruris Gaboli, altera Bernardi filia ex varorum multitudine, infectique humoris abundantia excæcata, emiſſis votis, illuminatæ ſunt. Idem beneficium alii receperunt.

Habitabat prope Eccleſiam ſancti Jacobi, in qua Vir Dei requieſcit, mulier quædam longo tempore ſurdeſcens, nihil penitus per annos multos aure utraque percipiens; precibus ad recenter defunctum Bernardinum effuſis, apertæ ſunt aures, & perfecte cœpit audire.

Joanninæ ex Molinatio Papienſi filia, cujus eadem mater a dolore capitis liberata fuerat, diuturni vi morbi, quinquennio muta & immobilis, poſt emiſſum votum, cum ſanitate loquelam etiam recuperavit. Eadem in urbe, Stephani Euſtachii puer, diebus decem mutus, facta ad ſervum Dei oratione, perfecte locutus eſt.

Claudi ambulant.

XL. Joannina Flocca utroque capta crure, nuſquam abſque ferulis Papia incedens, ad Bernardini tumulum orans, voti compos effecta, ſcipionea monumento appendit, ſuis viribus gradiens, hilariter receſſit. Jacobum Sicchum Cremonæ, ſola commendatione huic Chriſti famulo concepta, incolumem extemplo redditum, publica documenta teſtibus corroborata, confirmant.

Franciſcus Theutonicus altero crure claudus, Joannes Antonius Curtius Papienſis, tribus annis inflato pede & crure, nullo pacto ambulare potens; Franciſci Choortis uxor ferulis ſemper innixa; Margarita de Euſtachiis inveterata coxendrice longo tempore claudicans, virtute & meritis Servi Dei ſolidatis greſſibus, recto deinceps corpore ambularunt.

Frater Joannes laicus Minorita Obſervantinus genu, quod nulla arte ſanari potuerat, quatuor menſes dolenter geſtarat, facta oratione, & tacto corpore Servi Dei, dum in feretro jaceret, ſanus exurgit. Eodem ferme tempore frater Lazarus a Monaſterolio Pedemontanus, utroque dolens crure, in Templum deſcendens & orans, Servi Dei ſepulcrum veneratus, morbo liberatur.

Vulnerati integrantur.

XLI. Prope Alexandriam Statiellorum in Inſubria, cecidit e ſcala geſtatoria in perticam fœmina, unde rupto ventre, viſcera prominebant. In le-

lectum geſtata, cœpit invocare Bernardini nomen, & obdormiſcens parumper, dum evigilat, ſentit ventrem colligatum.

In Villa ſancti Leonardi III. M. P. a Ticino, juvenculus cultellum manu tenens, cadit in mucronem, qui a fronte ad obverſam capitis partem pertranſit. Mater accurrens, extracto difficulter cultro oſſibus inhærenti, videt ex utraque parte ſanguinem fiſtulatim profluere, obſtruitque foramina lineis faſciolis. Ita graviter & periculoſe utrinque ſaucium in lectum defert, votis & precibus Bernardino commendat, & mane ſequenti, abſque ulla læſione aſpicit incolumem. In tantæ rei teſtimonium, & gratiarum actionem, mater formam capitis, ipſumque vulnerum inſtrumentum, ſepulcro appendit.

Continus Stradiotus Bergomas, in bello adverſus Gallos pro liberatione Italiæ ſub hoc tempus ſuſcepto, in capite lethaliter vulneratus; Franchinus Brixienſis, cadente deſuper ligno, pede ſaucius, ingenti affectus dolore; Sebaſtiani Sartoris Patavini filiolus ex incunabulis cadens, capite ad mortem alliſo, tribus horis reputatus exanimis; Andreas Barbitonſor Ticinenſis, ex caſu in crure vulneratus; Gabriel eadem urbe natus, ex equo in terram projectus, capite vulneratus, totoque colliſo corpore, per ſeptennium dolens, invocati Bernardini mirabile ſenſerunt adjutorium.

Ulcerati ſanantur.

XLII. Dominica, Monte Luganeo oriunda, in agro degens Veronenſi, quatuor annos ulcus in pectore tulerat, cui dum Chyrurgi ignem ſtatuunt adhibere, expaveſcit, beatique Viri opem ſecreto implorat. Redeunt ex compoſito Chyrurgi uſtulaturi, ſed curatum ulcus perſentiunt, quod dum ægre credunt, jubent oſtendi. Ut viderunt, Dei potentiam in Sanctis ſuis digne commendarunt.

Jacobinam Græcam, non longe a ſanctæ Juſtinæ æde Ticini domicilium habentem, herpes exedens, depaſcenſque ulcus vehementer cruciabat, & Joannam uxorem Ambroſini Stradæ, ulcus palmare in ventre, e quo vermes ſerpebant, & intolerabilis fœtor prorumpebat, valde affligebat, ſed utrique Bernardini pietas medetur.

Crura & brachia fracta vel ſaucia confirmantur.

XLIII. Dominicus Longus Priſtes ſive ſerarius, cui grave incidens lignum crus fregerat, quadraginta dies abſque ulla quiete vociferans, tamdem ad Viri Dei auxilium confugit, eoque invocato, ſtatim liber exurrexit. Dalmata quidam Sacerdos Minorita, cum trabis caſu ita pes confractus eſſet, ut inter reliqua officulum quoddam nullo modo aptari potuerit, Papiam miſſus ut curaretur, dum neque iſthic ullum eſſet remedium, egit ut ad Viri Dei ſepulcrum ferretur. Eo tacto ſuſpirans, inquit, *O Bernardine, qui alios ſanas externos, ex tuis te unus rogat, ut miſere laboranti opem feras.* Ubi dixit, officulum in ſuum locum rediit, & ille domum ſaliens & exultans.

Puerulus, cui tribus in locis brachiolum erat confractum, ad plorantem genitricem converſus, ait: *Siſte lacrymas, mater, beatus Bernardinus me ſanabit, ſi ad illius duxeris ſepulcrum.* Brachiis portavit, oravit, integrum reportavit. Vir Cremenſis, ſaucio brachio & manui cum nullum inveniret remedium, poſt annos quatuor ad Bernardinum converſus, aliunde deſperatum accepit.

Mu-

Mulier paupercula, annis quatuordecim utroque confracto brachio, nihil operari potens, neque victum conquirere, felici omine Bernardino occurrit, rogavitque ut infeliciſſimæ compateretur. Injunxit ille, ut quaſdam recitaret orationes, pietatiſque opera exerceret, juſſitque duos ei porrigi panes, quos ubi illa renueret accipere, dicens, ſe non pane ſed brachiis indigere: *ut quid*, inquit Bernardinus, *mentiris? novi ego te penuriam pati & eſurire*. Confeſſa illa, neque unam ſupereſſe domi buccellam, accepit, oravit, fecit quod Vir Dei præceperat, & paulo poſt conſolidato utroque brachio, cœpit hilariter operari, domuſque miniſteria peragere.

Febres periodicæ & continuæ diſcutiuntur.

XLIV. Galeatius Vicecomes Mediolanenſis, qui poſtea Papienſem Comitatum obtinuit, quartana febre plurimum extenuatus, hujus Viri ſancti meritis priſtinæ reſtitutus eſt ſaluti. Eodem malo Ubertinus Spiſenſis, cui Bernardinus noctu apparuit, ſalutem prænuncians, Franciſcus Stratia, Magdalena a Candio, mirabiliter ejus ope liberati.

Luchinus Rex (ita a familia cognominatus) tertianam febrem, cordiſque tremorem diu paſſus; Franciſcus Cohortis Papienſis ſupra nominatus; Eliſabetha, Baſſani ſuperius item indicati conjux, cum etiam hac febrili ſpecie diu vexarentur, emiſſis votis implorataque Bernardini ope, ſalvi facti ſunt.

A febre continua Franciſcum Sancium, Ludovicum Lumacium, cui morbi vis & malignitas judicium turbavit, linguamque compreſſit, Martini Guardi Brixienſis filium, mente alienatum, & inſane loquentem, Bernardinum Aſiam, cujuſdam Oppidi Rectorem, trina acceſſione quotidiana gravatum, quem prius a ſputo ſanguinis ob caſum ingenerato liberaverat, & Gregorium de Zacchonis Papienſem, a repentina & acuta, papuliſque per corpus ſparſis, ad perfectam ſalutem revocavit.

Febrem peſtilentialem depulit a Joannis Borgini Comitis cellæ Vinariæ Præfecto, virtute nominis Jeſu chartulæ ejus manu inſcripti, & ad collum ligati; Febrem ethicam in ultima ſpecie, ad arefactionem oſſium procedentem a Benedicta Bernardi Candii uxore; A repentina & ignea Alexandrum Arioſtum, civem & mercatorem Ferrarienſem ſanavit.

Variæ membrorum corporiſque affectiones depulſæ.

XLV. Ut a capite incipiamus, Franciſchina Comitis Georgii Papienſis uxor, graviter dolebat capite; Simona de Piſcariis, Auguſtini Sari conjux, quadriennii vertigine; Bartholomæi Sartoris conſors micrania, & ſtomachi torſionibus; Joannes Maria Cameritus Papienſis, glandine ſeu tuberculo palpebræ innaſcente, ea magnitudine, ut viſum auferret per ſeſquiannum; Gabriel Mareſcalcus Blaſini filius, naſi foramine dextro obſtruſo, ita ut inde menſibus ſeptem reſpirare non liceret; Joannes Manfredi ex Comitibus Gambaranæ, virulento quinque menſium gutturis apoſtemate; quædam mulier e ſancti Angeli oppido, ore ad aurem dextram retorto; Altera Brixienſis, rupta pectoris vena; Mercator quidam Bergomenſis, humero uno peſſime affecto, fruſtra applicatis multis remediis, variiſque uſus balneis; Mulier diuturno dolore digiti medii poſt adhibita fruſtra multa lenimina; & Catarina, quam diximus, Joannis Mariæ a Navi uxor, brachio combuſto,

nul-

nullumque tot malorum ſolatium invenire potuerunt, præter unam Bernardini in Superis interceſſionem, per quam hi omnes bene habuerunt.

Antonia filia Joannis Canavii Papienſis, ultra annum magno periculo & dolore in mammilla cancrum ſerpentem, & ad cor tendentem gerebat, atque aliunde nullum remedium, etſi multa fuerit experta, ſperabat, niſi a ſolo Bernardino. Ab eo tamdem exaudita eſt, cancro veniſque peſtiferis evulſis. Utraque affecta & exſiccata mammilla, uxor Stephani de Vaglia Mediolanenſis languebat, neque ad ubera pendentem filiolum poterat lactare. Miſſis ad Bernardinum precibus, ubere de cœlo pleno pereuntem refecit.

A colicis doloribus Antonium Georgium Doctorem, Gaſparemque Caldarium ad mortem prope redactos liberavit. A calculo diu & moleſte inhærente Franciſcum Corteſium Doctorem Juriſconſultum. Ab iſchiadico dolore, ſeu coxario morbo, quem ſciaticam vocant, tres; a totius corporis doloribus nervorumque per duos menſes contractione Helenam Patavinam perfecte ſanavit. A periodica rabie fratrem Seraphinum Papienſem, qui adventantem languorem ſentiebat, & Fratribus ſe commendabat (niſi enim furentem continuiſſent, caput & membra horribiliter pulſando laceraſſet) miro modo ſedavit. Lucinum Cohortis ab hæmorrhoidibus, & Franciſcum conſanguineum a calculo; a naufragio plures, e carcere alios, maxime quemdam Feltrenſem apparens ei, manuque ducens, nullaque fracta, nullaque aperta porta, liberavit; necnon Lucretiam Leonardi Olivelli a ſincope horarum ſexdecim, & paulo poſt a colica paſſione; ſed & irrationabilia animalia, equum, ovem & bovem a variis morbis revocavit, precibus dominorum pulſatus.

Steriles pariunt, Prædones reſtituunt.

XLVI. Fœminas conjugatas nihil magis affligit, quam ſterilitas, neque magis conſolatur, quam filiorum procreatio, qui parentum vinculum, ſeu conjugum fibulæ cenſentur, & utriuſque amorem connectunt ac confirmant. Hoc ſolatio deſtitutæ, multæ ad Bernardinum accedebant, quibus ille, quod optabant beneficium, a Domino impetravit. Tres ex his commemorant, Patavinam unam, Brixienſem alteram, tertiam Ticinenſem, & quidem longo tempore ſteriles, quæ tamdem conceptis votis, factæ ſunt fœcundæ.

Jacobi Mercatoris Pariſienſis uxor, duorum, quos conceperat fœtus, nullum ad vitam perduxerat. Tertio gravida, vovit ſe, ſi Bernardinus opem ferat, infantulum habitu Franciſcano induturam. Natus eſt puer pulcher, ſuoque tempore veſtem, quam promiſit, mater obduxit.

Eo tempore, quo Carolus Gallorum Rex toti Italiæ terrorem incuſſit, ubique triumphator & victor, muliones quidam Inſubres merces multas portantes, inciderunt in populatores Gallos, qui rebus omnibus & jumentis ſpoliarunt. At illi Bernardino ſe commendantes, quod a prædariis militibus minime ſperandum erat, omnia receperunt.

Conjugum diviſus amor redintegratur.

XLVII. Vir quidam Cordonenſis, alienæ fœminæ concupiſcentia illectus & abſtractus, uxorem domo expulit, & concubinam induxit. Rejecta cum aliud opis non haberet, ad vota recurrit; libras quatuor ſuæ pecuniæ quo-

quotannis in perpetuum Servi Dei honori promovendo pollicetur, & incipit afferre. Paulo poſt, mira hominis converſione, domum, expulſa adultera, revocatur, pacifice & amice marito deinceps convivit.

Viro Dei adverſantes vel obloquentes puniuntur.

XLVIII. In oppido Candiæ prope Caſalem Montis-ferrati, adoleſcens quidam ſciolus in opinionem abiit eorum, qui Bernardino circa piorum Montium erectionem contradicebant, & pertinaciter nimis aſſerebat Dei Servum aperte uſuras approbaſſe & docuiſſe, propter denariolum quem ſæpe diximus, ex mutuo dandum pro ſtipendio Miniſtrorum. Monitus ut ab hujuſmodi detractione deſiſteret, noluit, donec ultionem in ſe ſenſit Divinam. Tenebat manu cultrum, ſed excidit, & ille dum labentem retinere vult, aperta contrahit crura, & cultrum lacerto unius infigit. Graviter vexatus, admonetur, ut culpam in Bernardinum commiſſam fateatur, & veniam expoſcat. Ubi fecit, a vulnere ſanatus eſt.

Coſma Rebuffia Papienſis, Virum Dei, dum vehementer in mulierum vanitates inveheretur, non ſemel contempſit, ſed a conſanguinea admonita, ut ſi quaſdam tribulationes domeſticas effugere vellet, Bernardino ſe commendaret, & ad ſepulcrum ejus cereos appenderet, indignata reſpondit, ſe prius, quos habebat domi, pedibus conculcaturam. Paulo poſt advenit tempus pariendi, & tranſverſus in utero infantulus, manum unam & pedem emiſit. Territa obſtetrix Bernardini veneratrix, inclamavit, ut ejus opem in tanto periculo parturiens invocaret. Fecit, culpam agnovit, veniam rogavit, puerulum Divino devovit obſequio, ſtatimque prodit incolumis, & mater a ſummo periculo liberatur.

Uxor Jacobi Villaverlenſis Vincentini, graviter ægrotans promiſit ſe Ticinum profecturam, & Viri Dei ſepulcrum veneraturam, modo ſalus concederetur, ut iter poſſet perficere. A malo liberatam tanti tædet itineris, & a religioſo Viro Cœnobii S. Coronæ, Ordinis Prædicatorum, poteſtatem habente, a voto impetrat abſolvi. Infidelis promiſſionis ſtatim pœnas luit, in graviorem morbum recidiva, ſed reiterato voto, rurſus incolumis, quod bis promiſit, fideliter perſolvit.

Nobilis quidam Comes de Valiſio Bernardino valde infenſus, propter receptum ab eo filium ad Ordinem ſancti Franciſci, quas poterat, inferebat moleſtias. Infirmatus, poſt varia remedia, invocatoſque fruſtra multos cœlites, tamdem ad Bernardinum converſus, ab eo remedium accepit.

Mors propinqua propulſatur.

XLIX. Agneſinæ Pelagallæ Papſenſis puer a ſummo ſcalæ cecidit, animamque agentem mater in lecto repoſuit, vovitque trinam Miſſæ oblationem in Bernardini honorem ſe fieri curaturam. Statim puerulus tamquam a ſomno expergefactus, abſque ullo dolore ſurrexit.

Parmæ Joannis Baptiſtæ Pratis Soti uxor peſte deceſſerat, eorumque filius eadem lue matrem ſequi videbatur; ſed concepto a patre voto, præſens vitæ periculum evaſit. In nobili & ampliſſimo prædio prope Papiam, quod vulgo *Barco* vocant, hæc eadem graſſabatur contagio, & ex colonis quidam periclitabantur, ſed vovente Thomæ Rauchæ conjuge, toto illo loco lues eſt profligata.

Spiritus attrahendi ægritudine diuturna vehementer vexatus Peregri-

nus Mantuanus Parmenſis, adeo ut propinquam mortem arbitraretur, cum nulla medicamina opem ferrent, ad Bernardinum converſus, viſere ejus tumulum conſtituit & vovit: ubi fecit, protinus ceſſit omnis reſpirandi difficultas. Eodem aſthmatis malo per annos viginti quatuor inveterato, & proximam minitante perniciem, liberata eſt Antonia Calva, Gregorii Papienſis uxor, poſtquam vovit ſe facturam, ut Miſſæ ſacrificium offerretur in Bernardini memoriam; etenim ubi redditum eſt votum, ſtatim facilem conſecuta eſt ſpiritus reciprocationem. Nicolai Flandrenſis Phyſici uxor, dum ab eo mortua reputatur, invocato Bernardino, ab omni malo liberatur.

Auguſtino Margrero cervix tota falce ea, qua dumi exciduntur, amputata eſt, præſentemque mortem depulit operimentum cervicalis, Bernardini uſui olim deputati. Famulus Gaſparis Ferrara Juriſperiti, dum ludit cum aliis, in femore pungitur, ſtatimque ſpaſmatur, ſed & mortuus reputatur; at ubi ad Bernardini ſepulcrum ire promittit, e lecto ſurgit incolumis. In urbe Lucenſi, miles quidam a Gallis vulneribus ſex confectus, Bernardino commendatus, quamprimum totus præter amputatam manum, quam inter cadavera invenire non poterant, ſanus efficitur.

Sebaſtiani Sutoris Patavini filius, quem ſupra diximus e cunabulis lapſum, caput mortaliter colliſiſſe, grandior effectus, in flumen propinquum cecidit, aquarum impetu in rotas molendinorum prope Pontem-Corvum delatus, perdiu ſuffocatus jacebat. Mater Bernardino veluti defunctum commendat, extractumque e flumine vivum recepit. Mediolani matrona nobilis, cui funebria jam parabantur, conjuge vovente, libera conſurgit. Joannis Gurſori filium pubeſcentem Ticini, a deſperata ægritudine exemptum commemorat ſtatua argentea, inſcripto miraculo, ad ſepulcrum appenſa.

Franciſci Gravanati Papienſis filius, poſt longam continuamque febrem cibos omnes faſtidiens, demum per dies tres non manducavit neque bibit. Ad extremum redactus, videbatur ſpiritum emittere, cum pater Bernardinum rogavit, ut miſereretur. Exauditus eſt, reſtituta protinus filio priſtina ſalute.

Hyppolita de Caponibus, in Monaſterio ſanctæ Claræ Florentiæ graviſſimo morbo ad extremum vitæ ſpiritum perducta, viſa eſt die Sabbati animam egiſſe, cumque nullum vitæ ſuperſtitis ſignum appareret, adhibitis multis explorandi modis, permanſit ita immobilis uſque ad diem Martis. Una ex Sororibus audiens multa Bernardini referri miracula, languentem ſeu pene mortuam hanc miſeram Sororem ei commendavit, ejuſque palliolum, quod in illo ſervabatur Monaſterio, ſuperimpoſuit, ſtatimque languidula viventis edidit ſigna, & poſt tres dies incolumis & vegeta ſuis pedibus inceſſit, quæ per tres dies videbatur defuncta.

Mortui ad vitam revocantur.

L. Roma miſſum pueri ſimulacrum argenteum ſolide compactum anno MD. quod in ſacrario Cœnobii ſancti Jacobi, ubi Vir Dei requieſcit, aſſervatur, cujus baſi hæc inciſa ſunt verba: *Puer iſte a morte ad vitam beati Bernardini de Feltro meritis eſt revocatus.*

Quidam Grammaticæ profeſſor Papienſis, cum uxore & filiolo in lecto jacens, profunda nocte experrectus, cum reciprocantem ex more filii ſpiritum non audiret, conjugem excitans: *quid agit*, inquit, *puer*? Illa cum palpaſſet,

ſet, frigidum ſenſit corpuſculum, accenſaque candela, videt exanime. Clamanti accurrit familia, & poſtero mane vicini collacrymantur. At pater, *ut quid*, inquit, *tot lacrymæ?* filiumque rapit, ad Bernardini fert tumulum, multa in ejus honorem promittit, atque inter hæc, ſe facturum, ut puer annis tribus habitum geſtet ſancti Franciſci, modo Bernardini precibus reviviſcat. Vix hæc promittuntur, cum puerulus ad vitam revocatur. Miraculum ſtricte hoc examinavit Vicarius Epiſcopi, & ſeptem teſtibus oculatis confirmatum approbavit.

Exanimata ſimiliter & approbata quæ ſequuntur. Philippi Doglanæ viri nobilis Papienſis uxor, enixa eſt infantulum vivum; ſed dum obſtetrix, & conſanguineæ puerperam collocant in lecto, puer expirat. Maximus omnium ſequitur ejulatus, eoque magis dolent, quod adſtantium incuria deceſſerit abſque baptiſmate. Agitur tamdem de ſepultura, & ubi humandus ſit extra ſacrum cœmeterium. Dum hæc tractantur, avia Bernardino valde addicta, frigidulum nepotem ulnis excipit, ſummiſque votis crebriſque lacrymis eum obteſtatur & rogat, ut apud Deum intercedat reſtitui animulam, brevi ſaltem tempore, donec ſacris aquis expietur. Pater vanas has dicens preces, & tempus teri inaniter, videt admirabundus oſcitare primum, mox moveri & flere infantulum, & poſt baptiſmi gratiam, alia longioris vitæ donatum. Confectæ de hac re tabellæ publicæ, parentum, obſtetricis, domeſticorum & externorum, qui adfuerunt, teſtimoniis confirmatæ.

Tantæ virtutis fama dum regiones non ſolum vicinas, ſed & remotas implet, & ad Sardiniam uſque prolabitur, mulier quædam Pedemontana illic in urbe Saſtri * conjugata, amiſſo longa ægritudine filio, ad eumdem afflictorum conſolatorem rucurrit. Etenim dum ſacerdotes accedunt, ut defunctum efferant, dolens genitrix, & impatiens filium ſibi eripi in perpetuum, in turbam ruit, filium ſtricte amplexatur, genibuſque flexis, & oculis in cœlum elevatis, materno inquit affectu: *Omnipotens & clementiſſime Deus, humiliter rogo, ut ſi aliquando ſervi tui Bernardini Feltrenſis opera tibi grata fuerunt, id nunc demonſtres reſtituto propter ejus merita, ſpiritu huic meo filio defuncto.* Res mira! inter brachia & lacrymas matris filius incolumis exurgit. Dolor omnium & mœror in lætitiam commutatur, & Deo ſervoque ejus gratiarum actiones ingeminant. Tanto miraculo commota Civitas, aram Bernardino erexit, in qua quotannis in rei geſtæ memoriam, Deo ſacrificium offerri decrevit.

* *al.* Saſſari.

LI. Hæc habui, quæ de Bernardini miraculis exſcriberem, quorum fama ubique populos excitabat, ut quam plurimi ad implorandam opem, innumeri ad venerationem exhibendam accurrerent, omneſque ſummis laudibus Deum in ſuo famulo commendarent. Ad prima miracula perpetuumque populi concurſum, & multorum, qui ſepulcro incubabant, ac aliorum, qui illic excubias agebant, excitati Fratres, poſt decimum ſextum ab obitu menſem, ſtatuerunt oſſa, exeſam putantes carnem, in alium locum nobiliorem transferre. Aperto ſepulcro, inventum eſt cadaver integrum, in nullo, neque in ſummitate naſi, quæ faciliter & frequenter in aliis computreſcit, offenſum. Expoſitum per aliquot dies in omnium conſpectum, in honorifico ſepulcro, ex frequentibus oblationibus conſtructo, repoſitum eſt, & in vicino Altari cœperunt tot celebrari Miſſæ, ut ab aurora ultra meridiem multiplicarentur. Poſtea ad peculiare & devotum ſacellum ejus nomine inſignignitum, & pictis ejus geſtis undique ſpectabile, translatum eſt, ubi ſuper Altare in arca deaurata requieſcit, & videtur a parte anteriori per lucidiſſimum chryſtallum, habitu religioſo ſerico contectum, & chorda præcinctum.

Exhumatur corpus integrum.

Nobili loco reponitur.

Ita vero ante & poſt tranſlationem in celebratione Miſſarum obſecundatum eſt piorum devotioni, ut & cautum ſit Religioni, ne ſcilicet præſcripti a ſacrorum Rituum Præfectis limites negligerentur. Miſſa legitur in honorem ſancti Bernardini Senenſis, donec per Sedem Apoſtolicam huic etiam Feltrenſi proprii decernantur honores, quibus procurandis Romæ inſiſtitur, factique ſunt proceſſus auctoritate Apoſtolica in urbe Feltrenſi & Papienſi;

Additio Aliorum. „ quibus tamdem perattente examinatis; factaque ſanctæ Sedi debita po„ ſtulatione, Benedictus XIII. Pont. Max. Officium, & Miſſam ſub ritu „ duplici ad ejus honorem per totum Minorum Ordinem, necnon in Civi„ tatibus Papien. & Feltren. recitari poſſe indulſit, ut per Decretum da„ tum III. Auguſti anno MDCCXXVIII. ſuo tempore in horum Annalium „ continuatione referendum, pro comperto habetur.

LII. Pro coronide viſum eſt adjungere, quæ habentur apud Ticinenſes præter cubiculum, in quo habitabat, & veſtes, aliaque ejus pignora, quæ illic religioſe ſervantur, varia ſanctitatis documenta. Egredienti Eccleſiam, & ingredienti in Cœnobium occurit ad manum dexteram lapis ingens marmoreus, cui hæc leguntur inciſa.

D. O. M.

DIVUS BERNARDINUS
GENERE FELTRENSIS
FAMILIA DE TOMITANIS
DOCTRINA LUMEN ITALIÆ
VITA VIRTUTUM DECUS
OBSERVANTIA DIVI FRANCISCI
TALIS STUDIO ET ELOQUENTIA
COMMUNIS SALUTIS BUCCINATOR
QUALEM DE COELO LAPSUM
TER MILLE ET SEXCENTÆ
LOQUUNTUR EJUS CONCIONES
HIC INTEGER ADHUC
QUASI DIVINITUS CERNITUR
VIXIT ANNOS LV
DECESSIT PAPIÆ
IN ÆDIBUS S. JACOBI ANNO MCCCCXCIV
DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

Urbis Ticinenſis erga eum gratitudo.

LIII. In regeſto Cancellariæ Civitatis habentur etiam tria honorifica decreta, quæ illius ſanctitatem & venerationem, in qua apud Ticinenſes habebatur, confirmant. Anno hoc MCCCCXCIV. die XXVIII. Septembris in veſperis, congregato Conſilio, & interveniente Vicario Epiſcopi, aliiſque viris primariis, quorum nomina exprimuntur, ita decretum eſt.

Intellecto noviter quod R. P. Fr. Bernardinus de Feltro Ordinis Minorum de Obſervantia, in Monaſterio S. Jacobi extra mœnia Papiæ ſuum diem clauſit extremum, & attendentes vitæ ſanctitatem, ac ejus ſermonum fructus, & quantum inſudaverit in prædicationibus ibi annis præteritis, & præſenti, ita quod valde etiam poſt mortem venerandus eſt; igitur volentes, quantum fieri poteſt, aliquantulum meritis ejus gratos ſeſe ei exhibere, pro nunc autem provident, quod die craſtina, hora vigeſima, fiant fune-

funeralia ipſius, & citentur omnes Doctores de Collegio, & omnia Collegia Notariorum, & Mercatorum, & omnes Paratici dictæ Civitatis, cum univerſo Clero; & præcipiatur quod campana Eccleſiæ majoris, & omnes aliæ campanæ Eccleſiarum, Conventuum, & Præpoſiturarum pulſentur, & cetera omnia fiant, prout diſcretioni prædictorum Dominorum Abbatum videbitur.

LIV. Anno MDXCVIII. die XXIX. Aprilis in veſperis Conſilio congregato, ita nnanimiter decreverunt Domini Conſiliarii, quorum nomina ſunt in libro regiſtrata.

Item, ut B. Bernardinus de Feltro, qui dum in humanis agebat, frequentibus ejus concionibus & adhortationibus, atque aliis caritatis, pietatiſque officiis multum profuit huic Ticinenſi populo, opem ſuam apud Altiſſimum omnium opificem Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, inceſſanter interponere valeat, pro incolumitate & conſervatione hujus urbis, quatenus ejus memoria aliquo gratitudinis officio recolatur, inhærendo requiſitioni, & precibus, quatenus opus ſit omnium fere officialium Paraticorum hujus Civitatis, de qua in actis, factum eſt partitum, an expediat, vel ne? videlicet quod a modo in antea perpetuis futuris temporibus fiat oblatio ſolemnis, & generalis juxta conſuetudinem publicam in Eccleſia Divi Jacobi Apoſtoli extra, & prope muros hujus Civitatis, ubi aſſervatur conditum corpus prælibati beati Bernardini de Feltro adhuc integrum, & incorruptum, & poſt centeſimum depoſitionis annum, & hoc in Kal. menſis Maii, & ibidem juxta ſolitum aliarum oblationum offerantur faces conſuetæ, tam per Civitatem, quam per artes, & Paraticos, ac pecuniæ, quæ nomine Civitatis erogari ſolent in dictis aliis oblationibus? Et præſens partitum quatenus opus ſit approbetur per Conſilium generale ad pleniorem illius obſervationem? Subſcriptum. Bonetus Abbas, & datis balotis, ſumptiſque ſuffragiis, obtentum fuit partitum, quod fiat, prout ſupra. Iterum ſubſcriptum ut ſupra.

LV. Anno MDCXXX. die XX. Aprilis in Tertiis, convocato Conſilio, tertium hoc addiderunt decretum pro implorando Bernardini patrocinio.

Item propoſito die XXIII. *Martii proxime præteriti anni currentis ex devotione hujus Civitatis, & ad impetrandum ab Omnipotenti Deo Domino noſtro gratiam liberationis belli, ac ſuſpicionis epidemiæ, multiſque aliis infortuniis, quibus Civitas noſtra, ac cives valde vexantur, factam fuiſſe ſolemnem proceſſionem magno comitante populo, in qua interfuere Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus ejuſdem Civitatis cum Clero ſeculari & regulari, ac omnes diſciplinantes cum facibus accenſis, & ex devotione in dicta proceſſione delata fuit reliquia brachii S. Sebaſtiani, quæ proceſſio principium habuit ab Eccleſia majori, ad Eccleſiam S. Jacobi extra mœnia ejuſdem Civitatis, præſertim pro impetrando auxilio B. Bernardini de Feltro, cujus corpus in dicta Eccleſia requieſcit, & qui ſemper fuit partialis tempore ejuſdem vitæ protector, Orator, & interceſſor hujus Civitatis apud Deum, in dictaque Eccleſia ad ejuſdem Altare decantata fuit ſolemnis Miſſa ad impetrandum ejuſdem auxilium.* Et ſubjungitur decretum de ſolvendis expenſis factis in hac proceſſione, & aliis Miſſis decantatis.

LVI. Con-

LVI. Conſervatur etiam ea in urbe liber vetuſtus MSS. cui titulus: *Cathalogus Sanctorum corporum & reliquiarum in Ticinenſi Civitate exiſtentium*, in quo hoc habetur vitæ geſtorumque Bernardini compendiolum.

Ejus vitæ compendium.

Bernardinus Feltrenſis, Donati & Coronæ filius, invitis parentibus, Ordinis Minorum de Obſervantia Religionem ingreſſus eſt, in qua tantum profecit, quod brevi Divini verbi concionator factus, ſibi, patriæ & Religioni admirabilem peperit ſplendorem. Is in omnibus fere Italiæ partibus adeo gratus & acceptus fuit, ut ſæpe multarum Civitatum populi, ne ab ipſis recederet, cum ad alios ſuperiorum juſſu ſe conferre neceſſe erat, ut ſacram, quam didicerat doctrinam, omnibus, ſi fieri poſſet, diſſeminaret, inter ſe contenderent; multis in locis doctrinam, vitæque ſanctitatem miraculis confirmavit. Tamdem Ticinum ſe contulit, ubi ob nimiam populi frequentiam, qui ad illius prædicationem accedebant, in platea Regis ſolis extra Cathedralem Eccleſiam concionari neceſſe fuerit. Ticinenſes ad multa pia opera ſua prædicatione induxit, & ad illud præcipue, quod in Civitate Pietatis Mons ad pauperum neceſſitatem ſubveniendam erectus fuit. Qui ob Judæorum uſuras, quorum ſemper fuit acerrimus impugnator, eo redigebantur, ut conſumptis nimia uſurarum extorſione miſerrimis ſarcinulis, oſtiatim victum ſibi parare cogerentur. Hunc Pietatis Montem multis pecuniis auctum, Ticinenſes quotidie locupletiorem reddunt, ita ut omiſſis Judæorum uſuris, omnium fere neceſſitati abunde ſuccurritur. Ob tam præclarum & neceſſarium opus, quo nullum utilius hæc Civitas habere potuiſſet, quis ſummis laudibus hunc ſanctum Dei Virum perpetuo non celebrabit? Quis hunc ad miſerorum inopiam ſublevandam progenitum eſſe non credet? Quis hunc denique ad commune omnium ſubſidium cœlitus dimiſſum non dixerit? Hujus tanti Viri labores dum vixit, huic Civitati admodum fructuoſi fuere, nunc in Cœlo apud Deum ejus interceſſione uberiores fructus, & majus commodum ſentiet Civitas, ſi aſſidue piis precibus illum rogabit, tantique accepti beneficii non immemor erit. De beatiſſimo hoc Viro legitur: quod cum quoddam munus ſibi donatum fuiſſet, ſervum rogavit, qui illud portaverat, ut pauperculæ extrema inopia laboranti munus illud deferret, qui quam libentiſſime ſe facturum pollicitus eſt, dummodo pauperculæ domum ſibi oſtendiſſet, cui ſanctus Vir reſpondit: Fili per eamdem viam, qua ad me veniſti, revertaris, & in domum juxta quam pannus lineus, quo munus tegitur, deciderit, ingredieris, ibique relicto munere, domum redibis. *Servus eum prope domum pauperculæ veniſſet, ſtatim pannus lineus decidit, & in domum ingreſſus, puerperam in lecto jacentem invenit, omni humano auxilio deſtitutam, quæ accepto munere, Deo, qui numquam deſerit ſperantes in ſe, & ei, qui illud miſerat, gratias egit. Duo etiam quos ſatanicus ſpiritus induxerat, ut illum in via, dum a prædicatione rediret, occiderent, oculorum luminibus capti, tanti criminis a beato Viro veniam petentes, illius precibus amiſſum lumen recuperaverunt. Claruit & aliis multis miraculis, ut habetur in ejus vita a Bernardino Guslinio deſcripta, quæ cum nimis longum eſſet recenſere, prætermitto. Quot animas Deo prædicando pepererit, nemo eſt, qui auditis miraculis & ejus ſanctitate, infinitas peperiſſe non credat. Tamdem multis laboribus defatigatus, & ſenio confectus, diem ſuum obiit anno Incarnationis* MCCCCXCIV. V. *Kalendas Octobris. Cujus corpus quodam incredibili fere honore, univerſo Clero tam ſeculari, quam religioſo, & puerorum numero circiter tria millia comitante, qui Angelicis veſtibus, videlicet ſtola & albis veſtibus ornati, manibus quoddam inſigne portabant, in quo Mons Pietatis, & nomen Jeſus inſcriptum erat, ad Divi Jacobi Templum extra mœnia*

Vide anno 1493. n. 22. ubi aliqualis diſcrepantia.

nia delatum fuit , ubi in arca marmorea , in pariete incluſa , in ſacello a dextris prope chorum dictæ Eccleſiæ repoſitum, integra adhuc pelle contectum, devotiſſime veneratur .

LVII. Ejus vitam diffuſe ſcripſerunt, omnium primus Bernardinus Guislinius Doctor Feltrenſis , paulo poſt Viri Dei mortem , acceptis totius vitæ geſtorumque relationibus a fratre Franciſco Feltrenſi , fideliſſimo , & multorum annorum Bernardini ſocio , quas ille dietim , & ſecundum eventus rerum ſcribebat . Secundus , anno MDXXXI. Bartholomæus Simonius de Maroſtica , caſtro Vincentino , vir doctus , rogatus a fratre Franciſco Pajarino Capucino, ejus ſororio, qui ei tradidit omnia, quæ notaverat prædictus frater Franciſcus . Primus ſcripſit Italice , vitamque hanc nihilo mutato , exſcripſit Bartholomæus Cimarella . Secundus legendam compoſuit latine non culto ſtylo , abſque ullis partitionibus , quam alii diviſerunt in lectiones & puncta . Non eſt adhuc typis edita, quod ego ſciam . Tertius aliqua congeſſit Marianus Florentinus in opere de viribus illuſtribus Ordinis Minorum , ex quo Marcus Ulyſſiponenſis aliqua contraxit . Franciſcus Gonzaga multis in locis , & plerique alii Scriptores de eo breviter , vel obviam agunt . Petrus Rodulphus iſtud de eo habet compendioſum elogium , quod huc transſerendum judicavi .

Quinam ejus vitam ſcripſerunt .

Cimarel. 4. par. lib. 6.

Marc. 4. p. l. 7. c. 21.

Rodul. fol. 85.

LVIII. *Beatus Bernardinus Tomitanus Feltrius , cognomen* Parvulus , *Bernardini Tomitani Academici Patavini conſanguineus , ut ſæpius mihi Paduæ liberalibus diſciplinis incumbenti retulit . Fuit ab ipſis incunabulis ingenio præſtans , qui cum in ſtudio bonarum litterarum magnopere cum ætate proficeret , evaſit illuſtris , atque adeo profecit , ut quantum patiebatur illa ætas , non videretur habere æquales . Fuit corpore brevi , ob cujus brevitatem dicebatur etiam Bernardinus* parvulus . *Sed*

S. Bernardini elogium .

Quo minor iſte fuit mortali corpore terris :
Hoc major cœlis , mente , animo , ingenio eſt .

Fuit quoque facie rotunda , aliquantulum macra, colore ſubnigro, oculo eminenti , perſpicuo & vivaci , ſingularis eloquentiæ . Cujus quidem rei teſtes ſunt epiſtolæ quædam latinæ ad Præfectos Civitatum Italiæ , qui eum ſummis precibus exorabant , ut ſacris ſuis concionibus eos conſolaretur . In ſacris , quas frequenter habebat ad populum prædicationibus , utebatur lingua communi & erudita , quibuſdam rhetoricis coloribus , atque oratorio ſale reſperſa . Erat ei lingua verſatilis & ſoluta , pronunciatio clara , vox varia & ſublimis , latera firma : cujus ſermo non aridus, ſed copioſus erat , exemplis , proverbiis & ſententiis adeo refertus , ut videretur fulmen & tonitruum eloquentiæ , prout quidam teſtati ſunt , qui eum concionantem pluries audiverunt, & experti ſunt . Primo quidem juri Pontificio operam dedit , & evaſit Canoniſta celebris ; in Religione vero liberalibus diſciplinis non mediocriter inſtructus , cunctis ſe reddebat admirabilem, maxime tamen Lactantium Firmianum, Auguſtinum de Civitate Dei, Ciceronem , & D. Hieronymum familiares habuit . Inter cetera ſpiritu prophetico præfulſit . Paduæ ſiquidem in foro præ nimia multitudine prædicans , capite ad brachium dormientis inſtar aliquantulum deflexo , dixit ſe in ſpiritu exequiis matris ſuæ interfuiſſe apud Feltrium , ubi illa eadem hora deceſſerat , qua ipſe Paduæ prædicabat . Semel quoque in Monteſeltrio prædicans , cuidam miniſtro Salariæ , qui in ejus concionibus moleſtiam inferebat, prædixit immaturam mortem; quæ ei inſperato advenit ; prædixitque bella in tota Italia futura . Brixiæ & Vincentiæ, ubi

Vide Tom. 14. an. 1480. n. 11. ubi dicitur etiam ex roſtris revelata morte genitetis .

ubi erant civiles atque hoſtiles ſeditiones, ſuis monitis exemplisque ſedavit, easque ad pacis fœdera adduxit. Paduæ inſtituit ſacrum Montem Pietatis anno MCCCCXCI. *vel potius mare Pietatis, quaſi mammam pauperum Chriſti, cum aſſenſu Domini Petri Barozzi Epiſcopi Paduæ, pro cujus erectione paſſus eſt multa incommoda; Romam profectus eſt, rediitque Paduam triumphans cum facultate a ſummo Pontifice prædicandi ubique locorum. Edidit quaſdam conciones vernaculo ſermone de perfectione vitæ Chriſtianæ ſatis eruditas. Obiit Ticini* MCCCCXCIV. *die* XXVIII. *Septembris hora decima ante feſtum ſancti Michaelis. Celebratæ ſunt ejus exequiæ die Dominico ſequenti, cuncto populo & univerſo Clero, & Conventibus Religioſorum, ac Gymnaſii cum maximo honore & veneratione, ſonituque campanarum, ac pueris circiter quatuor millibus indutis cottis albis ſtoliſque, cum bandirolis, ut dicunt, in manibus, depictis nomine Jeſu & Monte Pietatis. Qui infinitis claruit miraculis, in ejuſque obitu audita ſunt carmina & cantus lætitiæ plena. De cujus inſigni doctrina, & mira dicendi eloquentia Leonicus Venetus, Philoſophus præclarus, Græcis & Latinis litteris egregie doctus, ita cecinit.*

Fulmine qui quondam præcordia dura ſolebas
Rumpere, & eloquii mollificare ſacri.
Bernardine decus Feltrinæ & gloria gentis,
Da quoque nunc precibus tendere ad aſtra tuis.
Nec tibi diſpliceat, quod ſis tibi corpore parvus,
Hortulus iſte brevis mitia poma gerit.

LIX. In ſacello, in quo jacet, aliiſque Cœnobii locis innumeræ conſpiciuntur tabellæ votivæ, variique generis donaria appenſa, quæ miraculorum denotant multitudinem. Inter multa quæ illic ſcripta conſpiciuntur, habetur & hæc Antiphona pulchræ tabulæ inſcripta. Eam obtulit ex voto, & prope tumulum affixit Seraphinus Feltrenſis. Pii quique Bernardini ſectatores, eum hac devota commemoratione ſalutant.

O *Sydus Feltriæ, gemma caritatis, ſplendor pudicitiæ, zelator paupertatis, luſtrator ſapientiæ, protector veritatis, amator innocentiæ, cultor virginitatis, ante thronum fulgidum æternæ Majeſtatis, para nobis aditum Divinæ pietatis. Alleluja.*

℣. *Implora nobis gratiam Beate Bernardine.*
℟. *Per fontis abundantiam pietatis Divinæ.*

OREMUS.

B*Eati famuli tui Bernardini nobis, quæſumus Domine, præclara merita ſuffragentur, & quæ noſtra fragilitas non præſumit, ejus apud te ſupplex oratio gratiam, quam poſtulamus, obtineat ſalutarem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Mutinæ erigitur Mons Pietatis.

LX. Ex chronicis MSS. Alexandri Taſſoni de rebus Mutinenſibus hæc accepi: *Anno* MCCCCXCIV. *frater Bartholomæus de Bononia Ordinis Minorum inchoavit Montem Pietatis Mutinæ die* XXIII. *Februarii. Celebrata fuit Miſſa ab Epiſcopo de Montagnanis, & illa die facta fuit prima oblatio, & die* XIX. *Martii Mons cœpit præſtare, ſeu mutuare in domo D. Cæſaris de Valentinis.*

LXI. Con-

LXI. Confirmavit hoc anno Pontifex litteras ſuorum Prædeceſſorum, qui proprietatem bonorum collatorum Fratribus Minoribus, vel eorum Ordini, in jus Eccleſiæ Romanæ receperunt, datis ad Miniſtrum Aragoniæ, ubi quædam inſerebantur Fratribus moleſtiæ, propter quædam bona illis legata, litteris ſequentibus.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Aragoniæ, ſecundum morem dicti Ordinis.

Uberes fructus, quot veſter Ordo hactenus in militante Eccleſia produxit, promerentur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt quod Nos, vos & veſtrum quemlibet a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione ſeu cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolutos fore cenſentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, litteras felicis recordationis Martini IV. Martini V. Eugenii IV. Calixti III. ac Sixti etiam IV. necnon Pauli II. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, per quas dicti prædeceſſores reſpective Ordinis veſtri profeſſoribus conceſſerunt, quod uſum bonorum eis & dicto Ordini relictorum, proprietate ſeu dominio eorumdem bonorum apud Romanam Eccleſiam remanente, cum puritate Regulæ percipere & habere poſſent, ac etiam ſub excommunicationis, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas contrafacientes ipſo facto incurrant, prohibuerunt, ne dicti Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupati, domos Fratrum Ordinis ejuſdem, Conventualium nuncupatorum, aut etiam e contra Fratres Conventuales domos ipſorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum recipiant, cum omnibus & ſingulis clauſulis in eiſdem litteris contentis, dictas conceſſionem & prohibitionem concernentes quomodolibet, auctoritate Apoſtolica, per præſentes approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere, & præſentium & dictorum Prædeceſſorum litterarum tranſumptis, ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ſeu curiæ Eccleſiaſticæ munitis, & manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, in judicio ſeu extra abiibet, ubi fuerint exhibita vel oſtenſa, ſicut ipſis litteris originalibus fidem adhibendam fore, eadem auctoritate decernimus. Mandantes ſingulis locorum Ordinariis, ne vos ſuper præmiſſis moleſtari aut inquietari permittant. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, auctoritate Apoſtolica, appellatione poſtpoſita compeſcentes. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores in ſingulis litteris prædictis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die x. *Julii* MCCCCXCIV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Ex autographo: Declaratur dominium rerum Minoribus conceſſarum remanere penes Eccleſiam Romanam.

LXII. Floruerunt hoc tempore Viri docti, & prædicatores inſignes Minoritæ. In Germania Theodoricus de Oſnabrug, natione Theutonicus, provinciæ Colonienſis, de quo ita Trithemius coævus & familiaris: *Vir erat in Divinis Scripturis exercitatus, declamator ſermonum popularium famoſiſſimus, cujus vitam omnes qui eum noverunt, ſanctiſſimam hoc tempore prædicant: in ſermonibus faciendis ad populum, tanta gratia Divinitus illuſtratur, tanta facundia loquitur, tanta denique compunctione & dulcedine afficit auditores ſuos, ut ſimilem apud Germanos habuerit neminem; unde & per*

Florent Viri docti. *Tritbem. de Script.* *Marc. l. 7. c. 27.* Theodoricus de Oſnabrug.

totam Provinciam generalis Prædicator conſtitutus eſt. Legit mihi nuper, dum Coloniæ mecum eſſet, opuſculum inſigne, devotioni congruum, quod compoſuerat ad inſtantiam Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis de Paſſione Domini. Vivit adhuc in Provincia Colonienſi, cœpto fortiter inſtans officio ſub Maximiliano Rege, & Alexandro Papa VI. anno Domini MCCCCXCIV.

Cratepol. n. 40.

De eodem ita ſcribit Petrus Cratepolius in cathalogo Epiſcoporum Oſnabrugenſium: *Sub hoc Conrado* (Epiſcopo ſcilicet hujus nominis tertio) *id eſt anno* MCCCCXCIV. *fuit Theodoricus Oſnabrugus, de Ordine Minorum, concionator inſignis, qui vitam duxit ſanctiſſimam, ſuis ſcriptis & concionibus dulciſſimis mundo innotuit.*

Fr. Ludovicus de Pruſſia.

LXIII. Ludovicus Prutenus de Hilsberg ab ineunte ætate ſtudio deditus Divinarum litterarum, præſertim Sacræ Scripturæ. In Univerſitate Colonienſi accepto gradu Magiſterii, poſtquam Scholas rexit in Gerbitz, in Poſnania, in Thorn. aliiſque locis, Minoritis nomen dedit an. MCCCCLXIV. eoque virtutis fervore vixit in Ordine, ut alios ei tradiderint Prælati erudiendos, inter quos Alexium ſacerdotem, virum ſanctiſſimum, qui in Uratiſlavia initiatus, & in loco Beton in capella ſanctæ Crucis ſepultus, multis fulſit miraculis, religioſiſſime inſtruxit. Opus quoddam inſcriptum *Trilogium animæ*, a ſe compoſitum, & terminatum anno MCCCCXCIII. in Conventu ſancti Bernardini in ſuburbio urbis Brunenſis in Moravia, Capitulo Generali hoc anno celebrato præſentavit, quod plurimum laudavit Ludovicus a Turre Vicarius provinciæ ſancti Antonii, cui examen a Capituli Patribus fuit commiſſum. Edi curavit frater Nicolaus Glasberg Moravus, Norimbergæ commoratus, ſuadente & impellente fratre Paulino Lembergenſi, olim Vicario provinciæ Boemiæ. Horum epiſtolæ præfixæ ſunt operi, ex quibus pauca hæc viri religioſiſſimi & doctiſſimi decerpſimus elogia.

Fr. Joannes de Mareſco. *Monumen. MSS. Provin. Franc.* Fr. Raphael Theutonicus. *Gonz. in Provin. Bonon.* Conv. 16.

LXIV. Joannes inſuper de Mareſco concionator celeberrimus, & ſacræ Theologiæ profeſſor acutiſſimus, circa hunc annum provinciam Franciæ laudabiliter regebat. Obiit hoc anno, ſepultuſque eſt in Cœnobio ſancti Franciſci Mirandulano Raphael Theutonicus, quem poſt mortem plurimis effulſiſſe miraculis, ſcribit Franciſcus Gonzaga.

Fr. Oddo Epiſc. Tybeſiaden. Fr. Joann. Nicopolitan. Fr. Ivo Glandelacen.

LXV. Ad inſulas Pontificias tres invenio hoc anno promotos; ad Tyberiaden. ſub Patriarcha Hieroſolymitano fratrem Oddonem Trumheri, ſacræ Theologiæ profeſſorem, per obitum Guidonis, IV. Nonas Junii. Ad Nicopolitanam, ſub eodem Patriarcha, & prima Sede Cæſareæ Maritimæ, Joannem de Gara, per obitum Benedicti, pridie Idus Decembris. Ad Glandelacen. in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinen. Ivonem Ruſſi, ſacræ Theologiæ profeſſorem, nobilem ex utroque parente, uti commemorat diploma Pontificium, per obitum Joannis, IV. Idus Novembris. Parum hic vixit in Epiſcopatu; invenio enim in libris conſiſtorialibus ad eamdem Eccleſiam, per obitum Ivonis, promotum fratrem Joannem die XXI. Auguſti anni ſequentis.

Conv. Bettonii. *Gonz. in Provin. S. Franciſ.* Conv. 30.

LXVI. Extra oppidum Bettonii in Umbria, diœceſis Aſſiſinaten. erat domus Minorum Obſervantum, ſub titulo ſancti Onufrii, vetuſta tamen & ruinoſa, in loco parum commodo, minuſque ſalubri conſtructa. Rogarunt itaque hoc anno Fratres, & oppidi Univerſitas, ut illam liceret transferre ad alium locum commodiorem & ſalubriorem, ubi erat Eccleſia ſancti Manni pene diruta. Annuit votis Pontifex hoc anno: *Exponi nobis fecerunt*, die VIII. Aprilis: Deſiit titulus ſancti Manni, adjecto altero ſancti Antonii.

LXVII. Graſ-

LXVII. Graſſante in omnes graviſſima peſte, incolæ oppidi Arzignani in dominio Veneto, & Provincia ſancti Antonii ſe obligarunt, quod ſi a ſæva liberarentur contagione, ædiculam ſanctorum Sebaſtiani & Rochi in Cœnobium transferrent Obſervantum. Gratiam conſecuti, obtentaque hoc anno die XIV. Maii facultate ab Alexandro Pontifice, manus operi admoverunt, domumque a ſancta Maria de Gratiis appellandam eſſe decreverunt.

Conv. Arzignani. *Item in Provin. S. Antonii Conv. 19.*

LXVIII. Nobilis vir Albertus Pius de Sabaudia, Domicellus Carpenſis, valde addictus Societati Amadei Luſitani, petiit hoc anno a Pontifice, ut liceret in ſuo oppido Carpi domum ejus ſectatoribus ædificare. Aſſenſum præbuit Pontifex: *Piis ſupplicum votis*. III. Idus Maii; ſed nihil deinde factum putaverim, præter enim Conventum ſancti Nicolai, ante annos quadraginta pro Obſervantibus conſtructum, uti alias narravimus, alterius mentionem non invenio.

Conv. Carpenſis.

Tom. 12. anno 1449. n. 18.

LXIX. Ludovicus Portocarrerius, & Franciſca Manrique oppidi Palmæ, diœceſis Cordubenſis Domini, cum Ludovicus filius unigenitus peſte decumberet, pro filii ſalute voverunt, ſe conſtructuros Minorum Obſervantum domicilium, ſub invocatione ſancti Ludovici Epiſcopi Toloſani. Reſtituto e mortis faucibus filio, hoc anno opus aggreſſi ſunt ad tertium a prædicto oppido lapidem. Aliud deinde ipſe filius adjecit, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Bethlehem. Res mira, ſed multorum teſtimoniis comprobata, prope hoc accidit Cœnobium. Milliari tertio diſtat oppidum Pennaflorii, ibique quædam devota mulier Franciſcanos accedentes vel tranſeuntes, quoad vixit, accepit hoſpitio. Falſo teſtimonio denigravit hæc proximæ famam, nec ante mortem damnum refecit. Defuncta, dum in tremendo Chriſti judicio obinde pœnis deputaretur æternis, ſanctus Franciſcus ad Judicis pedes proſtratus, impetravit, ut in mundum redire liceret miſellæ, & crimen expiare. Vitæ reſtituta, laceſſitæ fœminæ ſatisfecit, iterumque e vivis exceſſit.

Conv. Palmæ. *Gonz. in Provin. Angelor. Conv. 3.*

LXX. Prope Caſſalliam, nobile Bæticæ oppidum, vini optimi feraciſſimum, diœceſis Hiſpalenſis, Tereſia Enriquez, nobiliſſima vidua, Domina locorum de Torrijos & Maqueda, Toletanæ diœceſis, de qua alias non ſemel locuti ſumus, ut Conventum ſancto Hieronymo ſacrum Obſervantibus ædificaret, humili tamen ſtructura prout Joannis de la Puebla, recentiſque Cuſtodiæ primorum Patrum ſumma paupertatis ferebat Obſervantia, hoc anno ab Alexandro Pontifice facultatem obtinuit. Inde tranſiens, dum Hiſpalim peteret Joannes a Turribus Medicinæ Doctor, & Aſtronomiæ in Salmanticenſi Academia publicus Profeſſor, cum Eccleſiam anguſtam nimis conſpiceret, ex ſcholaſticis ſtipendiis ampliavit, & ſacellum præcipuum adjunxit, unde illi patronatus obtigit, & in prædicto ſacello ſepultura. Hujus loci Fratribus viginti aſſueverat quotidie Caſſalienſis puella, ignoto patre, vaſculum vini ex dolio repoſito exhaurire, nec prius periculum ſenſit, quam vas exhauriretur. Cumque ab avaro patre imminere ſibi malum timeret, ſanctum Franciſcum, cujus amore beneficium hoc erga illius ſectatores præſtare ſibi putabat licere, multis precibus rogavit, ut ſuccurreret. Exaudiviſſe, magno conſpexit miraculo, dolio redundante. Rem patri narravit, atque inde ille commotus, erga ſanctum Franciſcum majorem concepit affectum, doliumque miraculoſe ſupereffluens Fratribus tranſmiſit.

Conv. Caſſalliæ. *Indid. Conv. 8. Lib. 58. fol. 10. Tom. 14. anno 1474. n. 28. & alibi.*

LXXI. Indulſit Alexander Pontifex fratri Georgio de Paiva, ut ſeorſim ſibi aliiſque ſub Obedientia immediata ſummi Pontificis, & viſitatione Generalis Miniſtri, aliorumque inferiotum Officialium adhæſuris, quos un-

Conv. Campi Majoris. *Idem in Provin. Algarb. Conv. 21.*

decumque venientes poſſet admittere & dimitttere, domum conſtrueret juxta ſepta oppidi Campi Majoris citra Tagum in Luſitania, diœceſis Elvenſis: *Inter curas multiplices*. VIII. Idus Martii. Primo humilem Conventum, ſecundo majorem commodioremque Fratribus viginti capiundis ædificavit, multumque placuit circumvicinis populis, a quibus abundanter alebatur, miniſtrante illo & ſociis ſpiritualia iis, apud quos merebant corporalia. Tranſivit demum Conventus iſte ad provinciam Algarbiorum.

Tom. 13. anno 1464. n. 49. Conv. de Silva.

LXXII. Ad annum MCCCCLXIV. dedimus, quæ de origine Conventus ſancti Franciſci de Silva habet Gonzaga, quæ tamen ex Bulla Pontificia: *Sacrum Ordinis Fratrum Minorum*, data hoc anno XIV. Kalend. Septembris veniunt corrigenda. Refert enim Pontifex ex ipſa Fratrum & incolarum oppidi Fulgeriarum, diœceſis Redonenſis, narratione, quod in ſilva prope dictum oppidum, ante quamplures annos, ex piis fidelium eleemoſynis conſtructum fuit quoddam Eremitorium, in quo nonnulli Fratres Obſervantini vitam ducebant eremiticam. Atqui hi ipſi ex piis fidelium largitionibus ita domum ampliarunt, Templumque ſtruxerunt, ut plurimorum Fratrum capax fuerit domicilium, & proinde hoc anno petierint erigi in domum Conventualem per Guardianum gubernandam, unde minus certa ſunt, quæ de conſtructione domus, per Joannem Ducem Britanniæ, & ſuaſione per Guillelmum Vorilongum, qui tunc in Italia degebat, eoque anno Romæ defunctus eſt, ab aliis obtruduntur.

Conv. Villæ-novæ. *Lib. 56. fol. 163. Gonz. in Provin. Aquitan. antiq. Conv. 31.*

LXXIII. Nobili viro Reginaldo de Samer Chamoncha militi, Domino de Liſſar, Agennen. diœceſis, & Baroni de Pangolz conceſſa eſt hoc anno facultas ædificandi intra vel extra oppidum de Villa-nova, ejuſdem diœceſis, Conventum Fratrum de Obſervantia. An vel quando conſtruxerit? incertum. Gonzaga Conventum Villanovanum in Aquitania, nonniſi anno MDXII. a quodam Pivolenſium heroe, & Iſaaco Villanovano conſtructum aſſerit, atque inde ſemel pulſos Fratres in primis Galliæ tumultibus anno Domini MDLXI. & ſecundo anno MDLXXVII. ædemque magna ex parte deſtructam. Oppidanorum pietate utcumque tamen refecta eſt.

Conv. Morgiarum. *Lib. 87. fol. 178.*

LXXIV. Aymoni de Monte-falcone Epiſcopo Lauſanenſi in Burgundia ſimilem conceſſit facultatem Pontifex ædificandi in ipſa Civitate, vel diœceſi Lauſanenſi Cœnobium Fratrum Obſervantiæ. Ubi vero ædificaverit, noſtri non referunt auctores. Claudius Roberti in catalogo Epiſcoporum Lauſanenſium refert, eum anno MCCCCXCVII. Morgiis Franciſcanos condidiſſe, de quo tamen loco apud noſtros Scriptores nihil reperio.

Monaſt. Licien. *Lib. 51. fol. 41.*

LXXV. Occurrit hoc anno mentio Monaſterii ſanctæ Claræ Licien. Ordinario ſubjecti, cujus Abbatiſſam Raymundinam rogavit confirmari, dum viveret, nobilis vir Aloyſius de Paladinis, Alphonſi Regis Siciliæ apud Pontificem Orator, timens ne conſtitutio Sixti IV. de triennali Abbatiſſarum regimine obeſſet conſuetudini, in illo Monaſterio receptæ, de retinendo per totam vitam officio.

Domus Sororum Tertii Ordinis Meludun. *Gonz. in Provin. Franciæ Pariſ. Monaſt. 23.*

LXXVI. In urbe Meludunenſi in Gallia conſtruxerat ſanctus Ludovicus hoſpitale ad curandos infirmos, quod jam ruinoſum & neglectum, hoc anno reſtauraſſe Ludovicum XI. aſſerit Gonzaga, & domum adjunxiſſe Sororum Tertii Ordinis, quæ infirmorum curam agerent, hæc probante Triſtanno a Salazar Senonenſi Archiepiſcopo. At non Ludovicus XI. ſed Carolus VIII. hoc anno in Gallia regnabat. Eccleſiam caſu fortuito pollutam frater Chriſtophorus a Capite Fontium, olim Miniſter Generalis Ordinis Minorum, deinde Cæſarienſis Archiepiſcopus, & Senonenſis ſuffraganeus, expiavit & conſecravit.

LXXVII. In

LXXVII. In oppido ſeu urbe de Corunia, diœceſis Compoſtellanæ, ab annis quadraginta nonnullæ Sorores Tertii Ordinis in domo una cohabitabant. Hoc anno nobilis mulier Eliſabetha de Oſorio, Comitiſſa de Luna impetravit, ut in domum Regularem ſub regimine unius ex ipſis erigeretur: *Pia fidelium deſideria*. VI. Idus Maii. *Domus Coruniæ.*

LXXVIII. In urbe Caneæ inſulæ Cretenſis, Monaſterium ſanctæ Claræ Sororibus deſtitutum, a quodam tamquam beneficium ſimplex Eccleſiaſticum impetratum, Guardianus Minorum ab injuſto poſſeſſore recuperatum, dedit Joannæ Moræ Miniſtræ aliiſque Sororibus Tertii Ordinis, donec invenirentur Clariſſæ, quæ illic vellent habitare. Factum Pontifex probavit: *Conſuevit Sedis Apoſtolicæ*. XVII. Kalend. Maii. *Domus Caneæ.*

LXXIX. In oppido Herderslenæ regni Daciæ, & diœceſis Sleſvicen. Dorothea Benedicti de Alevelde vidua, quamdam domum ſitam in parte Orientali, juxta cœmeterium Cœnobii Fratrum Prædicatorum ad ſe ſpectantem, libere donavit Sororibus Tertii Ordinis, ut in ea regulariter cohabitarent. Donationem ab Egerdo Epiſcopo approbatam, amplius confirmavit hoc anno Pontifex: *His quæ perſonarum*. XV. Kalend. Junii. *Domus Herderslenæ.*

LXXX. Sororibus ejuſdem Inſtituti, quas *Mantellatas* vocabant, in urbe Senenſi commorantibus, conceſſit hoc anno, III. Kalendas Septembris Pontifex Monaſterium Annunciationis beatæ Mariæ Groſſetanum, Ordinis ſancti Benedicti, olim menſæ capitulari Eccleſiæ Groſſetanæ unitum, ſed ab ipſo Pontifice poſtea ſeparatum & diſſolutum. *Domus Senenſis. Lib. 87. fol. 222.*

LXXXI. Fratribus Minoribus Conventualibus villæ Galviæ, Enachdunenſis diœceſis in Hybernia, conceſſit hoc anno capellam beatæ Mariæ Virginis, prope dictam villam trans flumen ſitam, eamque illorum ſacrario ſive Sacriſtiæ univit, ut ex ejus reditibus melius Eccleſiæ neceſſitatibus provideretur. Ad preces Fratrum hoc a Ponrifice petentium concurrebant etiam vota incolarum Galvienſium, uti Bulla teſtatur. *Conv. Galviæ. Lib. 60. fol. 58.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. DUm Fidei Chriſtianæ dilatationi a miſericordia Dei late patens
» ager, partibus in Occiduis, & Priſcorum cuiquam ignotis, ſub
» Ferdinando V. Caſtellæ aperitur, Italiæ Divorum ſolo, ut antiquorum
» nonnulli appellant, fera ac importuna tempeſtas imminet, quæ cum ipſa
» Religione, cuncta meliora triturare minatur. Maximilianus, copulata
» ſibi in uxorem *Blanca Maria Joannis Galeatii Sfortiæ* Mediolani, generis
» Ferrandi Neapolitani, quieſcere videbatur, ſed Ludovicus Morus vel
» Maurus, qui nepoti ſuo Mediolani jura vi & injuria tenebat, nec reſti-
» ſtituere cogitabat, ut ſeſe in throno conſtabiliret, in Ferrandum præci-
» pue Neapolitanum, qui generis & filiæ ob amorem, Ludovici tyrranni-
» dem exoſam habebat, Carolum VIII. Franciæ concitavit: ſed ſibi primo, *Ex Topog. Ferreri.*
» Italis ſecundo, ac etiam ipſi Franco tamdem omine malo, ut certum fie-
» ret cunctis ambitioſam tyrannidem, inconſideratique juvenis temerita-
» tem omnia perdere. Sutrium, vulgo *Sutri*, antiqua Civitas Epiſcopalis
» Etruriæ, Via Caſſia occurrens, inter Nepitam, & forum Caſſii, a via
» quæ Viterbio Romam ducit parum diſtans, circa Roſulum vicum, To-
» pho Scabro impoſita, quam cavernæ plures, Topho exoſo, circumſtant, *Indic. ex Vatic.*
» ſed ad parvitatem adductæ, & incolarum paucitatem, ab urbe Roma in
» Corum ad viginti quatuor millia paſſus diſtans, Monaſterium his diebus
» habuiſſe conſtat, ſub titulo ſanctæ Mariæ Secundæ, quod ſummi Pontifi-

cis

„ cis decreto : *Supplicari nobis* . IX. Kalend. Februarii , noſtris dimittendum erat ; apud vero Sutrium noſtris Regularis Obſervantiæ Conventum extitiſſe , at ſub titulo ſancti Jacobi , etiam anno MCXVI. in quodam Proviociarum catalogo lego , qui ſextus Provinciæ Romanæ numerabatur; at hujuſcemodi rei aliunde memoria non occurrit . Melitam quoque, *Maltam* vocant , Inſulam parvam quidem , ſed celebrem in Africæ aquis Mediterranei Maris , petroſam , ventiſque expoſitam , palmis , pomis , roſis , & goſſipio abundantem , quondam a Charthaginenſibus cultam , ſubinde a Romanis ſub Cæſare domitam , ac tandem ab anno MCXXII. Equitibus Jeroſolymitanis ſancti Joannis , firmum & inſuperabile præſidium contra inimicos Crucis Chriſti , per eadem tempora Minoritas ſummopere exoptaſſe , Pontificium diploma : *Apoſtolicæ ſervitutis* . IV. Kalend. Februarii expeditum , manifeſte demonſtrat , cum inibi erigendi Conventus licentiam concedat . Pro noſtris etiam Amadeitis Cremonæ hoc anno domus indulta eſt : *Piis Chriſti* . VI. Idus Februarii ; & IX. Kalend. Martii Daciæ Fratribus exemptio determinata fuit : *Militanti Eccleſiæ* . Cuidam fratri Alphonſo *del Rio* ſubſidio eleemoſynarum ſibi factarum, poſſe conſtruere Cœnobium, ex Brevi : *Piis fidelium* . V. Kalendas Aprilis , apparet ; conſtat cuidam fratri Georgio Defini Ragulino beneficium collatum fuiſſe : *Dignum arbitramur* . IV. Kalend. Maii ; & ſuper reformatione Monaſterii ſanctæ Claræ Neapolitani litteras emanaſſe : *Religionis zelus*. pridie Idus Julii;& alias paulo poſt pro fundatione Conventus in oppido Radicondoli , Volaterranæ diœceſis : *Exponi nobis* . die X. Septembris; beneficium fratri Ferdinando de Tauro conceſſum eſt XVIII. Kalendas Octobris : *Religionis zelus* . Monaſterium vero de Nazareth Colonienſis diœceſis a juriſdictione , & cura Vicarii , data Bulla : *In Apoſtolicæ* ; cum alia executoriali præcitata : *Hodie a nobis* . XV. Kalend. Novembris .

Harol. ad ann. 1540. n. 61.

Indic. ex Vatic.

„ II. Venerandus Pater frater Alexander Javorii , qui Guardianus cum eſſet Conventus ſancti Bernardini Wratislaviæ , provinciæ Boemiæ, Joannem Epiſcopum , cujus celebris eſt memoria in noſtris Annalibus , ipſo die Pentecoſtes anno MCCCCXCII. ad Ordinem acceptaverat , bis Provincialatus munere functus , tandem Wratislaviæ obiit hoc anno MCCCCXCIV. Piiſſimus erat , & admirandæ Religionis vir , conſilio ita valens , ut Provinciæ Magiſter meruerit appellari : Ejus tranſitus ſcribitur ſub die XXIX. Septembris : de eoque agit honorifice Gonzaga , & ex eo Arturus .

Gonz. & Arthur. in Martyr. ad præfatam diem.

„ III. Non pigebit autem enarrare caſum . Vallis Caprariæ , non procul ab Urbe ſancti Bertrandi , Cœnobium Fratrum Minorum , de quo alibi loquuti ſumus , hoc anno MCCCCXCIV. ex qua cauſa neſcitur , repente igne aborto combuſtum , pene ſolo æquatum fuit; verumtamen quæſitis & collectis eleemoſynis in Cathalonia de licentia Epiſcopi Lirienſis , qui pro ſua humanitate commiſeratus caſum , indulgentias concedebat fidelibus Chriſtianis auxiliatrices manus offerentibus pro reparatione & reſtitutione illius , Fratres ſedulo reædificantes , in meliorem formam reduxerunt .

AR-

Digitized by Google

Anno Christi 1495.	Alexandri VI. an. 3. & 4.	Maximiliani Imp. an. 2. & 3.	Religionis Minorum anno 288.

ARGUMENTUM.

Celebrant Comitia Generalia Conventuales & Obſervantes Ciſmontani. Moriuntur Angelus a Clavaſio, Marianus a Luco, Joannes a Popula, & alii plerique Viri religioſiſſimi. Florent in Polonia Joannes Vitreator, in Italia Antonius e Burgo Reatino. Matthias Tiburtinus inſipienter turbat Provinciam Romanam. Georgius Cardinalis Ordinis Vice-Protector vetat Obſervantum tranſitum ad alias Congregationes. Franciſci Ximenii ad inſignem Toletanam Eccleſiam aſſumpti vitæ primordia, & ea quæ geſſit ante collatam hanc dignitatem referuntur, uti & acta Roberti Licienſis ad ſuæ urbis Epiſcopatum evecti. Multiplicantur Cœnobia.

I. HOc anno circa ſeſtum Pentecoſtes Franciſcus Samſon Miniſter Generalis Comitia Ordinis habuit Bononiæ. Rodulpus perperam affirmat ea habita anno præcedenti. Obſervantes etiam Ciſmontani conſeſſum habuerunt Generalem in urbe Aquilana, & Conventu ſancti Bernardini, in quo electus eſt die v. Junii in Vicarium Generalem Hieronymus Torniellus Provinciæ Mediolanenſis; Definitores Bernardinus a Caymis ejuſdem Provinciæ, Michael Aquenſis Provinciæ Januenſis, Seraphinus de Zamniguis Provinciæ..... Iſidorus Peruſinus Provinciæ ſancti Franciſci. Commiſſarius in Curia Romana tantum, Paulus de Roma; quod ſi ab Urbe Pontifex propter bellicos tumultus, aliave de cauſa diſcederet, alius deputandus relictus eſt arbitrio Vicarii Generalis. Guardianus ſacri loci Montis Sion, Angelus Figineus Provinciæ..... Vicarius Candiæ, Philippus de Rottingo Provinciæ ſancti Antonii; Sardiniæ, Franciſcus de Ripacheriis Pedemontanus Provinciæ Marchiæ; Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, Chii, Candiæ, & omnium locorum Terræ Sanctæ, Bernardinus a Caymis prædictus; Auſtriæ & Boemiæ, Michael de Aquis, Poloniæ Gabriel de Caſtello vir religioſus & doctus, qui celebratis Comitiis in Conventu Vartenſi anno MCCCCXCVII. & luſtrata tota Provincia, dum in Italiam remearet, pie obdormivit in Domino.

Regiſtr. Ord. Capitulum Generale CI. Bononiæ. *Rodul. fol. 244.* Capitulum Generale Ciſmont. Obſervant. XX. Aquilæ.

Monum. MSS. Prov. Polon.

II. Angelus de Clavaſio, Vicarii Generalis quartum functus officio, hoc hoc anno III. Idus Aprilis etiam vita perfunctus, ſepultus eſt Cunii in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Angelis, & a vicinis populis in magna habetur veneratione. Quæ de illo ſparſim ſuperioribus annis narravimus, plane indicant quantæ fuit virtutis, doctrinæ & prudentiæ. Antequam Minoribus nomen daret, Doctoratus inſignia in jure Canonico, & ſacra ſuſcepit Theologia. Summam a ſuo nomine dictam, inter Theologos morales ſatis tritam, aliaque compoſuit opera ſuo loco a nobis referenda. Nuncii & Commiſſarii Apoſtolici munus non ſemel digniſſime ſuſtinuit, commiſſionemque ab Innocentio VIII. contra hæreticos Waldenſes accepit.

Moritur Fr. Angelus a Clavaſio. *Marian. de Viris illuſtr. Marc. l. 7. c. 26.*

III. Die prima Januarii deceſſit in Monte Alvernæ Marianus e Luco ſive Boſco Romandiolæ, laicus ſive converſus. Ad Religionem Angeli monitu vocatus, Angelicam in ea vitam traduxit. Dæmonem annis quindecim moleſte perſequentem tulit patienter. In ſpecie muſtelæ hoſtis ſæpe apparens, orantem affligebat, & ſingulis noctibus per horam unam vexabat, donec Vir Dei longa conſuetudine eum cœpit deſpicere. Sacerdotibus ſacrificantibus libenter inſerviebat, in oratione aſſiduus, meruit viſiones videre cœleſtes, Chriſtum item Dominum, & Mariam Genitricem. Dum janitorem ageret Florentiæ Cœnobii S. Salvatoris, vidit præ foribus ſan-

Et Marianus a Luco. *Indid. c. 28.*

ſanctum Franciſcum, alio ſociatum Minorita, hortatuſque ut intrarent, tale accepit reſponſum: *Ingredi nolumus domum, a noſtra profeſſione alienam*. Vere tunc magnificentior & ſumptuoſior erat, quam paupertatem deceret Franciſcanam; inſumpſerant enim primi ſtructores, & demum Laurentius Mediceus in ea perficienda ultra centum millia aureorum. Sed, ſubſidente ſolo, vel ſtructuræ vitiis totum ferme corruit ædificium, uti nos ſuo loco de hoc ſcripſimus Conventu.

To.10. an.1419. n.13.

Necnon Joannes a Popula.

Cimarel. p.4.l.5. cap.51.

Legenda MSS.

To.14. an.1480. n.1.

Vitæ ejus compendium.

IV. Feliciſſime hoc anno vitam terminavit Joannes a Popula, Hiſpanis de la Puebla, cujus ſplendorem generis, & vitæ ſanctitatem alias indicavimus. Hic breviter præcipuas ejus delibamus virtutes. Nudis pedibus, aſpero, vilique ſacco contectus, in dura ex quercu tabula dormiebat. Pauperibus egeniſque tenerrime compaſſus, ad ſeveriorem ſemper aſpirabat paupertatem. Inſtructam ſæpe per viam reperiens menſam, ſemel exclamavit: *Ut quid mihi prodeſt omnia reliquiſſe, ſi omnibus abundo?* & vox ad illum cœleſtis: *Potiora*, inquit, *his tibi præparantur ſempiterna, qui propter Deum contempſiſti temporalia*. Introducendis Clariſſis in Monaſterium, quod diximus Belalcazaris, de parando ſplendido prandio agebatur. Sed Vir Dei paupertatis amator, noluit aliud apponi, quam quod ipſe oſtiatim mendicavit; dicens, pauperes Dei ancillas ab eo expectare debere annonam, non divitum more multo ferculo ſtratas gravare menſas. Ea fuit humilitate, ut cum vinitor propter decerptum unum aut alterum ex vinea racemum in via cum faneſceret, multis afficeret verberibus, & ſocius percuſſorem redargueret: *Permitte*, inquit, *ut Dei in me adimpleat voluntatem*, genibuſque flexis, & oculis in Cœlum elevatis, ſi quos addere vellebat, ictus ſperabat.

To.14. an.1484. n.67.

V. Cibos nonniſi viles admittebat & inſipidos, multiſque modis laboribus & flagellis attenuatum corpus amplius macerabat; erga alios tamen ſumme miſericors indulgentiſſime ſubditos regebat, Patris ſui Alphonſi a Sotomajor ſeveritatem, & crudelitatem erga ſubjectos exoſus, & miſereri & compati didicit afflictis, maxime autem infirmis. Pudicitiam ſumma cura inviolatam ſervavit, & ab oratione nonniſi neceſſariis diſtrahebatur de cauſis. His aliiſque dives virtutibus, incidit in moleſtam diuturnamque infirmitatem, mortique proximus hanc vocem audivit: *Veni fili, & fruere centuplo, quod promiſi, præmio, iis qui pro me ſua quæque reliquerunt*. Obiit in Conventu Belalcazaris, ſuper cujus tumulum duo candelabra aurea non ſemel viſa ſunt. Poſt annos ſexaginta exhumatum corpus integrum conſpexit Begiarii Dux Franciſcus Zunniga, ſuaviſſimum ſpirans odorem, & decenti condidit ſepulcro. Caput allatum eſt ad Cœnobium ſanctæ Mariæ de Angelis Montis Mariani, inſtitutæ a ſe reformationis primum, cui per annos quinque ad mortem uſque præfuerat. Tunicam aſperam & rudem, cilicio ſimilem, ſervant reverenter ſupradictæ Clariſſæ.

Corpus ejus integrum.

Moritur Michael Bal.

Monum. MSS. Prov. Polon.

VI. Moritur hoc anno, die Purificationis Virginis Mariæ, nocte præcedente in Cœnobio Obſervantum urbis Cracovienſis Michael Bal longa infirmitate gravatus. Genere & virtute nobilis, a beato Joanne Capiſtrano habitum ſuſcepit, ſub quo laudabiliter & graviter converſatus, ter aſſumptus eſt ad provinciam gubernandam. Regibus Polonis gratus & acceptus, pro Conſodalibus ejus juvandis & promovendis fideliter & indefeſſe laborabat. Conventus Samborienſis ſub eo ſuſceptus eſt, aliaque multa præſtitit ſuis Conſratribus beneficia.

Floret Joannes Vitreator.

VII. In eadem Provincia florebat, & Vicarium agebat hoc anno, Joannes Vitreator, qui Magiſter Artium in Univerſitate Cracovienſi exiſtens,

ſtens,& pinguia habens ſacerdotia, inſtitutum ſubivit. Viro docto & gravi, dum ex Comitiis Generalibus Florentiæ habitis in Poloniam rediret, traditus eſt Galerus Cardinalitius deferendus Friderico Caſimiro, Regis Caſimiri filio, & Alberti Regis fratri, quem ei dedit Radomiæ in Eccleſia parochiali, præſente matre Regina. Duxerat Alexander Magnus Dux Lithuaniæ Helenam Ducis Moſcoviæ filiam, ritus Rutheni ſchiſmaticam. Hinc orta controverſia propter multos, qui ad unionem Eccleſiæ Romanæ, depoſito ſchiſmate, accedebant, an deberent rebaptizari, & an liceret cum eis in ritibus & officiis Divinis communicare, aut ad ſacrificandum in Eccleſiis Latinorum admittere? Ex Prælatis multi aliter in his, quam Pontifices Romani & Concilium Florentinum ſtatuerant, ſentiebant,quibus viriliter pro defenſione unitorum obſtitit Joannes, & tandem, conſulta Sede Apoſtolica, obtinuit. Circa hæc ſcripſerat Innocentius VIII. Vicario & Fratribus Obſervantibus regni Poloniæ, & Alexander VI. duo miſit diplomata, unum incipiens: *Fide dignorum relatione*. Friderico prædicto Cardinali, Gneſnenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Cracovienſi; ſecundum anno MDI. incipiens: *Altitudo Divini conſilii*. ad Epiſcopum Vilnenſem, cui etiam alias addidit litteras, ut Eccleſiam pro Ruthenis ædificatam conſecraret, in qua illi ſuo ritu Divina poſſent peragere, & Latini etiam ſuas Miſſas legere, quandocumque placeret. Demum Vitreator, celebratis Comitiis in Conventu Opatovienſi, anno MCCCCXCVI. creatoque viro religioſiſſimo & piiſſimo Ladiſlao Gielnovienſi ,, apud Eccleſiam Parochia-
,, lem ſanctæ Mariæ Magdalenæ Poſnaniæ ,, ſancto fine quievit.

CORRECTIO *Ex monitis P. Lucæ Wad. ad an 1515.*

Decedit Franciſcus Laudenſis. *Marc. 3. p. lib. 7. c. 46.*

VIII. Circa hoc tempus obierunt Franciſcus Laudenſis in Conventu Caſtilionis Aretini, vir vitæ religioſæ & ſolitariæ, numquam feriatus a bono, in ſacrificiis & orationibus Deo offerendis ſumme attentus & devotus, converſationem ſecularium abhorrens. Triginta octo annos eo loco commoratus, numquam vultum conſpexit mulieris, & anni quindecim elapſi erant, antequam Caſtilionis oppidum Cœnobio propinquum ingrederetur. In orationibus recitandis, & Salutatione Angelica in coronæ modum repetenda aſſiduus, paſſus eſt, noctu præſertim, multas dæmonum perſecutiones. Alius eſt hic a Franciſco de Caſtrodurante, quem illic etiam diximus fuiſſe ſepultum. Balthaſſar item Ravaſchius e Clavario, Bernardino Feltrenſi contemporaneus & dilectus, zelo ſalutis animarum exæſtuans, peccatorum confeſſiones libenter & patienter excipiebat. Ob vitæ ſanctimoniam honorifice ab omnibus habitus, nobili marmoreo ſepulcro donatus eſt in Conventu Binaſchi, uti alias indicavimus. Paulus etiam de Levanto Provinciæ Neapolitanæ, vir magnæ orationis & caritatis, Sapientia Divina plenus, juſſus eſt a Superioribus multis in urbibus & oppidis prædicare. Sepultus eſt in Cœnobio ſanctæ Trinitatis prope oppidum ſancti Severini, populo carus, miraculis illuſtris. Laurentius a ſancto Martino Laicus, rerum cœleſtium contemplationi totus addictus, de Deo gratiſſimos proferebat ſermones. Res miraculoſas in vita & in morte patravit. Sepultus eſt in Conventu Adrienſi Apulæ Provinciæ. Michael de Buſtis vir obſervantiſſimus, & ſui ſtatus zelantiſſimus. Jacet Toleti in Cœnobio Regio ſancti Joannis.

To. 10. an. 1427. n. 23. Et Balthaſſar Ravaſchius.

Tom. 9. an. 1379. n. 5. Paulus de Levanto.

Laurentius a S. Martino.

Michael de Buſtis.

,, Hoc ipſo anno vita religioſe functus eſt Franciſcus Aretinus in Conven-
,, tu ſancti Joannis ſuæ patriæ, Prædicator Apoſtolicus, ab Alberto Sartia-
,, nenſi religioſa veſte donatus. Inſtitutum multis in locis promovit: ſed
,, cum Aretii Monaſterium inſtituiſſet Clariſſarum abſque licentia Angeli
,, a Clavaſio tunc Vicarii Generalis, hic acriter in Capitulo reprehenſum,
,, ſuffragio vocis activæ & paſſivæ per quinquennium privavit. Nihil ille

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Franciſcus Aretinus. *Cimarel. lib. 5. c. 49.*

Mon. Aretinum.

„ commotus, ad Eccleſiam perrexit Miſſam celebraturus, Fratrique interroganti quomodo ita inſenſibiliter eam ferebat mortificationem, ſedato animo reſpondit: *Valde puſillanimis eſt miles, qui propter levem iſtum ſuam deſerit ſtationem*. Paulo poſt eodem in loco deceſſit Nicolaus Urbevetanus indefeſſus verbi Divini præceptor, & fidelium quocumque pergebat, placidiſſimus inſtructor, eam apud omnes nactus opinionem, ut non alio nomine quam *frater ſanctus* audiret. In Conventu Pizevocſcii in Ruſſia obierunt Gregorius Szadeczius, & Petrus Candidus, ferventiſſimi prædicatores, ſalutis animarum perquam ſitibundi, virtutibus illuſtres. Petrus Joanni Capiſtranenſi viriliter cooperatus eſt in prædicanda Cruciata, & conſcribendis Cruceſignatis.

Fr. Nicolaus Urbevetanus.

Fr. Gregorius Szadeczius. Fr. Petrus Candidus.

Floret Antonius e Burgo Reatino. *Marian. l. 5. c. 21. §. 16.* *Marc. citat. c. 28.*

IX. Floruit hoc tempore in Cœnobio Gretii Antonius e Burgo Reatino, laicus quæſtuarius, quem Marianus virum fuiſſe ait multæ Religioſitatis, cultorem obedientiæ, zelatorem paupertatis, ſpeculum honeſtatis, magnæ caritatis, & devotæ orationis. Accidit ut tota Vallis inter Cœnobiolum & Gretii oppidum confertis nivibus repleretur, neque modus ullus eſſet panem Fratribus conquirendi. Diebus octo legumina tantum, & piſciculos ſalſos Fratres manducaverunt, atque hæc ipſa jam deerant, cum Antonius poſt longam orationem in Oratorio Præſepis, a ſancti Franciſci tempore, & celebratis ibidem Chriſti Natalitiis celeberrimo, acceptos Angelico miniſterio panes octo magnos & albos, Guardiano aſportavit. Diviſi ſinguli in partes octo, totidem Cœnobioli Incolis per dies octo ſuffecerunt. Poſtremo die, perſeverante adhuc nivium impedimento, Guardianus Cœnobii Stronconienſis Provinciæ ſancti Franciſci, a Deo inſpiratus, robuſtum virum, & jumentum pane onuſtum per aſpera montis juga tranſmiſit, & paulo poſt eliquatis nivibus, incolæ Gretii cibos tulerunt abundanter. Refert Marianus ſe accepiſſe a Petro Reatino, qui ex octo Cœnobitis erat unus, omnes ad mirabilem & dulciſſimum panis ſaporem, mirumque candorem, facile ſibi perſuaſiſſe vere panem fuiſſe Angelicis manibus præparatum, ſeque probaſſe quam veriſſimum illud Davidicum, quod ſperantibus in ſe *Dat Dominus eſcam in tempore opportuno*. Porro Antonius illic demum ſancto fine quievit. Scripſerat Marcus Ulyſſiponenſis Hiſpanice, Antonium hunc fuiſſe *de los Arrabaldes de Teate*; quidam recens ſcriptor, percepta male voce Hiſpanica *Arrabaldes*, originem duxiſſe ex nobili familia Arrabaldorum narravit, cum vox illa non niſi *ſuburbia* ſignificet. Atque ita quidem Marianus, ex quo Marcus exſcripſit, habet, *Antonius laicus ex Burgo Reatino*, pro quo Amanuenſis Marci male ſcripſit *Teatino*; atque ita probabilius, cum Cœnobiolum Gretii in Valle ſit Reatina.

Vide tom. 2. ann. 1223. n. 20.

Pſal. 144. 15.

Simon. in vita MSS. Bernardin. Feltren. duos languentes ſanat.

X. Præter plurima a nobis ſupra Bernardini Feltrenſis relata miracula, hoc iſtius anni licet adjicere. Doctori cuidam Medicinæ, urbis Ticinenſis, ante aliquot annos Bernardinus ea in urbe prædicans, fratrem Jacobum ex ſociis ægrotantem commendavit. Ejus curam admiſit Medicus, ea tamen conventione, ut ſi ipſe etiam Bernardini ope indigeret, viciſſim commendatum haberet. Admiſſum pactum Vir Dei plene complevit, receptum enim in ſocii curatione beneficium, duplici compenſavit. Etenim paulo poſt accidit, ut Medici filius ad mortem ægrotaret, cui cum pater ſua ſcientia mederi non poſſet, ad Bernardinum acceſſit, rogavitque, ut opitularetur. Nil aliud hic, quam ut confidenter abiret, & crederet filium non periturum, reſpondit. At ille paterno affectu cum ſæpius preces ingeminaret, ſubjunxit Bernardinus: *Quid hæc toties obtrudis? tibi dico: ex hac ægritudine liberabitur*. Erecto his verbis animo, domum rediit, filiumque reperit inco-

columem. Secundum in ſe comprobavit hoc anno beneficium. Continua & periculoſa febre oppreſſus, nihil in ſtomacho, cibos omnes nauſeanti, retinebat, unde eum incaſſum artis regulas univerſas probaret, ad Divina recurrendum judicavit. Viſum venerat ex Cœnobio ſancti Jacobi, ubi Vir Dei jacet, Bernardinus, quidam vir pius, qui multa & quotidiana Feltrenſis narrabat miracula. Hunc rogatum voluit infirmus, ut ſuo nomine preces ad Viri Dei ſepulcrum effunderet. Obſecutus vir religioſus, nocte ſequenti pro languente ad tumulum oravit. Ea ipſa hora, ut compertum eſt mane ſequenti, appetitum & ſtomachi virtutem reddi, inde reliquam ſanitatem expertus eſt. Utrumque miraculum ipſe ſua manu ſcripſit, & Guardiano tradidit ſepulcro appendendum. Sed uti nos mirandum hoc iſtius anni narramus, ita improbamus narrationem Blaſii Rubei, qui in tabulis dypticis Epiſcoporum Cremonenſium refert, Bernardinum hoc anno Cremonæ in templo ſanctæ Agathæ prædicaſſe.

XI. Hoc tempore Matthias Tyburtinus quaſdam turbas ex nimio, ſed inſipienti zelo excitavit in Provincia Romana. Filius erat Medici prædicta urbe oriundi, & in juventute egregie didicit linguam Latinam & Græcam, eaque polluit indole, & memoriæ felicitate, ut paucos ſui ſimiles in juventute inveniret Romana. Etenim a patre in Urbem miſſus, ut altiores addiſceret ſcientias, eruditos quoſque Magiſtros frequentabat; ſed religioſæ indito vitæ deſiderio, in prædicta Provincia Inſtitutum ſubiit Minorum Obſervantum. Poſtquam Theologiæ ſtuduit, & cum laude cœpit prædicare, vel nimium ſuo fidens ingenio, vel novarum rerum avidus, cœpit de arctiori vitæ genere cogitare, & quoſdam in ſui propoſiti rationem convocare. Is perfectionis omnis ſcopus, ut abdicatis omnibus Regulæ expoſitionibus, in locis deſertis & pauperculis, ſecundum litteræ corticem Regula obſervaretur. Sequaces habuit ultra octuaginta Conſodales, qui illius verbis inhærentes, expoſitiones quaſcumque, ſive Pontificum, ſive ſancti Bonaventuræ, ſive aliorum Doctorum condemnabant, & Superioribus ſecundum has quidquam præcipientibus, non eſſe obtemperandum, temere affirmabant. Syndicorum uſum inſuper reprobabant; conſtitutiones Pontificias eos concedentes nolebant admittere, & Conventuum Superiores, qui Syndicos aut Procuratores habebant, in malo ſtatu vivere, & in pejori mori, nec ſuffragiis adjuvari poſſe, aſſerebant, aliaque his ſimilia dogmata ſpargebant.

Mart. citat. c. 26. Regiſt. Ord. Matthias Tiburtinus vir probæ indolis.

Novitatis avidus.

Novam excogitat Congregationem.

XII. Ut pertinacius anteſignanus ſuo adhæreret errori, & ſocios in præceps adduceret, Satan in Angelum lucis transformatus ei apparuit ſub Chriſti figura, ſuadens, ut conſtanter pergeret, neque contraria docentes auſcultaret. Ardenter obſecutus, nihil ſuis erroribus adverſum volebat audire, neque cenſuris aut ordinationibus Apoſtolicis obedire. Conjectus in carcerem, cœpit reſipiſcere, & ſalutaribus monitis obtemperare, donec denuo malus ille illuxit conſiliarius, graviterque reprehendit, quod a ſe dicta contempſerit, errantumque Fratrum prætulerit conſilia. Ad errorem reverſus, e carcere cum alio errone confugit ad ſolitarios receſſus, & montium cavernas, ubi multos congregavit ſibi ſimiles, novumque effinxit Ordinem, conſtitutis Superioribus, Miniſtro Generali, Provincialibus & Guardianis. Demum ut majorem ſibi inter ſuos conciliaret auctoritatem, multa de ſe ſpargebat & ſcribebat, ſe ſcilicet a Deo illuminatum, doctrinam ſuam miraculis confirmandam, hiſque ſimiles inſanias. Sed infirma hæc erronum cohors, nullo negotio brevi diſſipata eſt, recedente ad Conventuales Matthia, & revertentibus ad Obſervantes pleriſque.

A Satana decipitur.

XIII. Propter magnas ſimultates, quæ inter Alexandrum Pontificem, & Julianum de Ruvere Cardinalem, etiam ante Alexandri aſſumptionem interceſſerunt, ab Urbe recedendum judicavit Julianus; & Avenionem primum, inde in Galliam abiit Sedis Apoſtolicæ Legatus, ubi ſummo conatu Carolum Regem Alexandro reddidit infenſum. In hac illius abſentia protectionem Ordinis Minorum, quam ſuſtinebat, commendavit Alexander Georgio Coſtæ, Epiſcopo Albanenſi, Cardinali communiter nuncupato Portugallenſi. Hoc ille anno acceptis a Curiæ Commiſſario Citramontano, aliquos ad Conventuales, alios ad Amadeitas & Clarenos ex Obſervantibus abſque licentia tranſiiſſe, iſtud edidit conſtitutum.

Georgius a Coſta Card. Ordinis Vice Protector.

Nos Georgius Albanen. S.R.E. Cardinalis Portugallen. & Ordinis Minorum Vice-Protector, univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem &c.

Ex originali. Prohibet Obſervātibus ad alias Congregationes tranſire.

XIV. *Cum per felicis recordationis Sixtum Papam IV. per Apoſtolica ſcripta mandatum fuit Reverendiſſimo Domino meo Juliano, Dei gratia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Epiſcopo Hoſtienſi, & Ordinis Minorum Protectori, & ejus in hac parte locumtenenti, ut requiſiti pro parte Vicariorum Provincialium Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, aut ſuorum Fratrum, ut obſervari faciant etiam ſub cenſuris litteras Pauli II. & prædeceſſorum ſuorum, quibus cavetur, ne dicti Ordinis profeſſores Conventuales & de Obſervantia nuncupati, Generali dumtaxat, ſeu etiam Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis ſubditi, eorumque Prælati, Fratres de Obſervantia nuncupatos, ſub Vicariis vivere ſolitos, transfugas, & ad eos fugientes acceptare præſumerent, niſi oſtenderent litteras ſuæ licentiæ, a Prælato ſuo per eos obtentas, in quibus contineretur nomen domus, a qua receſſiſſent, & illius, ad quam miſſi eſſent, ſed illos ad ſuos Prælatos, juxta quarumdam aliarum litterarum piæ memoriæ Pii Papæ II. etiam prædeceſſoris ſui, ſuper hoc editarum continentiam, remittere tenerentur, ſub excommunicationis pœna, quam tranſgreſſores dictarum inhibitionum ipſo facto incurrerent. Nunc autem, ſicut ex relatione venerabilis Patris fratris Pauli de Cancellariis, Vicarii Generalis Ciſmontani eorumdem Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, in Romana Curia Commiſſarii, accepimus, nonnulli dictorum Fratrum ſub obedientia Miniſtri Generalis, & præſertim in Congregatione fratris quondam Amadei, & fratris Angeli de Clareno degentes, ſpretis inhibitionibus & cenſuris prædictarum litterarum, aliquos Fratres ſub obedientia Vicariorum familiæ, de Obſervantia nuncupatæ vivere ſolitos, & præſertim fratrem Paulum de Turrano, abſque Prælatorum ſuorum licentia recipere non formidarunt, cenſuras dictarum litterarum incurrendo, in ſuarum animarum periculum, Fratrumque dictorum familiæ de Obſervantia detrimentum, ac ſcandalum plurimorum. Nos igitur, qui, abſente dicto Protectore dictorum Fratrum Minorum, in hac parte vices ejuſdem Protectoris, etiam de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri gerimus, ad inſtantiam præfati fratris Pauli Commiſſarii, ſeu Procuratoris dictorum Fratrum de Obſervantia requiſiti fuimus, ut ad executionem nobis factæ commiſſionis prædictæ per præfatum Dominum noſtrum Papam procedere curaremus; univerſis & ſingulis præfati Ordinis Miniſtris, Cuſtodibus, Commiſſariis, ſeu Procuratoribus, Guardianis, eorumque Vicariis, necnon Fratribus aliis ſub obedientia dictorum Miniſtrorum, & præſertim in dicta Congregatione prædicti fratris Amadei & Angeli de Clareno degentibus,*

præ-

præcipimus & mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris in prædictis litteris ejuſdem Pauli Papæ II. contentis, ſi contra fecerint, ipſo facto incurrendis, ut ſi quos dictorum Fratrum de dicta familia Obſervantiæ, & præſertim dictum fratrem Paulum de Turrano abſque ſuorum Superiorum obtenta licentia receperint aut retinuerint, ac in futurum recipi, & retineri contigerit, eoſdem ſic per eos receptos aut retentos, recipiendos & retinendos, viſis præſentibus, cum libris & aliis mobilibus, quæ ſecum aſportaverint & aſportabunt, ad ſuos Prælatos remittere teneantur. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. In quorum fidem & teſtimonium, præſentes fieri mandavimus, & noſtri majoris ſigilli fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, die III. *menſis Octobris* MCCCCXCV. *Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri, Domini Alexandri Divina providentia Papæ VI. anno* IV.

XV. Ad Eccleſiam Toletanam, opibus, auctoritate, dignitate, in Hiſpania primariam, & primis totius Europæ Sacerdotiis conferendam, aſſumptus eſt hoc anno die XX. Februarii frater Franciſcus Ximenez Ciſnerius, per obitum Petri Gonſalvi Mendozii, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyteri Cardinalis, in ſumma gratia & auctoritate habiti apud Reges Catholicos Ferdinandum & Iſabellam. Prima hæc ſe mihi obtulit occaſio de Ximenio, viro clariſſimo & ſanctiſſimo ſcribendi; licet enim ante ſuſceptum Minorum Inſtitutum præclare ſe geſſerit, intra clauſtri ſepta religioſiſſime vixerit, ad aulam vocatus, digna quæ narrentur, effecerit, nulla tamen conſtant annorum partitione, neque nos pro noſtra ſcribendi ratione habuimus hucuſque quid primum certo conſtitutum diceremus, præter unam hominis ad Religionem, & ſecundam ad Reginæ confeſſiones excipiendas vocationem. Placuit itaque ab hac nobili viri exaltatione anſam arripere, vitæ exordia, & quæ ad hunc uſque annum geſſit, ſub compendio referendi. Ita facere eo facilius & verius licebit, quo propenſiori ſtudio, & majori induſtria præceſſit Alvarus Gomeſius Caſtrus Toletanus, ea in urbe publicus eloquentiæ profeſſor. Is enim collatis ſæpe ſermonibus cum præcipuis Ximenii Miniſtris, acceptiſque arcanorum inſtrumentis, litterarum faſciculis, & commentariis rerum ab eo præcipue geſtarum, per domeſticos conſcriptis, conſultiſque illius temporis hiſtoricis, ut ipſe operi præfatur, vitam omnem, & acta graviſſimi Præſulis libris octo complexus eſt. Ab hoc tum noſtri, tum exteri quotquot de rebus Ximenii ſcripſerunt, acceperunt. Nos ſingula, reſciſis quæ ad rem noſtram non pertinent, per ſingulos annos, qua licebit brevitate, diſtribuemus.

Fr. Franciſcus Archiep. Toletanus.

Ejus vitam diligentiſſime ſcripſit Alvarus Gomezius.

XVI. Ciſnerio, regni Legionenſis haud ignobili municipio, Ximeniorum vetuſta & nobilis familia proceſſit. Hinc Alphonſus difficili & præfracto ingenio Garciæ fratris, natu majoris, abactus, ad Turrem Locunæ in Archiepiſcopatu Toletano ſubſtitit, ubi ex Maria de Turre honeſta Virgine, nobilibus prognata parentibus deſponſata, Franciſcum hunc (in baptiſmo Gonſalvum nuncupatum) primum ſuſtulit, deinde Joannem & Bernardinum. Ab ipſis incunabulis honeſte & ſancte educatus, puerilibus litterarum rudimentis domi inſtructus, Grammatice operam daturus, Complutum, deinde Salmanticam jus utrumque auditurus amandatur. Eos hic fecit profectus, ut paucos poſt annos, domi facultatem hanc ipſe alios docuerit, & paternum ſumptum laboris præmio ſublevarit: Liberalium vero artium, & Divinarum in primis ſcientiarum diſcendarum cupidus, quidquid temporis ex juris ſtudio ſubducere licebat, Theologiæ ſub Magiſtro Roenſi, celeberrimo profeſſore, impertiebat. Studiorum peracto curriculo, in pa-

Ejus parentes & patria. Robles in vita Ximen. c. 4. & 10.

Pueritia & adoleſcentia.

patriam reverſus, ex Alphonſi Patris auctoritate, qui forenſes cauſas procurabat, Romam contendit. In ea peregrinatione, cum in latrones ſemel atque iterum incidiſſet, viatico, veſte, equo deſpoliatus, apud aquas Sextias ſiſtere coactus eſt, donec præteriens Brunetus quidam Salmanticenſis, olim contubernalis, pecuniam mutuavit, & itineris ſocium adhibuit.

XVII. Romæ dum ſe cauſis actitandis exercet, nuncium accipit, patrem obiiſſe; unde matris viduitati, & Fratrum orbitati conſulturus, domum regreditur, obtento prius Pontificio de expectativis, ut vocant, diplomate, cujus vi ſacerdotium aliquod poſſet adipiſci. Harum litterarum auctoritate Uzedæ Archipresbyteratum vacantem occupavit. Is modus ſacerdotia vindicandi cum apud omnes Epiſcopos invidioſus eſſet, tum maxime fuit apud Alphonſum Carillium Archiepiſcopum Toletanum, virum potentiſſimum & cerebroſum, qui domeſticum quemdam ſacerdotio, ſtatim ubi vacaverat, præfecit. Ex mota itaque lite, graviſſima Præſulis offenſione contracta, conjectus eſt Gonſalvus in vincula, in penitiore turre arcis Uzedanæ, quæ illi, poſtquam ad Archiepiſcopatum pervenit, pro gazophilacio ſuit. Inter Cuſtodias mœſtum, non ignobilis conditionis ſacerdos, illius oppidi civis, qui in eodem erat carcere, perhumaniter ſolatus: *Depone*, inquit, *mærorem, quo angeris, vir optime, nam in hoc ipſo quo teneris vinctus cubiculo, Joannes Zerezuela, Alvari, illius magni Comeſtabilis frater, gravioribus vinculis conſtrictus, acerbiorem paſſus eſt cuſtodiam, cui ad Pontificatum Toletanum aſſumpto, rerum præteritarum, & iniquæ fortis memoria fuit jucunda. Ego quidem poſtquam tuæ frontis probitatem, totiuſque corporis dignitatem ſum contemplatus, talem in te rerum commutationem futuram animo concipio*. Gratias egit Ximenius ſuo conſolatori, ſed duriora dixit eſſe principia, quam ut exitum tam facilem eſſent habitura. Non defuerunt aliquot hujuſmodi prædictiones & oſtenta, quibus ejus futura magnitudo, quantum Superis curæ eſſet, prædivinari potuit & animadverti. Aliqua ex his ſuis locis interſerentur, quæ manifeſte docebunt, non humano aliquo favore, aut cœca fortunæ temeritate, ſed Divino potius conſilio, ad tot tantaſque res excelſas fuiſſe deſtinatum.

Conjicitur in carcerem.

XVIII. Ab hac Uzedanæ arcis cuſtodia, haud ita multo poſt ad arcem oppidi ſancti Torquati, publicum ſontium ſacerdotum carcerem translatus, complures ibi dies detentus, una ſacrarum litterarum lectione duram fortunæ, in qua verſabatur, conditionem tolerabat: donec Archiepiſcopus per Bondiani Comitis nepotis ſui uxorem tandem exoratus, abjecta ceſſionis ſpe, quam de jure ſacerdotii extorquere a capto conabatnr, liberum hominem abire permiſit. Ille conceptam ſemel Antiſtitis indignationem veritus, ne quæſita, ut fit, non tantum expectata occaſione, rurſus erumperet, ſolum vertere ſtatuit, atque ab univerſa illius ditione ipſe ſe exilio ſpontaneo mulctavit. Quocirca compoſita cum capellano maximo Eccleſiæ Seguntinæ mutua Sarerdotiorum permutatione, Capellaniam, quam maximam appellant, Eccleſiaſticæ dignitatis titulo inſignem, adeptus eſt, ſed nonnullo, quod uberioris proventus eſſet, quam Archipresbyteratus, annuæ penſionis onere prægravatam.

Liberatur.

Seguntiam abit.

XIX. Seguntiæ ita integre vitam inſtituit, ut ab omnibus bonis ejus amicitia certatim ambiretur: inter quos familiariſſime uſus eſt Joanne Lupo Medinenſi, Almazani Archidiacono, viro ſingulari, morum probitate, atque rerum gerendarum prudentia prædito, tum etiam opibus & auctoritate pollenti, cui jam tunc auctor Ximenius fuit, ejus Collegii literarii condendi, quod in ſuburbio Seguntino jus Academiæ publicæ tenet. Qua in

re non obſcurum ſane documentum dedit animi ad litteras provehendas propenſi, ſecumque tale aliquid mediantis, modo fortuna par votis offerretur.

XX. Interea Petrus Goſalvus Mendozius, tunc Epiſcopus Seguntinus, magna hominis fama permotus, nihil tale cogitanti aut ambienti, Vicariam detulit univerſæ diœceſis adminiſtrationem. Quod ille munus quanta potuit contentione recuſavit. Sed cum Antiſtes potentiſſimus acrius inſtaret & urgeret, ſubiit tamdem onus, ne illius auctoritatem contemnere videretur. Suſceptum igitur munus tanta animi moderatione prudentiaque gerebat, ut univerſi facile intelligerent, neminem inveniri poſſe, qui ab omni vel avaritiæ vel inſolentiæ labe magis abhorreret. Quo factum eſt, ut ab Antiſtite ſuo plurimi fieret, & ſacerdotiis non contemnendis augeretur, & ſimul majorem bonorum omnium benevolentiam compararevit. Ea quidem opinione apud viros primarios innotuit, ut Alphonſus Silva Ciſontanus Comes, in Granatenſi expeditione captus, & in vinculis Maurorum detentus, ejus fidei ditionem ſuam univerſam commiſerit, remque publicam & familiarem illius tutelæ commendarit. *Fit Vicarius inſtitutus.*

XXI. Cum itaque Seguntiæ in litibus Eccleſiaſticis judicandis ceteris omnibus abunde ſatisfaceret, ſibi uni tantum diſplicebat: nimirum mens Divinis aſſueta rebus, quæ ab illo vitæ ſtrepitu ad tutiſſimum otium ſe jam receperat, haud ferre poterat tempus omne rebus ſordidis impendi. Quare ſuas meditationes aſſiduo cum Deo colloquio conferebat: non tamen reperire modum poterat, quo ſe a ſuſcepto munere extricaret, & in priſtinam libertatem aſſereret. Cœpit ergo Monachatum cogitare: nam hæc ſola via reliqua videbatur, qua & Cardinali Mendozio ſatisfaceret, & ſui voti compos efficeretur. Cum rem ad amicorum quamplurimos detuliſſet, illorum nonnulli haud quaquam pari ſpiritu afflati, magnopere hominem ab eo conſilio dehortari ac deterrere conabantur. At ille cum obfirmato in ea ſententia animo, hanc viam liberatorem noſtrum Chriſtum Optimum Maximum commonſtraſſe diceret, qua illum expeditius mortales ſequerentur, amici Divinitus hanc homini mentem datam intelligentes, minime quidem repugnandum rati, de ſacerdotiis, quibus præerat, cum eo agere cœperunt, ut ad Bernardinum ejus fratrem natu minimum deferri, operam daret. Vagabatur tunc temporis adoleſcens, nec ſatis conſtabat, ubinam locorum ageret. Providendum ergo dicebant, qua fieri poſſet, ne egeſtate oppreſſus, ut qui & parentum jam pridem auxilio, & nunc fraterna ope deſtitutus eſſet, malis artibus victum quæreret. Ille dictis amicorum cedens, ſucceſſores ſacerdotiorum ipſos conſtituit, fratrem interim illis commendans, modo idoneus eſſe videretur. *Cupit ſibi vacare.* *Monachatum cogitat.*

XXII. Domeſticis rebus utcumque compoſitis, ſancti Franciſci Inſtituto, quod potiſſimum ex toto Monachatu delegit, ſeſe mancipavit. Cum vero Cœnobium Toletanum nuper a Catholicis Regibus, uti diximus, conſtructum, ſinceræ & primævæ Religionis cultu florere perciperet, illius ſe Sodalibus anno MCCCCLXXVII. tironum omnium primus adjunxit. Elapſo tirocinio, mutatoque in ſolemni profeſſione Gonſalvi nomine, in Franciſci, tanta continuo, tamque præclara veræ pietatis documenta dare cœpit, ut brevi maximam de ſe ſanctiſſimi viri opinionem excitarit. Ægre porro tulit Mendozius Cardinalis, ſe ſuumque Epiſcopatum integerrimo privari Vicario, attamen nonnullis familiaribus dicere ſolebat; magnum virum Ximenium eſſe, ſeque augurari, ab illo Cœnobio ad præclariſſimam aliquam dignitatem abducendum, idque in magnum totius Reipublicæ Chri- *Fit Franciſcanus. Tom. 14. anno 1477. n. 31.*

Chriſtianæ emolumentum ceſſurum. Hoc prudentiſſimi viri dictum in multorum hæſit memoriis, & rei eventus docuit, non tam leviter conjeciſſe, quam vere divinaſſe.

XXIII. Atqui in hoc etiam a mundo receſſu, & religioſo clauſtri receſſu non quieſcebat Ximenius; offendebat enim hominem quietis & tranquillitatis percupidum, celebritas loci, quo frequens & virorum & fœminarum turba variis de rebus interpellantium quotidie confluebat. Ergo ut ad ſolitudinem quamdam mitteretur, magnis precibus obtinuit. Quare in anguſtam quamdam perpaucorum Sodalium domunculam, non longe a circumfuſa frequentium caſtaneorum ſilva, *Caſtanetum* vocant, amandatus eſt. Hic ille jam voti compos factus, cœleſtem quamdam vitam cœpit meditari. Satagebat corpus inedia & labore & vigilia attenuatum, animi imperio ſubigere: mentem precatione, lectione & contemplatione exercitatam, in ſublime tollere. Invitabat ad hoc præter loci ſilentium ac ſolitudinem, lucus quidam vicinus tam proceris & denſis arboribus, ut vix internitentis Solis dubium lumen per meridiem admitteret. Hic ſeſe ille penitiſſime recondebat, uno dumtaxat Divinarum Scripturarum codice comitatus; ubi poſt mentem ſacra lectione refectam, precationibus intentus, nunc poſitis genibus, nunc herbido ſolo recumbens, totus a ſenſibus propemodum abſtractus, in ſupernam regionem ferebatur. Multo poſt tempore humanis negotiis redditus, hanc ſolitudinem ſolebat requirere, & ſub aureis laquearibus poſitus, tuguriolum, quod ad vitandas cœli injurias hoc loco conſtruxerat, ſæpenumero ſuſpirabat.

Solitudinem petit.

XXIV. Ab hac Caſtaneti ſolitudine nonnumquam a ſui Ordinis Superioribus Toletum evocabatur, quo ille invitus, ſed tamen veniebat. Mirum quiddam accidiſſe fertur, dum aliquando hoc faceret iter, comite Sanctiaco ſui Ordinis viro, integritate vitæ, ac ſimplicitate Chriſtiana inſigni. Cum multa nocte Ajoſrinum, non longe a Toleto oppidum, perveniſſent, in frugibus ad triturationem paratis recumbentes, indormierunt. Evigilavit Petrus, & Ximenium inclamans: *Te nunc*, inquit, *o pater, Archiepiſcopum Toletanum venerabar*, *galero etiam rubro inſignitum*: *Deum Optimum Maximum precor*, *ut inſomnium a ſe*, *ut credo*, *miſſum*, *verum efficiat*. Ximenius autem nihilo ob id commotior, *dormi*, ait, *obſecro*: *nam hæc ſunt mera ſomni ludibria*. Apud pios quidem viros non tam nocturna inſomnia, quam Divinæ præmonitiones reputabantur, dignæ quidem Sanctiaco propter vitæ ſanctimoniam, præparandumque ad res excelſas Ximenii animum immiſſæ.

Archiepiſcopatus Toletani præſagium.

XXV. Caſtaneti ſeceſſu haud ita diu frui potuit Ximenius; commigrare enim juſſus eſt in perpuſillum aliud Monaſterium, a proximo Salicto *Salzedam* Hiſpanice nuncupatum, neque amœnitate, neque ſolitudine Caſtaneto inferius. Ibi multo incultiorem & horridiorem vitam agebat: nam & vino abſtinuit, & herbis aqua elixis, ut mitiores eſſent, ad cibum utebatur. Sed neque hoc quidem vivendi genus diutius ſequi, ut propoſuerat, permiſſum fuit: brevi ſiquidem illius Monaſterioli Guardianus factus, non potuit, uti inſtituerat, vitam agere a turbis & humanis curis penitus alienam. Munus hoc invito & recuſanti datum, ſumma cum laude, in primis vero tam nullo ſupercilio gerebat, ut Monachos exemplo potius, quam imperio in officio contineret. Nam & infima quæque miniſteria ſibi ultro aſſumebat, & nonnumquam aliorum operam præſtabat tam libenti animo, ut omnes pro virili anniterentur ſeſe ita gerere in muniis demandatis, ut Ximenius neceſſe non haberet ipſorum etiam res agere: uſque adeo verum eſt vim acrem imperandi eſſe, ſi ductor ipſe præcedat.

Conventui Salzedæ præficitur.

XXVI.

XXVI. Ita contra prioris Inſtituti ſententiam rebus jam gerendis intendere, actionis induſtriam animi contemplationi conjungere, operam ſuam rebus etiam externis impendere coactus, oſtendit quantæ fuerit virtutis & prudentiæ, qui probe norit utramque vitam conjungere, atque activæ abſque ullo contemplativæ nocumento ſtudere. Præludium quoddam iſtud erat ſublimioris exercendæ poteſtatis; atque hac quidem ratione pugilem ſuum Deus hactenus in umbra exercitum, in mediam Eccleſiæ arenam parabat immittere: quem e latebris illis ſilveſtribus hac potiſſimum ratione produxit in lucem. Erat hoc tempore Petrus Gonſalvus Mendozius Cardinalis, qui ex Seguntino Epiſcopo Hiſpalenſis Archiepiſcopus, ac deinde Toletanus factus fuerat, in ſumma apud Reges Catholicos auctoritate & gratia: Iſabellæ vero Reginæ, ſupra fœmineum captum prudentiſſimæ, in primis carus. Erant autem priores Reginæ partes in adminiſtratione Regnorum, quæ jure hæreditario ad illam pervenerant quam mariti, quamvis utriuſque primæ eſſe viderentur. Igitur cum Regina Granata urbe non ita pridem e Maurorum poteſtate recepta, in Caſtellæ regnum diſcedere pararet, hujus Mendozii Cardinalis fidei ac diligentiæ commiſit, & ſummopere commendavit, ut quempiam ſpectatæ Religionis & probitatis quæreret, qui ipſi ab arcanis confeſſionibus eſſet: nam qui eam operam hactenus Reginæ præſtiterat Fernandus Talabricenſis, Hieronymianus, eximia ſanctitate vir, ex Abulenſi Epiſcopo, nuper Granatenſis Archiepiſcopus factus, aula relicta, in urbe ſua remanſerat anno MCCCCXCII. quo hæc ſunt geſta. Cardinalis, qui nimis ſollicitam hac de re ſentiebat eſſe Reginam, non eſſe dixit opus longa indagine; habere enim ſe hominem illi miniſterio ad unguem factum atque formatum. Ergo illi Franciſcum Ximenium, ſuum olim Seguntinum Vicarium, tunc vero Salzedæ Guardianum ſuis coloribus accuratiſſime depingit: ſe tamen vereri affirmat, ne homo priſcæ ſeveritatis & ſanctimoniæ, ſuam illam contemplationem quietam, & vitæ modum quantumvis incultum, velit conditione alia mutare.

XXVII. Regina Cardinalis ſermone permota, quem ſciebat non temere, qua erat prudentia, quemquam laudare ſolitum, flagrare cœpit ſtudio hominem videndi, atque alloquendi familiariter; quare Cardinali mandat, uti illum aliquam ob cauſam accerſat. Ximenius per litteras Cardinalis accitus, quamquam ægerrime a ſeceſſu illo Salcedano divellebatur, tamen ne optimo patrono deeſſe videretur, ad illum in regium comitatum venit; ubi communicatis, quæ Cardinalis voluit negotiis, a Regina deinde tamquam per occaſionem vocatus, injectis variis ſermonibus prudentiſſima fœmina, Ximenii animum interrogando & percontando elicere ſatagebat. Ille regio conſpectu, colloquiove nihilo commotior factus, vultu atque habitu corporis ſedatæ mentis compoſitionem præ ſe ferente, tum oratione ipſa ſapientiſſimis ſententiis plena, quæ vera eſt latentis animi imago, facile Reginam in ſui admirationem adduxit, & conceptam de ſe opinionem implevit. Poſt aliquot dies rogatus eſt, ut Reginæ eſſet a confeſſionibus, quod onus ea ſe reſpondit conditione ſubiturum, ſi regium comitatum ſectari non cogeretur: ſe quoties ſua opera Regina indigeret, venturum ejus juſſu, mox tamen rediturum in ſuum Cœnobium: nec aliud multis precibus a Ximenio impetrari potuit.

Vocatur ad excipiendas Reginæ confeſſiones.

XXVIII. Magna erat tunc Ximenii fama apud omnes Hiſpanos, ob ejus integritatem & ſanctimoniam. Nam Regina apud maritum, ceteroſque viros prudentes, non ceſſabat Ximenii dotes laudare: reperiſſe ſe hominem dicens, omnibus pietatis, religionis & ſapientiæ numeris abſolu-

tum. Certe Petrus Martyr de Angleria Regum Catholicorum hiſtoricus, qui ſtyli ruditatem rerum a ſe traditarum fide egregie compenſat, in epiſtolis ſcribit, eum ex abditis ſilvis extractum, vultus pallore, & ob vitæ aſperitatem totius corporis obducta macie, Paulum, aut Hilarionem, eremi incolas poſt tot ſecula in lucem retuliſſe, magnanimque ſui apud Regios comites admirationem concitaſſe. Relictis enim Seguntinis ſacerdotiis, fortunaque nequaquam aſpernanda, in ſemotam ſolitudinem ſeceſſiſſe, & eum vivendi rigorem deliciis, quas aulici tantopere conſectantur, prætuliſſe, haud vulgariter mentes hominum commovit. Nec dubitat Petrus Martyr ipſum Auguſtini acumine, Hieronymi abſtinentia, Ambroſii ſeveritate exornare. Addit præterea ab ejus Sodalibus jactatum fuiſſe, mentis plerumque veluti exceſſu, aut cum cœlitibus ipſis collocutum, aut certe rebus ipſorum contemplandis occupatum, ſenſuum quemdam ſtuporem & alienationem ſubire ſolitum.

Martyr. ep. 5.

Mente ad ſuperna raptus excedit.

XXIX. Illud etiam a viris doctis memoratur: cum de itinere laſſus eſſet, conſediſſe propter aquæ rivulum, cujus comes inediam minus ferens (nam uterque erat impranſus) modo non animam videbatur agere. Qui, dum Ximenius, ut in memoriam Dei providentiam & curam quam habet de vilibus etiam paſſeribus, revocet, vidiſſe fertur puriſſimum panem petræ, quæ rivulo imminebat, impoſitum, quem inter ſe partiti, & aqua ſumpta, quod itineris ſuperabat, conficere potuerunt.

Panem accipit Divinitus.

XXX. Cum ergo Ximenius magna eſſet apud Reginam auctoritate, atque omnia fere Reipublicæ negotia ex ejus conſilio & ſententia gererentur, accidit ut in Comitiis provinciæ Caſtellæ in Cœnobio ſancti Stephani, quarto a Burgis lapide, in locum Joannis Toloſatis viri graviſſimi & piiſſimi, Vicarius licet abſens ſubſtitueretur; quamquam Conſodales vererentur, ne homo rerum iſtarum nequaquam appetens magiſtratum, qui illi mandabatur, recuſaret. At ille quod paulo ante cum Reginæ nullas operas debebat, omni ratione depuliſſet, perlibenter accepit, ut occaſione hujus muneris, quod aſſiduas habet occupationes, haud ita frequenter ad Reginam & aulam venire cogi poſſet. Sed nihilo rarius ob hæc ab illa accerſebatur, in cujus ſinum non ſolum occultas animi noxas, quas in Deum commiſerat, ſed quidquid publica aut privata negotia moleſtiæ aut ſollicitudinis incuſſerant, familiariter & amice effundebat: quæ cum ſemper maximis de cauſis in illa fortuna oriantur, neceſſe eſt, ut mole ſua eos etiam quibus cum communicantur, obruant: aut ſaltem ingenti ſollicitudine & tumultu eorum animos impleant. Quocirca quantum fieri poterat, aulam & ſecularia vitabat negotia.

XXXI. Cum itaque utriuſque Caſtellæ provincia, tam quæ cis montes, quam quæ ultra eſt, Ximenio viſenda & peragranda eſſet (erat enim amplior, quam nunc eſt Miniſtri Provincialis adminiſtratio) multæque res examinandæ & deſcribendæ eſſent, Monachum aliquem quærere cœpit, & ætatis vigore, & ingenii dexteritate præditum, quem in laborum partem aſſumeret. Qua de re dum Compluti forte moraretur, & cum Joanne Marquina, Complutenſis Monaſterii Guardiano ſedulo ageret: *Peropportune*, inquit, *hoc mihi, ut curem, mandas: nam non ita pridem adoleſcens quidam huc a Toleto advenit, qui in noſtrum Sodalitium per me cooptatus, præclaram indolem præ ſe ferre videtur: nam & vivido ingenio, totiuſque corporis vegeta natura, omnia induſtriæ & virtutis munera, ni male conjecto, mihi pollicetur: prorſuſque iis rebus, quibus ipſe in præſentia tractandis indiges, apparet aptus, pulchris enim litteris, celerique tractu, manu minime*

Inſtituitur Vicarius provinciæ Caſtellæ.

nime torpenti ſcribit . Unum eſt tamen, cur a nobis divelli doleamus , quod cum voce , & artis muſicæ peritia excellat , magnam noſter chorus jacturam eſt facturus . Nam totam pueritiam inter pueros Templi Toletani miniſterio dicatos , egit : poſt vero in quoddam collegium migravit , quod Franciſcus Alvarus Toletanus Scholaſticus in horum puerorum gratiam domi ſuæ inſtituit , antequam Academiam Toletanam conderet , ubi litteras diſcerent latinas .

Socium aſſumit Franciſcum Ruizium.

XXXII. Permotus Marquinæ ſermonibus Ximenius , ad ſe Franciſcum Ruizium (hoc enim erat adoleſcenti nomen) quam primum duci jubet : cujus liberali aſpectu delectatus , ſibi Sodalem delegit , & ad vitæ finem retinuit , eiuſque fidem & utilem operam in rebus maximis & graviſſimis expertus , primum quidem Mirobrigæ , ſive Civitatenſem , deinde Abulenſem Epiſcopum faciendum curavit. Igitur Ximenius in ſuſcepto munere ſtrenue gerendo totus occupatus , eo quo privatus ſolebat apparatu , ſingula Provinciæ contubernia luſtrabat : hoc eſt , unico dumtaxat Sodale viæ comite, & aſello , quo & ſarcinæ nonnullæ portarentur, & defeſſus nonnumquam Sodalis veheretur , ipſe enim Religionis ſuæ tenax , niſi ægritudo aliqua cogeret , ſemper iter pedibus conficiebat . Oſtiatim ab utroque petebatur cibus , niſi illum nonnumquam ex itinere male habentem Franciſcus Ruizius , ut quieſceret , moneret , ſibique eas partes concederet , orabat . Nam Ximenius ad hanc rem plane ineptus , plerumque domum vacuus redibat , & oleribus tantum veſcebatur . Quocirca Ruizius , ſi quando acrius de mendicatione facienda contenderet , hiſce verbis objurgare ſolebat : *Quin tamdem non ſentis o pater, minime te ad has operas eſſe aptum aut genitum ? non omnibus omnia Deus conceſſit . Tu precibus & meditationi vacato , & mihi hanc Provinciam relinque .*

Ad Martyrium aſpirat.

XXXIII. Aliquando dum Beticam ex officii ratione perluſtraret , ad fretum Herculeum ubi Calpe mons eſt , quem nunc Gibraltarum ex corrupta Arabica nomenclatione appellant , appulit. Hic & Africæ terræ conſpectu invitatus , & quod jam diu deſiderio teneretur eo trajiciendi , quod & divum Franciſcum feciſſe didicerat , cœpit de navigatione cogitare . Ardebat Ximenius miro quodam deſiderio tranſmarinis hominibus Chriſtum annunciandi , paratus ſupplicia & mortem ſubire . At quoniam per viros religioſos certior factus fuerat , fœminam Ordinis ſui cultricem Tertii Inſtituti pœnitentiæ ibidem eſſe , vitæ & morum ſanctitate claram , & quæ divorum præſentia ſæpenumero frui crederetur , captato extemplo fœminæ colloquio , ad eam rem , quam animo conceperat , ejus ſententiam prius requiſivit . Deterruit hominem vates mulier , & ut a propoſito deſiſteret , effecit:ſervari enim eum ad res maximas perficiendas dicebat, in quibus graviora certamina ſuſtinenda forent , quam ſi inter barbaras & Punicas nationes verſaretur . Retardatus piæ fœminæ dictis , ſententiam mutavit , & e Betica rurſus ad Reginam , quæ illum per litteras , ut mature ad ſe veniret, rogabat , in Caſtellam redivit .

Reginam excitat ad Religionum reformationem.

XXXIV. Accidit per id tempus ad Reginæ votum de Ximenio apud ſe retinendo , peropportuna occaſio . Cœperat enim ille ſummo ſtudio cum Regina agere , ut quod jam olim a prædeceſſoribus Regibus tentatum erat, atque minima ex parte confectum, per delectos quoſdam cenſores perficiendum curaret , qui corrigendis , atque in veterem diſciplinam revocandis omnibus omnium Ordinum per totam Regiam ditionem tum virorum , tum priminarum Monaſteriis animum intenderent . Obſoleviſſe omnem ubique fœſci Monachiſmi ſinceritatem ingemiſcebat : maxime vero apud ſui Inſti-

tuti viros, quibus ut naſcentibus arctior quædam & ſanctior diſciplina fuerat, ita collapſis & degenerantibus altior caſus, atque turpior contigerat ruina: Nam præter vitæ licentiam, quæ ſane labes communis per id tempus Religioſis collegiis propemodum eſſe videbatur, pleraque illorum Sodalitia adverſus tam commendatam illam a Divo Franciſco paupertatem, prædia ubique cum ruſtica, tum urbana, vectigaliaque & cenſus obtinebant. Hujus Inſtituti qui erant, *Conventuales* Fratres, & *Clauſtrales* paſſim dicebantur. Hi pleraque omnia magnifica, frequentiſſimaque incolebant Hiſpaniæ Monaſteria, illi vero, qui propter accuratiorem Ordinis ſui Obſervantiam *Fratres Obſervantes* appellabantur, pauca quædam, eaque exigua Cœnobia obtinebant. In horum itaque poteſtatem, Conventualium domos Ximenius qua potuit arte, prece vel pretio traducebat.

XXXV. Ei negotio, quoniam cum opulentis & potentibus adverſariis contendendum erat, cum ſe imparem eſſe videret, Reginæ favore decrevit uti, atque longius ſolito apud illam morari: quæ ea de cauſa Ximenio longe benevolentior & æquior erat, & ipſe competitoribus terribilior. Conſilium quidem pietatis plenum, graviſſimarum tamen cauſa fuit diſſenſionum atque turbarum. Nam & ſtatim in Archiepiſcopum Toletanum aſſumptus, nondum ea de cauſa Provinciali præfectura abdicata, cum adhuc acrius poteſtate auctus, inſtaret de Clauſtralibus illis reformandis, exortus eſt quidam Laurentius Vacca, ſancti Spiritus Monaſterii Segobienſis Commendatarius, qui prætextu Pontificiæ conceſſionis, ſibi facultatem eſſe aſſeverabat, quoſcumque vellet Conventuales in ſancti Spiritus libertatem aſſerendi, hoc eſt arctam Minoritanorum diſciplinam in ſuam quamdam laxiorem commutandi. Is ſanctiſſimos Ximenii conatus diplomatibus Pontificis eludebat. Nemo erat licentiæ paulo amantior, qui non apud illum rationem inveniret, qua ſemel ſuſceptam Religionem abjiceret, ſeque ab excommunicationis vinculo exolveret. Itaque fiebat, ut quantum vigilantiſſimus cenſor ad priſcam ſanctimoniam Sodales ſuos diligenti ſtudio revocare niteretur, tantum ille commentitiis privilegiis ad petulantiam & immodeſtiam deflecteret. Qua de cauſa ab optimis & religioſiſſimis Principibus Ximenius impetravit, ut is, ſalva ſummi Pontificis auctoritate, qua præter fas & jus abutebatur, per regios lictores in vincula conjiceretur: ibique tantiſper pœnas læſæ Religionis daret, donec ſuſceptum negotium Ximenius conficeret, remque omnem e Reipublicæ Chriſtianæ utilitate, ſuique Ordinis integritate componeret.

XXXVI. Laurentius tamen e vinculis aufugiens, Romam ad Aſcanium Cardinalem Sfortiam contendit, quem patronum quondam habuerat, ut ejus præſidio cum ſeveriſſimi hominis indignationem vitaret, tum in Regum noſtrorum gratiam rediret, quos Ximenii ſtudia tantopere juvantes, non niſi per magnos interceſſores placari poſſe exiſtimabat. Suſcepit illum benigne Aſcanius, deque ejus innocentia facile ſine adverſario perſuaſus, litteras favoris plenas ad Reges dat; & Petrum Martyrem Mediolanenſem, virum doctum, & in rebus gerendis ſtrenuum per epiſtolam rogat, ut ſuo nomine Ximenium adeat, detque operam, ut ſi patria tandem Laurentius propter ſummi Pontificis recte adminiſtratam conceſſionem, carere debeat, ſaltem ablata per ſummam injuriam ſuppellex, & intercepti ex facultatibus ſuis fructus illi reſtituantur. Invitus id Petrus Martyr fecit, qui probe rem omnem, ut erat, cognoverat, ne quid tamen in officio ceſſaret, Ximenium adivit, eique Aſcanii mandata expoſuit. Ad quem Ximenius (ut idem Martyr in Epiſtolis ſcribit) contracta & obducta fronte converſus: *Hominem*,

Martyr. ep. 15.

nem, inquit *Petre Martyr*, *qui tam ſancta Regum decreta auſus fuerit reſcindere*, *tueris*? minatuſque in Reginæ odium venturum, ſi verbum amplius pro eo faceret, abire juſſit. Hoc idem ut actum fuit, ad Aſcanium Martyr reſcripſit: ſimulque ipſum a patrocinio Laurentii Vaccæ, qui tanta invidia apud noſtros laboraret, dehortatus eſt, multa obiter de Ximenii ſanctimonia, gravitate & prudentia commemorans.

XXXVII. Proceſſerat jam biennium & amplius, ex quo Ximenium apud Reginam commendavit Cardinalis Mendozius, quando ille periculoſe cœpit ægrotare, & relicta aula, in urbem Guadalfajaræ, natale ſolum ſeceſſit. Morbo ingraveſcente, cum ſalutem hominis præſtantiſſimi, ſibique multis de cauſis cariſſimi propemodum deploratam Reges comperiſſent, ad anni præcedentis finem viſum abierunt. Poſt officioſa & familiaria colloquia, ſemotis arbitris, actum eſt de multis rebus ponderoſis ad Imperii incrementum & ſtabilitatem. Multa, quæ ſibi videbantur utilia, pro ſua erga Reges pietate & fide moribundus Cardinalis expoſuit, atque inter hæc, illud magni dixit referre, ut mediocris conditionis hominem, modo aliis integritatis, prudentiæ, gravitatis. & doctrinæ dotibus præditus eſſet, in Pontificatum Toletanum ſufficerent: quod item poſteris, ut idem facerent inviolabili exemplo demandarent: eam eſſe, inquiens, ejus Sedis amplitudinem & potentiam, ut haud tuto committeretur, cui & natalium ſplendor, & numeroſæ familiæ patrocinium eſſet. Afferebat autem in exemplum, quantum moleſtiarum Alphonſus Carillus eis exhibuiſſet, Regi Portugalliæ adhærens. Habere eos virum omnibus numeris ad eam dignitatem obtinendam abſolutum, Franciſcum Ximenium, Franciſcanorum Sodalium Provincialem, quem ſibi demortuo ſucceſſorem procrearent.

Card. Mendozius moriens dignum judicat Ximenium qui ſibi ſuccedat.

XXXVIII. Avidis auribus iſtud quidem, quod ad imperii conſervationem pertinere videretur, Reges exceperunt, quamquam poſtea rogatus a Regibus Ximenius, quid ea de re ſentiret? longe aliam ſententiam ſibi eſſe dixit: neque enim alium decere magis ad ampliſſimum Pontificatum vocari, quam hominem tam ſtemmatibus, quam propinquorum, & clientum familia clariſſimum. Nam præter Hiſpanorum erga Reges ſuos obſervantiam, qua ſemper illos colunt, poſtquam regia potentiſſimorum regnorum incrementis adaucta eſt, minime verendum eſſe, ut ullos unquam motus Archiepiſcopi Toletani ſint concitaturi. Ex altera autem parte perdifficile ſibi videri, hominem humili fortunæ aſſuetum, & innutritum, repente eum animum poſſe ſuſcipere, qui ad tantam rem pro dignitate gerendam aptus eſſet. Quare Reginæ ſuadebat, ut Didacum Furtadum, Tendillani Comitis filium, ex eadem etiam Mendoziorum familia, Petri Gonſalvi Cardinalis ex fratre nepotem, qui Alexandrini Patriarchæ titulo condecoratus, Pontificatum Hiſpalenſem obtinebat, aliis, qui eum ambiebant, rejectis, Toletano præficeret: id enim e reipublicæ utilitate multis de cauſis eſſe videbatur.

XXXIX. Paucos poſt dies defuncto Cardinale, cura continuo Reges inceſſit, alterum nobiliſſimæ Eccleſiæ Antiſtitem præficiendi, nam viri æque prudentiſſimi, ac ſibi fideliſſimi ſub mortem ſententia eorum animis infixa remanſerat. Rurſus Archiepiſcopi Toletani auctoritas tanta ſemper apud Hiſpanos fuit, ut ſi quando de rebus ad rempublicam pertinentibus ageretur, is ſtatim poſt Regem ſententiam diceret: nihilque unquam illo inconſulto, aut rogatum aut decretum ſit: unde & maximus regni Cancellarius, & Pontificum Hiſpanorum Primas, ingenti potentia & dignitate jam olim creatus, adhuc his titulis ſuo jure nominatur. Et quidem in eam amplitudi-

dinem Regum pietate & liberalitate Pontificatus crevit Toletanus, ut ipſis Regum poſteris non ita grata eſſet tanta Archiepiſcoporum potentia. Cum diu proinde Reges ſecum deliberarent, quem in demortui locum ſufficerent (nam & Didacus Mendozius, quem paulo antea nominavimus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, totius nobilitatis ſtudiis ei ſuccedere ante alios contendebat) Regina, ut Ximenius poſtea referebat, Joannem Belalcazarem ex Aſtuniga nobiliſſima familia, qui non ita pridem florenti Principatu relicto, Franciſcano ſe Ordini addixerat, ſed hoc ipſo anno, uti proxime diximus, ex humanis abiit, deſignare voluit: Rex porro pro filio Alphonſo Aragonio Cæſarauguſtano Antiſtite vehementer laborabat. Sed poſtquam uxorem virilis animi fœminam, neque precibus, neque blanditiis, neque odio denique in ſuam ſententiam pertrahere potuit, facile totam eam curam ex animo rejecit. Regina vero cujus arbitrio res conficienda erat, quamvis Joannis Balalcazaris, de quo diximus, ſanctimoniam ante oculos haberet: cum nullius ex optimatibus familiam tanta potentiæ acceſſione augere vellet, variis conſiliis fluctuabat. Sed tamdem in juriſconſultum quemdam, Oropeſam nomine, regium Senatorem, animus inclinavit, virum ſane præſtanti morum integritate atque gravitate præditum, qui ætate jam feſſa, domeſticæ quieti veniam a Regibus impetrarat. Hunc ergo Regina, communicato cum Ximenio Provinciali conſilio, Archiepiſcopum Toletanum deſignare ſtatuit. Quare ſuo apud Pontificem Maximum Legato per litteras mandat, ut ſuæ nominationi Apoſtolicam auctoritatem more majorum interponendam curaret.

XL. Verum haud ita multo poſt, religioſæ mulieris animo eſt obortus ſcrupulus, quod Ximenii Provincialis, viri optimi, a Cardinale Mendozio ſub mortem ad hanc dignitatem ſibi propoſiti, rationem nullam habuiſſet, quantumlibet hujuſmodi honores abhorrentis. Nam qui procul ab omni ambitione ſunt, & nulla imperandi aliis cupidine ducuntur, ad Magiſtratus, præfecturas, munera denique omnia obeunda, vel invitos eſſe pertrahendos optime noverat. Huic errori opportune ſuccurri poſſe videbatur: nam Romæ habendus erat ea de re non ſemel legitimus Patrum Senatus, & ob frequentiam negotiorum credibile erat non defutura impedimenta, quæ priorem deſignationem morarentur. Igitur miſſo magnis itineribus Veredario, Legatum ſuum Regina mutatæ ſententiæ admonens, Franciſcum Ximenium Provincialem deſignari jubet Antiſtitem Toletanum; ejuſque deſignationis ſancitam auctoritatem, & litteris Apoſtolicis (quas *breves* vocant) præſcriptam, magna ad ſe celeritate perferri, juſto diplomati expediendo dilatione, ut fieri ſolet, impetrata. Romæ igitur negotia ex ſententia Reginæ proceſſerunt: cum interim omnia, inſcio Ximenio, ſecreto gererentur. Sunt qui Oropeſam oblatam dignitatem, quod ei gerendæ imparem ſeſe arbitraretur, conſtanti animo renuiſſe affirment.

XLI. Sub Quadrageſimæ finem rediit curſor, eoque tempore Madritum, ubi erat Regina, venit Ximenius, ut confeſſiones illius exciperet, qui, ubi ſuo muneri ſatisfecit, in ſanctæ Spei Cœnobium, quod prope Ocaniam diximus conſtructum diſcedere parabat, ut tranquilliori animo, loco a turbis remoto hebdomadæ ſanctæ officiis poſſet intereſſe. Jam Franciſcum Ruizium ſodalem admonuerat, ut aſellum, quo vehi ſolebat, ſterneret, ſimulque aliquid herbarum condiret, ne impranſi viam ingrederentur. Sed inſperato, dum hæc moliuntur, Caſtellus, unus ex cubiculariis Reginæ ad Ximenium venit, & priuſquam diſcedat, ad Reginam jubet maturare. Doluit ille eo nuncio accepto, veritus ne quid, tempore præſertim

Tom. 10. ann. 1481. n. 17.

tam

tam ſacro, impedimenti accideret. Continuo ergo Reginam adivit, ſeſe quanto ocyus poſſet, explicaturus. Regina Romani Pontificis litteras tunc allatas, poſt ſermones aliis de rebus, ex conſulto primum injectos, in manus tradidit; *& videto*, inquit, *quæſo quidnam hiſce litteris ſummus Pontifex ſibi velit*. Provincialis ad primam ſtatim inſcriptionem, quæ ſic a tergo erat (*Venerabili fratri noſtro Franciſco Ximenio electo Toletano*) vehementer commotus, depoſitis continuo in Reginæ gremio obſignatis litteris, & nihil ad ſe pertinere inquiens, de ſcabello ſurrexit, atque nulla, ut ſolebat, expectata miſſione, vultu admodum conturbato receſſit.

Offertur ei Archiepiſcop. Toletanus.

Sed reſpuit.

XLII. Regina, qua erat gravitate, diſſimulandum interim rata, dum ſcilicet interjecta temporis morula, animum hominis rei novitate perculſum redderet ſedatiorem, abire in præſens facile permiſit, petita tamen priuſquam cubiculo egrederetur, ab eo facultate, quidquid litterarum illud erat reſignandi. Paulo poſt Henricum Auricium, Villade Dominum, Regiſque avunculum, ejuſque familiæ præfectum, & Alvarum Portugallium Regii Senatus Præſidem, ſumma viros dignitate, ad Provincialem mittit, qui peterent, ne vel Reginæ, quæ illum tanti faciebat, vel Pontificis Maximi, cujus in ipſum imperii jus eſſet, auctoritatem contemneret? quin utriuſque voluntati, imo Divinæ potius vocationi facilem ſe, dictoque audientem præberet? Simulque alia in eam ſententiam adderent, mandat, quæ ad hominis ingenium emolliendum facere viderentur. Illi ſuſcepto negotio, ad Monaſterium venientes, cum comperiſſent Provincialem jam dudum inde profectum, Pintum verſus contendere, citatis equis eam viam ingreſſi, hominem cum duobus ſui Ordinis ſociis ad tertium ab oppido lapidem, conſequuntur, pedibus iter facientem: reductumque paulisper e via, poſt multum ſermonem ultro citroque habitum, huc tamdem perpulere, ut relicto itinere, quod inſtituerat, Madritum reverteretur. Igitur, cum Reginæ & procerum omnium hortatu precibuſque rogaretur, ut delatam dignitatem capeſſeret, fortem omnino animum atque invictum præſtabat, ſemper propoſiti ſui tenax: adeo ut Gutterius Cardenas, e Reginæ intimis, Ximenium aliquando de ea re compellens dixerit: *Non eſt pater, cur nos ſuſpenſos teneas: nam ſi annuis, Archiepiſcopi Toletani ratione; ſive renuis, magnanimitatis tuæ & religionis cauſa, manus tuæ ſunt a nobis deoſculandæ*.

XLIII. Reges paulo poſt Burgos devenerunt, quo allatæ ſunt litteræ Pontificis Maximi ad Ximenium Provincialem, quibus illum non modo hortabatur, ſed pro ſuo in eum jure imperabat, uti Pontificatum Toletanum, cui rite præfectus eſſet, omni poſthabita mora, acciperet. Hic ille nihil amplius repugnandum ratus, animo dolenti & invito ſe cervicem ſubmittere aſperrimo jugo, poſt ſex ferme menſes, quibus hac de re controverſum fuerat, profeſſus eſt: nihil tamen addubitabat, quin Deus Optimus, Maximus, qui ineundi tanti muneris auctor fuiſſet, obeundi quoque adjutor eſſet futurus: illud ſemper excipiens, ſi nullis conditionibus, nullave penſione prægravatam eam dignitatem darent. Nam ſiniſtris quibuſdam rumoribus ſparſum fuerat, ejus mediocritati quemvis ſumptum ſufficientem fore, quocirca proventibus modicis, qui tamen idonei eſſent, contentum, Regibus, qui magna & religioſa meditabantur, reliquis, qui ſuperfuiſſent libenter ceſſurum. Non ideo indignati aut offenſi ſunt Reges: quinimo incredibile dictu fuit, quanta Regum animos, procerumque omnium lætitia pervaſerit, quod ab eo tamdem impetratum fuerit, ut Archiepiſcopus Toletanus, hoc eſt, inter regni primarios, auctoritate, & opibus primus eſſe

Pontifici imperanti obtemperat.

non

non recuſaret. Tanta eſt virtutis vis, & tam potens verus potentiæ honorumque contemptus.

Conſecratur Turiaſſone.

XLIV. Digreſſi Burgis paulo poſt Reges, cum Turiaſſonem nobilem quondam Romanorum coloniam, & nunc regni Tarracconenſis non obſcuram urbem, veniſſent: ibi Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus deſignatus, in Divi Franciſci æde, magna celebritate, aſtantibus etiam Regibus, V. Idus Octobris (qui dies Franciſcanis ſacer, octavus a Divi Franciſci feſto numeratur) ſolemni ritu inunctus conſecratuſque eſt. Sacris vero peractis, confeſtim ad Reges accedens, illorum dextras per ſpeciem deoſculari de more appetens: *non tam* (inquit) *quod beneficio veſtro Reges inclyti, Archiepiſcopus factus ſum, veſtras exoſculari manus velim, quam quod eas mihi vos confidam porrecturos eſſe mei adjutrices, ut tamdem mihi liceat in cælo Archiepiſcopi locum mereri*. Reges contra, quod ille per ſpeciem regii cultus fecerat, re ipſa religionis ergo facientes, & poſt univerſi qui aderant proceres, ejus manum venerabundi ſunt deoſculati. Deinde omnium aulicorum congratulantium comitatu, ingenti quoque quacumque præteribat, populi plauſu, in domum ſuam reductus eſt.

Regimen graviter auſpicatur.

XLV. Mittit illico per totam diœceſim Toletanam præſtantes viros, qui oppidis, arcibus, & præſidiis novos cuſtodes & præfectos deſignarent, quorum fidem verbis conceptis Antiſtiti per jusjurandum de more aſtringerent, ceteroſque omnes, tum ſacri, tum profani fori Miniſtros, donec ſibi per otium luſtrare liceat, quam idoneos & ſtrenuos præficiant. Eſt enim ingens numerus in hoc Pontificatu honorum, præfecturarum & munerum, quæ temere quibuslibet, propter oppidorum celebritatem numquam committuntur.

Negat Gonſalvi Card. fratri poſtulatam dignitatem.

XLVI. Erat illi quoque providendum de perampla tum dignitatis, tum opulentiæ plena, Caſtorlæ præfectura, quam Petrus Furtadus, Petri Gonſalvi Cardinalis frater, eo vivente, ſemper obtinuerat. Quocirca cum Reguli quidam ex Mendozia familia ad Ximenium veniſſent, Reginæ nomine (ut ajebant) rogantes, ut Petrus rurſus per eum præficeretur, ne cogeretur privati habitu ab adminiſtratione Provinciæ diſcedere: futurum enim perquam iniquum, neque ingratitudine inſigni cariturum, ſi Gonſalvi quondam patroni immemor, cujus nempe auctoritate & teſtimonio in tam ſublime faſtigium conſcendiſſet, fratrem modo dignitate deturbaret, qua Gonſalvus illum decoraverat. Solent Reges dum rogant, cogere, nec tam id precibus videbatur agi, quam imperio. At Ximenius excelſi animi, quem diu intra ſilvas obſcuras preſſerat, aperta jam documenta exhibens, renunciare Reginæ jubet, ſe quod petitur, nequaquam facturum: *Potero* (inquit) *rurſum ad privatam vitam & humilem cucullum, unde invitus abſtractus ſum, redire; neque enim unquam hanc dignitatem ambivi: ceterum Toletanum Pontificatum mutilum, aut gleba una imminutum, nunquam profecto ſuſcipiam*. Audita voce tam conſtanti, ad Reginam reguli cum reſponſo redierunt, non tam Ximenii robur apud illam collaudantes, quam ingratum animum objicientes: neque ea de re verbum amplius eſt factum. Poſt aliquot vero dies, cum nihil tale jam expectaretur, forte Antiſtiti aulam ingreſſo Furtadus obvius factus eſt: qui alio cum vellet iter divertere, nam Ximenii conſpectum, veluti ab eo læſus, vitabat: voce paulo altiore illum honorifice appellat, & Caſtorlæ præfectum ſalutat: addens ſe pro certo habere, talem ſe Regibus, Reipublicæ, & Præſuli ſuo Toletano præſtiturum, qualem hactenus ſub fratre illuſtriſſimo. Hunc igitur quamdiu vixit, in magno pretio & honore habuit, & Caſtorlæ imperio præeſſe voluit.

Etſi Reges interceſſerint.

Ultro demum conceſſit.

XLVII. Er-

XLVII. Ergo tanta fortunæ dignitatiſque acceſſione, novus Antiſtes, ceu novus quoque homo factus, parem exiemplo perſonam tanto faſtigio induere viſus eſt, nihil jam niſi ſublime & excelſum animo agitans: ſeu quod ita natura comparatum ſit, ut magni animi magnis honoribus fiant apti, ſeu quod Divinitus huic ſane homini ad res magnas gerendas, ut cetera inſtrumenta, ſic quod primum omnium eſt, par animi robur & magnitudo data fuerit. Primum igitur diœceſi ſuæ conſtituendæ vehementer intentus, conſiliarios ſeu aſſeſſores juri dicundo, tum morum cenſores, quos Viſitatores appellant, homines tum doctrina, tum vitæ integritate præſtantes undique conquiſitos ſibi adſcivit.

XLVIII. Quod vero ad rem privatam attinet, nullam ſane, aut ſumptuoſi aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere, unquamve habiturus videbatur: non frequentis familiæ, non pretioſæ ſupellectilis, quin priſcam illam ſanctorum Pontificum frugalitatem, cum Franciſci ſui humilitate conjungere viſus eſt. Nam aſello, quo ſolebat, vehebatur, Monachis ſui Ordinis aſſectantibus, aut ibat pedibus. Non argento menſam, non aulæis parietes ornabat. Totum porro annuum cenſum ſtatuerat ita partiri, ut ex parte dimidia præſentibus egenorum neceſſitatibus ſubveniretur, reliqua vero, deductis tum familiæ, tum Pontificatus neceſſariis ſumptibus, in opera publica, quæ religionis cultui provehendo, juvandiſque ſacrarum litterarum ſtudiis neceſſaria eſſent, impenderetur. Totum ergo ſemiſſem pauperum uſibus deſtinatum, Joanni Cardenæ Burgenſi, viro Theologo, & antiqui moris homini, quem piis præfecerat largitionibus, unica ſyngrapha decrevit, nulla expenſi ratione deferenda, in egenos diſtribuendum.

Ejus in Pontificatu frugalitas.

Liberalitas erga pauperes.

XLIX. Verum deinde ſuccedentibus maximorum ſumptuum occaſionibus, in primis vero gravi ære alieno, ex effuſa in Granatenſes novos Chriſtianos liberalitate contracto, ſemiſſis illius largitionem ad arbitrariam diſtributionem redigere coactus eſt. Quod ſane conſilium in dies magis neceſſarium animadvertebat: cum impoſitam ſibi tum moderatoris tum pacificatoris pnblici perſonam, dubiis turbulentiſque Reipublicæ temporibus, cerneret ſine magna pecuniæ vi ſuſtineri non poſſe. Ad familiæ quoque frequentiam, domeſticumque cultum atque ornatum paulo poſt Pontificis Maximi hortatu pertractus eſt. Quam quidem mutationem quoniam ejus æmuli, quos egregia virtus ſemper eſt habitura, levitati animi eo tempore aſcripſerunt, non alienum ab inſtituto erit, litterarum exemplum, quas ad Ximenium Pontifex Maximus ea de re miſit, exſcribere.

Summi Pontificis juſſu aulæ ſplendorem admittit.

Dilecto filio Franciſco Archiepiſcopo Toletano.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sancta & univerſalis Eccleſia, ſicut te ignorare non putamus, ad inſtar cæleſtis Hieruſalem, multis ac diverſis decoratur ornatibus: in quibus ſicut in exceſſu prævaricando peccatur, ita in defectu nimium declinando erratur. Grata eſt Deo & laudabilis cujuslibet ſtatus condecedens obſervantia. Et propterea quicumque, præſertim Prælati Eccleſiæ, ſicut in moribus, ita in habitu & inceſſu ſtudere debent, ne nimio faſtu ſuperbi, neve nimia abjectione ſuperſtitioſi eſſe videantur, cum utroque auctoritas Eccleſiaſticæ diſciplinæ vileſcat. Eam ob rem hortamur te, ut poſtquam te ſancta Sedes Apoſtolica de inferiori ſtatu ad Archiepiſcopalem dignitatem evexit, quemadmodum te in interiori conſcientia ſecundum Deum vivere intelligimus, de quo plurimum gaudemus,

ita extrinſecus juxta condecentiam ſtatus tui, habitu ſcilicet, familia & ceteris ad dignitatis decorem convenientibus, te habere & obſervare coneris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XV. *Decembris* MCCCCXCV. *Pontificatus noſtri anno* IV.

L. Sic ergo Pontificia auctoritate impulſus, cui minus audientem eſſe religio erat, vix tunc ſibi imperare potuit, ut familiam modice augeret, domum utcumque ornaret, & lautiore denique vitæ cultu uteretur. Procedente tamen deinde tempore, animadvertens quantum ſplendor hic vitæ apud vulgus momenti habeat, ad vindicandum a contemptu publicæ perſonæ dignitatem, quam in pretio haberi permagni ad quietem publicam refert: non modo ad juſtam familiæ frequentiam, menſarum magnificentiam & elegantiam, ad omnis quoque apparatus gloriam, amplitudinemque pervenit, ſed cultum etiam ſibi accerſivit non incurioſum. Nam & holoſerica veſte ſuperinduebatur, & pretioſis pellibus, ſed præcipue Leucophæis (quod veſti ſcilicet Franciſcanæ concolores eſſent) utebatur. Longo poſt tempore, dum Reipublicæ gubernandæ præeſſet, Beltranum Metinenſem, regium apud novum orbem Senatorem, veſtem illi obtuliſſe ajunt, rariſſimis pellibus ornatam ex animalibus tranſmarinis, quæ tribus ducatorum aureorum millibus æſtimabatur. Retinuit quidem illam Ximenius domi per aliquot dies, ne videretur offerentem contemnere, ſed paulo poſt ad Beltranum remiſit morbi prætextu, quo poſtremo laboravit, quaſi ſibi parum commodus eo tempore ejuſmodi cultus & neceſſarius eſſet. Mirum quiddam in illis pellibus fuiſſe traditur: nam ſi quando explicabantur, aut quovis modo agitabantur, ſuavitas quædam odoris ex illis afflabatur, quæ totum locum replebat.

In tanta majeſtate Regulæ Franciſcanæ obſervantiſſimus.

LI. Lectos item ſericis & purpureis ſtragulis ornatos, cum tamen ille Franciſcanæ Regulæ ad ultimum uſque ſpiritum obſervantiſſimus fuerit, & ſindones lineas ſemper reſpuerit, & ſæpe a Miniſtris deprehenſus ſit mollibus culcitris, & pretioſis pannis e lecto ablatis, in nudis tabulis aut humi ſomnum carpere. At in familiaribus tam primo hoc tempore, quam deinceps recipiendis, maximum morum delectum habuit: nam & inculpatam vitam, omnique turpitudinis non modo labe, ſed & ſuſpicione vacantem exigebat. Pueros vero ingenuos ferculorum ad menſam Miniſtros ſeveriſſima diſciplina continebat, pædagogo admoto, qui illorum ingenia bonarum litterarum rudimentis excoleret; a quibus nonnumquam diurni ſtudii operam exigebat.

Conſodalibus & Miniſtris Minoriticis.

LII. Familiæ porro univerſæ, hoc ipſo Pontificatus ſui rudimento, non exigua pars ex Franciſcanis Sodalibus conſtabat. Decem quippe ex illis ſpectata probitate viros contubernales ſibi delegerat, quorum ſocietate religioſæ vitæ memoriam, & quoad ejus fieri poſſet formam quoque tueri, perque eos ſacra officii ſui munera exequi deſtinarat. Quo fiebat ut penes ejus Ordinis viros futuram jam inde partem maximam Pontificatuum, honorum Magiſtratuumque ſacrorum, omnes arbitrarentur: tanta erat Archiepiſcopi in illos, tanta Reginæ in Archiepiſcopum amoris & benevolentiæ ſignificatio. Unde non vulgares ſpes ſibi propoſuerunt, non ii modo, qui familiari illo Archiepiſcopi uſu atque convictu fruebantur, ſed alii etiam ejuſdem Ordinis viri, inſigni aliqua religionis atque doctrinæ opinione clari. Qui ſi apud aulæ primates & auctoritate & gratia pollerent, porrigente utcumque manum Archiepiſcopo, facile emerſuri credebantur. Sed utroſque ſane ſua ſpes fefellit: omnino enim Ximenius, ſeu quod Religioſos homines longe ab humani ambitus ſcopulis retrahendos eſſe judicaret,

ret, ſeu certo quodam alio conſilio, nihil ſane ſuis ille contubernalibus publicorum negotiorum vel communicabat ipſe, vel ab aliis ſinebat communicari. Interventores vero, quales permulti rerum alienarum curioſi, & fumos vendere ſoliti, in aula regia eſſe conſueverunt, ad eos ingredi haud temere patiebatur: ſed neque pedem in palatium inſerre, aut inter proceres aulicos verſari permittebat: adeo ut anguſtius in Archiepiſcopi ædibus agere, quam in ſuis Cœnobiis viderentur. Cum viris Ordinis ſui primariis, quoties familiares ſermones conferre contigerat, nihil aliud, quam de tuenda Religionis diſciplina, de continendis in officio Sodalibus, de precationis lectioniſque frequentia, aliiſque id genus exercendis pietatis ſtudiis, non ſine ſumma oris gravitate diſſerebat. Qua de re non vulgari invidia apud Monachos laborare cœpit, quaſi Ordinis ſui ornandi parum ſtudioſus: nec verebantur nonnulli ſiniſtros ſermones de nimia hominis ſeveritate in vulgus ſpargere.

Quos tamen in ſuo ſtatu & officio ſemper continuit.

Conqueruntur de ejus ſeveritate.

LIII. Accidit poſtea ut Ægidius Delphinus Amerinus Miniſter Generalis, in Hiſpaniam, muneris ſui exercendi cauſa, proficiſceretur, quod ſub annum MD. Deo dante, indicabimus. A Ximenii æmulis accitum, ut ejus opera & auctoritate contra Antiſtitem reformationi Cœnobiorum intendentem, ſecurius & majori agerent auctoritate, quidam ſuſpicati ſunt: id certum eſt, ubi illic conſtitit, ſui Sodalitii homines, aures illius multis contra Ximenium criminationibus oneraſſe, & illum ſtuduiſſe temere & inſipienter nimis Ximenium apud Reginam reddere minus gratum, & a ſuo gradu, ſi poſſet, deturbare. Sed temeritatis pœnas luit, a Regina indignanter rejectus, & acriter reprehenſus. Alium habuit Ximenius ſuæ patientiæ & prudentiæ exercitatorem, & teſtem Bernardinum bis fratrem, iiſdem ſcilicet parentibus, uti diximus, genitum, eadem Religione initiatum. Hic enim morum inconſtantia, & mentis impotentia, in tot ſe mutavit formas, totieſque graviſſimi Præſulis animum perturbavit, ut tamdem Ximenium illum procul facere, & male habere oportuerit. De iſto alias ſermo redibit; ſinguliſque ferme annis aliquid occurret, quod de magnificis Ximenii geſtis libeat enarrare.

Maxime Miniſter Generalis.

LIV. Ad Eccleſiam Aſaphenſem in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, promotus eſt hoc anno Michael Diacon, ſacræ Theologiæ profeſſor, Henrico VII. a ſacris confeſſionibus, propter translationem Richardi Redman ad Oxonienſem, VIII. Idus Novembris. Mortuus eſt hoc anno alius hujus Inſtituti Epiſcopus fama ubique celeberrimus, Robertus Caracciolus Licienſis, Præſul Aquinas. Ita mihi conſtat ex regeſto Vaticano, in quo refertur, Baptiſtam de Buſalis hoc anno Idibus Novembris aſſumptum fuiſſe ad Eccleſiam Aquinatem, per obitum Roberti, & ceſſionem poſtea Bernardini Lonatis Diaconi Cardinalis ſancti Cyriaci, illius Eccleſiæ adminiſtratoris. Diem certum, quo obiit tantus vir, non eſt qui referat, neque annum, quo aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Aquini; neque in regeſto Vaticano, neque in libris conſiſtorialibus, ubi omnes ferme Epiſcoporum creationes ſuis adnotantur annis & diebus, ulla habetur mentio hujus aſſumptionis. Ab hac Eccleſia ad Licienſem translatum fuiſſe, ſimiliter omnes conſpirant, idque factum anno MCCCCLXXXIV. unus vel alter ſuſpicatur, ſed nullus annum certum indigitat. Et quidem translationem hanc contigiſſe ante annum MCCCCXC. manifeſte habetur ex ejus Quadrageſimali *de Peccatis*, eo anno die XI. Maii Venetiis impreſſi, in cujus principio nuncupatur *Epiſcopus Licienſis*. Sed ex alio ejus opere de Sanctis, ibidem eodem anno Kalendis Octobris excuſo, inſurgit difficultas, quod etiam in exordio li-

Fr. Michael Epiſcopus Aſaphen.

Moritur Robertus Licienſis Epiſcopus Aquinas. *Lib. III. Reg. Alexand. VI. fol. 308.*

Fuit etiam Licienſis,

libri nominetur Epiſcopus Aquinas. Et contra hoc etiam aliud exoritur dubium, quod in regeſto Innocentii VIII. eodem anno MCCCCXC. pridie Idus Auguſti, Pontifex quædam committat agenda Salvatori Epiſcopo Aquinati Neapoli commoranti.

Reg. Innocentii VIII. lib. 93. fol. 129.

LV. In denſis his tenebris, donec aliunde lux aliqua effulſerit, divinare potius licet, quam aliquid certo affirmare. Quod illius aſſumptionis ad Aquinatem, aut translationis ad Licienſem non habeatur mentio in tabulis Eccleſiaſticis, aut libris regeſti, neque Conſiſtorii, inde provenire potuit, quod per viam ſecretam & gratioſam, ut Curiales loquuntur, litteræ expeditæ ſint abſque ulla ſolutione; illis enim libris ea ſolent inferri, quæ emolumentum Datariæ & Cancellariæ Apoſtolicæ, aut Conſiſtorii concernunt. Quod eodem tempore, quo ille nuncupatur Aquinas, alius etiam ſuerit ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, & poſtea Bernardinus Cardinalis ejuſdem etiam acceperit adminiſtrationem, inde potuit oriri, quod coadjutorem admiſerit Salvatorem, propter aſſiduum munus prædicandi, & quod inſtantiſſime a ſummis Pontificibus, præſertim a Sixto IV. (uti ipſe præfatur in Epiſtola nuncupatoria Quadrageſimalis ad Joannem de Aragonia Cardinalem, apud ſuum ſororium Hungariæ Regem Legatum Apoſtolicum) aliiſque Principibus excitabatur: vel quod oneri ceſſerit Epiſcopatus, titulo honoris ſpecie retento. Translatio autem ad Eccleſiam Licienſem caruit effectu, propter aliquod impedimentum ex multis, quæ occurrere ſolent in hujuſmodi translationibus, vel proviſionibus Eccleſiarum. Translationem hanc ſactam aliquot annis ante ejus obitum conſtat ex ſupradicto opere Quadrageſimali, ubi anno MCCCCXC. ut diximus, inſcribitur *Epiſcopus Licienſis*, atque ſub titulo Epiſcopi Aquinatis deceſſiſſe, conſtat evidenter ex regeſto ſuperius citato Alexandri Pontificis, in quo refertur per illius obitum hoc anno conceſſam fuiſſe adminiſtrationem Bernardino Cardinali, quam tamen haud diu retinuit, & ex carmine Hermolai Barbari Patriarchæ Aquilejenſis, quod ſtatim exſcribemus. Præter hos duos Epiſcopatus alii tertium, Puteolanum, ſed immerito adjiciunt. Hæc diffuſius examinare placuit propter varias controverſias de hac re inter Aquinates & Licienſes exortas, & contentiones duarum nobilium familiarum Caracciolorum, hominem hunc multis titulis illuſtrem ſibi vindicantium.

Vide Tom. 12. anno 1449. n. 31. ſeq.

Ejus vitæ compendiolum: *Marian. lib. 5. c. 26. Bernard. de Foſſa Chron. MSS.*

LVI. Porro ille in urbe Aletii, aliis Litii, in Salentinorum mediterraneo, a Promontorio Salentino, ſeu capite ſanctæ Mariæ P. M. XXX. diſtante, natus eſt parentibus nobilibus, ſed mediocris facultatis. Fœtu gravida genitrix vovit, quod ſi maſculum felici eniteretur partu, Deo ſub ſancti Franciſci diſciplina a juventute conſecraret. Ubi per ætatem licuit, illius Inſtituti veſtem obduxit, & in litteris ac moribus imbuendum tradidit Conventualibus Minoritis. Iterdiu cum Fratribus vivebat, ſub noctem domum redibat. Litteris humanioribus inſtructus, in juventutis flore Obſervantibus nomen dedit, emiſſaque profeſſione, religioſis moribus, vivido ingenio, prompto erga majores obſequio cœpit omnibus placere. Paucæ, quas habebant Obſervantes in Apulia domus, ſuberant tunc, uti alias monuimus, Vicario Boſnæ, atque hinc frequens cum Hungaris & Boſnenſibus commercium. Quidam ex Hungaris vir doctus, ſacræ Theologiæ Magiſter, egregius concionator, Latine per eam regionem magno hominum applauſu prædicabat, amiſſoque ſocio interprete, Robertum acuti vivaciſque ingenii, & bonæ indolis adoleſcentem ſubſtituit. Ut efficacius rectiuſque diceret, geſtus, actiones, vocem efformare, & proferendis concordare, ſedulo magiſter edocuit. His declamatoriæ artis haud inanibus ornamentis ſufficienter

Tom. 10. anno 1418. n. 11.

ex-

excultus, aliorum conciones memoriæ commendabat, & per vicos ac caſtella repetebat, uno eodemque die diverſis quidem locis eumdem recitans ſermonem.

LVII. Regreſſo in Hungariam magiſtro, Superiores veriti ne ex ſpecioſo dicendi munere, publico auditorum favore, facilique hominum applauſu, adoleſcentulo gloriolæ quidquam obrepſerit, aut ex immaturæ functionis proſecutione amplius intumeſceret, deſtinandum judicarunt ad religioſiſſimam ſancti Franciſci in Umbria Provinciam, ut bonis moribus & regularibus diſciplinis ſolide imbutus, firmiori virtute, & cumulatiori fructu plenis annis Apoſtolicum hoc munus obiret. In anguſto & ſolitario *Eremitæ* cœnobiolo diebus multis commoratus, religioſa converſatione, lætoque ſemper animo cœpit omnibus mirifice placere. Poſt longam virtutis experientiam, demum miſſus eſt ad propinquum caſtrum mendicaturus & prædicaturus. In concione ita ſe geſſit, ut omnium corda poſſederit, & per vicina loca ſummopere laudaretur, & e caſtris ac villis ad Civitates mitteretur, majori ſemper ſpe, & fructus incremento progrediens. Aſſiſii primum, mox Eugubii, deinde Florentiæ tanto omnium applauſu cœpit prædicare, ut qualis poſtea futurus eſſet Eccleſiaſtes, facile fuerit præſentire. Anno functionis quarto, juſſus Aquilæ prædicare, omnem commovit Civitatem, eamque aſſecutus eſt æſtimationem, ut ſæpe Cives rogarint Religionis Præfectos, juberent apud ſe concionari. Hac in urbe cœperunt primæ hominis commotiones; hic primo ambiendi morbus erupit; hic primo cœpit, uti alias retulimus, Superioribus diſplicere. Reliqua hominis geſta pro temporum opportunitate ſuis locis enarravimus: iſta hic ex Chronicis Bernardini de Foſſa Aquilani coævi & familiaris, ad plenam rerum notitiam adjecimus.

Tom. 12. anno 1452. n. 40.

LVIII. Multa ſcripſit pro illius temporis ratione commendabilia. In ſcribendo & concionando imitatus eſt Bernardinum Senenſem, cujus ſermones prioribus annis ſe recitaſſe fatetur. Annis quadraginta ait ſe totam Italiam luſtraſſe, & ubique prædicaſſe. In epiſtola nuncupatoria libri, quem *Speculum fidei* inſcripſit, ad Alphonſum Ducem Calabriæ, Ferdinandi Regis primogenitum, cui erat a ſacris confeſſionibus, ait ſe per octo Quadrageſimas Neapoli concionatum, Rege jubente, qui Regii etiam Prædicatoris ei titulum conceſſit. Quando licebat, in urbe natali quieſcebat, & ſcribebat. Illic opus ſuum de Peccatis inchoaſſe & abſolviſſe an. MCCCCLXXXIII. in calce libri refertur. Volaterranus graviter hominem in ſenectute onerat, alii æquius commendant. Gentiles mirifice a pietate & virtute collaudant. Sepultus eſt apud Patres Conventuales Licienſes in ſacello ſancti Bernardini pulchro conditus mauſoleo, in arca cypreſſina plumbo contecta, pulchra adjecta ſtatua lapidea in modum concionantis, & altera in habitu Epiſcopali. Publico urbis decreto & ſumptu anno MDXIII. erecto hoc tumulo exhumatum eſt corpus, in cœmeterio communi Fratrum ſepultum, inventumque eſt integrum & incorruptum. Adjectum eſt hoc ab Hermolao Barbaro, viro clariſſimo, compoſitum epitaphium.

Serm. de ſancto Bernardino c. 2. in fine.

Volater. lib. 21. Antropol. Honorifice jacet in urbe Licienſi. *Infantin. lib. de Lytio ſacro pag. 49.*

Maximus Eccleſiæ, ceu Paulus, præco Robertus,
Quinquaginta annos concionatus obit.
Caracciolus fuerat Licienſis, Præſul Aquinas,
Hoc tectus tumulo corpore, mente polo.

In medio ſepulcri inciſa ſunt hæc duo carmina.

Ille Robertus hic eſt Chriſti quo Præſule vatum
Nemo poſt Paulum clarior Orbe fuit.

LIX. Et

LIX. Et quidem hoc ipſum ſoluta oratione dixit Joannes Pontanus ſynchronos, Latine eruditus: *Nemo*, inquit, *poſt Paulum Tarſenſem melius Roberto Licienſi Divina tractavit eloquia*. Atque hæc omnium tunc fuit opinio, dum apud omnes, ut alias narravi, ſecundus Paulus audiebat. Inſignem adeptus eſt honorem, Vicarii totius Regni Neapolitani, uti habetur ex calce libri ſupra citati *Speculi fidei*, Venetiis impreſſi anno MDXVII. ubi ita legitur: *Explicit liber noviter compilatus ab illa Corona Prædicatorum fratre Roberto Caracciolo Licienſi Ordinis Fratrum Minorum, Dei gratia Epiſcopo Aquini, & Vicario Generali totius Regni*.

Tom. 12. anno 1449. n. 33. ſeq.

Joann. Dominicus de PratoPœnitentiarius.

LX. Occurrit in Regeſto Pontificio memoria Joannis Dominici de Prato, ſacræ Theologiæ profeſſoris, viri docti, qui inſtitutus eſt hoc anno VII. Kalend. Martii Pœnitentiarius Apoſtolicus in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, per reſignationem Matthæi de Panichis Ordinis Prædicatorum.

Conv. Sermoneti.

LXI. Incolæ oppidi Sermonetani, diœceſis Terracinenſis, in Latio ad duo milliaria a Caſtro Baſſano, extra muros dicti oppidi ad D.P. Cœnobium ſub ſancti Francifci invocatione extruere cœperunt pro Fratribus Obſervantiæ. Perficere volentes, licentiam impetrarunt hoc anno illud Fratribus tradendi: *Exponi nobis feciſtis*. die XXIII. Julii. Gonzaga ait a Guillelmo Caetano, Sermoneti Domino ædificatum, nemore & hortis capaciſſimis adjunctis. Sed non tam incepiſſe, quam perfeciſſe cenſendus eſt Guillelmus. Succeſſores quidem magna ſemper proſecuti Religioſos benevolentia, alendiſque ferme viginti Fratribus largas conferunt eleemoſynas.

Gonz. in Provin. Rom. Conv. 12.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Tom. 11. anno 1441. n. 15.* Conv. Vulſinii.

„ LXII. Diximus alias conceſſum Obſervantibus domicilium in Inſula „ lacus Vulſinii, qui dum ad oppidum ipſum Vulſinii cymbula trajicerent, „ ſive ad petendum panem corporalem, ſive ad ſpiritualem Verbi Dei po„ pulo porrigendum, ſæpe contingebat, quod propter tempeſtuoſas aquæ „ commotiones, vel propter alia impedimenta regredi non liceret, & „ pernoctare in domibus ſecularium aliquando indecore oporteret: quod „ etiam Fratribus Conventus ſanctiſſimæ Trinitatis extra muros Urbis-Ve„ teris per aliquot milliaria diſtantis, qui mendicaturi ad prædictum oppi„ dum accedebant, frequenter contingebat. Hoc anno duo Fratres a Vica„ rio Provinciæ Romanæ ad Georgium de Ruvere Epiſcopum Urbe„ vetanum miſſi obtinuerunt ſibi concedi, & Conventui Urbevetano ag„ gregari (hæc approbante etiam Canonicorum Capitulo) domum hoſpita„ lis ſanctorum Jacobi & Catarinæ, tunc hoſpitalitate penitus deſtitu„ tam, in qua nunc Fratres abſque depedentia ulla a domo Urbevetana, „ commorantur. Inſtrumentum donationis ad calcem Regeſti hujus To„ mi apponetur.

Conv. Cupramontanus. *Idem in Provin. Mart. Conv. 7.*

LXIII. In Cupramontana urbe (vulgo Ripatranſona) in Piceno, non longe diſtabat Xenodochium ſanctæ Mariæ Magdalenæ ferme derelictum, quod in Cœnobium Obſervantum cives converterunt, obtenta hoc anno Pontificia facultate. Dominicus Cardinalis Piceni Legatus, & Firmanæ Eccleſiæ adminiſtrator, fertur Xenodochio pleraque privilegia & indulgentias magnas procuraſſe, ejuſque Divæ Reliquias, crines ſcilicet, & digiti partem donaſſe, quæ apud Fratres nunc aſſervantur. Cives ob recepta beneficia multo erga eamdem Chriſti diſcipulam affectu feruntur.

Conv. Belinzonæ.

LXIV. Prope Belinzonam, munitiſſimum Inſubriæ oppidum, olim Ducum Mediolanenſium, nunc Helvetiorum, in loco *Silva Vaſſalorum* nuncupato, ex oppidanorum oblationibus, & fidelium eleemoſynis circa hunc annum Conventus conſtructus eſt Obſervantibus, ſub titulo ſanctæ Mariæ

de

de Gratiis. Fundum vendidiſſe Fratribus Bartholomæi de Focis genitorem, cujus pretium ob eleemoſynarum penuriam, cum Fratres ſolvere non poſſent, filium remiſiſſe, impoſito recitandarum pro defunctis precum onere, recenſet Gonzaga. At ex ſcripturis illius Cœnobii mihi tranſmiſſis, conſtat majori ex parte fundum donaſſe nobiles de Mollis, procurante fratre Seraphino eadem familia progenito, qui partem, quæ ei contigerat ex hæreditate paterna, in Conventus ſtructuram erogavit. Eccleſiam conſecravit Julius Galardus Salodienſis Epiſcopus, Antiſtitis Novarienſis ſuffraganeus, anno MDV. die V. Septembris. Ad imaginem beatæ Virginis illic celebrem, multa contingunt miracula.

Gonz. in Prov. Mediol. Conv. 24.

LXV. Hoc tempus præceſſiſſe Conventum ſanctæ Mariæ de Gratiis extra Maletum, Inſubriæ etiam oppidum, mihi conſtat ex quadam commiſſione data hoc anno Cœnobii Guardiano. Circa annum MCCCCLXXXVI. a Galeatio Bevilacqua, Maletenſium Comite conſtructum ex voto, propter ſuſceptos ex uxore Antonia Palavicina liberos, refert Gonzaga. Alii antiquiorem faciunt, probantque ex puteo, ut dicunt, effoſſo a ſancto Bernardino, & arboribus præ templi foribus ab eo plantatis, quem etiam hic aliquoties commoratum, ejuſque diſcipulos Joannem Capiſtranenſem & Jacobum Picenum enarrant. Vere univerſus ille populus maximopere erga S. Bernardinum afficitur, in die natalitii totus accurrit, & ex putei aqua ſitibunde potat, domumque reportat, nullumque in ea regione conſpicitur templum, in quo non ſit illius vel Altare vel effigies. Domus eſt capaciſſima, & bene conſtructa, duo prægrandia habet clauſtra, cellas multas, pulchrum hoſpitium, Eccleſiam capaciſſimam, pulchre ornatam, amplos & amœnos hortos, & neceſſarias quaſcumque officinas. Gens Trivultia matrimonii jure oppidum poſſidet, multiſque fovet Fratres beneficiis. Eccleſiæ conſecratæ celebratur officium. Jacent hic tres viri piiſſimi, Antonius a Modoetia, in cujus tranſitu ſonum ediderunt campanæ, nullo trahente, ejuſque ſepulcrum veneratur univerſus populus Dominica tertia Quadrageſimæ; Franciſcus a Piceleone, laicus infirmarius, qui multos crucis ſigno ſanavit; Archangelus a Trivillio, ſacerdos & concionator eximius, illic per annos quadraginta commoratus. Sepulcrum in veneratione habetur.

Conv. Maleti. *Ibid. Conv. 26.*

Anton. a Modoetia.

Franciſcus a Piceleone.

Archangelus a Trivillio.

LXVI. Gens Palavicina ad oppidum ſuum Caſtri Lauri in Lombardia, diœceſis Placentinæ, circa hoc tempus Cœnobium poſuit Obſervantibus, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratiis ſeu Annunciationis. Joannes Ludovicus Palavicinus Marchio, ex Rolandi patris teſtamento opus inchoavit, Catarina Marchioniſſa promovit; Rolandus ſecundus Palavicinus abſoluit. Statuerat Rolandus, ut quædam perpetua, alia temporalia legata Fratribus ædificio perficiendo, & certa frumenti quantitas annis ſingulis darentur, quod fideliter prædictus filius complevit. Eccleſia hoc anno ultimam manum accepit. A Fabritio Placentino Epiſcopo anno MCCCCXCIX. die XXV. Januarii conſecrata eſt. In ea jacet frater Nicolaus Mirandulanus, plurimis poſt mortem clarus miraculis. In ſacello Conceptionis multa conſpiciuntur Palavicinorum mauſolea, & leguntur epitaphia. Dignum præ ceteris illud Rolandi, quod excribatur.

Conv. Caſtri Lauri. *Idem in Provin. Bonon. Con. 21. Lib. 138. fol. 148.*

Nicolaus Mirandulanus.

Palavicinorum ſtirpe Rolandus, vixi, peccavi, dolui, ceſſi naturæ anno Domini M. D. IX. menſe Novembris, die XVIII. Animæ piæ, benevolæ ſuccurrite, brevi memores & vos morituros.

LXVII. Erepta e Maurorum poteſtate urbe Malacitana in Bætica, anno MCCCCLXXXVII. in die ſancti Ludovici, Reges Catholici Ferdinandus & Iſa-

Conv. Malacitanus. *Idem in Provin. Bætica Conv. 15.*

& Iſabella non procul a mœnibus ædificarunt Obſervantum Cœnobium, quod ſanctorum Franciſci & Ludovici vocatur, & hoc ipſo anno Fratribus tradiderunt. Inſigne eſt ſexaginta Fratrum domicilium, cui multa contulit beneficia Ludovicus a Turribus, Archiepiſcopus Salernitanus. Sacellum condidit affabre elaboratum ſanctæ Mariæ de Portiuncula, ad quod die II. Auguſti confluunt univerſa Civitas & convicini populi, magnas illas indulgentias templi ſanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium ex conceſſione Clementis VII. & Pauli III. lucraturi.

Conv. Granatæ Alambræ. *Idem in Provin. Granaten. Conv. 31.*

LXVIII. Hoc anno eoſdem Reges Catholicos arcem munitiſſimam Granatenſem, Arabice *Alambra* a Mauris nuncupatam ingreſſos, illic ædificaſſe Cœnobium ſub titulo ſancti Franciſci, & brevi abſolviſſe viginti Fratrum domicilium, narrat Gonzaga. Sed anno MCCCCXCII. fundatum fuiſſe inde aliqui inferunt, quod hiſtoria Granaten. referat aliquot Hebræos qui lictores fugiebant, ad Conventus S. Franciſci aſylum ſe anno MCCCCXCIII. recepiſſe. Primum hoc conditum Granatæ Minorum Cœnobium.

Domus Camberiaci. *Tom. 13. anno 1465. n. 13.*

LXIX. Domus ſanctæ Mariæ de Angelis alias Ægyptiacæ, oppidi Camberiaci, diœceſis Gratianopolitanæ, Regularis Obſervantiæ, quam diximus primitus inſtitutam ſub obedientia & directione Guardiani de Myano, hoc anno erecta eſt in Conventualem, ſub proprii Guardiani auctoritate, propter diſtantiam a Conventu Myani, & difficultatem regendi utrumque locum ſub uno Guardiano: *Sacræ Religionis*. V. Idus Novembris.

Conv. Vallis Ardenſis. *Gonz. in Provin. S. Bonav. Conv. 18. Foder. & Picquet. in hiſtor. ejuſd. Prov.*

LXX. Petrus Borbonii Dux, ejuſque conthoralis Anna, Caroli VIII. Gallorum Regis germana ſoror, interceſſerunt hoc anno apud Pontificem, ut liceret nobilibus viris Ludovico & Carolo de Bernard domicellis Lingonenſis diœceſis conſtruere domum Fratrum Reformatorum in Eremitorio Vallis Ardenſis intra ſuum territorium erecto. Annuit Pontifex, datis litteris: *Sacræ Religionis*. III. Kal. Decembris. Eremitorium primo conſtructum fuiſſe, & muris circumdatum a quodam Domino de Charnel, referunt Gonzaga, Fodereus & Picquetus; quo tamen anno vel auctore commutatum ſit in domum conventualem, deperditis & exuſtis titulis, non enarrant. Graſſantibus enim ubique hæreticis, anno MDLXII. neque hoc rurale Cœnobiolum ab illorum injuriis & crudeli feritate potuit liberari, quin omnino in favillas redigeretur. Ceterum locus amœnus eſt, fontibus illic ſcaturientibus, qui per Cœnobium & campos diffuſi, in fluviolum deſinunt, irriguus, montibus undique interſeptus. Vigilantia & ſedulitate quorumdam Fratrum, maxime Baccalaurei cujuſdam Conventus Bari ſuper Albam, priſtino ſtatui quantum temporum calamitas ſufferre potuit, reſtitutus eſt.

Conv. malarum herbarum.

LXXI. Nobilis vir Ludovicus de Granvilla, Franciæ Admiratus, cogitavit domum ædificare Fratribus de Obſervantia in loco ſui dominii, *Boſcus male herbatus*, alias *locus malarum herbarum* nuncupatus. Hoc anno conceſſa eſt facultas Vicario & Fratribus Provinciæ Franciæ illam acceptandi: *In eminenti Apoſtolicæ dignitatis*. VI. Idus Octobris. Nonniſi tercentum paſſus a Seſiaco, Aurelianenſis diœceſis oppido, conſtructum aſſerit Gonzaga, ſed in bulla Alexandri locus ille dicitur diœceſis Senonenſis. Eccleſiam conſecratam, præter unum fundatorum ſacellum, pulchro alabaſtrite ſepulcro decoratum, domumque magna ex parte Hugonotæ devaſtarunt. Plene reſarcire ſucceſſores propter temporum injurias non potuerunt. Locus amœniſſimus eſt, gaudetque hortis ampliſſimis.

Gonz. in Provin. Franc. Pariſien. Conv. 20.

Reformantur Conventus aliquot Daciæ & Germaniæ.

LXXII. Reformati ſunt hoc anno Conventus Flonsburgen. diœceſis Sleſvicen. in regno Daciæ, & Helſingoren. diœceſis Roskilden. in eodem re-

regno, petentibus Joanne Rege & populis auctoritatem a Pontifice Alexandro, necnon in Germania Conventus Oppenheimenſis, & Moſæ Trajectenſis.

Lib. 91. fol. 151. & 154. Monum. MSS. Prov. Colon.

LXXIII. Sub hoc tempus Rector & Conſilium Civitatis Raguſinæ, Monaſterium ſanctorum Apoſtolorum Ordinis ſanctæ Claræ, Regularis Obſervantiæ, ſub obedientia Vicarii ex ordinatione & teſtamento quondam Marini Zuparii fundabant. Perficiendo, & Monialibus alendis cum neceſſarii reditus deficerent, obtinuerunt a Pontifice, ut parochialis Eccleſia de Obrono, & Rectoratus Eccleſiæ ſancti Petri majoris, quæ de jurepatronatus erant laicorum, eidem Monaſterio unirentur.

Monaſt. Raguſi. *Lib. 98 fol. 96. & lib. 102. fol. 125.*

LXXIV. Nobilis vir Guillelmus de Arca, Domicellus Lugdunen. diœceſis, expoſuit hoc anno Pontifici, quod in dominio ſeu Baronia ſui patris, de Cornilione nuncupata, Monaſterium erat de Caſtilibus Ordinis ſanctæ Claræ ſine clauſura, atque inde multa oriebantur incommoda, obtinuitque commiſſionem ad Miniſtrum Provinciæ Lugdunenſis, ut reformaretur Monaſterium, & ad clauſuram cogerentur Sorores.

Monaſt. Cornilionis. *Lib. 84. fol. 190.*

LXXV. Alias diximus, Monaſterium ſanctæ Claræ Funchalii, in inſula Lignorum, ſeu de Madeira, Maris Oceani conſtructum fuiſſe a quodam de familia Gondiſalvorum. Id hoc anno amplius conſtat, dum in bulla: *Ex injuncto nobis*. III. Kal. Aprilis habetur, Joannem Gondiſalvum de Camera primum illius inſulæ Capitaneum, & populatorem pro Duce Begiæ, illud conſtruxiſſe. Multa petit & obtinet in favorem illius Monaſterii a ſe conſtructi, & filiæ Joannæ, Begia illuc tranſlatæ, quæ in diplomate referuntur.

To. 14. an. 1476. n. 65. Monaſt. Funchalii. *Vide ibid. anno 1491. n. 83.*

LXXVI. Fratres Tertii Ordinis domum habuiſſe in oppido Lovanienſi ſub invocatione ſancti Pauli, & in Zoppen. & Antuerpiæ in Belgio, conſtat ex diplomate hoc anno emiſſo pro terminandis litibus circa ferenda ſuffragia in Capitulo, inter has domos exortis.

Domus tres Tertii Ord. in Belgio. *Lib. 93. fol. 244.*

LXXVII. Bethuniæ hoc anno introductæ ſunt per Canonicos & Senatum Virgines tredecim Tertii Inſtituti in Xenodochium ſancti Joannis, egenis ægriſque etiam contagio laborantibus, pietatis officia impertituræ. Quarum cum fructus ingens, & peculium tenue eſſet, auctoritate Principum, Goſnayenſe per Mathildem Comitiſſam fundatum hoſpitale huic unitum eſt, & exinde in communionem regiminis cum Senatu & Canonicis veniunt delegati Principum. Ab eminentiore urbis loco *Seuſi d'en hault* communiter nuncupatur.

Domus Sororum Tertii Ord. Bethuniæ. *Locr. in Chron. Belg. an. 1320. & 1495.*

LXXVIII. In oppido Aquenſi, diœceſis Leodienſis, Henricus Epiſcopus inſigne Beghinagium tercentum Beghinarum, ſeu piarum fœminarum recluſorium, adjuncto hoſpitali pro peregrinis mulieribus excipiendis, & Eccleſiam ſub titulo ſancti Matthiæ fieri curaverat. Sed deficiente magna parte illius numeri, infra ſepta recluſorii permiſerunt reliquæ Beghinæ fieri domum Sororum Tertii Ordinis cum Oratorio ſeu Eccleſia, & reliquis neceſſariis ad inſtar domus Regularis, ita volente Joanne Eniſcopo, Henrici ſucceſſore. Hoc autem anno conceſſum eſt, ut reliqua Beghinagii pars & Eccleſia eidem Sororum domui applicaretur, & illæ curam haberent hoſpitalis: *De perſonarum omnium*. XVII. Kal. Junii.

Domus Aquenſis.

LXXIX. In villa Mocluhen. ſub caſtro Cambratſteyn, Treverenſis diœceſis vivebant uſque ad hoc tempus in quodam recluſorio aliquot Sorores hujus Inſtituti, quibus numero excreſcentibus, Joannes Archiepiſcopus perſuaſit ut ad Regulam & Inſtitutum ſancti Auguſtini tranſirent, aliumque locum dedit prope Valendam dictæ diœceſis, conceſſo primo Fratribus reformatis ejuſdem ſancti Auguſtini.

Domus Mocluhen. *Lib. 84. fol. 212.*

Domus Nanceſ. Conv. in Prov. Franc. Pariſien. Mon. 22.

LXXX. Carolus Lotharingiæ Dux, conſtruxerat apud Nancium pulchrum Xenodochium pauperibus excipiendis & infirmis curandis, ſub invocatione Virginis Mariæ. Adminiſtratorum incuria majori ex parte collapſum, Renatus Siciliæ Rex reparavit, quod circa hunc annum in Monaſterium ceſſit Sororum Tertii Ordinis. Eccleſiam quidam Tullenſis Epiſcopus conſecravit.

Domus Zamoren. *Lib. 90. fol. 121.*

LXXXI. Domui ſanctæ Marinæ Zamorenſi Sororum Tertii Ordinis, paupertate gravatæ, hoc anno Pontifex beneficium ſervitorium Eccleſiaſticum Villalupenſe, diœceſis Zamorenſis, a Roderico Petro de Naxara, clerico Calagurritano reſignatum, capellano, qui Sororibus Miſſas legeret, alendo univit & incorporavit.

Conv. Eboren. *Lib. 81. fol. 141.*

LXXXII. Fratres Conventus ſancti Franciſci Eborenſis, auctoritate Pauli II. permutationem quamdam fecerunt domorum cum Joanne Rege Portugalliæ, qui prope eumdem Conventum inſigne ſibi conſtrui palatium volebat. Eam hoc anno ratam habuit Pontifex. Approbavit etiam donationem factam a Georgio de Ruvere, Epiſcopo Urbevetano, Fratribus Provinciæ Romanæ, de hoſpitali terræ Vulſinii ſuæ diœceſis, jam hoſpitalitate deſtituto, ut hoſpitii locum commodum haberent Fratres, qui illuc accedebant ex Conventibus ſanctæ Mariæ Paradiſi de Viterbio, ſanctæ Trinitatis extra muros Urbevetanos, & inſulæ lacus Vulſinii. Circa clauſuram & oſtium Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ, familiæ Ultramontanæ Fratribus ſubjectorum, quædam declaravit emiſſo diplomate: *Exponi nobis*. x. Kal. Junii.

Hoſpitale Vulſinii. *Breve orig.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. IN Italiam, ſuperatis Alpibus, deſcendentem Carolum Franciæ, „ Ludovicus Sfortia ab urbe Aſta Ticinum deduxit, quo tempore „ defuncto nepote Joanne Galeacio, hortatu Regis Ducatum aſſumpſit; „ cum interea armorum terrore concuterentur omnia circum, & Roma „ ipſa, permittente Pontifice, Carolum cum ſuo exercitu excepit, qui etiam „ paulo poſt mira felicitate, licet non diuturna, Neapolim victor obtinuit: „ quæ vero ad nos pertinent referamus. Fratri Henrico Baliſtari Idibus „ Januarii conceſſo beneficio: *Religionis zelus*. Illa Patrum Conventualium „ domus apud Domenalium oppidum, Trajectenſis diœceſis, per breve: „ *Quanta in Dei*. vi. Kal. Februarii expeditum, ad Patres Regularis Obſervantiæ translata eſt.* At xiv. Kal. Aprilis, ut cohiberentur Fratres, „ ne inſoleſcerent abuſus in Ordinis detrimentum, vetuit Pontifex Prælatis Eccleſiaſticis aſſumere ſecum quemquam Fratrum, qui a ſuis Superioribus in eum finem legitime dimiſſus non eſſet: *Petitionibus veſtris*. „ Et fratri Joanni Tynomorate beneficium contulit: *Religionis zelus*. Pridie Kal. Maii, necnon pro Fratribus oppidi Villæ-Franchæ, diœceſis „ Lugdunenſis nonnulla indulſit, expedito brevi: *Humilibus*. viii. Kal. „ Junii. vii. Kalendas Julii permiſſa ampliatione Monaſterii Clariſſarum „ Montis Cœlii Florentinæ diœceſis: *Ex injuncto*. xiv. ejuſdem præfati „ menſis Fratribus Montis-Sion in Terra-Sancta permiſſum eſt ſecum deferre neceſſaria: *Cum ſicut*. vii. Kal. Septembris prodiit facultas erigendi Monaſterium pro Sororibus Tertii Ordinis S. P. Franciſci apud Viterbium: *Rationi congruit*. Et vii. Idus ejuſdem alienandi quemdam „ hortum Clariſſarum Neapolitanarum: *Humilibus*. Sed vi. Idus Octobris „ collato beneficio fratri Nardo Buſcheto de Terracina: *Religionis zelus*.

* *Dominici de Prato, Conventus Montalvani erectionis & Piſtorienſis Monaſterii translationis, ad annum ſequentem: Capituli vero Generalis ad hunc ipſum annum notitias habes a P. Waddingo.*

iii. No-

„ III. Nonas Novembris datum eſt Fratribus Daciæ, ut relicto oppido Hel-
„ ſingonio, alium ſibi locum eligerent magis opportunum: *Ad ſacram Pe-*
„ *tri*. Et proviſo pro reparatione Conventus Chii: *Ea, quæ pro*. Pridie
„ Idus Novembris.
„ II. Interea veneranda illa matrona Juſta nomine & re, quæ Seto-
„ brigæ in Luſitania pro Clariſſis primæ Regulæ Monaſterium ſuis ſumpti-
„ bus conſtruere cœperat, hoc anno univerſam ædem conſummavit, quan-
„ do Joannes II. Luſitaniæ Rex ad illam magnificum templum ſuo ære
„ conſtruendum, morte præventus perficere non valens, Emanueli ſuo
„ ſucceſſori perficiendum relinquebat. Grave non ſit Lectori parenteſim
„ legere: Joannes II. æternæ memoriæ, lento atque diuturno morbo lan-
„ gueſcens, ad aquas Medicas in Algarbiis pergens, ad meliorem Sancto-
„ rum vitam properavit, ſupremum diem claudens in oppido Alvor, quod
„ pluribus Annibalis maritima ſtatio eſt. Hujus Regis pietati & liberali-
„ tati, noſtra plurimum Religio debet, ac univerſus orbis, ſi ejuſdem ge-
„ ſta æqua lance penſentur: fuit vir clarus & excelſus, infeſtus quidem *Lib. 1. c. 5. de rebus geſtis Em.*
„ improbis, ſed bonis propitius, juſtitiæ cupidus, & in omni genere virtu-
„ tis admirandus: ex omnibus tamen virtutibus, quibus illum præditum
„ fuiſſe commemorant, nulla fuit admirabilior ſingulari quodam pietatis,
„ & Religionis ſtudio, quo mirifice flagrabat; neque enim eum unquam
„ turbulenta negotia, neque conjurationes improborum, neque malorum
„ cujuſvis generis tempeſtates, a rebus Divinis ſumma cum Religione pro-
„ curandis, abſtraxerunt: ita de eo ſcripſit Oſorius. His dictis ut per pa-
„ rentheſim, Juſtam revoco, quam reliquiſſe forte videbar. Hæc nobilis *Monum. MSS.*
„ & pia Matrona, conſumatis ædibus pro habitatione Sanctimonialium, *Prov. Algarbien.*
„ virtute cujuſdam Bullæ Alexandri VI. primas Moniales ædificii ſpiritua-
„ lis Fundatrices, quarum inſtitutione & exemplo inſtrui juvenculæ debe-
„ bant, e Monaſterio de Gandia, Civitate Regni Valentiæ, hoc anno vo-
„ cavit.
„ III. Venerabilis Pater frater Franciſcus a Cropanio, Concionator Fr. Franciſcus a Cropan. floret.
„ ſuis temporibus erat eximius, qui meritis ac virtutibus cumulatus ſancto *Martyr. 2. edit.*
„ fine quievit anno MCCCCXCV. Nonis Novembris, ſepultus Meſuracæ in *fol. 541. col. 1.*
„ Conventu ſanctæ Mariæ de Gratiis, quinto Provinciæ Calabriæ: ejus
„ venerandum corpus poſt annos multos exhumatum, repertum eſt omni-
„ no integrum, incorruptum, ac ita recens, veluti modo ſepultum fuiſſet,
„ tantamque ex ſe redolebat ſpirabatque odoris ſuavitatem, ut vix tolerari
„ poſſet. Commemoratur ab Arthuro in ſuo Martyrologio, & aliis, quos
„ vide citatos apud ipſum.
„ IV. Florebat etiam eadem tempeſtate Nicolaus, dictus a Francia, Fr. Nicolaus a Francia.
„ quod natione Gallus eſſet, vir doctiſſimus, & ſui ævi Concionator diſer- *Marc. Ulyſſipon.*
„ tiſſimus: qui voluntarium exilium deligens, proculque a patria recedens *Chron. p. 3. lib. 7.*
„ ob adipiſcendæ virtutis amorem, ut quietiorem vitam in Religione age- *c. 32.*
„ ret, in Provinciam Marchiæ abiit; in qua piam & Religioſam Societa- *Fodere. in deſ-*
„ tem cum Dominico a Leoniſſa, viro eximiæ perfectionis iniit. Certus *cript. Prov. Bur.*
„ Sanctorum conſortia non tantum eſſe honeſta & laudabilia, ſed etiam *de eo Conv.*
„ generare virtutes, & omnino vitia ſuffocare, ducebat inibi eam vitæ ra-
„ tionem, quæ miram ſanctitatem redoleret, ſpecimenque illibatæ religio-
„ ſitatis omnibus præbentem: cilicio mordaci & acuto ad carnem præcin- *Biblioth. Viror.*
„ ctus, orationi jugiter inſiſtebat, qua veluti ſuaviſſimo cibo ſuum ſpiritum *Illuſtr. fol. 139.*
„ alebat; at in Miſſæ ſacrificio, contemplandæ Paſſioni Chriſti adeo hære- *col. in fine.*
„ bat, ut copioſum lacrymarum imbrem emitteret. Dominicum a Leoniſſa

„ ſingularem amicum ultima infirmitate decumbentem, ſumma caritate „ ſæpe viſitans conſolabatur. Tandem poſt illum,& ipſe properavit ad Do„ minum. Ceterum Jacobus *Occens* genere ac virtutibus illuſtris cum „ eſſet, Guardianus Mayanenſis Cœnobii; necnon Franciſcus Wiler na„ tione Germanus, eloquentiſſimus & Scriptor doctiſſimus, ambo ſpeciali„ ter a vitæ ſanctimonia penes noſtros auctores laudantur.

ARGUMENTUM.

Obſervantes Ultramontani Comitia celebrant Generalia. Moritur Marcus a ſancta Maria in Gallo. Florent plerique doctrina & pietate illuſtres. Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus Academiæ Complutenſis ſternit fundamenta, & Regularium intendit reformationi. Eliguntur Epiſcopi. Creſcit numerus Cœnobiorum.

Capitulum Generale Obſerv. Ultramont. xx. Toloſæ. *Marc. lib. 7. c. 29. Memoriale Ord.*

I. HOc anno in feſto Pentecoſtes Oliverius Mayllardus Vicarius Generalis convocavit ad Comitia Generalia in Conventu Toloſano Provinciæ Aquitaniæ Superiores Obſervantum familiæ Ultramontanæ, electuſque eſt in Vicarium Generalem Franciſcus Sagarra Catalaunus, Vicarius Provinciæ Aragoniæ. Numerati ſunt Fratres defuncti poſt ultimum Capitulum Generale ſexcenti ſeptem, atque inter hos Joannes Croyn annis viginti ſeptem Vicarii vel Generalis vel Provincialis munere perfunctus. Deceſſit in Provincia ſancti Ludovici.

Moritur Marcus a S. Maria in Gallo. *Marian. de viris illuſtr. Marc. cit. c. 30. Cimarell. lib. 7. c. 35.*

II. Obiit hoc anno Marcus a ſancta Maria in Gallo Provinciæ Picenæ. Doctor erat medicinæ, & uxoratus, cum concepto melioris vitæ deſiderio, ſtatuit mundo valedicere. Conjux pari voto humana faſtidiens, Clariſſis Aſculanis voluit adſcribi, & ille Minoritis Obſervantibus Cœnobii Eremitæ extra Fabrianum; orationi, contemplationi, verbo Dei fructuoſe prædicando totus addictus, dum Guardianum ageret Cœnobii ſancti Severini, ſummo mane orans, cœleſtem hanc vocem percepit: *Frater Marce prædica caritatem*. Deinceps totus caritatis ardore ſuccenſus, verbo & opere ubique locorum virtutem hanc præferebat. Per univerſam diſcurrens Italiam, auditoribus opera miſericordiæ tam corporalia, quam ſpiritualia impenſe commendabat, pauperumque miſeriis ſublevandis Montes Pietatis erigebat.

To. 13. an. 1470. n. 11.

Hujus rei documentum aliquod dedimus. In urbe Camerini dum magna hominum ſtrage graſſaretur peſtilentia, pereunti populo compaſſus, illuc profectus, univerſum ad planctum & luctum abſtergendis peccatis excitavit, fidejubens ceſſaturam luem, modo pœniterent; atque ita revera compertum eſt uti prædixit, eveniſſe.

III. Poſtquam annis quadraginta verbum Dei ubique diſſeminavit, hoc anno Vincentiæ populos ad meliora charifinata, & ad obſervantiam cœleſtium mandatorum excitavit. Per quindecim priores dies Quadrageſimæ Decalogi decem, & Eccleſiæ quinque diſtribuit præcepta, ſummo fervore & fructu legis Divinæ & Eccleſiaſticæ cuſtodiam inculcans. Sæpe inter concionandum dixit, ſe relicturum illis rem ſibi ſumme caram; & quidem tranſacta dimidia Quadrageſimæ parte, ſub Veſperam unius diei collegit libros, & reculas ſuas in ſarcinulam, tamquam ſi diei ſequentis diluculo eſſet diſceſſurus. Illa nocte ſub horam octavam angina, ſeu faucium inflammatione gravari cœpit, & creſcente nimis tumore, coram adſtantibus dixit, ſe proxima die Sabbati moriturum. Infirmatus in Civitate apud Patres Con-

Conventuales, rogavit mox ubi moreretur, transferri corpus ad ædem ſancti Blaſii Conſodalium Obſervantum, ab urbe remotam, & abſque ulla ſolemnioris funeris pompa, more aliorum Confratrum ſepeliri.

IV. Acceptis rite ſacramentis, deprecatus eſt ſocios ut morienti ſedulo adſtarent, Jeſu nomen repeterent, & Chriſti Domini legerent paſſionem. Legentem attentiſſime fixis in cœlum oculis auſculatus eſt, uſque ad illa verba, *Et inclinato capite emiſit ſpiritum*. Statimque expiravit, menſis Martii die decimonono in Sabbato, in quem incidit feſtum ſancti Joſephi. Non prius animam efflavit, quam magnus fieret concurſus populi venerantis, & habitum in reliquias diſcerpentis. Orta magna altercatione circa locum ſepulturæ, volente Magiſtratu ne extra Civitatem efferretur; tamdem pervicit Guardianus ædis Blaſianæ, ea tamen conventione, ne in communi cœmeterio, ſed peculiari loco ſepeliretur. Ita factum occulte nocte inſequenti, & antequam accederent die ſequenti Dominica Magiſtratus & populus, ſepultus eſt. Multi tumulum venerati, ſuæ pietatis mercedem acacceperunt ſanatæ mentis vel corporis. Translato poſtea Cœnobio intra urbem, conſtructum eſt ei peculiare ſacellum, & ſepulcrum lapideum, in cujus circuitu multa conſpiciuntur donaria, & votivæ tabellæ, beneficiorum, illius ope cœlitus acceptorum, indicia. Circumfertur hymnus rythmicus in ejus laudem, acta & plurima continens elogia, adjecta in fine Eccleſiaſtica oratione.

V. Multi floruerunt vel objerunt hoc tempore viri doctrina & pietate inſignes. In Italia in provincia Calabriæ, & Conventu Meſuratæ circa hoc tempus deceſſit Franciſcus de Copino, concionator, vitæ ſanctæ & magni zeli, cujus corpus poſt annos octo exhumatum, inventum eſt integrum & incorruptum, ſuaviſſimum ſpirans odorem. In Apulia, in provincia ſancti Angeli, Bernardinus de Nuceria, Provinciæ Vicarius, cujus ſanctimoniæ argumentum eſt, quod diem & horam ſuæ mortis prænunciarit. In eadem Provincia Petrus Hiſpanus Novitiorum Magiſter, ad quem familiariter feræ & irrationalia animalia accedebant. In Cœnobio ſanctæ Mariæ Pacis, urbis Mediolanenſis, Laurentius a Bagnacavallo prædicator, *ſancti Viri* apud omnes æſtimationem aſſecutus. In eadem Provincia Bartholomæus a Caymis vir gravis & doctus, olim a Sixto IV. ad Ferdinandum Hiſpaniæ Regem pro ſeriis rebus amandatus.

Franciſcus de Copino. Bernardinus de Nuceria. Petrus Hiſpanus. Laurentius a Bagnacavallo. Bartholomæus a Caymis.

VI. In provincia Tuſciæ, Georgii Græci anima hoc tempore viſa eſt in cœlum aſcendere, aſſociata magna cœlitum multitudine. Ibidem floruit Joannes Cordubenſis Hiſpanus, Theologus inſignis, ad quem ex omnibus Italiæ Provinciis adventabant diſcipuli; & alter Georgius Benignus ex nobiliſſima familia Salviatorum, virtutibus & litteris inſignis. Scripſit ad Rempublicam Raguſinam de natura Angelorum. In Galliæ provincia Turonenſi Petrus Cambonius, ſacræ Theologiæ Doctor, magna ex parte Provinciam ſancti Bonaventuræ reformavit. Euſtachius de Curia, Doctor Pariſienſis, non vulgaria ſuæ doctrinæ reliquit argumenta. Joannes a Ponte, vir venerabilis ad Regularem Obſervantiam decem reduxit Provinciæ Colonienſis Cœnobia. Jacet in eo, quod ſancti Trudonis appellatur.

Georgius Græcus. Joannes Cordubenſis. Georgius Benignus. Petrus Cambonius. Euſtachius de Curia. Joannes a Ponte.

VII. Ante annos octo, locus Populoniæ, Maſſanæ diœceſis, cœpit inhabitari a piis quibuſdam viris, ubi ſocietatem, *Flagellatorum* nuncupatam inſtituerunt, & pia opera exercebant. Qui inſtrueret, Sacramenta miniſtraret, & in humili Oratorio Divina celebraret, per annos ſeptem ſolus adfuit Lazarus de Montepolitiano Minorita, cui jam ſeni Pontifex indulſit, ut reliquam vitam apud pios illos ſuos diſcipulos tranſigeret.

Lib. 119. fol. 12. Lazarus de Montepolitiano.

Hoc

Hoc anno Inquiſitor erat in Tuſcia Magiſter Franciſcus de Monte Ilcino.

Gomez. lib. 11. vita Ximen.

VIII. Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, poſtquam anno præterito mira urbis populorumque lætitia & congratulatione Toletum ſolemmi comitatu ingreſſus eſt, ſtatim Synodum coegit, & ſanctas leges Clero populiſque præſcripſit. Deinde ad publici uſus opera, quibus inſtituendis natura propenſiſſimus erat, ſe convertit, nam religioſas virorum fœminarumque domos, Virginum maritandarum ginæcea, ſtudioſorum Collegia conſtruere in animum induxerat. Cum primis vero liberalium artium & Divinarum litterarum ſtudiis, quarum ille ſemper amore flagravit, provehendis, Academiam Compluti (quod ſuæ diœceſis oppidum eſt florentiſſimum, optimiſque alendis ingeniis peropportunum) in pulchra area, ampliſſimis & magnificis ædibus in ſtudiorum collegium ædificandis aptiſſima, cœpit ædificare, cujus quidem augendæ ornandæque, adusque vitæ exitum, curam & cogitationem numquam remiſit.

Franciſcus Ximenius fundat Academiam Complutenſem.

IX. Mox ad ſedandas lites & controverſias inter Regulares Conventuales & Obſervantes omnium fere Ordinum, paſſim ex morum & vitæ diverſitate exorientes ſe convertit. Illius quippe, necnon Catholicorum Regum favore, pulſis Conventualibus, multa eorum Cœnobia Obſervantibus committebantur; unde tumultuantibus & obſtrepentibus Conventualibus, non pauci inſigni nobilitate atque auctoritate viri favebant, tum aliis quidem de cauſis, tum hac potiſſimum, quod antiqua majorum ſuorum ſepulcra ſacellaque ſumptuoſo opere exædificata, atque annuis cenſibus aucta, ſacrorum ibidem perpetuo celebrandorum cauſa, in horum Cœnobiis erant: quæ facile peritura exiſtimabant, ſi Fratres Obſervantes, quibus cenſuum hujuſmodi, immobiliumque bonorum poſſeſſio interdicta eſt, Conventualium loco ſubſtituerentur. Neceſſe enim eſſe videbant, ut bona ipſa atque cenſus aliorſum dilaberentur: illa enim partim fœminarum Cœnobiis, partim Fratrum Obſervantum litterariis Collegiis inſtituendis applicanda eſſe vulgo ferebatur. Verum hiſce difficultatibus in Hiſpania Regia auctoritate per Ximenium ſuccurrebatur.

Intendit Regularium reformationi.

Sed non ſine cōtradictione.

X. Romæ autem, ubi præcipuus cauſæ univerſæ cardo vertebatur, longe majora impedimenta atque incommoda pervincenda erant. Illic enim objiciebantur pacta & conventiones inter utriuſque vitæ homines inita, a Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. confirmata, quibus cavebatur ne Obſervantes Conventualium domos, ullo prætextu aut quovis quæſito colore invaderent, aut oblatas abſque Sedis Apoſtolicæ permiſſu reciperent. Adverſus illam conventionem in hac Monaſteriorum reformatione fuerant nonnullæ Conventualium domus, Ximenii opera, dum Reginæ a confeſſionibus eſſet, ab Obſervantibus receptæ, & Regulari Obſervantiæ, veteribus earum colonis conſentientibus, vindicatæ: qui precibus & præmio illecti, domos ſuas Obſervantibus reliquerant: idque nihil ſuperiorum Pontificum prohibitione obſtante, Alexandri VI. Pontificis Maximi auctoritate probatum fuerat, & Obſervantibus, uti domos & Monaſteria Conventualium de habitantium Fratrum conſenſu recipere, ac libere retinere poſſent, permiſſum. Qua ratione fiebat, ut ex Conventualium Cœnobiis nonnulla ad Obſervantum Ordinem transferrentur.

XI. Ne paulatim aliæ etiam domus ad Obſervantes tranſirent, Miniſter Generalis Franciſcus Samſon, qui Conventualis erat, ab Alexandro Pontifice ſumma contentione impetravit, ut in ea Monaſteriorum correctione a Regibus Catholicis & Ximenio inſtituta, minime liceret eam curam gerentibus, ſine certis quibuſdam adjunctis ſociis ex Conventualibus,

ab

ab ipſo Monaſterio deſignandis, officio perfungi. Hos igitur Roma miſſos cum a Regiis correctoribus ſeu reformatoribus contemptui haberi, nec ullam ipſis in eo miniſterio auctoritatem deferri intellexiſſet; Pontificem Maximum miris modis ad iracundiam provocat, tamquam illius auctoritati potiſſimum illuderetur, corrogatoque Cardinalium quorumdam favore, qui Conventualium partibus ſtudebant, edictum a Pontifice Maximo de ampliſſimi etiam Senatus ſententia promulgatur, quo univerſo cenſuræ hujus atque emendationis Monaſticæ negotio ſuperſederi jubebatur: datis de ea re ad Catholicos Reges, quorum auctoritate res gerebatur, his brevibus litteris, quas Regina ad ſe allatas ſtatim ad Ximenium mitti curavit.

Cariſſimis in Chriſto filiis noſtris Ferdinando Regi & Eliſabethæ Reginæ Hiſpaniarum Catholicis.

XII. *Cariſſimi in Chriſto filii noſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ut imponatur finis diſſenſionibus & querelis, quæ continuo afferuntur a Fratribus præſertim Ordinis Minorum ſancti Franciſci, propter commiſſam in iſtis regnis, & dominiis veſtris reformationem: pro qua a Generali aliqui ſui Ordinis iſtuc tranſmiſſi, ut ſimul cum Prælatis, per nos ad id deputatis, huic negotio intenderent, officio ſuo minime fungi permittuntur, & variis injuriis (ut aſſerunt) ſe affectos conqueruntur: decretum fuit in conſiſtorio, de venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium unanimi conſilio, ut tam ipſis tranſmiſſis Fratribus, quam per nos deputatis huic reformationi commiſſariis inhiberetur, ut in hujuſmodi reformatione, & ejus executione non procederent, ſed ſuperſederent, donec, veritate per nos intellecta, provideretur, & aliud mandaremus. Quemadmodum Majeſtates Veſtræ ex litteris venerabilis fratris noſtri Georgii Epiſcopi Portuenſis, Cardinalis Ulixbonenſis ejuſdem Ordinis Vice-Protectoris, & dilecti filii Garſiæ Laſſi Oratoriis noſtri, ad quas nos remittimus, plenius intelligent. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* IX. *Novembris* MCCCCXCVI. *Pontificatus noſtri anno* VI.

XIII. Hoc nuncio Ximenius majorem in modum commotus eſt: facile enim vir prudens animadvertebat, hoc Pontificis interdicto, quamquam in ſpeciem temporario, illud potiſſimum agi, ut cauſa tota in præſens ſopita, perpetua deinde diſſimulatione extingueretur: hac enim via ſolet plerumque perplexis negotiis exitus inveniri. Sed ut erat ingenio acri, & animo magno, maximis ſemper difficultatibus ſeſe opponebat. Quare obice ardentior factus, Reginam adit, eamque a tam moleſto negotio propemodum abhorrentem confirmat: ſolitæque ſuæ conſtantiæ, atque animi præſtantis ut ſit memor, admonet: & ſummo ſtudio orat, atque obteſtatur, ne cauſam tam piam deſerat. Moleſtiſſimam haud dubie rem eſſe, odii, tædii, laboriſque pleniſſimam, ſed tanto perſeverantius in eam incumbendum. Fieri enim non poſſe, quin tamdem Chriſtus optimus maximus tam ſancta conſilia eſſet nunime ſuo fortunaturus.

XIV. His verbis Regina animum collegit, & Ximenio quidquid gratia & favore ſuo apud Pontificem maximum effici poſſet, benigne promittit, dummodo negotii pondus ipſe ſubeat, donec ad optatum exitum perducatur. Hoc cumulatiſſime Ximenio de ſe pollicente, denuo rem urgendam cenſet: & ſimul quid ſibi præſenti occaſione conſtituendum videretur, quid Romæ, quid alibi providendum exponit. Ximenii igitur opera, labore & induſtria effectum eſt, ut ſummus Pontifex interdicto illo ſublato, to-

totam eam cenſuram & reformationem non modo exequendam decerneret, ſed Ximenio ipſi, una cum Catanenſi Pont. internuncio, ac Giennenſi Epiſcopis ſtatim committeret exercendam. Sed tam arcto quidem mandato, quod adverſariorum improbitati datum fuiſſe videbatur, ut non liceret ulli ex tribus Pontificis Vicarium pro ſe conſtituere, ſed per ſe ipſos mandatum exequi tenerentur.

XV. Hoc decretum cum prorſus inane eſſe animadverteret (nec enim fieri poterat, ut ipſe, ejuſque collegæ tot Provincias obirent, & tot adirent Monaſteria) non conquievit, donec Vicarios pro arbitrio ſubſtituendi facultatem impetraret. Ita negotium procedere de integro cœpit, & Divina tamdem ope compoſitis aut ſublatis maximis, quæ in dies exoriebantur, difficultatibus, tranſactum omnino eſt, atque confectum: Monaſteriaque omnia (paucis quibuſdam exceptis) ad vetuſtum & integrum Religionis & Obſervantiæ ſtatum reducta ſunt, tanta quidem Ximenii laude, ut inter egregia ejus præclaraque facinora, unum hoc cenſendum ſane ſit maximum & clariſſimum: vel ob rei difficultatem, vel ob publicam utilitatem, tanto ex hac Religionis reformatione fructu percepto. Si quis Monaſticam diſciplinam illius ſeculi in memoriam revocare volet, aut aliarum hoc tempore nationum Monaſteria cum Hiſpanis conferat, facile intelliget, quantum rei Monaſticæ ſplendoris attulerit.

Antonius Epiſc. Sebaſten. — Antonius Epiſc. Fanenſis. — Item Henricus.

XVI. Electus eſt hoc anno Epiſcopus Sebaſten. in Phrygia, ſub Archiep. Laodiceno, Antonius de Garrai Hiſpanus, per obitum Franciſci. XIII. Kalendas Januarii. Obiit hoc anno Antonius e Pinarolo Pedemontanus, celebris Doctor, Epiſcopus Fanenſis in Piceno, immediate ſub Pontifice Romano, ad illam Eccleſiam a Sixto IV. ſub annum MCCCCLXXXII. Idibus Auguſti, cum provectæ eſſe ætatis aſſumptus, per obitum alterius Minoritæ Joannis Henrici de Tonſis, qui Eccleſiæ porticum extruxit. Sepultus eſt in Cathedrali in marmoreo ſepulcro, appoſitis effigie, inſignibus, & iſto Epitaphio.

Reverendiſſimo Domino D. Antonio de Pinarolo ſacræ Theologiæ Magiſtro Ordinis Minorum diverſis provinc. iterum Miniſtro, Epiſcopo Fanenſi, ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, prædiorumque omnium optimo reſtauratori; bonorumque ſibi a Deo datorum hilari eleemoſynario, hoc ſupereſt ſepulchrum. Vixit annos LXXXV. obiit anno ſalutis MCCCC.IC.VI.

Conv. Cayatii. Gonz. in Prov. TerræLab. Conv. 16.

XVII. Extra urbem Cayatii in Campania felici, in amœno & ſpatioſo colle, ad milliare unum diſtabat Oratorium ſive Eccleſia, pri no *Hortus Paradiſi*, mox ſanctæ Mariæ Gratiarum nuncupata, a Hieronymo Fortunato Capuano, olim Canonico Regulari ſancti Auguſtini, uti ferunt, fabricata, & poſt ejus mortem a quodam Thoma Tertii Ordinis profeſſore inhabitata. Hoc anno, pridie Idus Novembris Diana Renta, Comitiſſa Cayacenſis, & civium Communitas petierunt illam rectore carentem, concedi Fratribus Obſervantibus Provinciæ Terræ Laboris, ut prope illam ſibi domum conſtruerent. Commiſſum fuit Epiſcopo Tropien. tunc Juliano Mirto, Friderici Regis Sacellano præcipuo, ut rem examinaret, & ſi juſte poſſet, petita concederet. Tenui compenſato redituum emolumento Epiſcopo Cayacenſi Jacobo de Lutiis, ejuſque Capitulo, ſtatim Tropienſis poſtulatis annuit, cœpitque domus fabricari.

Conv. Pacciani. Idem in Provin. S. Franc. Conv. 46.

XVIII. Braccius Ballionus, Dominus ſeu Comes Pacciani & Panicalis oppidorum, diœceſis Civitatis Plebis, in medio utriuſque, ſundum conceſ-

ceſſerat domui Obſervantum Fratrum ædificandæ ſatis opportunum, & utriuſque oppidi incolis perquam accommodum. Illi porro collatis ſumptibus, brevi Cœnobium ſub invocatione ſancti Antonii ſuperædificarunt. Diebus feſtivis ad ſacra conveniunt utriuſque loci incolæ, amœnitate & devotione allecti religioſæ & ſolitariæ domunculæ.

Conv. Fontidonii.
Idem in Provin. Concept. Conv. 9.

XIX. Franciſcus Ximenius (de quo paulo antea diximus) Toletanus Archiepiſcopus, a Cœnobio ſancti Joannis de Pœnitentia exigui oppidi Fontidonii, diœceſis Segobianæ, quoſdam Monachos laxioris vitæ, auctoritate Apoſtolica hoc anno removit, & ſubintroduxit ſui Inſtituti Obſervantes. In principe ſacello jacet Petrus a Luna, Caſtellæ Comes Stabuli, primus prædicti oppidi Dominus, in pulchro mauſoleo quod ſibi conſtruxerat, magno quidem ſacelli ornamento. Inter conſertas amœnaſque ſilvas ſitus eſt Conventus; horto, frutetis & aquis abundat.

Conv. Montalbani.
Lib. 117. fol. 144.

XX. Nobilibus conjugibus Alphonſo Telles Gironio & Marinæ de Guevarra, oppidi de Montalban. Toletanæ diœceſis Dominis, conceſſit hoc anno xv. Kalendas Auguſti, Pontifex facultatem eo in loco vel alio commodiori domum Obſervantum conſtruendi, & Cuſtodi Toletano ſubjiciendi. Similem etiam facultatem conceſſiſſe alteri Pium II. alias narravimus; ſed neque ſub iſtud tempus, ſed poſterius diximus Montalvani domum fuiſſe conſtructam.

Tom. 13. anno 1459. n. 50.

Uniûtur aliquot Conventus Provincia Britanniæ ſed fruſtra.

XXI. Vicarius Generalis Obſervantum, familiæ Ultramontanæ, expoſuit hoc anno Pontifici, quod domus quinque in Britannia pro Fratribus ejuſdem Inſtituti conſtructæ, propter vicinitatem Provinciæ Turoniæ, fuerunt eidem unitæ, nunc autem creſcente numero Conventuum regionis Britannicæ, iiſque in Provinciam, uti alias diximus, coalitis, rogavit ut prædictæ domus novæ huic Provinciæ adderentur, & ab illa Turoniæ ſepararentur. Hoc examen commiſit Pontifex Epiſcopis Dolen. & Briocenſi, quibus iſtud non placuiſſe conjicio, dum in recenſu Cœnobiorum, domos iſtas in litteris Pontificiis expreſſas, adhuc inter Turoniæ Pictavienſis Conventus numerari conſpicio. Provinciæ Britanniæ progreſſus ex bulla lector percipiet: *Ad Ordinem Fratrum Minorum*. viii. Idus Martii.

Conv. Briocenſis.
Gonz. in Provin. Britan. Conv. 7.

XXII. Cum populus Briocenſis in eadem Britannia pio ferretur in Obſervantes affectu, cuperetque aliquos ex illis apud ſe habere, decretum fuit in Capitulo Generali Barcinonenſi anno mcccclI. ut virtute quarumdam litterarum Nicolai V. ea in urbe domus conſtrueretur in quandam Hoſpitali ſuburbii, qua itur ad ſacellum beatæ Mariæ de Fonte, a Magiſtro Joanne Goveorio ejuſdem Civitatis Canonico reædificato, & Fratribus liberaliter oblato. Sub Pio II. domus ædificata, appoſitis Canonici gentilitiis inſignibus, a Fratribus admiſſa eſt, eamque per aliquot annns inhabitarunt, donec a reliquis Canonicis varie fatigati, loco ceſſerunt. Attamen poſtea a pio Principe Franciæ, Comite-Stabuli & Stampenſium Comite reſtituti ſunt, ſed non ſine moleſtia & detrimento Canonici fundatoris, quem tot modis vexarunt collegæ, ut præbendam reſignare compulerint. Re ad Romanam Curiam deducta, commiſſaque Cardinali Beſſarioni, etſi multis modis gravibuſque cenſuris actum ſit, ut Canonici quieſcerent, nihil effectum eſt, donec iterum Fratres abierunt. Poſt aliquot annos orta lite inter Petrum Levallenſem & Chriſtophorum Pennarchium circa Epiſcopatum Briocenſem, monitus hic a pia quadam fœmina, juxta porticum ſancti Guillelmi recluſa, ut in itinere Romano, quod liti proſequendæ meditabatur, negotium ſuum ſanctis Franciſco & Antonio commendaret, promitteretque Cœnobium ea in urbe condere Minoritarum pro communi civium bono &

conſolatione, victor brevi ex Urbe rediit, votumque ſolvit, reſtitutis Fratribus priori loco, quem inhabitarunt, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Magdalenæ, etiam iuvitis & reclamantibus Canonicis, donec commodiorem præpararet locum extra urbem. Favebant Carolus Rex Galliarum, & Anna Regina, Britanniæ Ducissa, cupiebatque ſummopere populus, & magna pars Canonicorum, ut illic tranquille poſſent Fratres manere; litigandum tamen fuit, donec Alexander Pontifex hoc anno injunxit Epiſcopo Trecorenſi, & aliis, ut Chriſtophori pietati faverent: *Ad fructus uberes.* VI. Idus Martii. Demum religioſus Epiſcopus locum emit circa portum Legneum, ibique elegantem domum Fratribus conſtruxit. Etiam hinc pervicaci Canonicorum contentione abeundum fuit. Excogitavit poſtremo Epiſcopus prudens conſilium, commendare ſcilicet negotium hoc nobili heroi Theobaldo Keimerio, & rogare, ut nomine proprio velit Cœnobium ædificare, quod ille non potuit ſuo. Ita factum tamdem anno MDIII. Chriſtophoro primum lapidem ſternente. Eccleſiæ, clauſtro, capitulo, & cœmeterio benedixit R. Porfirienſis Epiſcopus, Chriſtophoro jam defuncto. Adlaboravit operi ſtabiliendo & perficiendo Stephanus Bruliſer, vir doctus, qui paulo antea e Conventualibus tranſivit ad Obſervantes, eoque miſſus fuit a Vicario Generali, Oliverio Maillardi.

Stephanus Bruliſer.

Con. Villæ Francæ reformatur. Lib. 110. fol. 97.

XXIII. Reformatus eſt ſub hunc annum & traditus Obſervantibus, Conventus Villæ Francæ conſiſtens in patria Belli-joci, diœceſis Lugdunenſis, ita procurante Anna Duciſſa Borbonii & Alverniæ. Necnon & Conventus oppidi Imperialis Daventrenſis, diœceſis Trajectenſis, rogantibus Maximiliano Imperatore, & oppidi Conſulibus, adjunctuſque eſt Provinciæ Colonienſi. Executor mandati Apoſtolici extitit Epiſcopus Trajectenſis.

Et Daventrenſis. Lib. 101. fol. 217.

Conv. Eha-Kamevezii.

XXIV. Nobilis vir Joannes Silkemberg, Dominus oppidi de Eha-Kamevez, diœceſis Pragen. & Regni Boemiæ Cancellarius, impetravit hoc anno facultatem conferendi Minoritis domum in eodem oppido a ſe conſtructam, ſub invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis: *Inter cetera.* III. Kalendas Julii. Et Miniſtro Provinciæ Hungariæ ſimilis conceſſa eſt facultas acceptandi Monaſterium beatæ Mariæ Virginis in Rothualva, Ordinis ſancti Pauli primi Eremitæ, Tranſilvaniæ diœceſis, a prædictis Ordinis Eremitis derelictum, & a fundatorum ſucceſſoribus ſibi conceſſum: *Ad uberes.* VIII. Idus Auguſti.

Conv. Rothualvæ.

Mon. Piſtorienſe. Lib. 108. fol. 183.

XXV. Miniſtræ & Sororibus domus ſancti Bernardini Piſtorienſis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, indultum eſt hoc anno IV. Kalendas Maii, ut poſſint tranſire ad Inſtitutum ſanctæ Claræ, juxta modificationem ab Eugenio IV. factam, & ſe ſubjiciendi Vicario Provinciæ Etruriæ. Suberat regimini Archiep. Neapolitani Monaſterium ſanctæ Agathæ Ordinis S. Claræ, cujus Sororum pars ſancti Damiani, pars altera ſanctæ Claræ, & alia ſancti Franciſci nuncupabantur. Per obitum Catarinellæ Abbatiſſæ translata eſt Juſtina nobili progenie orta, ex Monaſterio ſanctorum Feſti & Deſiderii Ordinis ſancti Benedicti, ut Clariſſas regeret, quæ cum in habitu ſuo permanſiſſet, & diſcordiæ eſſent inter variarum appellationum Sorores, & in habitu Superioris ac ſubditarum magnum eſſet diſcrimen, ad inſtantiam Juſtinæ & Monialium commiſit Pontifex hoc anno, Kalendis Septembris Epiſcopo Murano, & duobus Canonicis Neapolitanis, ut ſuppreſſo Ordine ſanctæ Claræ, omnes ad habitum & profeſſionem Ordinis ſancti Benedicti admitterentur, ſi in mutationem hanc omnes conſpirarent. Utrumque Monaſterium puto jam ſuppreſſum, niſi ſub alio nomine nuncupentur, nullum enim

Mon. S. Agathæ Neapol. Lib. 117. fol. 91.

enim invenio memoriam illorum apud recentes auctores, qui de locis ſacris Neapolitanis ſcripſerunt. Ut Univerſitas oppidi Aſulæ, diœceſis Brixienſis conſtruere poſſet Monaſterium Clariſſarum, Vicario Obſervantum Provinciæ Brixienſis hoc anno Pontifex indulſit: *Sacroſanctæ Militantis*. XII. Kalendas Auguſti. Novum hoc Monaſterium inter reliqua Provinciæ Brixienſis annumerat Gonzaga, & a viginti ſex Monialibus inhabitari affirmat.

Mon. Aſulæ. *Gonz. in Prov. Brixien. Mon. 9.*

XXVI. Cæſar Borgia, ſanctæ Mariæ Novæ Diaconus, & adminiſtrator Eccleſiæ Valentinæ, nomine Ferdinandi Regis Catholici expoſuit, quod infra limites parochiæ ſancti Martini urbis Valentinæ erat quædam parva domus extra Civitatis muros, in qua nonnullæ mulieres, *Bizocbæ* nuncupatæ, ſeu Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci reſidebant, & ad Divina conveniebant officia; ſed ad majorem perfectionem aſpirantes, ad Inſtitutum ſanctæ Claræ tranſire cupiebant ſub moderatione Urbani IV. & domum ibi regularem, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Spaſmo, ſeu de Hieruſalem ædificare, ad inſtar Monaſterii ſanctiſſimæ Trinitatis extra muros ejuſdem urbis conſtructi, primas magiſtras ex Monaſterio Sandræ villæ Gandienſis ejuſdem diœceſis accipere, & ſe correctioni, curæ & directioni Vicarii Generalis familiæ Ultramontanæ, & Provinciæ Valentinæ ſubjicere: *Ad hoc præcipue*. VII. Idus Julii. Anno ſequenti eis domum aptavit vir illuſtris Hieronymus Villaroſa Cabanilles, refecta, aucta & in commodiorem formam veteri tranſlata. Patris pietatem imitatus Hieronymus filius, omni benevolentia Sorores proſecutus, quæ potuit, ſemper præſtitit beneficia.

Mon. Valentinum. *Gonz. in Prov. Valentin. Mon. 5.*

XXVII. Simile habuit hoc anno exordium, ſub eodem nomine ſanctæ Mariæ de Hieruſalem aliud ejuſdem Inſtituti, ſub prima Regula ſanctæ Claræ Monaſterium in urbe Cæſarauguſtana, prope regium Hoſpitale, ſumptibus nobilis viri Joannis Coloniæ. Multa florent pietate & virtute ſub ſtrictiſſima paupertate Sorores quadraginta.

Mon. Cæſarauguſtan. *Idem in Provin. Aragon. Mon. 2.*

XXVIII. In Arevali oppido, Abulenſis diœceſis, prope Minorum Cœnobium, nobilis vidua Maria Guevarra, Arnaldi Velaſci, Ferdinandi Regis Quæſtoris olim conjux, ex dote ſua, relictiſque a marito facultatibus, hoc anno domum pro Sororibus Tertii Ordinis, ſub titulo Annunciationis Virginis Mariæ conſtruxit, & cum eiſdem ſub eodem habitu uſque ad mortem perſeveravit. Poſt aliquot annos omnes tranſierunt ad Ordinem ſanctæ Claræ, ſub Regula Urbani IV. atque hinc prodierunt multæ Sorores pietate & virtute illuſtres, inter quas præcipuæ numerantur Beatrix de Guevarra anno MDLXXXIII. defuncta, orationi & contemplationi aſſidue intenta. Perfecta adhuc ſalute, mortis diem prædixit. Dum ſacram ſubiret unctionem, alacriter dixit: *hoc ſalſamento per annos triginta ego cibum meum ſemper condivi*; cibum vocans labores, quos memoria mortis, & ſpes in Domino quieſcendi dulces reddebant. Mariana de Claromonte, quæ diſceſſit anno MDCXI. Prius conjugata, poſt viri obitum hoc Inſtitutum ſuſcepit, multaſque ſuas facultates, quas in America poſſidebat, legavit Monaſterio. Maria Pimentel virgo nobiliſſima, quæ ſumma integritate, & Religionis zelo quinquies Abbatiſſæ munus exercuit, vitamque plane cœleſtem in terris peregit. Pulcherrimum templum multis modis ornavit, chorumque adjunxit. Per duos ferme annos propter juſtas cauſas hic ſe collegit Eliſabetha Joanna Canonica regularis, in illa regione perquam celebris propter inſignem virtutem. Vita functa anno MDXVIII. pulchrior apparuit, mirabilique ſpecie oculos delectabat.

Mon. Arevali. *Gonz. in Prov. Concept. Mon. 6.*
Beatrix de Guevarra.
Mariana de Claromonte.
Maria Pimentel.
Eliſabetha Joanna.

XXIX. Joannes Ramirez Prior celeberrimi Monaſterii ſancti Marci Le-

Mon. Lerenæ.

Gonz. in Prov. S. Michael. Monaſt. 9.

Legionenſis, militiæ D. Jacobi, dedit hoc anno Mariæ Sanchez Salmeroni & Leonoræ Sanchez Piloſæ, aliiſque virginibus regularem vitam profeſſuris ſub Tertio Ordine ſancti Franciſci, Hoſpitale ſanctæ Catarinæ in platea ſancti Jacobi, villæ ſeu oppidi Lerenæ ad ſe & militiam ſpectantis. Donationem & Virginum collegium approbavit Nuncius Apoſtolicus, & Eccleſiam benedixit Joannes de la Vega Epiſcopus Philadelphiæ anno MDX. ultimo die Martii. Permanſerunt multis annis ſub hoc habitu, & obedientia Miniſtri Provinciæ ſancti Jacobi, donec anno MDLXXV. tranſierunt ad Inſtitutum ſanctæ Claræ, & Regulam Urbaniſtarum, eoque numero creverunt, ut ad ſexageſimum pervenirent. Mota contra illas lite de ſolvendis decimis & primitiis ex terris quas poſſidebant, feliciter cauſam evicerunt. Audit hoc Monaſterium ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ; etſi vero titulus ſit ſanctæ Mariæ de Remediis. Obiit hic nonagenaria, nobilis ſoror Joanna Chaccon, quæ prius nupta Petro Alphonſo Durante, poſt viri deceſſum, anno ætatis quinquageſimo Sororibus adnumerata, mira vixit abſtinentia & carnis maceratione, adhibita quotidie trium horarum oratione.

Joanna Chacon.

Domus Sororum Tertii Ord. Ulmeti. *Gonz. in Prov. Concept. Mon. 34.* Agnes Ferro.

XXX. Nobiliſſima fœmina Agnes Ferro, patria Aragonenſis, Reginæ Aragoniæ, genitricis ſcilicet Ferdinandi Regis Catholici, Domicella, tædio Regiæ affecta, ſtatuit vitæ reſiduum Deo ſacrare. Quare, ſpretis mundi honoribus, omnique re familiari pauperibus diſtributa, Ulmetum, Abulenſis diœceſis oppidum, ſe contulit, conſtructoque Sororum Tertii Ordinis Monaſterio, ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ de Jeſu, hoc ipſo anno idem ſuſcepit Inſtitutum ſimul cum tribus ex filio neptibus, ubi in ſumma paupertate, humilitate, & ſingulari vitæ ſanctimonia dies ſuos religioſiſſime tranſegit. Maria Rugel, admirabili erga pauperes caritate inſignis, hic obiit anno MDLXXXV. poſtquam obitus ſui diem prædixit. Joanna de Silva in juventutis flore de ſua pulchritudine vane gloriata, pœnitentiæ excita ſpiritu, vultum fœdavit, corpuſque maceravit. Multis verberibus inflictis quotidie terram ſanguine rigabat, brachia ferreis craticulis, & collum circulo ſtringebat. Ad dorſum crucem crebris clavorum aculeis aſperrimam ſuper nudam ferebat. Pane ſolo & aqua magnam anni partem tranſigebat. Hora tertia poſt mediam noctem exurgens, in oratione uſque ad prandium perſeverabat, & ab hora quinta poſt meridiem, uſque ad nonam. Pauperem unum impenſo quotidie cibo perpetuo alebat, cujus pedes ſæpe deoſculabatur. Multos autem egenos in feſtivitatibus beatæ Mariæ Virginis cibo potuque recreabat. Obiit anno MDCXVII. virtutibus illuſtris.

Maria Rugel. Joanna de Silva.

Mon. S. Pauli de Capite arenæ. *Lib. 108. fol. 166.*

XXXI. Occurrit hoc anno nuda mentio novi Monaſterii ſancti Pauli de Capite arenæ, in ſuburbiis Januen. Ordinis ſanctæ Claræ, ſexaginta & plurium Sororum capaciſſimi, de quo nihil amplius apud Gonzagam occurrit, necnon Florentini de Monte Celio, cujus ob excreſcentem numerum Sororum ampliandi facultatem Pontifex conceſſit, parte bonorum diven-dita. Monaſterium ſanctæ Claræ urbis Firmanæ Monialibus deſtitutum, Fratres Conventus ſancti Franciſci ejuſdem urbis, ſuæ Sacriſtiæ unierunt & incorporarunt virtute cujuſdam indulti Sixti IV. Id ratum habuit hoc anno Pontifex Alexander.

Mon. Montis Celli. *Lib. 119. fol. 32.* Mon. Firmanum.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Indic. ex Vatic.

„ I. SUis in anguſtiis poſita ululet ac ingemiſcat Italia, & propitia for-
„ te conſortetur, Rex vero Carolus redux in Franciam, ſibi con-
„ traria fata obſtupeat; nihilominus ea mittentes, præcipuo noſtro muneri in-

„ inſiſtemus. His in turbinibus Italiæ, Vaticanus ſuam conſervans cum
„ majeſtate auctoritatem, non pauca ſingularia pro noſtris expedivit, quæ
„ præterire, nihil referre putavi. Dicam nihilominus conſtructionem do-
„ mus conceſſam noſtris Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci in oppido
„ Sanguiaco, Lauſanenſis diœceſis: *Ex injuncto*, XIII. Kalend. Junii.
„ Conceſſis indulgentiis pro Eccleſia ſancti Patris Franciſci Granatæ; *Li-*
„ *cet is.* Idibus Julii; datum eſt Gondiſalvo Cordubenſi poſſe conſtruere
„ Monaſterinm Clariſſarum, domumque Obſervantiæ: *In ſupremæ*. Ka-
„ lendis Auguſti: fratri vero Roberto Joanni de Caſtellonis beneficium ex-
„ peditur; *Religionis zelus.* Kalend. Octobris; & v. Kalend. Novembris
„ aliud collatum eſt fratri Lucæ de Pariolis de Burgo ſancti Sepulcri; *Re-*
„ *ligionis zelus*. Auximum, vulgo *Oſmo*, Civitas Epiſcopalis Piceni in — *Ex Topog. Ferrer.*
„ Colle ſublimi, inter Maceratam, & Anconem apud ſubterfluentem Mu-
„ ſonem ſita, Fratribus de Obſervantia quinquaginta ſeptem ab hinc annis
„ ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Annunciatæ extra muros conſtruebat Cœno-
„ bium, quod tamen ob aeris intemperiem hoc anno ad amœnum collem — *Harol. ad ann. 1439. n. 18.*
„ in Orientali ſui parte & prope tranſtulit.

„ II. Epiphanium Inſubrem ſanctitate inſignem hoc anno claruiſſe
„ XVI. Kalend. Februarii enarrat Daza. Ad Monaſterium Setobricenſe
„ Nominis Jeſu, primæ ex Gandia Virgines vix anno præterito accitæ, ſua-
„ rum virtutum fragrantia ingentem numerum juvencularum alliciebant,
„ quæ omnes admitti petebant, ſed loci anguſtia rem moderari expoſtu-
„ labat: Itaque Alexander VI. per ſuum Breve expeditum hoc anno, ſub
„ v. Idus Septembris eam multitudinem ad triginta tres reſtrinxit, veta-
„ vitque in poſterum hunc numerum augeri poſſe: Placuit etiam Pontifici
„ per aliud Breve datum IV. Idus ejuſdem menſis & anni, illius Monaſterii
„ curam Fratribus de Obſervantia committere. Juſta Fundatrix ſuæ Fami- — Juſta fundatrix.
„ liæ rebus diſpoſitis, & exceptis iis, quæ jure hæreditario ad filios perti-
„ nebant, omnibus aliis bonis Monaſterio legatis, necnon publico inſtru- — *Monum. MSS. Prov. Algarbior. Vide ſupra ad annum 1495.*
„ mento obſtrictis ſuis ſucceſſoribus ad protectionem ejuſdem, inſtitutum
„ tam arduum, quod aliis deſideraverat, pro ſe ipſa elegit. Quamobrem
„ in eodem Monaſterio habitum Religionis induit, profeſſionem emiſit, ac
„ ac deinceps ſanctiſſime vivens, tamdem in pace obdormivit in Chriſto,
„ ejuſque corpus prope oſſa matris ſuæ in medio Capituli honeſtam ſepul-
„ turam accepit incerto tempore.

„ III. Ceterum ea ſacra domus partem ligni Crucis Chriſti, in argen-
„ tea Cruce auro vermiculata, quam a Catholico Rege Ferdinando pia
„ Fundatrix, cum nonnullis aliis reliquiis notabilibus habuerat, reveren-
„ ter adorat: Eam autem vere eſſe partem Crucis Chriſti, ſequenti mira-
„ culo comprobatum fuit. Jam pia Fundatrix profeſſa Monialis erat, quando
„ Rex Emanuel, quem ipſa educaverat, honoris & amoris ergo, eam in-
„ viſit: Inter autem colloquendum de rebus piis, & in ſpecie de Myſteriis
„ noſtræ Redemptionis, de Crucifixi in Cruce Jeſu pro nobis peccatoribus
„ incidit piiſſimus ſermo, qui Regem ad compatiendum Chriſto compa-
„ tienti commovit, eaque occaſione partem Crucis, quam prædiximus, pia
„ Mater pio Regi oſtendit ac obtulit, enarrans fuiſſe donum Ferdinandi
„ Magni Regis Caſtellæ: Emanuel autem non recuſans tam pretioſum &
„ adorabile munus, nec eam eodem privatam volens, quantulacunque
„ portiuncula ejus ſe fore contentum aſſeruit: Vocatus ergo Cœnobii pru-
„ dens Confeſſarius, ſtrato candido linteolo coram Virginibus & Rege,
„ cultro ſacram partem in partes genuflexus proſcidit. Rem ſupra natu-
ram

,, ram enarro, & nulli dubitandam: ad ictum cultri, ecce prodigium! gut-
,, ta ſanguinis erumpit ex ariđiſſimo ligno ſub omnium oculis, præ ſtupore
,, mirantibus, ſpiritualique gaudio collacrymantibus, firmavitque eventus
,, veritatem, videre linteolum ipſum ejus guttæ cruore reſperſum. Eru-
,, buit linteolum, erubuit Rex, ac omnium adſtantium corda in Jeſu cru-
,, cifixi pro nobis miſeris exarſere amore. Cogitet, qui legit; ac inde no-
,, verit Emanuelis pietatem, totiuſque Regni ejus devotionem.

,, IV. At proſequamur: ex ejus partis abſciſſione minutiſſima ſupere-
,, rant pretioſiſſima ramenta, quæ in argentea ampulla ſervata, quotidie
,, fere miracula promunt: impletur ſiquidem vaſculum aqua, eaque ægro-
,, tis exhibita, hi ad priſtinam ſanitatem reſtituuntur. Venerantur etiam
,, ibidem ſanctarum Urſulæ & Conſtantiæ notabilia Oſſa; Caput & duo pa-
,, riter Oſſa inſignia Prothomartyris Stephani, aliæque plures Reliquiæ
,, Sanctorum. Eſt etiam ibi Infantuli Jeſu Salvatoris mundi perpulchra
,, Imago, ob crebra miracula, miraculorum Icon appellata, quorum unum
,, hic breviter referemus. Infirmabatur ad mortem perilluſtris Eques Mar-
,, tinus *Suarez*, nulla arte humana reſtituendus: ut id novit languens,
,, eam Imaginem ſuper Altare, in quo ejus Sacellanus quotidie coram ſe
,, decumbente ſacra faciebat, locatam, ſibi afferri petiit, ut eam devotiſſi-
,, me amplexatam, ſecum haberet in ſtrato ſuorum malorum ſupremum re-
,, medium: Exequuturus mandata Sacellanus, præſto erat, & Icon extem-
,, plo exiliens, calceolum dextri pedis jecit in altum, ejus digitis in linteo-
,, lo ſacro (Corporale vocant) remanentibus involutis: ad rem ſupra natu-
,, ram obſtupuere aſtantes, ægrotus repente ſanus effectus eſt non tantum,
,, cum etiam fœcunditatis gratiam obtinuerit, genuit enim, cum antea
,, nullam prolem haberet. Reverenter etiam ſacræ Syndonis Jeſu Chriſti
,, copia illius, quam Sabaudiæ Duces habent, ibidem veneratur, quæ fe-
,, ria quinta Indulgentiarum innumero confluenti populo oſtenditur: unde
,, vel a quo eam habuerint, ignoratur vel reticetur; in Archivio domus
,, plura ſervantur authentica documenta, & præſertim Clementis VIII.
,, bulla, qua Confratribus Dominæ noſtræ de Amparo plenarie venia con-
,, ceditur. At, quod plurimi faciendum arbitramur, perplures Virgines
,, in ea domo ſancte floruere, quarum glorioſa fama, licet ſingularum pro-
,, pria tempora neglexerit, adhuc perdurat, & nomina tenet, quæ ſunt,
,, Maria de Monte Sion, Magdalena Torrella, Meſſia de Columna, Ca-
,, tarina a ſancto Michaele, Maria de Jeſu, Blana ex Inſula, Franciſca de
,, ſancta Anna, Agnes de ſancto Franciſco, Hieronyma de Jeſu, Marianna
,, de Sacramento, Bernardina de Jeſu, Joanna ab Aſſumptione, Clemen-
,, tia Baptiſta, Maria de Columna, & Paula de Bethlehem: hæ omnes in-
,, ter alias zelo ſuæ profeſſionis accenſæ, humiles, piæ, patientes, in pau-
,, pertate Domino famulantes, meritorum fructibus cumulatæ, poſt præ-
,, ſentem & momentaneam vitam, ad æternam Angelorum menſam admiſ-
,, ſæ pie creduntur.

Imago Salvatoris miraculoſa.

Plures Virgines ſanctitate claræ.

,, V. Ad præfatum Monaſterium (mirabile narro) hoſpitium conſtru-
,, ctum pro Fratribus deputatis ad ſpiritualia miniſteria pro Sororibus fama
,, dignum perenni reperitur, cui aliquando Pater frater Emanuel de Serpa,
,, pluries olim Conventus ſancti Patris Franciſci de *Xabregas* æditũus, &
,, ſuæ Regulæ obſervantiſſimus, præſidebat, quando vice quadam nedum
,, in hoſpitio, ſed etiam in Monaſterio, infeſtiſſimorum vermium nigrorum
,, ac terrium, quos Luſitani *Carochas* & *Baratas* appellant, innumerabilis
,, multitudo apparuit: pavimento, tecto & parietibus cunctis hærentes,
hor-

Caſus mirabilis.

„ horridi, importuni ac edaces, omne comeſtibile depaſcebant; & etiam
„ Virgines, maxime ſopore in lecto correptas, acutis morſibus lancinabant, nec ſe defendendi artem, quantumcumque, adinveniebant. Hæc
„ recogitans pius Emanuel, remedium e cœlo præſtolabatur, votum vovens pro ſe & ſuis in eo munere ſucceſſoribus Divi Benedicti quotidie in
„ Officio diurno devotam commemorationem habendi; quod votum etiam
„ Moniales pro ſe ratum habuere: res mira! Emiſſo voto, repente vermes
„ diſparuere, plagaque ceſſavit; at Emanueli ſucceſſit alius, qui ſui prædeceſſoris votum adimplere negligebat; & ecce, illico cellam ſuam prædictis vermibus plenam intuitus eſt; ea tribulatione edoctus, devotior factus, votum confirmavit, & vermes iterum ſubito diſparuere; hinc univerſa Algarbiorum Provincia Divo Benedicto devota, poſt prandium
„ idem votum perſolvit.

ARGUMENTUM.

Moritur Dominicus a Leoneſſa. Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus Cleri ſui reformationem proſequitur, multiſque modis laborantem ſublevat gentem Hiſpanam. Michael Aquenſis utilem fundat Genuæ ſocietatem. Facultates peculiaribus Fratribus conceſſas Pontifex annullat. Præſcribit modum regendi Fratres Burgundiæ. Præcipuæ Germaniæ Univerſitates ſtatuunt defendere Virginem Mariam a peccato originali. Dilatatur Inſtitutum.

I. Deceſſit hoc anno vir inſignis Dominicus a Leoneſſa, ad Sanſeverini nobile Piceni oppidum, inter colles Apennino finitimos ex antiquæ urbis Septempedæ ruinis ædificatum, natus, cognomen ſortitus a Leoneſſa, regni Neapolitani pago, in quo, translata familia, pueritiæ & virtutis prima jecit initia. Ad ignita verba beati Nicolai Auximani prædicantis, corde compunctus, ſeculo valedixit, & Minorum ſubivit Inſtitutum. Hic litteris excultus, orationi ſemper intentus, perpetuo ſtudio carnem ſpiritus legi ſubjecit; ſingulis noctibus flagris multis in ſe animadvertebat; diebus Veneris panem dumtaxat admittebat & aquam; humi frequenter cubabat, vel genuflexus ſomnum eludebat. Magno fervore & fructu ubique Dei verbum diſſeminabat; ejuſque prædicationi acceptos fert Sodalitium viros optimos, fratres Julianum, & Venantium Fabriano oriundos. Eo in oppido ſermones habebat ad populum anno MCCCCLXVI. & prædixit ante biennium illic peſtem graſſaturam vehementer, ſed in tanta neceſſitate ſe non defuturum. Secuta eſt, quam prænunciavit, peſſima lues, & ille juxta fidem datam cum ſocio acceſſit, omnibus omnia exhibiturus obſequia, nec receſſit niſi contagione deleta.

Moritur Dominicus a Leoneſſa. *Marian. de vir. illuſtr. Marc. lib. 7. c. 11. Cimarel. lib. 7. c. 37.*

II. Interrogatus a Conſodale adoleſcentulo, quid ſibi in Religione agendum, ut Deo perfectius inſerviret? reſpondit: *Obedito ſimpliciter, ora ferventer, ſtude diligenter; eo tamen ordine, ut propter obedientiam, ſi oportuerit, orationem & ſtudium dimittas, & propter orationem ſtudio valedicas.* In Cœnobio ſancti Bernardini Urbinate tiro quidam vehementer agitatus a malo genio, ut ad ſeculum rediret, fruſtra laborante magiſtro ut tentationes pelleret, & in ſancta vocatione perſeveraret, ad Virum hunc ſenecta venerandum, ibidem commorantem ductus, mentis vulnus aperuit. Collacrymatus ſenex laboranti juvenculo, dixit: Tentationes in primo limi-

Salutaria ejus reſponſa.

mine facile fugari; ulterius progreſſas, difficile; intima pervadentes, & quaſi radicitus infixas, vel impoſſibile, vel non ſine ſupremo labore: *Non ergo*, inquit, *fili mi, illas admictas, ſed ad primum appulſum profligato: ſic feliciter de Satana triumphabis. Servi Dei dum tentantur, gratias Deo reddere debent, quia in hac tribulatione poſiti, & undique afflicti, a peccatorum illecebris ad illicita non pertrahuntur. Tu vero novus miles ad hæc moleſta certamina, & callidas hoſtis inſidias ne paveas: hæ illius artes ſunt & frequentes, ut pareant, qui animabus curandis ad clauſtra recedunt. Has ego ipſe in tirocinio probavi valde moleſtas, tribuſque modis per Dei adiutorium eluſi: primo religioſo aliquo corporis exercitio conabar avertere mentem ab hujuſmodi ſuggeſtionibus: ſecundo ſtatim cuncta deferebam ad præceptorem & confeſſarium, qui tamquam ex altiori ſpecula explorabant & detegebant verſuti hoſtis inſidias: tertio corpus edomabam jejuniis, flagris, vigiliis; & qua poteram orationis inſtantia precabar Deum, ut in meum intenderet adjutorium. Fac ſimiliter fili mi, & convoca in auxilium tuum Religioſos Patres, qui pro te orent, ego meas qualeſcumque preces adjungam, & Dominus procul a te faciat iſtam tentationem*. Dixit, oravit, novitius Mooachus hoſtem devicit.

Ejus in regimine prudentia.

III. Illius prudentia, bonitate & diſciplina allecti Patres provinciæ Marchiæ Anconitanæ, eum volebant perpetuum habere Præfectum. Cum id ex Inſtituti legibus & conſuetudine non liceret, communibus ſuffragiis ſepties crearunt Miniſtrum Provincialem. Io diuturoo & toties repetito regimine, plurima eluxit ſapientia: bonos ad potiora propoſitis præmiis excitabat, malos negatis, quos ambiebant, honoribus confundebat, & indulgenti ſupplicio a vitiis revocabat, quos duriori timebat flecti non poſſe, ſed frangi. Ultima correptus infirmitate, in poſtrema præfectura, dum Cœnobia luſtraret, miſit Dux Urbinas aulicos & ſervos, qui in urbem ducerent, ne alibi moreretur, & pati contigeret hominis jacturam, quem vivum venerabatur, & mortuum noverat futurum urbis ſpleodori. Tanto turbatus comitatu, humiliatus eſt nimis, & ſpiritu cootribulato exclamavit: *Ut quid paupercufo fratri ducendo copioſus hic equitatus, qui Pontifici ſummo honorificando ſufficeret? Permittite miſellum humilius abduci, vel neglectum ubi contigerit, ſpiritum emittere: per univerſam vitam vilius haberi cupivi, nunc dum in terram propendo, vultis in altum ferre, & auræ vanitatis exponere. Ite præ, ſequar, & optimi Principis minori tumultu votis ſatisfaciam.*

Parat ſe morti propinquæ.

IV. Urbini honorifice exceptus a Principe, morti ſubeundæ Chriſtiano ſtudio ſe præparavit, nec deſuerunt cœleſtia ſubſidia, accurrentibus Angelis, & ſe monſtrante Virgine Maria. Familiarem habuit, & ſecretorum conſcium fratrem Nicolaum Gallum, virum probum & doctum, diſertiſſimum concionatorem, arcanorum cœleſtium etiam dignum repoſitorium. Percuſſerant inter ſe fœdus ſaoctum, polliciti utrinque Divioas revelationes patefacere. Acceſſit Nicolaus a prandio die Veneris ad cubiculum decumbentis; vidit per oſtii rimulas erumpentes radios inſoliti ſplendoris; hæſit, expectavit parumper, deinde prorumpens in cellam repente, lux illa prorſus evanuit. Divinum qnid ſuſpicatus, promiſſionis & fœderis accuſavit, compulitque ut enarraret, ſibi apparuiſſe divam Virginem, aogelicis choris effulgentem. Paulo ante mortem idem Nicolaus, intuitus quamplures homines præ foribus cubiculi confuſo ſermone, & impatienti motu ſuſurrantes, interrogavit quid vellent? Aliunde coacti, dixerunt: *Nos dæmones ſumus, qui expectamus, ut ab hac cella recedat Virgo Maria, noſtras partes acturi*

acturi cum Dominico languente. Abegit ille, qua polluit auctoritate, malos genios, & præparatas ſibi inſidias narravit amico. Hinc ille ratus mortem non longe abeſſe, juſſit ne amplius quiſpiam præter Nicolaum, & Cœnobii Præfectum, ad ipſum accederet, animæ ſuæ cauſam cum Chriſto & ipſis acturus. Devota & ſerena mente, præmiſſis Chriſtiani hominis officiis, proximo ſequenti die Veneris, Aprilis xx. piam animam ſuo reddidit Creatori.

V. Exanime corpus mire ſtatim reſplenduit, pulchrius & tractabilius, importunæ populi venerationi in Eccleſia per biduum oportuit dimitti. Sepultum tamdem, jubente Principe Guidobaldo, ad ſanctæ Claræ Parthenonem, in quo aliquando confeſſarii munus obivit, prope Altare præcipuum ſub illa crate, per quam Sanctimoniales ſacram communionem accipiunt, ubi multis effulſit miraculis. Ex roſtris, & familiari colloquio hæc verba ſolebat inculcare: *Unam accepiſti animam, hanc cura diligenter: iſtam ſi perdas, alteram non licet ſubſtituere*. Qui ejus vitam ſcribunt, *Speculum vocant perfectionis, Italiæ tubam, fulcrum provinciæ Picenæ*.

VI. Frater Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, ampliſſimæ ſibi commiſſæ diœceſis reformationi totus intentus, poſtquam multas magnaſque difficultates circa Regularium reſtaurandam diſciplinam incredibili quadam conſtantia ſuperavit, ad Cleri correctionem ſe convertit. Sentiens autem ſibi non ſemel atque iterum colluctandum eſſe cum multis, qui ei prætextu Pontificalium litterarum aut diplomatum, atque etiam Apoſtolici palatii officiorum, aut præfecturarum, quotidie graves & moleſti futuri eſſent, ſeſe ab ejus foro eximentes, atque ad Pontificem Maximum cauſas ſuas pertinere proclamantes: ne qua ergo hinc vivendi licentia in diœceſi ſua emergeret, quam omnium virtutum generibus exornatam & illuſtratam cupiebat, ab Alexandro VI. adverſus iſtorum immunitates ſumma Pontificis conſenſione, qui ſanctiſſimis Ximenii conatibus prorſus eſſe annuendum judicavit, breves litteras hujuſmodi obtinuit.

Gomez. lib. 3. de reb. geſtis Ximenii.

Ximenius Clerū reformat.

Venerabili fratri Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano.

VII. C*Um ſicut nobis nuper exponi feciſti, in tuis Civitate & diœceſi Toletana complures perſonæ Eccleſiaſticæ fore noſcantur, quæ pro eo quod noſtri, & Apoſtolicæ Sedis officiales exiſtant, tuam ordinariam jurisdictionem eludant, & videntes ſe non poſſe a te corrigi, multa enormia committere non verentur, quæ nullatenus auderent, ſi a tua juriſdictione ſe exemptos eſſe non cognoſcerent: Nos volentes deſuper providere, Fraternitati tuæ, de qua in his & in aliis ſpecialem in Domino fiduciam habemus, contra tales perſonas ſub prætextu hujuſmodi exemptionum, juriſdictionem tuam ordinariam effugere volentes, auctoritate noſtra procedendi, & illos juris remediis compeſcendi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria quomodolibet & opportuna faciendi, gerendi & exequendi, quæ facere poſſes, ſi officiales noſtri & dictæ Sedis non eſſent, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem: non obſtantibus præmiſſis, atque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* xxiii. *Junii* mccccxcvii.

VIII. Has cum ille gratas ſuſcepiſſet, partim earum auctoritate, partim Regii favoris auxilio, quod ſibi benigne, quoties opus erat, dabatur, ita in omni diſciplina & ſanctitate diœceſim ſuam continebat, ut homines

denuo renati viderentur, & bellum omnibus vitiis indictum, priſcamque illam ſeveritatem rediiſſe, quæ probum vindicem adepta, animos hominum ad virtutem natos, etſi arduo & difficili negotio, tamdem veluti poſtliminii jure in ſuam poſſeſſionem repoſuerit.

Invitus aulam frequentabat.

IX. Erat porro id temporis Ximenius ſic animatus, ut in Palatina verſari aula, regiumve comitatum ſectari, e re ſua eſſe non arbitraretur, niſi maximum atque evidentiſſimum operæ pretium ſperari poſſet. Quare ſi quando ad Reges ibat, protinus omnes id non ſine magna reipublicæ utilitate fieri dicebant. Certe nihilo minorem publicæ adminiſtrationis curam gerebat, quam muneris Pontificii: omnia enim diligentiſſime circumſpiciebat ac perluſtrabat, & quidquid in aulicis officiis, civilibus muneribus, juriſdicendi præfecturis, publicæ pecuniæ exactionibus, in univerſa denique Reipublicæ tractatione dignum emendatione videbatur, ad Reginam extemplo referebat. Inter multa vero, quæ ab ipſo utiliter, atque e Reipublicæ commodo curata hoc tempore, atque confecta ſunt, unum iſtud commemoratur, quod ut perpetuam populis peperit felicitatem, ita perpetua laude tribuendum illi eſt magnæ virtutis teſtimonium.

Graves populi preſſuras curat moderari.

X. Vexabantur miſeri populares per univerſam Reginæ Catholicæ ditionem duriſſima vectigalis exactione, Hiſpanis *alcavala*, decimæ ſcilicet partis rerum omnium, quæ venduntur aut permutantur. Hoc tributi genus ante annorum centuriam ad tempus, & veluti precario impoſitum, ut eſſet unde Rex contra Mauros tunc bellum gerere poſſet, poſteriorum temporum patientia perpetuavit. Hoc vectigal multo fiebat gravius & iniquius magna publicanorum acerbitate atque avaritia, & innumeris præterea litibus & calumniis ob merces omnino non profeſſas, vel minoris profeſſas, quam diſtractæ eſſent: adeo ut populis omnibus, non uno alioqui onere preſſis, tam impudens expilatio intolerabilis prorſus videretur. Jam vero quibus aliquid pecuniæ ex vectigali vel perpetua vel temporaria aſſignatione, vel ſtipendii ſalariive nomine, aut alia de cauſa auctoritate Regia attributum erat, vix id multo poſt tempore, & ſumma, quæ debebatur acciſa, recipiebant, uſque adeo nihil a publicanis, decumaniſque ſine quæſtu & munere privatim annumerabatur. Horum autem rapacitati cum variis promulgatis legibus occurri tentatum eſſet, reprimi quidem in præſens, numquam tamen omnino comprimi poſſe videbatur. Quin ex ipſis nonnumquam legibus atque ſanctionibus graviora, ut fieri ſolet, ſuboriebantur incommoda. Nam cum ad vitandas quotidianas lites de mercium pretiis diſceptantium, lata lex eſſet, ut juratis venditoribus crederetur: tanta paulo poſt deprehenſa eſt perjuriorum, quæ verbis conceptis apud judices dabantur, frequentia, ut nihil jam vulgo vilius eſſet quam jurisjurandi Religio, nilve magis uſurpatum, quam ipſius violatio. Fovebat vero publicanorum avaritiam ingens potiſſimum potentium, generoſiſſimorumque aulicorum numerus: qui partim vectigalibus illis locandis atque exercendis, partim illorum rationibus ſubducendis, conferendis conficendiſque, lucu-lentiſſimo ſalario præpoſiti, damno publico ditabantur.

XI. Tanti igitur mali a Republica evertendi curam ſuſcipiens Ximenius, adhibito in conſilium Joanne Lupo Cantabro, argentariæ coactionis callentiſſimo, rationem excogitavit, per quam ejuſmodi vectigalia ſine ulla diminutione ad Fiſcum pervenirent: & quæ ex eis conceſſa eſſet pecunia, in privatorum hominum uſus cum fide, & in tempore perſolveretur. Igitur Regia auctoritate ſancitum eſt, ut univerſa annuæ pecuniæ ſumma (quanta videlicet id temporis ex decumanorum redemptione in Fiſcum recipie-

ba-

batur) Civitatibus , municipiis , oppidis , pro cujuſque frequentiæ , opulentiæ , & negotiationis modo , diſtributa imperaretur , quæ per ſuos cujuſque populi coactores , a ſingulis negotiatoribus , opificibus , venalitiis , propolis cogeretur , & Regiis quæſtoribus , aut ex horum aſſignationibus privatis hominibus prompte numeraretur . Extraordinariis autem decimis , quæ vel externarum mercium nomine , vel ex venditionibus civium , qui mercaturam non exercerent , Fiſco deberentur, redemptioni civium relictæ ſunt . Ita ingenti populorum conſenſu atque plauſu , publicam temporum felicitatem gratulantium , tota illa decumanorum , redemptorum, mancipum pulſa colluvie , quies publica , & velut libertas parta eſt : & univerſorum illud perjuriorum , vexationum, deceptionumque ſeminarium e reipublicæ viſceribus ſtirpitus evulſum eſt atque deletum . Hactenus perſeverat hic cogendorum ejuſmodi vectigalium mos (quem vulgus *encabezamentum* appellat) adaucta tamen pro temporum ratione ſumma , qui nullo unquam tempore ſine magno reipublicæ malo mutabitur. Hoc quamvis multo poſt a Ximenio fuerit conſtitutum , quando ſcilicet ſub extremum vitæ curriculum Regnorum gubernationi præfuit , ut ex litteris ipſius ad Carolum Regem apud Belgas agentem ſatis conſtat , videtur tamen multa ante de hac re pertractaſſe cum Iſabella Regina : nam ejus teſtamento , ut primo quoque tempore fieret , juſſum eſt .

XII. Michael de Aquis , de quo alias ſæpe locuti ſumus , in urbe Januenſi ſocietatem beatæ Mariæ de Pietate , & Confraternitatem utriuſque ſexus fidelium clericorum , Religioſorum & laicorum pro conſervatione dictæ ſocietatis laudabiliter pro ſubventione pauperum inſtitutæ , aſſiduis ſuis prædicationibus , ad modum videlicet Montis Pietatis , inſtituit . Hoc anno Pontifex multas gratias & privilegia ſociis & Confratribus conceſſit : *Intenta ſemper* . III. Kalend. Maii . „ Fr. Franciſcus a Capranica , in „ Eccleſia Cathedrali Fulginate , Epiſcopo Luca Cybo , inſtituit Confra„ ternitatem ſanctiſſimi Sacramenti , & anno ſequenti in eadem Eccleſia „ frater Bernardinus de Leonardo Fulginas Societatem alteram ſanctiſſi„ mi Nominis Jeſu , & de juramento . Fuit hic Vicarius provinciæ ſan„ cti Franciſci , & in Germania Commiſſarius .

Tomo 14. anno 1480. n. 13. Michael de Aquis ſocietatem Pietatis Genuæ inſtituit .

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi. *Jacobil. de Epiſcop. Fulgin.* Fr. Franciſcus a Capranica . Fr. Bernard. de Leonard.

XIII. Erat a ſecretis Alexandro Pontifici Bartholomæus Floridus , Archiepiſcopus Cuſentinus , qui ita inſide in ſuo munere , & indigne erga Pontificem ſe geſſit , ut ab officio & dignitate fuerit deturbandus . Hic liberaliter nimis , acceptiſque munuſculis , multa pleriſque Fratribus privilegia & facultates conceſſit , quæ Regulari Obſervantiæ nimis erant pernicioſæ . Omnia revocata voluit Alexander , niſi Superiorum Ordinis accederet aſſenſus .

Pontifex privilegia multa pleriſque Minoritis conceſſa revocat

Dilectis filiis Generali Ciſmontano , & Ultramontano Vicariis Ordinis Fratrum Minorum , de Obſervantia nuncupatorum .

Nuper nobis humiliter ſupplicari feciſtis , quod , cum plerique Fratres veſtræ curæ ſubjecti , gratiis , facultatibus , ac litteris per nos eis conceſſis abuti , aut in ſcandalum , & veſtri Ordinis præjudicium uti ſoleant , dignaremur paterna pietate huic rei occurrere . Nos igitur qui in effectu boni operis , gratias , facultates , ac litteras concedere ſolemus , quique tranquillitatem & pacem in dicto Ordine mittere intendimus , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati , harum ſerie decernimus , & ordinamus illis , quibus præfatæ gratiæ , facultates , ac litteræ hactenus in forma Brevis dumtaxat

Specul. Minor. tract. 1. fol. 18.

conceſſis, & per iniquitatis filium Bartholomæum Floridum, olim Archiepiſcopum Cuſentinum, & ſecretarium noſtrum ſubſcriptæ fuerint, ita demum gratias, facultates, & litteras prædictas ſuffragari poſſe, & debere, ſi ad id ſuorum Superiorum Generalium, vel provincialium Vicariorum pro tempore exiſtentium accedat aſſenſus, & non alias in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in illis adjecta foret. Et nihilominus vobis, & cuilibet veſtrum vel a vobis reſpective deputato mandamus, quatenus omnes & ſingulos Fratres dicti Ordinis, & familiæ de Obſervantia, quos prætextu gratiarum, facultatum, ac litterarum hujuſmodi ſic in forma Brevis expeditarum, abſque ſuorum ſuperiorum ſpeciali licentia in ſcriptis, more Religionis obtenta, inveneritis extra domos, loca, ſeu familiam veſtram de præfata Obſervantia reſidere & morari, ad redeundum illico ad dictam veſtram familiam, & loca veſtra ſeu domos veſtras, quando id expediens & utile vobis apparuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compellatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, litteris & indultis, in genere vel in ſpecie locis vel perſonis quibuslibet per nos conceſſis, etiam ſi talia eſſent, quod de eis, eorumque totis tenoribus præſentibus habenda eſſet expreſſa vel ſpecifica, ac de verbo ad verbum mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. *Decembris* MCCCCXCVII. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Præſcribitur Burgundiæ ſuperioribus modus agendi cum Obſervantibus.

XIV. In Provincia ſancti Bonaventuræ Vicarius provincialis, & Fratres reformati vivebant ſub omnimoda poteſtate Miniſtri Generalis & Provincialis, & ab eis ſæpe transferebantur ad domos non reformatas. Reformationis promovendæ cupidus Pontifex, Miniſtrorum auctoritatem coercuit, limiteſque exercendæ circa Reformatos poteſtatis præſcripſit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex lib. 142. fol. 66.

Super gregem &c. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii provincialis & Fratrum Ordinis Minorum, reformatorum nuncupatorum, provinciæ ſancti Bonaventuræ, juxta morem dicti Ordinis, ſub Generalis, & dictæ provinciæ Provincialis Miniſtrorum, pro tempore exiſtentium, obedientia degentium petitio continebat, quod dictus Miniſter provincialis Fratribus domorum reformatarum dictæ provinciæ, qui etiam pro tempore Regularia dicti Ordinis inſtituta obſervare nolunt, aut ſuorum exceſſuum correctionem evitare cupiunt, ad alias domos dicti Ordinis non reformatas ſe transferendi licentiam perſæpe concedit, & niſi ſuper hoc opportune provideretur, profecto ipſæ domus reformatæ grave diſpendium paterentur, & reformatio hujuſmodi debito effectu privaretur. Quare pro parte Vicorii & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quod deinceps perpetuis futuris temporibus, tam dictus provincialis Miniſter, quam alii dicto Generali Miniſtro inferiores, quacumque auctoritate fungentur, etiamſi ipſius Generalis Miniſtri Vicarii exiſtant, nullum ex Fratribus reformatis dictæ provinciæ ab obedientia, ſubjectione & correctione illius Vicarii provincialis provinciæ ejuſdem pro tempore exiſtentis, liberare aut quovis quæſito colore ſubtrahere, nec ipſi ſic pro tempore liberati, quacumque eis ſuper hoc conceſſa licentia uti poſſint, ſtatuere & ordinare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Vicarium & Fratres & eorum ſingulos a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſen-

ten-

tentiis, cenſuris & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus tam dictus provincialis Miniſter, quam alii dicto Generali Miniſtro inferiores, quacumque auctoritate fungentur, etiamſi ipſius Generalis Miniſtri Vicarii exiſtant, nullum ex Fratribus reformatis dictæ provinciæ, ab obedientia, ſubjectione & correctione Vicarii pro tempore exiſtentis hujuſmodi liberare, aut quovis quæſito colore ſubtrahere, nec ipſi ſic pro tempore liberati, quacumque eis ſuper hoc conceſſa licentia uti, ſub excommunicationis pœna, quam tam concedentes, quam illi, quibus licentia hujuſmodi conceditur, eo ipſo incurrant, præſumant nec poſſint; ipſique Fratres reformati niſi duo, tres, aut quatuor ex eis, qui electiones, aut tabulam officiariorum ſuorum Conventuum, ſeu domorum in provincialibus Capitulis dictæ provinciæ pro tempore celebrandis, approbandis & corrigendis, prout opportunum fuerit, præſentare, ipſiuſque Capituli ordinationes diſcretis domorum ſeu Conventuum Fratribus etiam pro tempore exiſtentibus referre debeant, in provincialibus Capitulis hujuſmodi convenire minimè teneantur, nec ad accedendum ad ea inviti cogi poſſint, & quæcumque Eccleſiaſticæ cenſuræ in eos, & eorum ſingulos, præmiſſorum occaſione, pro tempore, quavis auctoritate promulgatæ, nullæ ſint: prædictos Fratres reformatos in aliqua ex eorum domibus hujuſmodi capitulariter annuatim congregare, & ſuper bonum regimen, & regularem Obſervantiam, & alia eis neceſſaria concernentibus tractare, & de officiariis, & aliis eiſdem domibus reformatis neceſſariis diſponere & providere, ac dubia circa rubricas, officium Divinum tangentia pro tempore exorta, pro bono & uniformitate eorum domorum ſeu Conventuum prædictorum declarare; quodque dictus Miniſter provincialis ipſum Vicarium pro tempore exiſtentem, niſi rationabili cauſa ſubſiſtente, ab officio Vicariatus hujuſmodi deponere ſeu amovere nequeat, ſed Vicarium provincialem per eoſdem Fratres annuatim eligendum confirmare debeat: ita tamen quod in aliis, dicti Fratres ei ſolitam & debitam obedientiam præſtare teneantur: necnon quod omnes & ſinguli Fratres reformati ipſius provinciæ tam in domibus ejuſdem provinciæ, & quibuſvis eremitoriis, quam alibi ubicumque, etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum pro tempore degentes, eidem Vicario ſubjici; ac ſub ejus viſitatione, correctione & obedientia eſſe; ipſeque Vicarius, quando ſibi videatur, eos ad domos reformatas hujuſmodi revocare, & a dictis eremitoriis amovere, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo, ac innovato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, libere & licite valeat. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. *Idibus Septembris, Pontificatus noſtri anno* VI.

XV. In religioſo, ſolitarioque Cœnobio ſanctæ Catarinæ in Monte ad III. M. P. ab urbe Murciana ſepulta eſt hoc anno pia fœmina Joanna Ruiz, cujus Epitaphium, quod hic exſcribo, palam oſtendet, ei in noſtris Annalibus ſaltem propter religioſam prolem, breviuſculam hanc deberi memoriam. Ita habet. Joanna Ruiz Murcienſis.

Hic jacet Dom. Joanna Ruiz, uxor nobilis herois Petri de Soto, genitrix trium Sacerdotum Religionis S. Franciſci, qui omnes fuerunt hujus Cœnobii Guardiani. Obiit XX. *die Junii, anno* MCCCCXCVII.

XVI.

Pariſienſes Conceptionem Virginis Mariæ volunt diei immaculatam.

XVI. Occaſione ſcandali exorti in oppido Dippæ, Rothomagenſis diœceſis, propter prædicationem Joannis Veri aſſerentis beatam Virginem Mariam in peccato originali fuiſſe conceptam, Univerſitas Pariſienſis, poſtquam illum ad palinodiam obligavit, & juramento obſtrinxit, quod numquam aliter de Conceptione beatæ Mariæ ſentiret, crederet aut prædicaret, quam præſata Univerſitas determinavit: *Die ſequenti* (verba exſcribo Trithemii) *Septembris* XVII. *congregati ſunt apud ſanctum Mauritium in Civitate Pariſienſi* 82. *ſacræ Theologiæ profeſſores viri doctiſſimi, & omnes in eadem Univerſitate de rigore promoti: in præſentia totius Univerſitatis uno ore, unaque ſententia ſtatuerunt & determinarunt, quod nemo deinceps præfatæ Univerſitati aſcribatur, ſe niſi hujus determinationis, quod videlicet, beatiſſima Dei Genitrix Maria Virgo ſemper ab originali macula fuerit immunis, & præſervata, aſſertorem, ſtrenuumque propugnatorem pro viribus futurum, confirmet juramento. Ipſi etiam omnes ante juraverunt, ſicut in ſtatuto continetur, ſe omni tempore huic veritati puriſſimæ Conceptionis Marianæ firmiter adhæſuros. Mirum nobis videtur, quod tantis viribus ſe nonnulli opponere audent. Horum exemplo provocati ſacræ Theologiæ Profeſſores almæ Univerſitatis Colonienſis, ſimile ſtatutum fecerunt anno Trithemii Abbatis* XVI. *ut infra dicemus. Moguntinæ quoque Univerſitatis Doctores anno Joannis Trithemii* XVIII. *ſimile pro defenſione puriſſimæ Conceptionis decretum fecerunt*. Hucuſque Trithemius, & quidem harum Academiarum exemplo, omnes Hiſpaniæ Univerſitates, & aliquot Italiæ hoc ipſum decretum ediderunt, & juramento munierunt.

Statutum de hac re Pariſienſe.

Colonienſe. Moguntinum.

Fr. Alphon. Epiſcop. Beryten.

XVII. Unicum invenio hujus anni Epiſcopum, fratrem Alphonſum de Caſtilla, virum nobilem, uti ipſum memorat diploma Apoſtolicum, aſſumptum ad Eccleſiam Beryten, vulgo *Baruto* in Phœnicia, ſub Patriarcha Antiocheno, & Archiepiſcopo Tyri, per obitum Didaci vacantem, pridie Idus Julii. Floruit hoc tempore frater Bernardinus Siculus, qui Italico metro diffuſe translationem corporis, & miracula cecinit ſancti Januarii Epiſcopi Beneventani, & urbis Neapolitanæ patroni. Multa refert, quæ alii Scriptores omiſerunt, & plerique ex illo recentiores vitæ ſancti Januarii auctores acceperunt. Vidi opus MSS. penes Bartholomæum Chioccarellum, ſolertem rerum Neapolitanarum indagatorem, qui nuper ſeriem & hiſtoriam edidit prædictæ urbis Antiſtitum.

Fr. Bernardinus Siculus.

Conv. Pellegrini. *Rodulph. libr. 2. fol. 268.*

XVIII. Cœnobii Pellegrini Patrum Conventualium provinciæ Bononienſis, & Cuſtodiæ Parmenſis hæc dumtaxat iſto anno occurrit memoria, capellam ſcilicet majorem fundatam fuiſſe per Julianum Cornazanum hoc anno Indictione XV. die XI. menſis Auguſti, donatis inſuper duodecim ſtaris frumenti. Mentionem invenio in regeſto Vaticano conceſſæ indulgentiæ viſitantibus Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Angelis oppidi Caſſani in Apulia, Fratrum Regularis Obſervantiæ, in die Aſſumptionis ejuſdem. Domum conſtructam ſub Paulo II. aſſerit Gonzaga per Julium Antonium Urſinum Atrienſium Ducem, & Caſſani Dominum, concurrentibus etiam ad ſumptus oppidanis. Tironibus inſtruendis opportune hæc domus inſervit. Obiit hoc in loco beatus Joannes de Parma laicus, ſui ſtatus zelantiſſimus, qui multa prævidit & prædixit. In eadem regione Apuliæ, & urbe Neritonis hoc ipſo anno die VI. Martii Pontificem civibus licentiam impertiiſſe, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua, Cœnobium Minoritis Obſervantibus ædificandi, aſſerit Gonzaga. Verum eſt, cives hoc anno Cœnobium inchoaſſe, & non niſi anno ſequenti die præſignato a Pontifice facultatem impetraſſe illud Obſervantibus tradendi, ſub regimine Vicarii provinciæ Apu-

Conv. Caſſani.

Gonza. in Prov. S. Nicol. Conv. 22.

Conv. Neritonis. *Indid. Conv. 20. Lib. 156. fol. 208*

Apuliæ. Brevi quidem opus perfecerunt cives, eaque amplitudine, ut capax ſit ſtudii Philoſophici & Theologici. Alteram etiam licentiam oppidanis loci Maximæ, Tarentinæ diœceſis etiam in Apulia, ut eiſdem Fratribus domum ſub apellatione beatæ Mariæ fabricarent, refert regiſtrum Vaticanum: ſed hujus loci veſtigium non reperio inter Cœnobiorum noſtrorum catalogos, aut Scriptores. *Conv. Maxima. Lib. 138. fol. 75.*

XIX. Nobili viro Gondiſalvo Fernandez a Corduba, exercitus Ferdinandi Regis Catholici in partibus Italiæ Imperatori, ob res præclare fortiterque geſtas *Magni Ducis* nomen poſtea ſortito, & Mariæ Manrique ejus conjugi, licentiam dedit hoc anno Kal. Auguſti Alexander Pontifex Cœnobium unum Fratrum Regularis Obſervantiæ, & Monaſterium alterum Clariſſarum in locis accommodis & opportunis ædificandi. An vero, vel ubi ædificaverint, mihi incompertum. Conjicio Gondiſalvum rebus militaribus, regnoque Neapolitano in poteſtatem Ferdinandi reducendo totum intentum, ad hujuſmodi pietatis opera non potuiſſe attendere. Impetraſſe autem multas indulgentias pro Conventu ſancti Franciſci arcis Granatenſis (ad quem, uti refert bulla, Gondiſalvus ſingularem gerebat devotionis affectum) & pro viſitantibus Eccleſiam in diebus ſanctorum Franciſci, Antonii a Padua, Bernardini Senenſis, & Claræ Virginis, mihi conſtat ex hujus anni diplomate Pontificio. Conventum hunc ante biennium diximus a Regibus Catholicis conſtructum. *Lib. 133. fol. 185.* *Lib. 136 fol. 174.* Conv. Granaten. Alhambra.

XX. Diximus alias Conventum oppidi Cervariæ, Vicenſis diœceſis in Catalonia, ſub Jacobo I. Aragonum Rege anno MCCXLV. conſtructum, & ſub Joanne II. circa annum MCCCCLX. deſtructum. Hoc anno filius ejus Ferdinandus Rex Catholicus licentiam petiit, ut reædificaretur ab oppidanis, pie, ſed falſo opinantibus a ſancto Franciſco conſtructum fuiſſe, & ab eo jactum lapidem primarium. Annuit Pontifex datis litteris incipientibus: *Piis fidelium votis*. IV. Nonas Martii. Sub annum MDXVI. uti diximus, creditur reſtauratus. *Tom. 3. an. 1245. n. 34.* Conv. Cervariæ.

XXI. Circa hunc annum frater Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, jactis fundamentis, & præmeditatis initiis nobiliſſimæ a ſe condendæ Univerſitatis Complutenſis, ubi primarium & præcipuum conſtruere cœpit ædificium pro Doctoribus & collegis ſecularibus, indito nomine *Collegii majoris*, aliud ex uno latere addidit gymnaſium ſub *Collegii minoris* nuncupatione, & titulo ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum pro Fratribus ſui Inſtituti. Numerum taxavit duodecim, qui litteris incumberent, Guardianum præfecit, duos Conſodales laicos deſignavit, qui inſervirent. His alendis, & in morbo curandis, ut neceſſaria quæque abunde miniſtrarent collegii majoris Miniſtri, perpetuo voluit ſancitum. Duodecim collegarum loca ita diſtribuit: *quinque provinciæ Caſtellæ ſunto, reliqua ſeptem Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ provinciis diſtribuantur: qui ſupernumerarii acceſſerint, ſumptus deferunto.* Collegiũ Complutenſe. *Gonz. in Prov. Caſtellæ Conv. 5. Salazar. de ead. Prov. lib. 3. c. 31.*

XXII. Locus eſt anguſtus & ædificium humile, aditumque habet intra majoris collegii clauſtra: ſed paucæ ſunt vel nullæ in Religione domus, quantumvis ampliſſimæ, ex quibus prodierint plures viri illuſtres, vel litteris aut dignitate præſtantiores. Hic edocti plurimi provinciarum Rectores, & præſtantiſſimi ſacræ Theologiæ profeſſores. Ab hoc fertiliſſimo magnorum virorum ſeminario multæ Hiſpaniarum, & Indiarum Eccleſiæ Antiſtites acceperunt. Mindonienſis, Antonium Luxanum; Calaguritana, Antonium Manriquium; Ovetenſis, Franciſcum Orantium; Guadicenſis, Franciſcum Lilium Reginæ Annæ Philippi II. tertiæ contoralis confeſſarium; Quales ex eo viri prodierunt.

rium ; Pampilonenſis & Seguntina, Matthæum a Burgis; Canarienſis, Oxomenſis & Segobienſis, Franciſcum a Soſa, totius Ordinis Miniſtrum; Oſcenſis , Berengarium Bardaxium ; Granatenſis , Cæſarauguſtana & Seguntina , Petrum Gondiſalvum Mendozium ; Cephaludenſis in Sicilia , Papienſis apud Inſubres , & Mantuana , Franciſcum Gonzagam ex Principibus Imperii ; Burgenſis & Cæſarauguſtana , Bernardum de Freſneda, Philippo II. a ſacris confeſſionibus ; ſancti Dominici in Indiis Occidentalibus , Nicolaum Ramos & Andream Carvajalium ; Philippinarum, Ignatium de Santibanes ; Hundurarum , Gaſparum de Andrada & pleroſque alios , quorum nomina me ſubterfugerunt .

Unde inditum nomen SS. Petri & Pauli?

XXIII. Inditi collegio tituli ſanctorum Petri & Pauli ridiculam quidem affert Salazarius rationem , commutati ſcilicet per Leonem X. ſui Cardinalitii tituli ſanctæ Balbinæ in alterum ſanctorum Petri & Pauli , ſumme inter Cardinales honorificum ; & ſicut priorem titulum impoſuit alteri collegio a ſe condito , ita iſto voluit inſigniri Fratrum collegium . Præterquam quod ab ipſis collegii exordiis hoc audiverit nomine,an non futilis hæc imaginatio tituli Cardinalitii ſanctorum Petri & Pauli , nuſquam hucuſque excogitati, neque aliquando inter Cardinalitios enumerati? Porro magna profecto eſt hujus loci dignitas, & optima quæque Hiſpaniarum ingenia, nobilique proſapia orti ad illum aſpirant .

Lib. 119. fol. 108.

XXIV. Nobili mulieri Joannæ Chabot,Dominæ Caſtri Montis-Sorelli, Andegaven. diœceſis , conceſſit Pontifex hoc anno Nonis Martii facultatem conſtruendi Fratribus Obſervantibus Cœnobium in loco commodo & honeſto . An conſtruxerit , nullus eſt qui enarret . Similiter conceſſa fuit facultas ab Innocentio VIII. Philippo Bendonæ , tunc Gubernatori Cancellariæ Ducatus Burgundiæ , ut in ſuburbiis loci ſancti Nicolai oppidi Divionenſis , diœceſis Lingonenſis , domum Obſervantibus ædificaret : nunc autem paribus votis ipſo jam Conſiliario Caroli Regis in Curia Parlamenti Pariſienſis, & Claudia de Maylli in hoc opus incumbentibus , Alexander denuo facultatem conceſſit , ut intra dicti oppidi mœnia Cœnobium fabricaretur . At neque hanc conſtructam domum exiſtimaverim ; unius enim dumtaxat apud Divionenſes vetuſtiſſimæ, de qua alias diximus, mentionem invenio .

Conv. Divionenſis. Lib. 150. fol. 43.

Tom. 9. an. 1400. n. 30.

Conv. de Morgiis. Claud. in cathal. Loſanen.

XXV. Conventum de Morgiis in diœceſi Lauſanenſi hoc anno ab Aymone de Montefalcone Epiſcopo conditum eſſe ſcribit Claudius Roberti in ſua Gallia Chriſtiana, de quo nihil amplius reperio . In regno Daciæ trium Cœnobiorum hoc anno memoriam reperimus,primi in diœceſi Lunden. Dederat enim nobilis mulier Ingerdis vidua , quondam uxor Tirionis de Kragetom,Lincopen.diœceſis,Miniſtro & Fratribus Provinciæ Daciæ capellam ſanctæ Claræ de Tyorcheo, & Helgoo , prædictæ Lunden. diœceſis, in certo ſuo fundo conſtructam,cum ipſo fundo & terminis, de Liſer & Bloquungiae nuncupatis , ac pertinentiis eorum , ut ibidem Cœnobium ſui Ordinis ædificarent , quod ratum habuit Pontifex : *Sacræ Religionis honeſtas* . XIII. Kal. Junii . Secundi in diœceſi Aruſien. & oppido Horſuen. conſtructi in fundo olim per Nicolaum Bareshoro militem, dum viveret conceſſo . Caſu domus hæc periit incendio , & licet prima ſtructura facta ſit ex conſenſu & licentia Sedis Apoſtolicæ, de ſecunda dubitabatur. Pontifex hoc anno ſi quid in hac re peccatum eſt , dimiſit , atque ut in ea libere Fratres commorarentur, indulſit : *Piis & honeſtis* . eodem die . Tertii in diœceſi Roskilden. & oppido Neſtroerden. de cujus fundatione abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia ſimiliter dubitabatur , ſcrupulumque omnem ſimili indulto Pontifex removit .

Conv. Tiorchei.

Conv. Horſuf.

Conv. Neſtroerden.

XXVI. Expoſuit hoc anno Henricus Senior, Dux in Brunſwik & Luncbrorch, quod extra & prope muros oppidi Gandershem unum, & in Brunshuſen. alterum erat Monaſterium Monialium Ordinis ſancti Benedicti, Hendelſemen diœceſis, quorum fructus erant adeo tenues, quod ad decentem Sororum ſuſtentationem non ſufficerent. Rogavit ergo ut Moniales Gandershemi Monaſterii beatæ Mariæ nuncupati, transferrentur ad Brunshuſenum cum ſuis reditibus & bonis, & derelicta domus cum contiguis hortis adaptare liceret in uſum Fratrum Minorum de Obſervantia Provinciæ Saxoniæ. Ut ita fieret Pontifex indulſit: *Ex injuncto*. XII. Kal. Martii. Conv. Gandershhemi.

XXVII. Hoc anno non ſine lite, quæ per aliquotum tempus duravit, reformati ſunt Conventus Marpurgenſis & Gronemburgenſis, diœceſis Maguntinæ in Haſſia, ita urgentibus apud Pontificem Maximiliano Imperatore, & Wilhelmo Landgravio Haſſiæ. Auctoritate litterarum Apoſtolicarum Jacobus Ebeſten. præceptor domus ſancti Antonii in Cronebergh, poſſeſſionem dedit Joanni de Kyrchbergh Guardiano Confluentino, aliiſque Fratribus Obſervantibus. Anno MCCCCXCVIII. Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, & anno MCCCCXCIX. Bartholdus Archiepiſcopus Moguntinus auctoritate Apoſtolica factum confirmarunt, indicto Conventualibus ſilentio: ſed poſt aliquod tempus Haſſianis a vera fide deviantibus, omnes ſacræ ædes profanatæ ſunt, & noſtra quidem domus Marpurgenſis converſa eſt in Academiam Philoſophicam hæreticorum. Antiquiſſimus erat hic Conventus; quippe ante annum MCCXXXV. inchoatus, eo namque anno XIV. Kal. Novembris Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus datis litteris commendatitiis, fideles quoſque adhortatur, ut inchoatæ fabricæ complendæ manus porrigant adjutrices. Et anno MCCLXXXII. Epiſcopus Monaſterienſis auctoritate Matthæi ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis ſyndicum inſtituit Conventus Marpurgenſis. Porro hujus Wilhelmi Landgravii uxor Anna de Mechelemburg ibidem anno MDXXV. die XII. Julii, ſub lampade chori ſepulta eſt. Hic etiam tumulati ſunt duo viri pietate, & regendi prudentia celebres, Nicolaus Herbon, & Conradus Woeſaliæ, quorum uterque Colonienſem Provinciam, & hunc Conventum, ſed poſterior annis viginti gubernavit. Conventus etiam Gronemburgenſis in hæreticorum poteſtatem devenit, ſed aliquando recuperatus anno MDCXXVII. in capitulo Colonienſi adjudicatus ſeu traditus eſt Provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis. Reformantur Conventus Marpurgen. & Gronemburgen. Nicolaus Herbon. Conradus Woeſaliæ.

XXVIII. Circa hoc tempus introductam reformationem in Conventum Rupis, ſeu ſcopuli Ferguſii in Hibernia, vulgo *Graigfearguſa* diximus alias, poſtea conſtitit ex libro Annalium Senadii, Macmagnetii, Fermanachenſis, Niellum, mac-Cuin, mac-Aodhboy Iniellum, obtenta prius Pontificis facultate hoc ipſo anno, in vigilia Aſſumptionis Virgineæ, evocatis ſexdecim Fratribus Obſervantibus ex Conventu Dunangalenſi, amotiſque Patribus Conventualibus, ſtrictiorem reſtituiſſe regularem diſciplinam. Sub annum MCCCCVIII. in Eccleſia hujus Conventus interſectus eſt Hugo mac-Gillumer, ita Deo templi contumeliam ulciſcente. Paulo enim antea violaverat ille Eccleſiam, vitrea feneſtrarum disjecit, tranſverſaria ferrea aſportavit. Hoſtes poſtea declinans, in templum iſtud confugit, caſtrorum more cuſtodivit, ſed illi per feneſtras, quas ille impie diſrupit, ingreſſi, dignum ſceleri ſupplicium intulere. Arturus Siceſtrius Anglus hæreticus, Hiberniæ Prorex, ædes ſacras in profanas transformavit. Hoc eodem anno reformatus eſt Conventus Athskettinenſis in eodem regno Hiberniæ, tempore Patritii Helii Miniſtri: de hoc Conventu breviter alias locuti ſumus. Reformatur Conventus Rupis Ferguſii. Tom. 5. an. 1242. n. 31. Et Athskettinen. Tom. 9. an. 1589. n. 7.

XXIX. Margaritæ a Lotharingia Duciſſæ Alenconenſi, Sagienſis diœ- Monaſt. Alenconii.

ceſis in Normannia, data eſt hoc anno facultas Monaſterium Clariſſarum in dominio Renati Ducis Alenconenſis conſtruendi, & Vicario Provinciæ Franciæ ſubjiciendi, adjectis multis facultatibus pro regulari diſciplina conſervanda: *Inter univerſa opera*. v. Idus Martii. Porro pientiſſima heroina adeo celeriter opus perfecit, ut Eccleſiam anno MCCCCXCIX. die XI. Auguſti, potuerit Jacobus de Silli Sagienſis Epiſcopus conſecrare. Plures hic Sorores piis moribus inſignes, vitæ ſanctimonia conſpicuæ, diem obiere.

Gonz. in Prov. Franc. Pariſien. Monaſt. 6.

Agnes Viottæ.

Agnes Viottæ, quæ primum profeſſa Tertium ſancti Franciſci Inſtitutum, mox Clariſſarum amplexa, plurimas victorias de hoſte reportavit, & poſt annos ab obitu duodecim, licet humidiſſimo loco ſepulta, integra, ſuavem ſpirans odorem reperta eſt. Idipſum contigit corporibus Gabrielæ a Nozai poſt annos viginti, & Mariæ Clementii poſt annos ſeptemdecim exhumatis. Inſerviunt his Monialibus Fratres decem; unus præeſt, & Sororum excipit confeſſiones, reliqui ſacris operandis, & eleemoſynis congregandis ſunt deſtinati.

Monaſt. Remenſe. *Idem in Provin. S Franc. Mon. 3. To. 14. an. 1473. n. 23.* Monaſt. Montis Briſonis. *Idem in Prov. S. Bon. Mon. 5.*

XXX. Remenſis Monaſterii conceſſis indulgentiis pro die ſanctæ Claræ hoc anno memoria occurrit in regeſto Vaticano. Quo tempore conſtructum ſit, ignoratur, combuſtis monumentis. Anno MCCCCXIII. Eccleſia conſecrata eſt ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ Hungaricæ. Vivunt hic religioſe ſatis Sorores viginti. Ad montem Briſonis, Lugdunenſis diœceſis oppidum, Petrus Durſe (a quo diximus conſtructum Conventum Minorum Baſtiæ apud Seguſianos, ſeu Foreſianos) ædificavit hoc anno Monaſterium alterum ſub titulo Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, in quo circa triginta vivunt Clariſſæ reformationis Coletaneæ. Primæ Magiſtræ undecim evocatæ ſunt ex Monaſteriis de Aquis amiſſis, Camberiaci, & Genevenſi per Ludovicum de Blot Viſitatorem, cui & ſociis pro Sororum miniſterio ædificium contiguum prædictus Petrus anno XDII. adjecit. Eccleſiam aliquanto humiliorem & obſcuram, ampliorem & illuſtriorem, conquiſitis eleemoſynis, fecit ſub annum MDLXXXII. Nicolaus Pariſotus confeſſarius. Anno MDLXII. die XIV. Julii irrumpentibus in oppidum Calviniſtis, multas calamitates & tribulationes paſſæ ſunt Sorores, & occiſus frater Franciſcus Burgundus, qui ſemper eis adſtitit, & carceribus, verberibus & contumeliis affecti frater Gilbertus Vaca ſacræ Theologiæ Doctor, earum confeſſarius, ejuſque ſocius Joannes Laureus. Poſt dies decem tot malis perpeſſis Gilbertus Divione occubuit.

Franciſcus Burgundus.

XXXI. Joanni Regi & Chriſtinæ Reginæ Daciæ hoc anno conceſſa facultas condendi Monaſterium Sororum Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum primæva Inſtituta, a Fratribus Regularis Obſervantiæ gubernandum: *Sacroſanctæ Militantis Eccleſiæ*. v. Kal. Martii; de quo nihil ſuppetit aliunde dicendum, extincto cum ſcintilla fidei omni vetuſtæ pietatis ardore, & ſublatis e medio cunctis Catholicæ Religionis monumentis. Antonello Principi Salernitano indultum etiam hoc anno ut in oppido Diani, diœceſis Caputaquen. in regione Principatus, ſui dominii, & domo in hunc finem ab eo conceſſa, Monaſterium ejuſdem Inſtituti ſub directione Vicarii Obſervantum ædificaretur: *Ex debito paſtoralis*. pridie Idus Martii. In hoc diplomate refertur etiam origo Conventus Obſervantum, eo in oppido conſtructi, de quo nos alias locuti ſumus.

Monaſt. Diani.

To. 14. an. 1474. n. 22. Domus Fratrum Tertii Ordinis Duyſbergen. *Liv. 49. fol. 225.*

XXXII. In oppido Duyſbergen. Colonien. diœceſis, Joannes Ort civis Colonienſis ante aliquot annos domum conſtruxit pro Fratribus Tertii Ordinis, adjuncta Eccleſia ſeu decenti capella. Sed cum illi tædio loci affecti, illum dimiſerunt, neque eos fructus, quos fundator ſperabat, pro-

produxerunt, hoc anno obtinuit Fratribus tradi Ordinis Cruciferorum.

XXXIII. Occurrit hoc anno memoria Monaſterii ſanctæ Claræ in Campo Regis, Conſtantien. diœceſis, occaſione cujuſdam litis ſuper parochiali Eccleſia, inferiori nuncupata, oppidi Waldſerhuti ejuſdem diœceſis, & alterius ejuſdem Ordinis Monaſterii, nuncupati Claræ-Vallis prope Wisbaden. diœceſis Moguntinæ, cui Pontifex juſſit reſtitui bona ab aliis uſurpata. Monaſt. Campi-Regis. *Ex lib. 103. fol. 39.* Monaſt. Claræ-Vallis. *Ex lib. 130. fol. 187.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. ARma Caroli Franciæ in Italia cito finem habuere: & Maximilia-
,, nus Imperator a Ludovico Sfortia vocatus, dum immineret ar-
,, matus Piſis, Liburnumque vexaret, immanibus pluvia & vento vexatus
,, & ipſe, infecto negotio, per Longobardos in Germaniam rediit; cum *Dogl.*
,, interea Pontifex data pace Urſinæ genti, ad tollendos nonnullos abuſus,
,, qui plurimnm Regulari Obſervantiæ adverſabantur, ſequentis tenoris
,, Bullam edidit.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

,, *IN Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet inſufficientibus, Divina* *Speculum fol. 22. tr. 2.*
,, *diſpoſitione locati, ad ea noſtræ conſiderationis ſtudium libenter con-*
,, *vertimus, per quæ Religioſæ perſonæ, præſertim Ordinum Mendicantium,*
,, *ſemotis quibuſvis impedimentis, in humilitatis ſpiritu continuo valcant*
,, *liberius Altiſſimo famulari; ac alias ſtatuimus & ordinamus, prout,*
,, *locorum, temporum & perſonarum qualitate penſata, in Domino conſpici-*
,, *mus ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecto-*
,, *rum filiorum modernorum Generalis & Provincialium Vicariorum Ultra-*
,, *montanorum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum petitio*
,, *continebat: quod nonnulli Fratres Familiæ Ultramontanæ, Ordinis &*
,, *Obſervantiæ prædictorum, ut in aliquibus locis extra domos prædictorum*
,, *Fratrum ſtare & permanere, ſeu beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura vel ſine*
,, *cura, ſecularibus & Regularibus deſervire, & alii vel ut ad diverſas Pro-*
,, *vincias ſeu domos dicti Ordinis, aut ad alios Ordines, etiam prætextu arctio-*
,, *ris vitæ, ſe transferre; alii vero Fratres Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ*
,, *hujuſmodi, ut ad Eremitoria aliqua ſe conferre, ac inibi perpetuo vel ad*
,, *tempus Domino famulari valerent, a Sede Apoſtolica facultatem ſive*
,, *licentiam impetrarunt: alii vero aſſerentes ſe prætextu licentiarum ſive*
,, *facultatum eis aut aliquibus perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus,*
,, *ab eadem Sede conceſſarum, reſidendi facultatem habere, ſecundum cordis*
,, *eorum vana deſideria, ſui voti & profeſſionis immemores, Deique timore*
,, *poſtpoſito, diverſimode & in multis aliis Eremitoriis aut locis, etiam ubi*
,, *ſtudia vigent generalia, reſident & moram trahunt, inſolenter dictis fa-*
,, *cultatibus & licentiis abutendo, & ſæpe ſcandaloſe vivendo; unde eis va-*
,, *gandi & apoſtatandi, & plura in contemptum Religionis committendi*
,, *præbetur occaſio: Quare pro parte Generalis & Provincialium Vicario-*
,, *rum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quod Fratribus Fa-*
,, *miliæ & Obſervantiæ prædictorum, ac perſonis hujuſmodi per Nos, vel*
,, *Sedem eamdem in poſterum concedendæ eiſdem Fratribus, & hactenus con-*

„ *ceſſæ licentiæ & facultates prædictæ, illis ex dictis Fratribus, qui licen-*
„ *tiis & facultatibus prædictis, eis ſeu perſonis eiſdem jam conceſſis, de novo in*
„ *futurum utentur, ſeu uti incipient, ac eis, qui ſcandaloſe & male viventes,*
„ *eiſdem licentiis & facultatibus dictis Fratribus conceſſis in præſentiarum*
„ *utuntur, & ſub habitu dicti Ordinis extra domos Ordinis ejuſdem manent,*
„ *ita demum ſuffragentur, ſeu ſuffragari poſſint & debeant, ſi ad hoc Gene-*
„ *ralium ſeu Provincialium Vicariorum prædictorum Ultramontanorum,*
„ *Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, aut dicti Vicarii Generalis Commiſ-*
„ *ſarii Ultramontani nunc & pro tempore exiſtentium, expreſſus acceſſerit*
„ *in ſcriptis aſſenſus, decernere & declarare: Quodque de cetero nullus ex*
„ *Fratribus Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ hujuſmodi, quacumque etiam*
„ *Apoſtolica ac noſtra auctoritate munitus, niſi de Generalium ſeu Provin-*
„ *cialium Vicariorum, etiam Commiſſarii Ultramontani hujuſmodi, petita*
„ *& obtenta licentia, ſe ab obedientia & ſubjectione ſuorum Superiorum*
„ *ſubtrahere & abdicare: nec alii Prælato, etiam Ordinis & Obſervantiæ*
„ *hujuſmodi, niſi ſecundum inſtituta Ordinis & Obſervantiæ prædictorum,*
„ *etiam prætextu arctioris vitæ, obedientiam dare, ſeu illius obedientiæ &*
„ *ſubjectioni ſe ſubmittere & ſubjicere valeant, ſtatuere & ordinare, ac*
„ *alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica digna-*
„ *remur.*
„ *Nos igitur modernum Generalem ac Provinciales Vicarios prædictos,*
„ *a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccle-*
„ *ſiaſticis ſententiis & cenſuris ac pœnis, a jure vel ab homine, quavis oc-*
„ *caſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effe-*
„ *ctum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, &*
„ *& abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Fra-*
„ *tribus Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ prædictorum, ac perſonis hujuſ-*
„ *modi per nos vel Sedem prædictam, etiam ex motu proprio & ex certa*
„ *ſcientia, etiam cum quibuſvis verborum formis & expreſſionibus, ac etiam*
„ *derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & efficacibus clauſulis, irritan-*
„ *tibuſque decretis in poſterum concedendæ eiſdem Fratribus, & hactenus*
„ *conceſſæ licentiæ & facultates hujuſmodi, illis ex dictis Fratribus, qui li-*
„ *centiis & facultatibus prædictis, eis ſeu perſonis præfatis jam conceſſis,*
„ *de novo in futurum utentur, ſeu uti incipient, & illis, qui ſcandaloſe &*
„ *male viventes, dictis licentiis & facultatibus eiſdem Fratribus, ut præfer-*
„ *tur, conceſſis, in præſentiarum utuntur, ac ſub habitu dicti Ordinis extra*
„ *domos ejuſdem Ordinis manent, ita demum ſuffragentur, ſeu ſuffragari*
„ *poſſint & debeant, ſi ad hoc Generalium ſeu Provincialium Vicariorum,*
„ *aut dicti Vicarii Generalis Commiſſariorum Ultramontanorum, nunc &*
„ *pro tempore exiſtentium hujuſmodi, expreſſus in ſcriptis acceſſerit aſſenſus,*
„ *& non alias nec alio modo in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in licen-*
„ *tiis & facultatibus prædictis, ut præfertur, conceſſis & in poſteram con-*
„ *cedendis, hoc nominatim & ſpecifice caveretur. Sicque ubi & quando de*
„ *illarum juribus & efficacia continget, per quoſcumque interpretari & ju-*
„ *dicari debere, ſublata eis & cuilibet eorum quavis aliter interpretandi*
„ *& judicandi facultate & auctoritate: necnon irritum & inane, ſi ſecus*
„ *ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contige-*
„ *rit attentari. Quodque Fratres ſub habitu & extra domos Ordinis hujuſ-*
„ *modi nunc & pro tempore degentes, ac male & ſcandaloſe viventes, & li-*
„ *centiis & facultatibus prædictis abutentes, per Generales ſeu Provinciales*
„ *Vicarios, aut Commiſſarios Ultramontanos pro tempore exiſtentes hujuſ-*
mo-

„ *modi corrigi & puniri poſſint, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia,*
„ *tenore præſentium decernimus & declaramus.*
„ *Quodque de cetero nullus ex Fratribus Ordinis, Familiæ & Obſer-*
„ *vantiæ prædictorum, quacumque etiam Apoſtolica, & noſtra auctoritate*
„ *munitus, niſi de Generalium ſeu Provincialium Vicariorum, aut Commiſ-*
„ *ſarii Ultramontanorum, nunc & pro tempore exiſtentiam, hujuſmodi pe-*
„ *tita & obtenta licentia, ab obedientia & ſubjectione eorumdem ſuorum*
„ *Superiorum Prælatorum, ſicut per Eugenium IV. Pium II. & Paulum*
„ *etiam II. ac Sixtum etiam IV. & Innocentium VIII. Romanos Pontifices*
„ *prædeceſſores noſtros declaratum & inſtitutum eſt, ſe ſubtrahere & abdi-*
„ *care, nec alii Prælato, etiam Ordinis Minorum de Obſervantia, prædi-*
„ *ctis, niſi ſecundum inſtituta Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, etiam*
„ *prætextu arctioris vitæ, obedientiam dare, ſeu illius obedientiæ & ſubje-*
„ *ctioni ſe ſubmittere & ſubjacere valeat, præfata auctoritate ſtatuimus &*
„ *ordinamus.*
„ *Et nihilominus Generali & Provincialibus Vicariis, & Commiſſario*
„ *Ultramontano præfatis, & pro tempore exiſtentibus, ſeu perſonæ in di-*
„ *gnitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Canonicis Cathedralium, etiam Me-*
„ *tropolitanarum Eccleſiarum, quos, privilegiorum eidem Ordini Minorum*
„ *de Obſervantia nuncupatorum per Sedem eamdem conceſſorum, ſeu præ-*
„ *ſentium litterarum vigore ipſi Generales ſeu Provinciales Vicarii, aut*
„ *Commiſſarii Ultramontani duxerint eligendos, ac ab eis, vel altero eorum*
„ *deputatis, committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum,*
„ *omnes & ſingulos Fratres Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ prædictorum,*
„ *quos prætextu licentiarum & facultatum, ut præfertur, conceſſarum &*
„ *concedendarum, quæ eis non ſuffragarentur, ſeu in futurum non ſuffra-*
„ *gabuntur, in locis præfatis, ſeu aliquo eorum, extra domos Ultramontanas*
„ *Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, abſque dictorum Superiorum, vel*
„ *alterius eorum expreſſo conſenſu in ſcriptis, ſtare & morari invenerint,*
„ *ad redeundum illico ad ſuas Provincias, Cuſtodias & domos præfatas, per*
„ *cenſuram, & alia juris remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, com-*
„ *pellant; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non*
„ *obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,*
„ *necnon præfatis & quibuſcumque aliis litteris, licentiis, conceſſionibus,*
„ *facultatibus, privilegiis & indultis, Fratribus & perſonis, etiam ſingu-*
„ *lari vel Eccleſiaſtica dignitate & poteſtate fulgentibus prædictis, ac aliis*
„ *quibuslibet & quibuſvis Ordinibus ſeu locis, ac etiam Præceptori Gene-*
„ *rali pro tempore exiſtenti Hoſpitalis ſancti Spiritus in Saxia de Urbe,*
„ *Ordinis ſancti Auguſtini, & domui ſancti Geneſii provinciæ Caſtellæ, ac*
„ *Cuſtodiæ Angelorum, Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ prædictorum, ſeu*
„ *Conventui ejuſdem Cuſtodiæ prædictæ provinciæ Caſtellæ, ac etiam dilecto*
„ *filio Joanni de Guadalupe Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi Profeſſori,*
„ *in genere vel in ſpecie, ſub quibuſvis formis & expreſſionibus verborum,*
„ *& motu, ſcientia & poteſtate ſimilibus, etiam prædictis clauſulis, & ir-*
„ *ritantibus decretis, & talibus quod illæ & illa revocari, aut eis, niſi*
„ *ſub certo modo & forma tunc expreſſis, derogari poſſit, per nos vel Sedem*
„ *eamdem conceſſis, & forſan concedendis; quibus, etiamſi de illis eorumque*
„ *totis tenoribus pro illarum ſufficienti derogatione, plena & expreſſa, ſpe-*
„ *cifica & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas gene-*
„ *rales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, teno-*
„ *res hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad præmiſſa ſpeciali-*
ter

„ *ter & expreſſe derogamus, & quatenus opus eſt, illa dicta auctoritate* „ *caſſamus & annullamus; necnon Monaſteriorum, domorum, locorum &* „ *Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis* „ *firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis* „ *quibuſcumque.*

„ *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis,* „ *decreti, declarationis, ſtatuti, ordinationis, commiſſionis, mandati, re-* „ *vocationis, caſſationis & annullationis infringere, vel ei auſu temerario* „ *contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem* „ *omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit* „ *incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis* „ *Dominicæ* MCCCCXCVII. III. *Kalend. Martii, Pontificatus noſtri an-* „ *no* VI.

Indic. ex Vatic. „ II. Tertio Idus Martii Obſervantibus indulſit poſſe conſtuere ſibi „ Cœnobium apud Terram maximam in Tarrentina diœceſi: *Dum ad fru-* „ *ctus*. Et facta facultate Monaſterio Valliſoletano bona permutandi nonnul- „ la: *Ex injuncto*. VI. Kalend. Aprilis; ipſis Kalendis ejuſdem fratri Petro „ de Clavis beneficium contulit: *Religionis zelus*. Pro erectionibus domo- „ rum beatæ Mariæ de la Miſericordia, & Hoſpitalis beatæ Mariæ Magda- „ lenæ in oppido Caſtri Lauri, Placentinæ diœceſis, exiit diploma: *Illius* „ *vices*. VIII. Kalend. Maii; Fratribus de Villafranca, diœceſis Lugdu- „ nenſis permiſſum eſt recipere eleemoſynas & legata: *Humilibus ſuppli-* „ *cum*. Cuidam oppido in Aquilana diœceſi, *Andergbel* nuncupato, eri- „ gendi noſtris domum facultatem videlicet ſub VIII. Kalend. Junii: *Piis* „ *ſupplicum*. At quod actum fuerit neſcio. Fundationem vero Cœnobii, „ ſub titulo ſancti Franciſci Angloni, Triventinæ diœceſis in Epitome „ Annalium Ordinis ſub anno MCCCCLI. commemorat Hıroldus. Porro „ Triventum in Comitatu de Moliſſa apparet ex tabulis, ſed non Anglo- „ rum Oppidum. Anglonenſibus vero in terra Priſtici, Materanæ diœceſis „ facultatem conſtruendi Cœnobium factam novimus ſub V. Kalend. Ju- „ nii: *Dum ad fructus*. At Matera ad ulteriorem brachium Brandani fluvii „ in Barenſi terra ſita, Civitas eſt Epiſcopalis, cujus eſt Cœnobium Fra- „ trum Regularis Obſervantiæ, ſub titulo ſancti Bernardini, in Catalogo „ Familiæ Ciſmontanæ provinciæ Calabriæ anni MDXVI. notatum. Poſt ve- „ ro nonnulla minutiora ſubſequentibus diebus conceſſa, 'prodiit a Vati- „ cano Rivionenſibus, Lingonenſis diœceſis in provincia Burgundiæ ædem „ pro noſtris conſtruendi licentia, V. Idus Septembris: *Sacræ Religionis* „ *zelus*. die VIII. Octobris, miſſo fratre Bernardo *Boil* ad venerabilem „ fratrem Franciſcum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum: *Mittimus* „ *in præſentiarum*. Frater Gavinus Prioratum ſanctæ Mariæ de Stallis Or- „ dinis Camaldulenſis obtinuit: *Religionis zelus*. III. Idus Octobris; & „ ſuppreſſus fuit Tertii Ordinis Fratrum oppidi Ducisburgenſis in diœceſi „ Colonienſi Conventus: *Univerſalis Eccleſiæ*. XVII. Kalendas Janua- „ rii.

„ III. Cum fundationem Conventus ſancti Franciſci, vel ſanctæ Ma- „ riæ de Jeſu in Ulyſſiponenſibus ſuburbiis de *Xabregas*, ſuis temporibus „ enarravimus, nunc æquitas & religioſa civitas expoſtulare videtur, *Emanuel I. erga Conventum munificus.* „ Joannis II. & Emanuelis I. Luſitaniæ Regum, quorum munificentia re- „ gali in ampliorem formam dilatabatur ædes, memoriam peculiarem ha- „ bere; & hi quidem Seraphicæ Religioni maxime addicti, cum Alphon- „ ſo V. immediate ſucceſſiſſent in Regno, in favorem ejuſdem Cœnobii

vi-

,, vicinum montem dono dedere, ut ex publico donationis inſtrumento,
,, confecto hoc anno MCCCCXCVII. ſub vigeſima ſexta Junii evidenter ap-
,, paret. Nec reticenda eſt pia liberalitas Domini Gondiſalvi de Caſtel-
,, lo Franco, ac etiam domini Villæ Novæ de *Portinan*, qui ædificium præ-
,, fato Cœnobio proximum, cum adjacente horto, ad majorem ampliatio-
,, nem ejuſdem, Fratribus per idem tempus piiſſime ceſſit: verumtamen
,, hinc emergit eam traditionem, fundum præfatæ domus aſſerentem exti-
,, tiſſe prius Patrum Congregationis ſancti Joannis Evangeliſtæ, non aliun-
,, de ortam, quam quod vicini ſint habitatione Fratribus noſtris: & equi-
,, dem Domina de *Guiomar*, in ædibus Regiis ſibi a Rege conceſſis, Cœ-
,, nobium noſtris fundavit & abſolvit; at hi duo Reges, juncto Gondiſal-
,, vo loci anguſtias ſua liberalitate dilatarunt: addendum etiam ante noſtri
,, Cœnobii tempora ibi non habuiſſe locum, ut Algarbiorum provinciæ
,, Collector antiquitatem demonſtrat. Ceterum non præteribo Reginam
,, Leonoram Jnannls II. lectiſſimam conthoralem, quæ ejuſdem noſtri
,, Cœnobii Eccleſiam, ad hæc uſque tempora exiſtentem, proprio ære ma- *Leonora Regina extruit Eccleſiam.*
,, gnifice extruxit hæc circa tempora, quibus Joannis II. & Emanuelis I.
,, datis diplomatibus Regiis, privilegia ab Alexandro V. illi domui con-
,, ceſſa, quæ ſunt immunitatis a quocumque tributo confirmata lego. In eo
,, religioſiſſimo Conventu plures Servi Dei virtutum ſplendore nitentes
,, floruere: inter quos ſingularis nominis, & illibatæ famæ extitere frater
,, Antonius *Pereſtrello*, qui pluries diverſas domos ſancte & laudabiliter
,, rexit, ſui ipſius moderator, ſanctitatis ſpecimen erat, atque eo nomine
,, apud Ulyſſiponenſes ſuoſque Confratres notus, migravit e vita; & frater
,, Paulus profeſſione laicus, cujus corpus ob abſtinentiæ eximiam ſeverita- *Fr. Paulus Laicus.*
,, tem, oſſa tantum & pellem oſtentans, cadaver vel mors ipſa viva vide-
,, batur, in veſperis Circumciſionis Dominicæ, incerto anni fato functus;
,, hujus corpus poſt obitum catenis ferreis & perorridis ciliciis plagatum
,, ex omni parte inventum eſt, & per has vias in cœlum properaſſe credi-
,, tum.

,, IV. Ulyſſipone quid mirum acciderit, Divinam providentiam ma-
,, xime extollens, brevibus enarrabo. Ad portam urbis, cui nomen Cru- *Monumen. MSS. Prov. Algarbior.*
,, cis eſt, duo conjuges, Antonius *Fernandez*, & Catarina *Rodriquez*
,, tenuem vitam, ſed piam & devotam ſimul ducebant, qui Fratribus de
,, *Nabregas* panis eleemoſynam dare ſolebant. Quadam vice, cum unicum
,, tantum panem haberent, uxor provida certe ſed non avara, petenti Fra-
,, tri ſtipem, panis medietatem dare volebat, reliquam pro neceſſitate fa-
,, miliæ conſervatura: quod videns vir: *nequaquam*, ait, *ita facies*, *ſed* *Mirabilis effectus eleemoſynæ.*
,, *integrum dabis*: Ad hæc uxor prompta reſpondit, *& quid nobis edendum*
,, *erit?* At vir, *da panem integrum*, dixit, *Deus providebit*: victa mulier
,, & ſe marito indevotiorem erubeſcens, obedivit: inclinata vero die,
,, cœnæ tempus advenerat, & panis ad veſcendum non erat, & cauta uxor
,, ſilens, viri prophetiam adimpleri expectabat: qui nil recogitans, filiæ
,, grandiuſculæ ex arca panem afferre juſſit; hæc vero præceſſorum memor,
,, modeſta ſubriſit, at feſtina ad arcam cucurrit, quæ præter ſpem duos pa-
,, nes albos & recentes inveniens, modeſtior & continentior genitoribus
,, ad menſam detulit: hinc omnes in genua provoluti, laudes Deo dedere.

AR-

ARGUMENTUM.

Habentur Comitia Generalia Conventualium, & Ciſmontanorum Obſervantum. Moriuntur Angelus a Verboſa, Angelus de Groppina, & Bonaventura ab Antrodocco. Turcæ in Samboria duos occidunt Minoritas. Prohibet Pontifex tranſitum Obſervantum ad Conventuales: nec non Amadeorum ad alias Congregationes. Ximenius Toletanus Antiſtes multa peragit præclare. Liberantur Minoritæ a calumnia in cauſa Hieronymi Savonarolæ. Creantur Epiſcopi. Conduntur Cœnobia.

Capitulum Generale Ordinis Mediolani 102. *Marc. lib.7.c.33. Rodul fol.244.* Capitulum Generale Obſervâ. Ciſmon. 20. Mediolani.

I. FRANCISCUS Samſon Generalis Miniſter hoc anno, uti habet Marcus, vel præcedenti, uti ſcribit Rodulphus, Mediolani Generalia habuit Ordinis Comitia, de quibus nihil habeo, quod enarrem. In eadem etiam urbe Conſeſſu habito Generali Fratrum Obſervantum familiæ Ciſmontanæ, electus eſt Vicarius Generalis die XIII. Julii, Ludovicus de Turre, Veronenſis, provinciæ ſancti Antonii, vir nobilis, ſpecioſus forma, ingenio felix, doctrina clarus, in Philoſophia, Theologia & jure Cannonico eruditus, rerum agendarum peritus. Definitores adſcripti ſunt ipſe Ludovicus, Joannes de Sigeſtro provinciæ Januenſis, Paulus Cancellarius Romanus, Franciſcus de Trevio provinciæ ſancti Franciſci; Commiſſarius in Curia Romana, Alexander de Palumbaria provinciæ Romanæ, Guardianus Hieroſolymitanus, Antonius de Regnis; Vicarius Candiæ, Franciſcus Bononienſis; Commiſſarius Sardiniæ, Hieronymus N. provinciæ ſancti Franciſci; Commiſſarius Corſicæ, Dionyſius de Leonardis provinciæ Mediolanenſis; Commiſſarius & Cuſtos in Cuſtodia Boſnenſi, frater Petrus de Boſna. In hoc Capitulo conſtitutum eſt, ne inſtituantur Montes Pietatis abſque præſcripto ſolvendi denarioli ſive quatreni pro ſtipendio officialium, ſicut docuerat Bernardinus Feltrenſis, & diſcuſſum fuerat in Ordinis comitiis. Experientia enim compertum erat, non potuiſſe abſque hujuſmodi ſubſidio Montes ſubſiſtere. Juſſumque eſt inſuper ut religioſe & prudenter curaretur a Prædicatoribus, alios Montes aliter erectos ad hanc formam reduci, & in novorum erectioue conſulendos eſſe Provinciarum, in quibus erigebantur, Vicarios.

Montes Pietatis inſtituendi cum ſolutione oboli.

Moritur Angelus a Verboſa. *Marian. de Viris illuſtr. Marc. cit. c. 34.* *Tomo 10. anno 1412. n. 12. & ſeqq. Tomo 12. anno 1452. n. 41.* Ejus initiatio & virtutes.

II. Hoc anno migravit ad cœlos beatus Angelus a Verboſa in Conventu ſancti Spiritus Foinizæ, provinciæ Boſnenſis, Cuſtodiæ ſancti Nicolai. Natus parentibus nobilibus Græcis ſchiſmaticis, bonis moribus & Græcis litteris excultus, Divino munere deſignabatur ad magnalia Dei facienda. Juvenem aſpectu venuſtum, & converſatione affabilem, a labe impudicitiæ & ſenſualitatis gratia Divina præſervavit. Multa præſtitiſſe alias diximus beatum Jacobum Picenum in converſione gentis, & Regis Boſnenſis; atque tunc adoleſcentem iſtum non ſolum ad Eccleſiæ gremium, verum etiam ad ſuum Inſtitutum reduxit. Primus hic a Jacobo habitu donatus; ſub cujus Magiſterio Deus illum ingentibus donis cumulavit, eruditione, linguæ Latinæ peritia, gratia, eloquentia, ita ut in magnum evaſerit concionatorem. Initio hujus functionis, parentes univerſamque familiam ad unionem Eccleſiæ Romanæ convertit. Manichæorum ſchiſmaticorumque errores confutavit, plurimoſque illorum rectam fidem edocuit, & ad Sedis Apoſtolicæ obedientiam recepit, fretus auctoritate Apoſtolica Jacobo Picenti commiſſa, & ab illo Sodalibus communicata. Multas ab Hæreticis paſſus moleſtias & inſidias, porrectum ſibi ad bibendum venenum innoxie hau-

hauſit, præmiſſo ſuper calicem ſigno ſanctæ Crucis, nomine invocato Ieſus. Hoc miraculo, aliiſque mirandis operibus multi ſunt ad fidem converſi.

III. Infirmata, & ad nihilum ferme redacta ſecta Manichæorum, univerſoque ferme regno innumeris erroribus purgato, ſecreto Dei judicio dati ſunt miſeri Boſnenſes in prædam & captivitatem Turcarum, quorum ille miſertus, ut in terras Chriſtianorum Principum ſecum commigrarent, perſuaſit. Turcarum Princeps audita gentis commotione, vocatum Angelum fremens interrogavit, ut quid e ſuis ſedibus populum evocaret? Reſpondit, ut Dei mandatis alibi poſſit obtemperare. Eas deinde rationes intrepide & gratioſe ſubjunxit, ut ſedato furore, Princeps imperarit, ne Boſnenſibus ſub ejus imperio viventibus, in rebus fidei quiſquam negotium faceſſeret, aut virum hunc a prædicando impediret. Romam profectus, & legatione pro iiſdem Chriſtianis functus, ab Alexandro Pontifice multa in eorum rem impetravit. Laboribus his gravibuſque curis pro animarum ſalute ad extremam uſque ſenectutem ſuſceptis, ſancto fine quievit, præmiſſis rite Eccleſiæ Sacramentis. Vicarius Generalis audita reatuum omnium confeſſione, teſtatus eſt, eum per omnem vitam intactam conſervaſſe virginitatem. Univerſi Chriſtiani propter mortem ejus dolebant, & ex Turcis multi, qui Viri candorem & virtutem perſpectam habebant. Abundavit miraculis poſt mortem. Liberati ad ejus ſepulcrum energumeni plerique, ſanati epileptici tres, pulſæque aliæ infirmitates, qua de cauſa multi ſunt ad fidem converſi. Annis multis poſt obitum exhumatum corpus integrum & illæſum, honeſtiori loco conditum, a Boſnenſibus habetur in veneratione.

Gonza. in Prov. Boſna Conv. 3.

IV. Obiit hoc anno Angelus de Groppina laicus in Conventu ſancti Franciſci Montis Caroli, prope pagum ſancti Joannis de Valdarno in Tuſcia, vir profundiſſimæ humilitatis, & ſummæ caritatis. Uxoratus in ſeculo, pepigit cum conjuge, ut illa Monaſterium Camoliæ ingrederetur Florentiæ, & ille cum prole maſculina ad Franciſcanos tranſiret. Emiſſo profeſſionis voto, angelicam duxit vitam, plenuſque annis & bonis operibus ſanctiſſime deceſſit.

Obit Angelus e Groppina. *Idem in Provin. Tuſcia Conv. 15.*

V. Circa hoc tempus vitam religioſiſſime terminavit Bonaventura ab Antrodocco, Veſtinorum oppido, ab Amiterno ſeu Aquilana urbe XV. M. P. diſtante: quæ in juventute inter puellares vanitates enutrita, audito Honufrio Aquilano Aprutinæ provinciæ Vicario e roſtris mundi contemptum, corporiſque correctionem ſuadente, rejectis vanis ornamentis, ſtatuit cor & corpus ſuum impollutum Deo offerre, mundanas converſationes vitare, orationes multas quotidie recitare, carnem variis modis affligere, ferreum circulum corpori obducere. Repentinam mutationem admirati fratres, & inſanire putantes, cogitarunt copulare marito. Nuptias deteſtata, neque precibus neque minis neque verberibus multis, ut a propoſito Virginitatis recederet, potuit induci. Mentis inops judicata, miſſa eſt ad rurale prædium ruſticana curatura, ubi illa multiplicatis virtutis exercitiis, patienter omnia ſuſtinuit opprobria. Poſt multos dies ſemel devote oranti vox cœleſtis intonuit, jubens Aquilam proficiſci, & in cathedrali Templo ad lævam ingredientis in ſacello genuflexam orantem, librumque manutenentem Birgittam, Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſectatricem audire, veſte vitaque imitari. Obſecuta, uti prædictum erat, invenit, nobilemque & gravem æmulata matronam, auſtera pœnitentia corpus attrivit, multiſque virtutibus animam exornavit. Eam venit in urbem Bernardinus Feltrenſis prædicaturus, quod alias diximus; velo elevato, oculos a concio-

Et Soror Bonaventura ab Antrodocco. *Marian. libr. 5. cap. 49. Cimarell. lib. 4. cap. 44.* Qualis illa fuerit.

Tomo 14. anno 1481. n. 22.

nante non potuit Bonaventura removere. Reprehenſa a Magiſtra, quod diſcooperto vultu, fixis oculis diu quemquam mirata ſit, reſpondit, non prædicatorem, ſed Angelum Dei pulcherrimum adſtantem, & libro expanſo, quæ diceret, edocentem, ſe toto illo tempore conſpexiſſe. Paulo poſt in cœlum Birgitta translata, ne ſola inter mundi pericula fluctuaret, Monaſterium Corporis Chriſti ingreſſa, primam Regulam ſanctæ Claræ profeſſa, in aſſiduis vigiliis, jejuniis, orationibus perſeverans, adoleſcentiori adhuc ætate tempora multa complevit.

Monume. MSS. Prov. Polon.

VI. Turcæ, Schytæ, & Valachii junctis agminibus, hoc anno circa Montes Hungariæ, in dominio Regis Poloniæ, omnia longe lateque vaſtaverunt. In Samboriam feria ſecunda ante feſtum ſancti Bernardini venientes, Civitatem combuſſerunt, & in Cœnobium Minorum, de quo alias diximus, irruentes, duos Fratres laicos ſenes crudeliter occiderunt, Joannem de Hungaria a beato Joanne Capiſtranenſi initiatum, virum piiſſimum, humillimum, caſtitatis amatorem, Divinis viſionibus aſſuefactum, quem uno ictu frameæ diviſo capite & pectore, interfecerunt, & ſeculares in loco carnificinæ ſepelierunt, ſed excreſcens Neſtrius fluvius ſepulcrum complanavit; & Boguslaum Capiſtranenſis ſocium in glorioſa illa de Turcis ad Belgradum obtenta victoria. Guardianus, qui cum ſeptem Fratribus fugerat, in hoſtes incidit, duramque paſſus eſt ſervitutem.

Tomo 14. anno 1472. n. 103.

In Hungaria duo pro Chriſti fide occiduntur Minoritæ.

Multa Conventualia Cœnobia reformantur.

VII. Magno augebatur incremento Sodalitium Obſervantum, ſed æquo Conventualium decremento, quorum domicilia ad illos transferebantur. Etenim in Germania & Belgio Maximilianus Imperator, in Hiſpania Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici, promotore Franciſco Ximenio Toletano Antiſtite; in Gallia Carolus VIII. inventore & executore Ludovico de Amboyſia, cognomento *Bono*, Epiſcopo Albienſi, perpetuis conatibus reformandæ Religioni, & reſtituendæ Regulari diſciplinæ inhiabant: ubi traditæ a ſancto Franciſco formulæ Obſervantiam profiteri, & ſub Vicariis provinciarum conſervare placebat, ſuis in domibus permanere licebat Conventualibus, ubi vero diſplicebat, alio erat transmigrandum. Querimoniæ quidem graviſſimæ ad Pontificem contra Conventuales paſſim mittebantur, partim forte confictæ, ut ſuis ſedibus pellerentur; partim veræ, ſed non tam enormes culpæ quam ferebantur. Id ſane commune vitium per univerſas ferme regnabat domos violatæ paupertatis, mollioris veſtis, laxioris victus, liberioris converſationis. Hinc frequentes Principum animadverſiones, deinde duriores increpationes, demum turbulentæ pulſiones. Has illi injurias Obſervantibus referebant acceptas, quos populorum dicebant incentores, ut ſpecioſius domos occuparent. Ut certo res conſtarent, ad provinciarum Rectores & Eccleſiarum Antiſtites Pontifex mittebat examinandi facultatem: atque hi Conventualibus parum propitii, in partes tranſibant Obſervantum. Multas hujuſmodi commiſſiones, & Conventualium quærelas ſub hoc tempus reperio in Vaticano regeſto.

Præcipitur ne Cōventuales admittant Obſervantes.

VIII. Ex adverſa parte Obſervantes conquerebantur tendiculas ſibi a Conventualibus excogitatas, ſe frequenter ab illis oppreſſos, impeditas domorum ſtructuras, receptos errones, qui ſuperiorum fugiebant ſupplicia. Hoc ipſo quidem anno octo admiſerunt Brixienſes, qui Vicarii Obſervantum declinabant diſciplinam, & alibi pleroſque. Ludovicus Turrianus Vicarius Generalis ut primum hoc anno creatus eſt, expoſtulavit injuriæ Miniſtrum Generalem; ſed dum nihil proficeret, hoc impetravit a Pontifice remedium.

Dilectis filiis Ludovico della Turre, Generali Vicario & Provincialibus Ciſmontanis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

Ex bulla originali.

D*Udum pro parte Fratrum veſtri Ordinis felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. prædeceſſori noſtro expoſito, quod licet recolendæ memoriæ Pius II. & Paulus etiam II. ac Sixtus IV. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri per diverſas eorum litteras inhibuiſſent Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, Conventualibus nuncupatis, & aliis quibuſcumque perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus & conditionis, ne Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, veſtræ obedientiæ ſubjectos reciperent ſine licentia ſuorum ſuperiorum in ſcriptis habita: nihilominus nonnulli ex eiſdem profeſſoribus, Conventualibus nuncupatis, & alii, qui etiam ſe* de Obſervantia *faciunt nuncupari, ab obedientia Miniſtrorum Generalis & provincialium Fratrum Conventualium eorumdem exempti, & veſtræ obedientiæ non ſubjecti, plures Fratres veſtræ obedientiæ ſubjectos, apoſtatas & ſcandaloſos, ac diſciplinam Ordinis veſtri fugientes, contra inhibitionem hujuſmodi perſæpe recipiebant, retinebant, ac mittebant quocumque trahebat eos affectio inordinata, aſſerentes prædicta facere poſſe, Apoſtolica auctoritate ſuper hoc eis conceſſa: Idem Innocentius prædeceſſor, veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinatus, eorumdem Pii, Pauli, & Sixti prædeceſſorum inhibitionem & litteras prædictas, ac prout inhibitionem eamdem concernebant, omnia & ſingula in dictis litteris contenta, per alias ſuas litteras in forma Brevis, auctoritate Apoſtolica approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere, ac obſervari debere decrevit, ac mandavit illis, quatenus aliquem ex veſtri Ordinis profeſſoribus, de Obſervantia nuncupatis, contra inhibitionem eamdem ſine licentia hujuſmodi receperant, & ex tunc in poſterum quandocumque reciperent, ſub pœnis & cenſuris in litteris prædeceſſorum ſuarum prædictorum contentis, ut poſtquam requiſiti forent, aut alias ad notitiam eorum perveniſſet, ſuper talium ſic receptorum tunc & pro tempore remiſſione ad obedientiam Prælatorum veſtri Ordinis, a qua apoſtaverant, illos ſine mora juxta inhibitionem hujuſmodi remitterent, & eiſdem, qui ſic apoſtando recepti fuerant, ut ad eamdem obedientiam, a qua ſine licentia receſſerant, redirent, & locorum Ordinariis, ac perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, Cathedraliumque Eccleſiarum Canonicis & Ordinariorum eorumdem officialibus, ac in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, quos deſuper pro parte veſtra requiri contingeret, ut tales qui ſic receſſerant, & pro tempore recepti fuerant, remitterent ad obedientiam hujuſmodi, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, & alia opportuna juris remedia compellerent, facerentque & mandarent, eos non parentes eorum mandatis, cenſuris prædictis, per litteras prædeceſſorum prædictorum in eos inflictis irretitos publice nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, donec parendo eiſdem, meruiſſent abſolutionis ab eiſdem cenſuris beneficium obtinere, prout in eiſdem Innocentii prædeceſſoris præfati litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, vos cupiatis ejuſdem Innocentii litteras prædictas, & in illis contenta noſtræ approbationis munimine roborari. Nos, qui veſtræ obedientiæ ſubjectos Fratres prædictos, de Obſervantia nuncupatos, eorum exigentibus meritis, paterna diligimus in Domino caritate, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, Pii, Pauli, Sixti, & Innocentii prædeceſſorum noſtrorum prædictorum veſtigiis inhærentes, venerabilis fratris no-*

no ſtri Georgii Epiſcopi Albanenſis, Cardinalis Ulixbonen. veſtri Ordinis Viceprotectoris in hac parte ſupplicationibus & ſuaſionibus annuentes, inhibitionem prædictam, & prout illam concernunt, omnia & ſingula in eorumdem prædeceſſorum noſtrorum prædictorum litteris contenta quæcumque, quoad Fratres veſtræ familiæ Ciſmontanæ, dicta Apoſtolica auctoritate approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere, & obſervari debere, eadem auctoritate decernimus; ac illis, quos ab obedientia Prælatorum Ciſmontanorum veſtri Ordinis apoſtatando in poſterum recedere continget ſine licentia hujuſmodi, veſtri Ordinis profeſſoribus, & illis, qui eos in futurum recipient, dicti Ordinis Conventualibus nuncupatis, & aliis Fratribus, nec non locorum Ordinariis, eorumque officialibus & Vicariis, ac in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis perſonis, necnon Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ut ejuſdem Innocentii prædeceſſoris mandato prædicto obtemperent, omni excuſatione poſtpoſita, præfata auctoritate diſtricte præcipiendo mandamus. Et quia difficile foret ſingulas eorumdem prædeceſſorum, & præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus eis uti oporteret, deferre: volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earumdem litterarum tranſumpto, manu publici Notarii ſubſcripto, & tui & eorum, qui pro tempore erunt Generales Ciſmontani Vicarii ſucceſſorum veſtrorum ſigillo munito, adhibeatur plena fides in judicio & extra, ubicumque tranſumptum hujuſmodi fuerit exhibitum vel oſtenſum, prout, & ſicut adhiberetur ipſis originalibus litteris, ſi exhiberentur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quacumque licentia ab alio, quam a nobis ſuper receptione hujuſmodi Fratrum Ciſmontanorum veſtri Ordinis ſine licentia prædicta Prælatorum eorumdem receptione dictis Fratribus Conventualibus nuncupatis, & aliis, qui de Obſervantia ſe nuncupari faciunt, & pro exemptis ab obedientia & ſubjectione Generalis, & Provincialium Miniſtrorum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatorum ſe gerunt, in genere conceſſa, & quam in poſterum concedi contingeret, ac deſuper confectis & conficiendis litteris Apoſtolicis quibuſcumque, illis præſertim, quas felicis record. Sixtus IV. ſuper facultate recipiendi Fratres familiæ veſtræ, ſine licentia prædicta, certis de cauſis in eis expreſſis conceſſit, & quas nos etiam confirmamus & innovamus, quibus illas, etiam ſi de eis & illarum tenore de verbo ad verbum, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, & in eis caveretur expreſſe, quod illis numquam cenſeretur derogatum, nedum, & quoties eis ſub certis ibi expreſſis modo & forma, ac verborum conceptione contingeret derogari, & quævis aliæ clauſulæ etiam derogatoriarum derogatoriæ, fortiores & inſolitæ continerentur in eis, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac omnibus illis, quæ prædeceſſores præfati in dictis eorum litteris voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod vos & Fratres familiæ veſtræ litteras Apoſtolicas, de concordia nuncupatas, inter vos & Fratres Conventuales veſtri Ordinis editas, quoad omnia & ſingula in eis contenta ſub ſententiis, cenſuris & pœnis in litteris Sixti præfati ſuper eiſdem litteris de concordia in forma Brevis conceſſis, obſervare teneamini, alias præſentes litteræ nullius ſint roboris vel momenti. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. *Novembris* MCCCCXCIX. *Pontificatus noſtri anno* VII.

IX. Similes litteras de non recipiendis ſuis Fratribus per Conventuales, aut Obſervantes, neque occupandis eorum domibus, hoc anno impetrarunt Fratres ſocietatis Amadei Hiſpani, quarum exemplar ſubjicio.

Ad

Ad perpetuam rei memoriam.

Lib. 159. fol. 150. Jubetur ne Amadeitæ ab aliis recipiantur, & ne illorum domus occupentur.

EA quæ pro perſonarum &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis & Fratrum Ordinum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Societatis quondam frutris Amadei de Hiſpania, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod per nonnullos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ne tam dicti Ordinis Fratres Conventuales, quam de Obſervantia Generali dumtaxat, ſeu etiam Provincialibus Miniſtris ſubditi Obſervantium, & e converſo illi de Obſervantiu Conventualium Fratrum prædictorum aliquam domum ſeu Conventum, aut Monaſterium Monialium de novo recipere, invadere vel perturbare, ſeu de illis ſe quomodolibet intromittere: quodque Conventuales & de Obſervantia alii Fratres, dicto Generali, ſeu Provincialibus Miniſtris ſubditi, ne aliquos Fratres, ſub Vicariis vivere ſolitos, tranſfugas, ſeu ad eos fugientes, niſi oſtenderent litteras ſuæ licentiæ a Prælatis ſuis per eos obtentas, in quibus continetur nomen Conventus a quo recederent, & illius ad quem remiſſi forent, etiam prætextu cujuſvis licentiæ ſuper hoc ipſis Fratribus Conventualibus, ac aliis de Obſervantia, dictis Vicariis non ſubditis, eorumque Prælatis a Sede Apoſtolica conceſſæ; & e converſo Fratres, de Obſervantia nuncupati, ſcandaloſos & criminoſos Fratres Conventuales acceptare quomodolibet præſumerent, ſed ad Prælatos ſuos remittere deberent, & ſub excommunicationis pœna, quam in contrafacientes, & eis auxilium præſtantes promulgarunt, prohibitum fuerit, prout in litteris Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur: dictique Cuſtos & Fratres Societatis Amadei bujuſmodi, etiam de Obſervantia nuncupentur, & Generali Miniſtro dumtaxat ſubſint, & in vinea Domini, ac fructiferarum plantationibus arborum, in odore bonæ famæ, juxta Regularia ejuſdem inſtituta, non deficiant: Nihilominus a nonnullis nimium curioſis, & ipſorum Cuſtodis & Fratrum malevolis aliquando deducitur in dubium, quod Cuſtos & Fratres Societatis ſub dictis litteris non continentur, nec privilegiis ipſis gaudere debent. Quare pro parte Cuſtodis & Fratrum prædictorum aſſerentium, quod ipſi cupiunt gratiis & indultis, Fratribus dicti Ordinis, de Familia nuncupatis, per Sedem Apoſtolicam conceſſis, uti poſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnia & ſingula privilegia, gratias, conceſſiones & indulta eidem Amadeo, aut dictis ſuæ ſocietatis Fratribus per Sedem eamdem conceſſa, approbare & confirmare, eiſdem Cuſtodi & Fratribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis & indulgentiis, dictis Fratribus, de Familia nuncupatis, per Sedem prædictam conceſſis, uti poſſint, concedere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitute Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Cuſtodem & ſingulos ex Frutribus Societatis hujuſmodi a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia, gratias, conceſſiones & indulta, Amadeo & ſuæ Congregationis Frotribus prædictis, ſub quacumque forma & expreſſione verborum per Sedem antedictum conceſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & innovamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus. Et nihilominus Cuſtodi & Fratribus prædictis, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indultis & indulgentiis, eiſdem Fratribus, de Familia nuncupatis, per Sedem eumdem in genere conceſſis, & quibus utuntur & uti poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere poſſint & valeant,

Eis communicentur omnia privilegia & gratiæ conceſſæ Obſervantibus.

leant, auctoritate & tenore præmiſſis indulgemus. Et inſuper tam eiſdem de Familia, & aliis de Obſervantia Vicariis Provincialibus, quam aliis etiam de Obſervantia, ac Conventualibus Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Vicariis præfatis, & aliis Prælatis ejuſdem Ordinis quibuſcumque, ne deinceps perpetuis futuris temporibus, etiam prætextu quarumcumque litterarum, ab eadem Sede, aut alias qualitercumque, ſub quibuſvis formis & expreſſionibus verborum etiam conderogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis, in genere vel in ſpecie conceſſarum hactenus & in poſterum forſan concedendarum, aliqua Monaſteria, domos, Conventus, vel loca alia Fratrum dictæ Societatis occupare, aut de novo accipere, invadere vel perturbare, ſeu alias de illis ſe intromittere, vel aliquos Fratres vel Sorores dictæ Societatis ad eos fugientes, vel alias quomodolibet accedentes recipere, manutenere, vel eis auxilium, conſilium vel favorem præſtare quoquomodo præſumant, niſi de licentia ſuorum Prælatorum aut Superiorum etiam in ſcriptis obtenta, quorum ſi aliqui ex eis de cetero ad eos venerint, illos ad Superiores & Prælatos ejuſdem Societatis corrigendos & puniendos remittant, & ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes, & eis auxilium, conſilium vel favorem præſtantes eo ipſo incurrant, a qua non niſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo abſolvi nequeant, eiſdem auctoritate & tenore inhibemus: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. *pridie Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno* VI.

Gomez. de rebus Ximenii lib. 1. in fine.

X. Frater Franciſcus Ximenius Toletanus Antiſtes, poſtquam ſub finem anni præteriti Reges Catholicos Compluti ob immaturam mortem Joannis Principis, ſecutumque Margaritæ abortum, quam ille gravidam reliquerat, nimio mœrore pene obrutos piiſſimis verbis conſolatus eſt, & ſub Aprilis finem Toletum profectos comitatus, ſtatuit ſecundam Sacerdotum Synodum diœceſis rebus corrigendis, confirmandiſque indicere. Dum itaque Reges Toleti dimorantur, ille Talabricæ congregandam curat in ædibus ſui hoſpitis Joannis Ayalæ, viri in eo oppido primarii, magna Sacerdotum frequentia. Ipſe ſingulis ferme diebus Pontificio ornatu ſacra celebrabat, concioneſque de rebus ad ſanctam Synodum ſpectantibus, a viris doctrina & probitate claris habebantur: ob quas Gregorius Caſtellus judex Pontificius magnam apud omnes gratiam, ſed apud Ximenium potiſſimum inivit. Ibi ea omnia, quæ priore Synodo conſtituta fuerant, rurſus approbata & confirmata ſunt: multa item de novo adjecta. Ex quibus unum cum primis egregium, & ad morum licentiam emendandam neceſſariam eſſe viſum fuit, ut in futurum, ſcilicet, ſingulis quibuſvis annis Synodus ſaltem ſemel haberetur, ſed varia deinde negotiorum mole paſſim in Republica gliſcente, ejuſmodi Synodi per eum cogi amplius nequiverunt.

Ximenius Synodum cogit.

Cæſarauguſtam ad Regni Comitia vocatur.

XI. Poſt Conventus Sacerdotum celebratos, vulgatoſque, dum ſacris profaniſque ſuæ diœceſeos rebus componendis Talabricæ totus intentus eſſet, Reginæ, quæ Toleti agebat, & Cæſarauguſtam proficiſci parabat, ubi ſolemnes Conventus habendi erant de rebus permultis ad Reipublicæ utilitatem pertinentibus, litteræ ſunt redditæ, quibus jubebatur, ut quamprimum Reginam ſequeretur: cujus opera & conſilium magno uſui eſſent futura. Paruit illico Ximenius, & Complutum, quo Reges iter contulerant,

Digitized by Google

rant, properat; ubi paucis diebus commoratus, in Toletana & Complutenſi præfectura, quæ in ſua diœceſi ampliſſimæ ſunt, duos graviſſimos viros Villalpandum & Friaſium, Vicarios conſtituit, & Regium e veſtigio comitatum eſt ſecutus. Iter illi per Seguntiam neceſſario faciendum fuit, ubi prima Pontificatus gerendi rudimenta Vicarius Petri Gonzalvi Mendozii exercuerat. Sacerdotes Seguntienſes ad Fontem calidum, id eſt vico nomen, obviam prodeuntes, Primatem venerabundi ſalutarunt: ſenes præſertim, qui longæ ætatis beneficio quondam Vicarium viderant. Ille omnes comiter ſuſceptos, cupidiſſimos ſui dimittit. Nam qui hominum, quibus cum vivunt, tractandorum artem noverunt, quoſdam ſtimulos, & plenos veri amoris impetus, ſuæ erga eos benevolentiæ relinquere conſueverunt.

XII. Ventum eſt Harizam, proximum Caſtellæ limitibus regni Aragoniæ oppidum, ubi illuſtri apparatu a Sacerdotibus ſuſceptus, quamvis alieni Regni ditionem ingreſſus, ſuique juris in primis tenaciſſimi, Crucem tamen quæ de more Patrum, Toletanum Antiſtitem celſa præcedit, illic quoque antecedere ſe juſſit. Meminerat Petrum Gonzalvum Mendozium, præclariſſimo elogio teſtamento declaraſſe, Crucem argenteam, quam ſacro Eccleſiæ Toletanæ ærario legavit, Granatæ olim in Alhambrana arce pro vexillo erectam, prima deditæ urbis auſpicia demonſtraſſe, ſeque ſemper, aut iter facientem, aut in urbibus diverſantem, per Compoſtellanam, Hiſpalenſem, Granatenſem, Cæſarauguſtanam, Tarraconenſem, Valentinam, aliaſque omnes diœceſes præceſſiſſe, ut Primatus inſigne. Hæc honoris prærogativa, Regum, populorumque conſenſu Toletanis Præſulibus meritiſſime data eſt.

XIII. Cum Cæſatauguſtam acceſſit, quo Reges haud ita dudum pervenerant, voluit ſine ullo ſtrepitu urbem ingredi, ſed proceres non permiſerunt. Nam inter alios Alphonſus Aragonius, Catholici Regis Ferdinandi filius, Cæſarauguſtanus Antiſtes, & Aragoniæ Regnis gubernandis præfectus, humaniſſimis officiis Toletanum Præſulem proſecutus eſt. Hic cum res graves incidiſſent, quibus tractandis Ximenii præſentia neceſſaria fuit, nulla in re, quantum prudentia valeret, magis oſtendit, quam cum Iſabella Regnorum hæres, in Emanuelis Luſitani conjugis complexu, qui illuc venerat una cum uxore, poſt Joannis Principis mortem, Regnorum ſucceſſioni ab Aragoniis deſtinandus, acerbiſſimo fato erepta fuit. Nam Aragonii, Valentini, & Catalonii ingenti controverſia in dubium vertebant, an ſucceſſio illorum regnorum ad fœminam poſſet jure devolvi. Sed partus doloribus ſubito correpta, quorum impotentiæ, & vi infirma alioqui puella ſufficere non valens, animam efflavit. Quæ, ut Scriptores ejus temporis teſtantur, longiſſima vita digna fuerat. Nam ut nomine & vultu, ita quoque animi dotibus matrem clariſſimam referebat, corpore tamen macro magis & gracili. Cum ergo e dolore graviter laboraret, Ximenium acceſſi Regina jubet, ut in tam gravi diſcrimine parturientem religioſis dictis confirmaret, & ad omnem fortunæ caſum paratam faceret.

XIV. Hoc ita prudenter Ximenius effecit, ut cum eam ex vultus conjectura morti proximam jam eſſe præſentiret, piiſſimis ſermonibus ſic mortem contemnendam eſſe perſuaſerit, ut hac vita mortali ſpreta, ad Deum quamprimum evolare concupiſceret. Vix ex utero prodeunte infantulo, animam in Ximenii manibus Iſabella emiſit, non indignantem aut mœrentem quod ante diem in ætatis flore occumberet, ſed potius Viri ſanctiſſimi monitis exultantem & lætam obnixe. In illa ultima vitæ reſpiratione, a Ximenio,

nio petiit, ut deſolatorum parentum curam ſuſciperet; & ne quid ex ſubito caſu incommodi caperent, provideret: nam eos proculdubio tam gravi ictu conſternandos eſſe certo noverat. Fecit id ſedulo Ximenius, & cum utrumque parentem mœſtiſſimum offendiſſet, & Iſabellam apud Deum Optimum Maximum agere, profuſis lacrymis dixiſſet, tanta commiſeratio Regum animos invaſit, ut Antiſtitem bono animo eſſe juberent, & ſe mortales eſſe, & mortalem genuiſſe dicerent, & ob temporis tranſacti uſuram gratias agere Deo immortali.

Qualiter jecerit prima Complutenſis Academiæ fundamenta.

XV. Antequam vero Toletum, & inde Cæſarauguſtam proficiſceretur, nobiliſſimæ & per orbem celeberrimæ Academiæ fundamenta poſuit, juxta ſymmetriam Petri Gumelii præſtantiſſimi architecti ante adumbratam. Etenim pridie Idus Martias, hora ferme poſt meridiem quarta, Cruce Franciſcani Cœnobii præeunte, & Sodalibus religioſe ſupplicationem facientibus, jacta ſunt Collegii, divo Ildefonſo dicati, fundamenta. Quibus ille proſcindendis adfuit, & antequam lapis primus poneretur, quod felix fauſtumque eſſet, puris precibus ad Deum fuſis, auſpicatiſſima oratione, & ſigno crucis locum expiavit, Geniumque Complutenſem illuſtriorem fecit. Illic enim ſub Sanctio IV. Caſtellæ Rege, qui *Ferox* cognominatus eſt, Gonzalvum II. Archiepiſcopum Toletanum ſcholam condidiſſe certum eſt, eiſdem immunitatibus præditam, quibus Pintianum gymnaſium, ut ex diplomate Regio, quod Compluti adſervatur, ſatis conſtat. Nimirum ſitus hilaritas, & vicini fluminis amœnitas cum pari cœli benignitate, modo non clamare videbantur, ſedes illas Muſis aptiſſimas eſſe. Ergo illico aurea & argentea numiſmata per Gonzalvum Zegri, qui tunc forte Ximenio comes fuit, fundamentis de more priſco ſunt injecta, & imaguncula palmi longitudine ex ære fuſa, ſacco & cucullo Franciſcanum Monachum referens, dextro frontiſpicii latere, concavo loco poſt primum lapidem in fundamento eſt collocata, intra cujus cavum pectus pergamena charta, ut ajunt, incluſa fuit, Franciſci Ximenii Fundatoris, & Petri Gumelii architecti, & anni, menſis, & diei, quibus ea geri cœpta ſunt, memoriam ſervans. Mirum eſt hunc diem a ſapientiſſima Academia inter faſtos ſuos repoſitum non fuiſſe, & religione maxima celebratum: quemadmodum olim natales urbium dies colebantur, & nunc dedicationes baſilicarum, & templorum coluntur. Cum præſertim exemplis innumeris ejus diei felicitatem fulgere videamus, tam ingenti doctrinæ luce Hiſpaniæ reipublicæ, & Caſtellæ potiſſimum dominiis.

Ximenii frater Minorita petit licentiam vitâ eremiticam agendi.

XVI. Ximenii germanus frater Bernardinus, Minorita, in Monachatu haud vulgariter pius & religioſus, ſed in fratris aulam admiſſus, plurimum mutatus ab illo, hoc anno ſive ficta pietate, ſive doloris impatientia, aut verecundia preſſus, quod a Ximenio propter animi inconſtantiam, exilem in rebus agendis prudentiam, effrenem in fraternis ædibus dominandi ambitum, multoties carperetur, aliquando domo pelleretur, a Pontifice petiit facultatem ad eremitorium, aut ſolitarium aliquem locum cum tribus aut quatuor ſociis ſecedendi. Annuit Pontifex, ſed vel non perrexit, vel parvo perſeveravit tempore: nam in cœtum iterum a fratre admiſſus, inſolentior factus, cum neminem ſibi præferri pateretur, graviter læſit prudentiſſimi Antiſtitis patientiam, & perſæpe tentavit; eo etiam inſaniæ prorumpens, ut & mortem tentarit inferre. Gomeſius Ximenii rerum geſtarum ſerius & ſincerus hiſtoricus, ſe hominem Compluti ſeneſcentem, molli otio, & genio indulgentem conſpexiſſe narrat, ſtatura procera, fronte perfricta, vultu mirum in modum rubro, flammeoque, naſo prælongo & in-

incurvo, oculis introrſum reductis, totiuſque corporis firma quidem compactione, ſed macra. Conceſsi a Pontifice diplomatis profero exemplar.

Dilecto filio Bernardino Ximenez, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſori, ſalutem &c.

XVII. *Religionis zelus &c. Hinc eſt, quod nos tibi, qui, ut aſſeris, venerabilis fratris noſtri Franciſci Archiepiſcopi Toletani frater germanus exiſtis, & pro animæ tuæ ſalute, & vitæ quiete in aliquo eremitorio, ſeu loco ſolitario degere cupis, præmiſſorum meritorum tuorum intuitu ſpecialem gratiam facere volentes, ac a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtas, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quoad vixeris, ut etiam una cum tribus vel quatuor ſociis Ordinis Fratrum Minorum, quem, ut etiam aſſeris, expreſſe profeſſus exiſtis, profeſſoribus, per te pro tempore eligendis, quoties animæ tuæ ſaluti videris expedire, ad aliquod eremitorium ſeu locum ſolitarium, aut aliquam dicti Ordinis domum, ultra vel citra montes conſiſtentem, in quo vel qua Deo ſervire poſſe arbitraberis, abſque alicujus licentia tranſire, & inibi, quamdiu tibi placuerit, permanere; ita quod per quoſcumque Superiores & Fratres dicti Ordinis, tu & ſocii prædicti, ſeu aliquis veſtrum inde revocari, aut alias propterea a quoquam quomodolibet moleſtari nequeatis; tuque ac ſocii prædicti, ac veſtrum quilibet etiam in eremitorio, ac quocumque alio loco hujuſmodi pro tempore manentes, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, indulgentiis &c. utamini, potiamini & gaudeatis in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi in domibus Ordinis de Obſervantia hujuſmodi degeretis; quodque ſi contingat te in aliquo loco exiſtere, ubi Sacerdos dicti Ordinis, cui peccata tua confitearis, commode haberi non poſſit, alicui alteri cujuſvis alterius Ordinis Regulari, & eo deficiente, etiam ſeculari Presbytero peccata tua confiteri, qui ab omnibus tuis peccatis, a quibus dicti Ordinis Minorum Superiores, Fratres ſibi ſubditos abſolvere poſſunt, tibi debitam abſolutionem impendat, & pro commiſſis injungat pœnitentiam ſalutarem, libere ac rite valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in Provincialibus ac Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXCVIII. *pridie Idus Julii, Pontificatus noſtri anno* VI. Lib. 161. fol. 75.

XVIII. Incidit in hunc annum, & Aſcenſionis Dominicæ pervigilium, infelix mors, deplorandusque exitus Hieronymi Savonarolæ Ferrarienſis, Silveſtri Florentini, & Dominici Piſcienſis Ordinis Prædicatorum, quem ego quidem libentius tacerem quam referrem, niſi importunæ, totieſque repetitæ Abrahami Bzovii querimooiæ, objectæque Minoritis, quaſi totius mali auctoribus criminationes, non tam ingratam & odioſam facti narrationem, quam neceſſariam & juſtam objecti criminis purgationem etiam invito extorquerent. Toties, tamque acriter & injurioſe per varios annos iſta inculcat, ut lectori nauſeam ingeneret, & patientiſsimo cuiquam injuriarum bilem commoveat. Exſcribere non licet, neque libet tot offenſiones: vel ſolam illam aſpiciat lector, quæ iſthoc anno num. 22. conglomeravit.

Corrigitur Bzovius in hiſtoria mortis Savonarolæ.
Vide Bzovium an. 1492. 1497. 1498.

Qualia illa verba, quibus longam & horribilem claudit accuſationem: *Ab eorum ipſorum*, Minoritarum, *conatibus*, *omnia in Hieronymum*, *& ſocios acta*, *confićta*, *tentata*; *cum pretium operæ a Magiſtratu obtinuiſſent*, *ſexaginta libras Florentinas ad plurimos annos conſequentes*, *anniverſarias in ferculum*: *ut ſcilicet de Hieronymo proſtrata gaudentes haberent*, *quod in triumpho ederent tam præclaro*. Nolo in re quidem ingratiſsima Bzovii inſtar ſermonem diffundere, neque largius circa iſthæc expaciari: paucis abſolvam, iis in defenſionem adductis, quæ vel ipſe Bzovius aſſeruit, & velit, nolit, admittet.

Chron. Ord. Prædic. ſub 16. Magiſt. Ordinis. Savonarola multorum incurrit offenſionem.

XIX. An merito vel immerito paſſus ſit Hieronymus, dijudicare nolo; neque enim illas hic ſumo partes, hominem aut accuſandi, aut purgandi. Ab illo breviorum Chronicorum illius Inſtituti elogio non recedo: *Non parva ſanctitatis apud multos*, *& doctrinæ apud omnes floruit opinione*. Sed apud ſuos, præſertim Lombardiæ Patres, male audivit, propter ſegregatas in peculiarem Congregationem Reformatorum aliquot domos; offenſionemque gravem incurrit Florentinorum in factiones diviſorum, propter increpandi libertatem; Mediolanenſis Ducis Ludovici Sfortiæ, & Venetorum, quibus multa mala prædixit; Pontificis Alexandri & Romanæ Curiæ Prælatorum, quorum mores vehementius & frequentius, quam decebat, e roſtris carpebat, Eccleſiæ reformationem & renovationem in proximo futuram nimis fidenter & aperte prædicens. Acceſſit ad hæc, quod Gallorum eſſet ſtudioſior, quam alii vellent, & ſæpe prophetaret, Carolum VIII. (qui paulo antea mira facilitate Florentiam, magnam partem ſubegit Italiæ, terruitque univerſam) cito regreſſurum, negotiumque ſibi a Deo commiſſum reformandi cleri, multoſque puniendi, perfecturum. Alia inſuper addebat Vaticinia, veluti cœlitus accepta, quæ turbulentum populum, ſtudia in contraria diſciſſum, amplius turbabant. Alii Regem expectabant, alii magna contentione fruſtra expectandum aſſerebant, dolumque ſubeſſe, & Hieronymum, qui ſit hæreticus & homo ſceleratus, in flumen eſſe præcipitandum. Auxit invidiam & odium inexpectatus nuncius repentinæ Caroli mortis, apoplexia ſeptimo die Aprilis Amboſiæ defuncti. Hinc amplius Savonarolæ auctoritas Florentiæ concidit; etenim prius apud Pontificem in crimen fuerat vocatus, quod non ſine offenſione in Sacerdotum, Curiæque Romanæ mores pro concione inveheretur, quod Florentiæ diſcordias aleret, quod ejus doctrina nequaquam per omnia ſana eſſet. Auxit etiam malum, quod Pontificiis litteris Romam accitus, venire noluerit, quod interdictum concionandi munus, ſpretis Apoſtolicis mandatis, propria auctoritate reſumpſerit; aſſerens diras in ſe a Pontifice contortas, Divinæ voluntati repugnare, ac tamquam bono publico pernicioſas, iniquas eſſe, nulliuſque momenti: quæ dum pro concione denotaret, Pontificem totamque ejus Curiam vehementiſſimis verbis caſtigabat; quod & plures ex Sodalibus ipſius diverſis in templis facere non ceſſabant.

Magnæ propter eum commotiones in urbe Florentina.

XX. Hinc magnis in Urbe excitatis motibus, Pontificis auctoritatem tuentibus plurimis, & Hieronymi contumaciam deteſtantibus; illius fautoribus ex adverſo contendentibus, hominum gratia, haud eſſe Divina opera turbanda, in tanta turbatione etiam fervebant ſtudia Sacerdotum. Cœperunt aliarum Sodalitatum Monachi adverſus eum vehementiſſime concionari, Marianus præſertim Genezanius, ſummus ſui temporis declamator, Ordinis ſancti Auguſtini Prior Generalis, & ex Dominicanis plerique, e Franciſcanis non pauci. In eum furorem tamdem prorupere, ut Dominicus Piſcienſis Savonarolæ diſcipulus, & Franciſcus Focius Apulus Minorita

Ob-

Digitized by Google

Obſervantinus. conveneriot, ut ambo flammas, populo univerſo ſpectante, ingrederentur; ſicque ex incolumitate, vel incendio defenſoris, aut impugnatoris, eſſetne Savonarola verus Dei Vates, an ſalſus & impoſtor omnes liquido cognoſcerent. Id autem idcirco afferebatur, quod is ſæpius pro concione aſſeveraſſet, ſe in ſuæ doctrinæ teſtimonium a Deo impetraturum, ut incolumis per medias flammas pertranſiret. Ad dictam diem cum temerarii hi duo Divinæ voluntatis exploratores, cunctis ſuis Sodalibus comitantibus, inſania ferme incredibili, in Prætorianum forum conveniſſent, quo non modo Florentinus Populus univerſus, verum etiam e vicinis urbibus complures advolarant, cum Minorita Piſcienſem ſacris veſtibus indutum, ſacram Euchariſtiam manu geſtantem, Savonarola jubente, ad experimentum proceſſiſſe perciperet, reclamare cœpit, dicens, hac ratione Chriſtianæ fidei veritatem in diſcrimen, & Piſcienſis indemnitatem, ſi quæ foret, non ipſius, aut Magiſtri innocentiæ, ſed Sacroſancti, quod geſtabat, pignoris dignitati adſcribendam. Savonarola vero, qui aderat, in ſua ſententia perſeverante, atque ita inter eos diſſenſione exorta, ad condictum experimentum non proceſſerunt. Temerarium experimentum.

XXI. Aliud experimenti genus, æque inſanum, ac primum, ipſum Hieronymum Minoritis propoſuiſſe, idque Pontifici, & ſuo Generali ſcripſiſſe, his ipſis verbis Bzovius enarrat: *Ut ſcilicet hi, qui illum falſitatis criminarentur, ſepulturam una ſecum alicujus defuncti ingrederentur. Si quis vita functum ad vitam revocaſſet, is vero innocens a crimine eſſet, vel impoſito, ſi calumnia oppreſſus; vel impoſturæ, ſi aliquem calumnia oneravit. Joannes Picus, Comes Mirandulanus, ab aliquot annis Florentiæ fato functus apud ſancti Marci decumbebat. Hunc vero Joannes Franciſcus nepos reſuſcitatum cupiens, utriſque ad experimentum proponebat. Ceterum Minoritani perbelle irridebant, & non tam ut ne Deum tentarent, quam ut ne riſum excitarent, miraculorum teſtimonium detrectabant.* Aliud æque inſanum. Bzov. hoc anno n. 12.

XXII. Cum hujuſmodi inanibus propoſitis experimentis nullum ſuæ doctrinæ adveheret præſidium, & magno urbis periculo ſtudia partium quotidie augerentur, exorto quodam tumultu, captus eſt Hieronymus cum prædictis duobus, & in carcerem publicum conjectus. Miſſi a Pontifice, qui in eum inquirerent, Franciſcus Remolinus, urbis Romanæ Gubernator, poſtea Archiepiſcopus Surrentinus, Cardinalis, & Prorex Neapolitanus, & Joachimus Turrianus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter: *Quem dulciſſimum & humaniſſimum fuiſſe, in benignitate & caritate Ordinem gubernaſſe, nulli moleſtum niſi malis, bonis omnibus bonum, & cum magna Ordinis mæſtitia, qui Patrem Fratrum ſe amiſiſſe dolebat, deceſſiſſe*, citata ejuſdem Ordinis chronica recenſent. Hi morte dignum, propter crimen præſertim hæreſis pronunciarunt, cum prius Alexander Pontifex, uti Bzovius refert, eum hæreticum, ſchiſmaticum, perſecutorem ſanctæ Eccleſiæ, ac populorum ſeductorem renunciaverit, ac titulo eorumdem criminum judicio Commiſſariorum, quos mittebat, ſubjecerit puniendum. In eo foro, quo per ignem ſe ſuoſque tutelares illæſos tranſituros fidenter nimis aſſerebat, miſerabili exitu igne ſimul cum prædictis duobus ſociis conſumptus eſt; dignus profecto, uti ego ex reſtituendæ diſciplinæ ſui Ordinis deſiderio, ex vita alias inculpabili, ex multiplici doctrina, ex vehementi reformationis zelo, non temere conjicio, qui honorificentiori fine, religioſæ converſationis curſum terminaret. Sed judicia Dei abyſſus multa, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Quis eum audeat interrogare, cur ita facis? & quare virum aliunde laudabilem (neque enim induci poſſum, ut credam tot enor- A Pontificiis Commiſſariis condemnatus.

mia crimina ei a Florentinis objecta, & a Bzovio relata, perpetraſſe) & ſolo fortaſſis vehementis zeli nimio ardore ultra metas evectum, contumelioſa hac morte affici voluerit, ſceleſtoſque homines, omnium vitiorum genere ſordeſcentes, ſæpe ſpecioſo exitu permittit ut abſcendant?

Moltos ex ſuis paſſus eſt adverſarios.

XXIII. Ex hoc brevi compendiolo hiſtoriæ Hieronymianæ, confuſo & tumultuario quidem ordine a Bzovio diffuſiſſime congeſtæ, liquet quam injurioſe agat cum Minoritis, quos paſſim tamquam totius tragœdiæ actores injuriis laceſſit, variiſque onerat criminibus, adjecta inſuper gravi contumelia acceptæ pecuniæ, & campanæ Prædicatorum pro ſanguinis pretio. Nonne ipſe primos hoſtes e ſuo prodiiſſe Inſtituto? nonne a Lombardis,

Ann. 1498. n. 19.

Romanis, Etruſcis Fratribus Ordinis Prædicatorum immodice inflammatum

Ann. 1497. n. 10.

erga eum Magiſtrum Generalem recenſet? nonne Petrum Clerichinum ipſius Societatis ſeu Congregationis Marcianæ, quam ipſe Savonarola inſtituerat, profeſſorem, Romam profectum, magnam illi invidiam apud Alexandrum Pontificem, *canina*, inquit, *eloquentia* conflaviſſe commemorat? Nonne Joannem Camertem ejuſdem Inſtituti, Savonarolæ hoſtem,

Ibid. n. 11.

edictales anathematis in eum prolati litteras, locis publicis affigendas Senis

Ann. 1498. n. 16. & 25.

Florentiam miſiſſe? Nonne Ambroſium Catarinum ex eodem Ordine Epiſcopum Minorenſem, virum doctum, integrum, in eum poſtea librum ſcripſiſſe? an non multos alios enumerat Hieronymi adverſarios? ſupradictum

Ann. 1497. n. 6.

Marianum Auguſtinenſium Generalem, Angelum Vallis Umbroſæ, Monachum alterum etiam ejuſdem Inſtituti, & alios? An non in eum concitatos

Ibid. n. 10.

ſcribit cives extraneos regulares diverſorum Ordinum? Nonne ſummo ſtudio adverſatos Ludovicum Sfortiam Ducem Mediolanenſem, & Aſcanium Cardinalem fratrem, Petrum Mediceum Florentinæ urbis primarium, ejuſ-

Ann. 1498. n. 22.

que partiarios? Numquid demum ipſum ſui Ordinis ſupremum Præfectum, virum optimum, feralis ſupplicii in eum pronunciaſſe ſententiam non enarrat? Ubi tot inimici domeſtici, ubi tot hoſtes extimi, ubi nobiliſſimæ urbis commotiones, non ob occulta indicia, aut temerarias ſuſpiciones, ſed propter publice & palam ex roſtris pronunciata: quomodo ſunt auctores tanti mali ſoli Minoritæ? aut quomodo *omnia ab illis in Hieronymum acta, con-*

Ibid. n. 26.

ficta, tentata? Certe Minoritæ aliquot, vel ipſo Bzovio teſte, ejus partes ſuſceperunt tuendas. Georgius Benignus ex Minorita Archiepiſcopus Nazarenus, in ejus defenſionem Apologiam, & Paulus Nolanus ejuſdem Inſtituti vir doctus, pro eo dialogum compoſuit.

XXIV. Quod vero conſtituta ſit Minoritis in aliquot annos mediocris

Ann. 1498. n. 26. & 25.

ſumma pecuniæ pro obſonio ſeu ferculo, aut pictantia, ut habet Bzovius, non id adeo novum aut inſolitum, ut cenſendum ſit ſolummodo pretium ſanguinis, aut traditi ſeu interempti Hieronymi. Præterquam enim quod ſub illud tempus alia potuerint obſequia urbi præſtare; commune hoc eſt urbium & Communitatum erga Cœnobia Obſervantum beneficium: dum enim ut apud ſe vivant, invitant, ſolent Magiſtratus eorum penuriam ſtatutis certis ſubſidiis, vel pro veſtitu, vel pro carnibus, piſcibus, aliiſve rebus, quæ oſtiaria mendicitate comparari non poſſunt, pie ſublevare. Hoc autem ſancti Salvatoris Florentinum Cœnobium recenter apud eos refectum alias diximus, optimeque audiebant apud eos incolæ, tum mirando

Tomo 10. anno 1419. n. 13.

paupertatis zelo, cujus argumenta quidem notabilia illic dedimus rejectæ domus nimis magnifice constructæ, tum multiplici vitæ ſanctimonia. Campanam autem, ſive nolam ſtatim reſtitutam fuiſſe, mihi conſtat ex actis regeſti Ludovici Turriani Vicarii Generalis, in quo ſub hunc annum hæc Vica-

Regiſtr. Ord. fol. 63.

rii verba habentur: *Ex loco ſanctæ Mariæ de Aracœli ſcripſi fratri Bernar-*

dino del Vecchio Commiſſario provinciæ Tuſciæ, cum merito obedientiæ, quod ipſe vel duo, vel quatuor probi Patres renunciarent campanam ſancti Marci, Ordinis Prædicatorum, Magiſtratui Florentinorum, & quod nullus auderet impedire iſtam executionem, & quod etiam per viam depoſiti non poſſet apud nos conſervari.

XXV. Hæc ergo ſola illa tot Minorum crimina, quod cum tot præclariſſimis viris Hieronymi adverſati ſint doctrinæ, vel exinde quidem confutandæ & comprimendæ, quod tot turbas excitaverit, & quod Pontifici, & clero Romano adeo fuerit injurioſa. Sed & Pontificem ipſum gravat Bzovius, & quoſcumque Hieronymo adverſantes, ut illum innocentem & ſanctum velit, condemnat, omneſque ferme male periiſſe, Deo Hieronymi injurias ulciſcente, recenſet. Multa quidem in hanc rem ridicula congerit, aliaque narrat gravi & Eccleſiaſtico calamo indigna, quæ nec fidem profecto mereantur popularem. Ludovicum Ferrarienſem Ordinis Prædicatorum Palatii Apoſtolici Magiſtrum dicit ab Alexandro miſſum, qui ſi diſceptando Savonarolam vincere nequiret, ſacram ei purpuram deferret, ut a cœptis deſiſteret, illumque Cardinalatum oblatum reſpuiſſe. Franciſcum Picolomineum Cardinalem Senenſem, Hieronymo ſuam operam obtuliſſe & præſidium poſt fulminatas in eum Pontificis cenſuras, ſi modo is illi quinque millia nummum aureorum numeraret. Bernardinum Carvajalium Epiſcopum Præneſtinum, Guillelmum Briſſonettum Sabinenſem, alioſque Cardinales Piſis contra Julium II. congregatos, Bartholomæo Faventino Vicario Generali provinciæ Romanæ promiſiſſe, ſi ille cœtui ipſorum una cum ſuis Dominicanis Piſanis adhæreret, Savonarolam Catalogo Sanctorum inſcribere, & controverſiam de Conceptione beatæ Virginis Mariæ ad favorem Dominicanæ opinionis definire. Julium inſuper prædictum voluiſſe Hieronymum in numerum Sanctorum referre. Apage, quam indigna ſunt iſta, quæ gravi hiſtoriæ aſſuantur Eccleſiaſticæ, & quam indecora & injurioſa ſupremis Eccleſiæ dignitatibus! & tamen pleraque hujuſmodi, & mirabilia magna huic hiſtoriæ Savonarolæ, qua mediocrem ſui voluminis partem inſumit, paſſim interſerit.

Ann. 1497. n. 10 & 11.

XXVI. Inſtituti ſunt Epiſcopi, Hipponenſis in Africa, ubi S. Auguſtinus præceſſit, frater Guillelmus Serra, ſacræ Theologiæ profeſſor, XIV. Kalend. Februarii. Croyaten. in Sclavonia, ſub Archiepiſcopo Spalaten. Martinus de Portu, nobili ortus genere, per obitum Eliæ, XVI. Kalend. Martii. Callien. in Marchia Anconitana, ſub Archiepiſcopo Urbinate, frater Gaſpar Golfus e Caſtro Pergolæ, ſacræ Theologiæ Magiſter, per obitum Bartholomæi, die V. Martii. Dum Ducem Urbinatem contra tyrannidem Valentini tuetur, occiditur anno MDIII. Lexien. in Iſtria, ſub Archiepiſcopo Antibaren. frater Gaſpar de Comitibus, per obitum Blaſii, die XXVIII. Martii. Ad Catanien. in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis-Regalis translatus eſt a Guadicien. frater Garſias, de quo ſuo loco diximus, per translationem Franciſci ad Aſturicenſem, Idibus Februarii. Denſæ hic tenebræ apud Rochum Pirrum in ſua notitia Catanenſi. Garſiam cognomen facit Franciſci, & hunc ex Epiſcopatu Gandienſi in regno Valentino ad Catanienſem translatum, ſub annum MCCCCXCII. Varii ſunt hic errores perſonæ, temporis & loci, ex quo facta eſt translatio: neque enim urbs Gandienſis Valentina eſt Epiſcopalis. Series etiam Epiſcoporum ſequentium in eadem notitia non cohæret. Ad Adjacenſem in Corſica, frater Philippus Pallavicinus Genuenſis, Antoniotti Cardinalis Pallavicini nepos, per obitum Cardinalis Fregoſii. Diu vixit in hoc Epiſcopatu. Floruit hoc tem-

Fr. Guillelmus Epiſc. Hipponen.
Fr. Martin. Croyaten.
Fr. Gaſpar. Callien.
Fr. Gaſpar. Lexien.
Fr. Garſias Catanien.
Tomo 14. anno 1490. n. 49.
Fr. Philipp. Adjacen.

Fr. Paulus Suevus.

Bzov. ann. 1499. n. 5.

Fr. Samuel Caſſinen.

tempore Paulus Suevus Wilenſis, cognominatus *Scriptor*, qui doctam edidit explanationem in primum ſententiarum, Tubingæ hoc ipſo anno impreſſam, & in Conventu Confluentino celebris erat Tilmanus de Hachemberg & in Urbe, Joannes de Maloleone Hiſpanus, ſacræ Theologiæ Profeſſor & Magiſter, Baſilicæ Vaticanæ Pœnitentiarius, cujus in bulla Alexandri Pontificis circa facultates conceſſas Pœnitentiariis pro Jubilæo anni MD. mentio habetur. Mediolani Samuel Caſſinenſis Obſervantinus, apprime verſatus in doctrina Peripatetica Ariſtotelis, qui hoc ipſo anno Mediolani edidit tractatum eruditum de immortalitate animæ, Ludovico Sfortiæ Duci Mediolanenſi dicatum.

Conv. S. Mariæ de Spineto.

Gonz. in Prov. S. Franc. Mon. 54 Tomo 12. anno 1454. n. 50.

XXVII. Spectabilem virum Monaldum Berardum de Monaldeſchis, civem Urbevetenſem, hoc anno Fratribus Obſervantibus Cœnobium, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Spineto in confinibus oppidorum Collelogii, Ripalvellæ, diœceſis Urbevetanæ, & Montis Caſtri, diœceſis Tudertinæ inter confertiſſimas quercus propriis ſumptibus conſtruxiſſe aſſerit Gonzaga. Sed hoc tempore vetuſtius eſſe probant ea, quæ diximus in vita beati Franciſci Papienſis. Ex fundatoris familia Monaldus de Monaldeſchis Aſculanus Epiſcopus, aliique plurimi ejuſdem ſtirpis, hic ſunt ſepulti. Inſervit domus hæc tironibus educandis.

Conven. Montis-Sancti.

Lib. 149. fol. 167.

XXVIII. Univerſitati & hominibus oppidi Montis-Sancti in Marchia Anconitana, Firmanæ diœceſis, hoc anno IV. Kalend. Maii, conceſſit Pontifex facultatem ædificandi ejuſdem Inſtituti viris Cœnobium ſub titulo ſancti Antonii. Anno præcedenti die XVII. Aprilis in Comitiis Forani celebratis, Thomas Auximanus provinciæ Vicarius, oppidanorum vota Patribus expoſuit, & omnium conſenſum impetravit. Anno MCCCCXCIX. die XX. Junii, maxima ſolemnitate Bernardinus a ſancto Geneſio, Thomæ prædicti Vicarius, Crucem in area fundandi Cœnobii fixit, die vero XXII. Novembris primum lapidem poſuit, brevique Univerſitas ultimum appoſuit. Acceſſit conſenſus Vicarii Generalis Firmani, a Pontifice in hoc negotio Judicis delegati anno MD. die XI. Novembris. Uno eodemque anno MDLXXI. eo loco deceſſerunt duo viri religione, & vitæ ſanctimonia inſignes, Ludovicus a Pieroſara, & Bartholomæus ab Offida Piceni oppidis, cum eſſet octuagenarius uterque.

Ludovicus a Pieroſara Bartholom. de Offida.

XXIX. Cuſtos & Fratres Societatis Amadei Hiſpani, hoc anno Kalend. Decembris expoſuerunt Pontifici conceſſam ſibi a Bernardino Carvajalio, titulo ſanctæ Crucis Cardinale, in partibus Lombardiæ Sedis Apoſtolicæ Legato, Eccleſiam SS. Theodori, & Blaſii Martyrum urbis Papienſis, vetuſtate collabentem, ab Eccleſia ſanctæ Mariæ in Pergula, cui erat unita, ſeparatam, impetraruntque hanc ſibi gratiam confirmari. Hic ille Conventus eſt ſanctæ Crucis Papienſis, titulo ab illo quem Cardinalis retinebat, accepto, qui ſub Pio V. ab Amadeitis ad Obſervantes, & ab his ad reformatos, translatus eſt. Habent in eadem urbe iidem reformati alium inſignem Conventum ſancti Jacobi, in quo diximus ſuperius, Bernardinum Feltrenſem ſatis conceſſiſſe. In primo habetur gymnaſium Theologiæ ſcholaſticæ, in ſecundo Theologiæ moralis, & in utroque vivunt Fratres religioſiſſime.

Conv. Papienſis S. Crucis.

Lib. 172. fol. 113.

Conven. Papien. S. Jacobi.

Ann. 1494. n. 24.

XXX. Dominicus de Ruvere, tituli ſancti Clementis presbyter Cardinalis, Eccleſiæ Taurinenſis Antiſtes, petiit hoc anno VI. Kalend. Februarii, ut ab Eccleſia parochiali oppidi Vici-novi ſepararetur capella B. Mariæ, cui erat unita, ibique concederet fieri Fratrum Obſervantum Cœnobium. Annuit benigne Pontifex. Hoc idem eſſe cum illo Conventu ſanctæ Mariæ

Conv. Vici-novi.

Lib. 159. fol. 81.

de

de Angelis Villæ novæ, cujus fundationem omnino ignorari aſſeruit Gonzaga, inde ſuſpicor, quod titulus ferme, & oppidorum nomina parum diſcrepent. *Gonz. in Prov. Gen. Conv. 30.*

XXXI. Confratres Societatis SS. Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ Terræ Argentæ, diœceſis Ravennatenſis, expoſuerunt Pontifici hoc anno Kalend. Septembris, quod olim Antonius de Centis presbyter, Tecus de Diolo, & Joannes Paſchalis laici dictæ Terræ, dum viverent, ſtatuerunt ut fructus bonorum ad ſe legitime pertinentium, per dictos Confratres inter pauperes & miſerabiles perſonas diſtribuerentur. Rogatus poſtea Sixtus IV. conceſſit ut fructus illi converterentur in conſtructionem hoſpitalis, & alimentum pauperum, infirmorum & peregrinorum ad dictum hoſpitale confluentium. At Confratres conſiderantes duo ibidem exiſtere hoſpitalia, in quibus ea miſericordiæ opera exerceri poſſent, petierunt ab Alexandro, ut fructus & bona ipſa applicarentur conſtruendo Cœnobio Minorum Obſervantum, quorum vitæ ſanctimonia, & ſalutari doctrina maxime afficiebantur. Annuit Pontifex; quid autem factum ſit, aliunde non percipio. *Conv. Argentæ. Lib. 176. fol. 241.*

XXXII. Vicarius Generalis Ciſmontanus, & Univerſitas Terrarum Montionis, & Caſtri Florentini, diœceſis Volaterranæ in Etruria, rogarunt Pontificem hoc anno XIII. Kalend. Octobris, ut liceret eis domum ejuſdem Inſtituti ædificare in loco ſancti Venaldi, * prædictæ diœceſis, ubi præerat quoddam Eremitorium, & conjuncta Eccleſiuncula ruinam minitantia. Etſi vero Pontifex aſſenſerit, neſcio an ibi conſtructum ſit Cœnobium; non enim invenio in provincia Tuſciæ ullam hujuſmodi memoriam, niſi fortaſſis illud ſit, quod Montopolis vocat Gonzaga, & in narratione præexiſtentis Eccleſiæ pro ſancto Venaldo apponat ſanctum Valianum. „ Cœnobium hoc, de „ quo Annaliſta fatetur, ſe non invenire memoriam, illud fortaſſis erit „ ſancto Vivaldo ſacrum, de quo anno ſequenti, quodque reipſa prope op„ pida Montionis, & Caſtri Florentini ſitum eſt. Potuit namque facultas „ illud conſtruendi hoc anno obtineri, ut hic innuitur, & ſequenti, ut ibi „ dicitur, ædificari: Conventus vero Valiani ſive ſancti Romani ad an„ num MDXVIII. recenſetur. *Ibid. fol. 136. Conv. Montionis ſive S. Vivaldi.* * *Forte Vivaldi.* *Gonz. in Prov. Tuſciæ Conv. 43.* ADDITIO ALIORUM.

XXXIII. Anno præterito, & præſenti magno conatu Dux Januenſis, & Domini ſancti Georgii, propter varias ſuſpiciones turbatiſſimo illo bellorum tempore exortas, inſtiterunt apud Hieronymum Torniellum Ex-Vicarium Generalem, ejuſque ſucceſſorem Ludovicum Turrianum, ſeu de Turre, ut Cœnobia duo, Sarzanæ, de quo ſæpius actum eſt, & Spediæ in dominio ipſorum conſiſtentia, ſed Tuſcis ſubjecta, expulſis Florentinis, aggregarentur provinciæ Genuenſi. Ita factum hoc anno, etiam ipſis Tuſcis annuentibus. Conve. Sarzanæ & Spediæ aggregantur provinciæ Genuenſi. *Regiſt. Ord. fol. 61. & ſeqq.*

XXXIV. Gomeſius Fernandez de Solis, Joannes de Chaves, & Alvarus de Inojoſa, cives Placentini, communibus votis petierunt a Pontifice hoc anno VI. Kalend. Februarii concederet eis facultatem ædificandi intra terminos oppidi de Truxillo, diœceſis Placentinæ, domum pro Fratribus Obſervantibus, victuris ſecundum primævam ipſius Ordinis inſtitutionem, & Regulæ puritatem, ſub obedientia Miniſtri aut Vicarii Generalis, & Cuſtodis ſeu Vicarii ab ipſis eligendi, qui omnimoda fungeretur auctoritate, Fratres ad ſe ex aliis provinciis accedentes, & ſeculares ad Religionem aſpirantes admittendi, & alia, quæ ſolebant Vicarii provinciales facere. Aſſenſit Pontifex, multiſque locum conſtruendum, & incolas futuros munivit privilegiis. Ab hoc loco ſub cura & regimine Joannis Guadalupenſis novæ reformationis cupidi, & titulo ſanctæ Mariæ de Luce conſtru- Conv. de Truxillo. *Lib. 163. fol. 88.*

ſtructo, ſeu potius inchoato, tranſierunt Fratres ad Xenodochium Spiritus ſancti, deinde ad Cœnobium prædictæ urbis Truxilli; de quo ſuo loco dicemus.

Ann. 1500.

Conv. Chillonii. *Lib. 161. fol. 88.*

XXXV. Nobili viro Didaco Fernandez de Corduba, *Alcaide de los Donzelles* apud Hiſpanos nuncupato, conceſſa eſt hoc anno v. Idus Julii facultas ædificandi Obſervantum domum in altero oppidorum ſui de Chillon ſeu de Lucena, Corduben. diœceſis, ad ſe ſpectantium, ſub invocatione beatæ Mariæ de Gratia, eamque adnectendi Cuſtodiæ Angelorum, vel Hiſpalenſi. Neſcio an hæc illa domus Chillonii, quam Gonzaga deſcribit in provincia Angelorum. Diſcordant fundatores, titulus, & tempus. Sumptibus communibus oppidanorum Chillonii, & Almadenii primo ex viliori materia, ſub nomine ſancti Antonii Patavini erectum aſſerit, mox refectum a Comarenſium Marchione anno MDXIV. ſub Leone X.

Conv. Velezii. *Gonz. in Prov. Granat. Con. 12.*

XXXVI. In ſuburbiis Civitatis Velezii in regno Granatenſi, Reges Catholici Ferdinandus & Eliſabetha Cœnobium ædificarunt in loco, ubi præextiterat Oratorium ſancti Jacobi, a quo & a ſancto Franciſco voluerunt nuncupatum. Domus eſt capaciſſima Fratrum triginta, & firmæ ſtructuræ. Hoc anno reformati ſunt, & in Obſervantum poteſtatem tranſlati Conventus Cæſarauguſtanus, & Calatajuby in regno Aragoniæ, conſtitutis reformatoribus per Franciſcum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum, Ferdinando Vazquez Derze, Priore Eccleſiæ Oxomenſis, fratre Petro de Banullo Vicario Provinciæ Aragoniæ,& Alphonſo de Guadalaxara Minoritis, quorum piis conatibus impenſe favebant Reges prædicti.

Conv. Cæſarauguſtan. & Calatajuby reformātur. *Lib. 155. fol. 18.*

Conv. de Rambous. *Lib. 161. fol. 289.*

XXXVII. Nobilis vir Andreas de Rambous in Gallia, obtinuit hoc anno XV. Kalendas Septembris facultatem ab Alexandro, ut in oppido ſuo de Rambous, diœceſis Ambianenſis, vel alio loco honeſto ſui dominii, liceret ſibi domum ædificare Fratribus Obſervantibus. An id fecerit, non eſt mihi compertum. Neque etiam mihi conſtat, an Fratres Thomas de Aquila & Georgius de Augio, Provinciæ Britanniæ, domum ædificaverint in inſula Sapientiæ, diœceſis Maclovienſis, uti eis faciendi conceſſerat hoc anno Alexander facultatem: *Piis ſupplicum votis*. VIII. Kalendas Decembris. An fortaſſis hæc illa inſula eſt, quam Caſſembrienſem vocat Gonzaga, in qua Conventum fuiſſe ædificatum, & quondam fratrem Petrum eremiticam ſanctiſſimamque vitam, cui duo tantum corui ſolatio erant, duxiſſe, duoſque ſemper ibidem ab illo tempore corvos videri, commemorat?

Conv. Inſula Sapientiæ. *Gonz. in Prov. Britan. Conv. 10.* Fr. Petrus Britanus.

Conv. Pergeti & Sarlati reformātur. *Tom. 14. anno 1481. nu. 31. & an. 1483. n. 51. & anno 1489. n. 31. Gonz. in Prov. Aquitan. revent. Conv. 34.*

XXXVIII. Refotmati ſunt in Provincia Aquitaniæ Conventus duo iſthoc anno, procurante religioſiſſimo, quem diximus, Epiſcopo Albienſi Ludovico, qui etiam aliquot ejuſdem Provinciæ Monaſteria Clariſſarum reformavit, ſcilicet ſancti Pergeti Limovicen. & Sarlati, Claramonten. diœceſum. De priori alias egimus; de ſecundo nihil hucuſque occurrit, unde ejus originem licuerit expiſcari. Ab hæreticis dirutus, a Fratribus, & oppidanis partim reædificatus eſt.

Et Conventus Lipezich. *Lib. 147. fol. 121.*

XXXIX. Albertus Dux Saxoniæ, & Marchio Miſnen. curavit etiam reformari Conventum Lipezick, Merſeburgenſis diœceſis, & tradi Vicario Provinciæ Saxoniæ, cui dicebat unum tantum Cœnobium in ſuo tunc ſubſuiſſe dominio. Conventuales e Conventu expelli deprecatus, *Martinianos* paſſim appellat, quo agnomine hoc tempore compellari cœperunt, propter conſtitutiones Martini V. aliquanto laxiores, quas non modica paupertatis in Regula præſcriptæ offenſione, ubique introducebant, eiſque contra vitæ largioris objurgatores ſe paſſim defendebant.

XL. Extra Embdæ oppidum, Monaſterien. diœceſis, Comitatus Emb-den-

denſis præcipuum Conventus Phalernæ nuncupatus, hoc anno die XXVI. Januarii opera Ederardi, Friſiæ Orientalis Comitis per duos Abbates Benedictinos Thedinghæ, ac Vallis ſanctæ Mariæ in Norda, Pontificia auctoritate reformatus eſt, & traditus Ludolpho Graningenſi Vicario Provinciæ Colonienſis. Multum laboraverunt Patres Conventuales, præſertim ſub Julio II. ut perditum recuperarent, ſed non potuerunt: invaleſcente per illam regionem hæreſi Lutherana, expulſi ſunt Fratres variis injuriis affecti. Anno MDCXXVII. adjudicatus eſt Provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis.

Conv. Phalernæ reformatur. Mon. MSS. Provinc. Colon.

XLI. In Scotia ad oppidum Striclingii, diœceſis ſancti Andreæ, Jacobus IV. Rex (quintum male ſcribit Demſterus, quartus enim uſque ad annum MDXIII. regnavit) hoc anno poſtquam regium conſtruxit palatium, Cœnobium adjunxit Minorum Obſervantum, quos ita dilexit, ut frequentiſſime in choro Divinis officiis, & in refectorio menſis Fratrum intereſſet. In hebdomada ſancta cohabitabat & convivebat Fratribus, & cum eiſdem in feria ſexta Paraſceves humi religioſo Fratrum more ſedens, panem tantum & aquam admittebat. Conſtruendi Cœnobium Alexander Pontifex hoc anno facultatem conceſſit: *Dum inter cetera.* V. Idus Januarii.

Conv. Striclingii. Demſter. in appar. pag. 82. Gonz. in Prov. Scotiæ Conv. 8.

XLII. In Hungaria duas ſub hoc tempus domos ædificaſſe Fratres Obſervantes, unam ſub ſancti Spiritus titulo in urbe Waradienſi, alteram in oppido Zegedienſi, diœceſis Colocen. mihi conſtat ex lite mota per Patres Conventuales contendentes eas abſque ſufficienti Sedis Apoſtolicæ auctoritate fundatas fuiſſe. Sedata tamen eſt controverſia per amicabilem compoſitionem factam a Petro Archiepiſcopo Colocenſi, & Thoma Epiſcopo Agrienſi.

Con. Waradienſis & Zegedienſis. Lib. 156. fol. 198.

XLIII. Ladiſlaus Gielnovienſis, Vicarius Provinciæ Poloniæ, hoc anno accepit ab Alexandro, magno Lithuaniæ Duce locum & fundum, ut Conventum ædificaret in Civitate Plocenſi Moſcovitis finitima: donationem quarto poſt anno Dux, poſtquam Poloniæ Rex inauguratus eſt, ſuo privilegio confirmavit, quod nos ad finem Regeſti hujus voluminis exhibebimus. Primus inſtitutus eſt Guardianus Leo de Lancut, qui annis quindecim laudabiliter inſudavit in convertendis Schiſmaticis & Paganis, quorum ingentem numerum ad veram fidem adduxit. Multa conceſſa ſunt hujus loci Fratribus, ut commodius & facilius gentis converſioni intenderent. Quas habebat Guardianus Hieroſolymitanus, & quibus fulciebantur Fratres Boſnenſes, Croati, & Argentinenſes, facultates, circa Matrimoniorum diſpenſationes, a cenſuris abſolutiones, ab hæreſi reconciliationes, acceperunt a Sede Apoſtolica, quarum executionem multis modis impediebant Rutheni, ſed Alexandri Regis Miniſtri fovebant. Locus erat perquam opportunus trium gentium Lithuanicæ, Moſcoviticæ & Ruthenæ converſioni, ſed a Moſcovitis tertio & quarto deſtructus, licet multorum Patrum ſuffragiis derelinqui juberetur, nihilominus Superiorum fuit ſemper ſententia, ut conſervaretur propter vaſtiſſimæ gentis inſtructionem, & prædicatorum in circuitu inopiam. Tamdem anno MDLXIII. capta urbe, deſtructaque arce, Conventus hic ſolo æquatus eſt a Tartaris & Moſcovitis, ſub Moſcoviæ tyranno Joanne Baſilide, occiſis etiam quinque Fratribus, Paulo Guardiano, Dominico, Martino, Venceslao & Adamo. In prima incurſione Moſcovitarum anno MDXIV. martyrium perpeſſus eſt Bonaventura Lithuanus Guardianus.

Conv. Plocen. Gonz. in Prov. Polon. Conv. 21. Mon. MSS. Provinc. Polon.

Martyres ſex Minoritæ in Moſcovia.

XLIV. Extra oppidum Scampenſe, diœceſis Plocenſis, prælegerat beata Virgo Maria quemdam locum ſuo cultui opportunum, multiſque miraculis, & apparitionibus prænindicavit illic pios & pauperes ſui cultores ha-

Conv. Scampenſis. Indid. Conv. 24. Mon. MSS. Polon.

habitaturos. Crebris præmonitionibus excitatus Nicolaus Koſcielecius Præpoſitus Uladislavienſis, poſtmodum Epiſcopus Chelmenſis, ſacellum extruxit ſub Annunciatæ Virginis invocatione. Graſſante demum anno præcedenti graviſſima per univerſam Poloniam peſtilentia, ſimplici cuidam ac pauperculo homini beata Virgo apparuit, domumque ibi religioſam pauperum Monachorum conſtrui ſe velle ſignificavit. Ubi ille hæc prædicto Præpoſito narravit, crebriſque miraculis locus amplius commendaretur, ſacello Cœnobium adjicere, commodumque templum decrevit conſtruere, impetrato prius Joannis Epiſcopi Plocenſis conſenſu. Inſtrumentum damus ſub finem Regeſti. Mirum eſt quanto fervore & ſollicitudine locum hunc bonus ille Præpoſitus hoc anno ex ligno inchoavit, & poſtea ad Epiſcopatum aſſumptus, fabricam totam lapideam fecerit, & lateritiam, & ſub mortem relictis facultatibus cuidam conſanguineo, plene abſolverit, adjecta abundanti ſupellectile. Inſuper conſtructo ſibi ſuiſque ſepulcro, apud Fratres, quorum conſortio ſummopere delectabatur, voluit ſepeliri. Magnus ad hunc locum ſit populorum concurſus propter crebra beatæ Virginis miracula. Tria nunc habent in Polonia Obſervantes templa, cultu & devotione erga beatam Virginem celeberrima; Scampenſe iſtud, Socalienſe, & Lezaiſcenſe, omnium quæ habentur in Polonia, ſi ſolum Cræſtochovienſe excipias, ſolemniſſima.

Mon. S. Mariæ de Gratia Panormitan.

XLV. In urbe Panormitana, Aloyſia de Septimo, vidua conſtruxerat Eccleſiam ſub invocatione beatæ Mariæ de Gratia Montis Virginum, cum ædificiis & manſionibus neceſſariis. Hoc anno impetravit ab Alexandro facultatem adjiciendi Monaſterium pro duodecim Clariſſis, ſub habitu tamen Cœleſtinorum, circa reliqua victuris ad modum Clariſſaruın Montis Virginum urbis Meſſanen. & ſubjiciendis curæ & regimini Vicarii Fratrum Obſervantum: *Inter cetera cordis noſtri*. IV. Kalendas Iunii. Crevit poſtea hoc Monaſterium magno Sororum numero, & proventu. Rochus Pirrus in notitia Panormitana, ſanctæ Mariæ de Nive, & Montis Virginum appellat.

Pirr. fol. 221.

Mon. Termarum.

XLVI. In oppido Termarum, diœceſis Panormitanæ, derelicta remanſit ſynagoga Judæorum, *Moſcheta* nuncupata, propter expulſionem eorum ab univerſa inſula Siciliæ hoc tempore decretam. Jacobus de Leo Sacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Minorum Conventualium, ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ Commendatarius Monaſterii beatæ Mariæ de Grypta, Ordinis ſancti Baſilii, hoc anno licentiam petiit prædictam ſynagogam in Clariſſarum Monaſterium adaptandi, & ex circumvicinis Monaſteriis Sorores illuc advocandi. Aſſenſit Pontifex dato diplomate: *Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Kalendis Decembris.

Mon. Trivilii. *Gonz. in Provin. Mediol. Mon. 11. Mon. MSS. Provin. Mediolan.*

XLVII. Trivilii, quod Status Mediolanenſis & diœceſis oppidum eſt populoſum & locuples, Monaſterium erat ſancti Petri Sororum Ordinis ſancti Benedicti, quæ hoc anno unanimi voto conſpirarunt in ſanctæ Claræ Inſtitutum, ſub regula Urbani IV. & ſub annum MDXXXVII. magno auctæ numero, Eccleſiam, & totum ferme Monaſterium refecerunt. Inſignis eſt ſtructuræ, commodas ampliſſimaſque habens officinas, & copioſum aquarum irriguum. Mirum ſane illud Divinæ protectionis argumentum, quod illic anno MDLXVIII. ſucceſſit. Quæ pulſandæ campanæ curam habebat, per duas horas ante noctis medium ex errore, vel potius Divino inſtinctu ad matutinas preces Sorores expergefecit. Vix ingreſſa fuerat chorum, cum univerſum corruit dormitorium nulla læſa Sorore.

Mon. Saviliani.

XLVIII. In oppido Saviliani, Taurinen. diœceſis, domus erat Sororum

rum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, quæ a Fratribus ejuſdem Inſtituti regebantur, & communi conſenſu hoc anno Regulam & Inſtitutum S. Claræ ſuſceperunt: *Ut inter æternæ*. VII. Idus Aprilis.

Monaſt. Hiſpalenſe. *Gonz. in Provin. Bætica Monaſt. 3.*

XLIX. Alvarus a Portugallia, Domicellus Eborenſis, Comes Jelvenſis, regio cretus ſanguine, Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ conſobrinus, hoc anno facultatem obtinuit in urbe Hiſpalenſi Monaſterium Clariſſarum ſub prima Regula conſtruendi, & Vicario Obſervantum ſubjiciendi: *Inter univerſa opera*. VIII. Kalend. Decembris. Poſt aliquot annos erexit, & fundatricem accivit Elviram a Villaſicca, e Monaſterio ſanctæ Eliſabethæ de Angelis Cordubenſi, cum ſociis duodecim. Quæ in hunc ſucceſſerunt diem, vivunt religioſiſſime, univerſo Populo Hiſpalenſi gratiſſimæ. Vili utuntur amictu, & calepodiis, vitamque vivunt ſatis ſeveram. Inſignes acceperunt a Maria Auſtriaca Imperatrice, Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſorore Reliquias, Vienna propter preces Comitiſſæ Montis-acuti tranſmiſſas.

Monaſt. Marchenæ. *Indid. Monaſt. 6.*

L. In oppido Marchenæ, diœceſis Hiſpalen. duæ honeſtæ viduæ, germanæ ſorores, Joanna & Elvira Gonzalvez cum in diebus ſuis proceſſiſſent, nec filios habuiſſent, quibus facultates ſuas legarent, hoc anno Monaſterium ædificarunt Sororum Urbaniſtarum, annuente Alexandro Pontifice.

Monaſt. Mechlinenſe.

LI. Godefridus Villanus, vulgo *de Villeyn*. Mechlinenſis, ſub mortem conſtituit, ut domus, hortus, fundus, & quædam ſua bona, poſt ipſius & Eliſabethæ de Iſmerzele conjugis obitum, in habitationem & uſum quarumdam pauperum mulierum converterentur. At Eliſabetha poſt viri mortem, cupiens illic Monaſterium ædificare pauperum Clariſſarum, ſecundum primæva Inſtituta viventium, mediatricem apud Pontificem interpoſuit Joannam Regum Catholicorum Ferdinandi & Eliſabethæ filiam, Philippi Archiducis Auſtriæ uxorem, ut id ſibi liceret, non obſtante mariti diſpoſitione. Annuit Joannæ precibus Alexander hoc anno: *Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ*. V. Idus Januarii, & infra biennium Eliſabetha domum in opportunum coaptavit Monaſterium. Vitam Regularem hic inchoavit ſoror Paulina a Sebroech Abbatiſſa religioſiſſimi Monaſterii Clariſſarum Antuerpienſis, illinc cum aliis duabus huc tranſlata, clauſumque eſt Monaſterium anno MD. in die Converſionis ſancti Pauli. Anno MDVII. convenit inter Magiſtratum & Sorores, ne plures quam triginta admittantur unquam in conſortium; conventionemque ſub anathematis pœna obſervari juſſit Julius II. Geuziis Mechliniam tenentibus anno MDLXXX. die XII. Aprilis Sorores ſe contulerunt Antuerpiam, inde Leodium; unde poſt quinquennium die X. Octobris regreſſæ, Monaſterium non dirutum, ſed ſpoliatum receperunt, ubi in hunc diem earum poſteræ Deo religioſe famulantur.

Monumen. MSS. Provin. German. inferior.

Monaſt. Valliſoleti. *Lib. 150. fol. 19.*

LII. Clariſſæ Monaſterii Valliſoletani ſub hoc tempus vendiderunt Gondiſalvo de Baeza octingentis ducatis auri, proventus & reditus ſibi obvenientes ex cymba ſeu ſcapha, & tranſitu fluminis Duriani prope locum de Ferrera, infra terminos urbis, tunc oppidi, Valliſoletanæ, ex qua pecunia majori ſuo commodo & lucro emerunt, & conſtruxerunt domos prope ſuum Monaſterium. Omnia hæc rata habuit hoc anno Pontifex Alexander. Ad inſtantiam Gondizalvi de la Camara, Præfecti ſeu Capitanei inſulæ Lignorum ſeu de Madera, præcepit, ne Superiores Ordinis Minorum de Obſervantia Monaſterium Clariſſarum Villæ de Funchal ſibi ſubjectum, & a prædicto Gondiſalvo conſtructum, ingrederentur, niſi in caſu neceſsitatis, aut mortis Monialium, vel infirmitatis pro miniſtrandis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, aut Extremæ Unctionis ſacramentis; viſitationes vero aut cor-

Monaſt. Inſulæ Lignorum. *Lib. 160. fol. 215.*

correctiones ad crates Monaſterii exercerent, ne ex frequenti congreſſu populi murmur conſurgeret.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. CArolo VIII. Franciæ ſine prole e vivis ſublato, Ludovicus Aurelianenſis, dictus XII. Regni coronam aſſumpſit, ac ſterilitatis prætextu, Joanna nuper defuncti Caroli ſorore repudiata, Annam illiuſdem relictam, & Britanniæ hæredem admiſit; quando Turcarum quadraginta millia & amplius, plurima ſtrage a Polonis attrita fuere. Interea vero fratri Joanni Wndiruvod beneficium collatum fuit: *Religionis zelus.* pridie Idus Januarii: ſuppreſſionis etiam, & erectionis Monaſterii ſanctæ Claræ in oppido Trivillii, Mediolanenſis diœceſis Pontificium breve: *Injunctum nobis.* VII. Kalend. Februarii emanavit, quod calamum remoratur; nec diſplicet: etenim licet in Annalibus præfatæ ſuppreſſionis & erectionis nonnulla referantur, nihilominus rem magis pandere placet, priſcorum temporum antiquitate revocata.

Degl. fol. 479. Indic. ex Vatic.

„ II. Trivilii, Oppidi celebris in Ducatu Mediolanenſi, Eccleſiam ſancti Petri Monialium Ordinis ſancti Benedicti, anno trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum conſtructam fuiſſe, docuit caſus; cum enim vetuſtate collabens anno MDXXXVII. reædificaretur, ſuæ fundationis inſtrumentum aræ quondam incluſum, & repertum illud tempus accuſat. Eſt & alterum Monaſterium olim ejuſdem inſtituti, ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani, de Farinate nuncupatum, ſeptuaginta & octo circiter poſt annis, ideſt anno MCXV. conſtructum, ut Pontificii diplomatis tranſumptum ſequens oſtendit.

PASCHALIS EPISCOPUS ROMANUS.

Dilectis filiis Anſelmo, Ardetio, Ruſtico, Rogerio, Alberico, Arduino, Otberio, Pergamenſibus Comitibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *DEvotionem veſtram ſpectavimus, quia in fundo veſtro, in loco videlicet, qui Caſtellum Vetus de Farinate dicitur, Eccleſiam conſtruentes, beato Petro, & ſanctæ ipſius Romanæ Eccleſiæ obtuliſtis: & nos itaque eamdem ſuſcipientes Eccleſiam, ſtatuimus, deinceps ab omnium mortalium gravamine liberam permanere, ſingulisque annis Mediolanenſis monetæ nummos duodecim Palatio Lateranenſi perſolvere. Decernimus ergo, ut quaſcumque poſſeſſiones ipſa Eccleſia in præſentiarum poſſidet, ſive in futurum, largiente Domino, collatione veſtra, ſeu quorumcumque fidelium poſſidebit, firme ſemper & integre conſerventur, Sanctimonialium illic Deo ſervientium uſibus profuturæ. Nemini ergo facultas ſit Eccleſiam ipſam temere perturbare, aut quæcumque ipſius ſunt vel fuerint, quibuslibet occaſionibus auferre. Si quis autem decreto, hujus tenore cognito, temere contraire tentaverit, niſi canonice monitus ſatisfecerit, ſciat ſe Omnipotentis Dei, & beati Petri Apoſtolorum Principis indignatione plectendum, & mucrone ſancti Spiritus feriendum. Porro tam illam Dominam venerabilem Beatricem, quæ ad præſens illius loci Sororibus præpoſita eſt, quam alias quæ poſt eam in ejuſdem loci regimine regulariter ſucceſſerint, cum Sororibus ſuis, quietas & liberas ſancimus ſub*

Apo-

„ *Apoſtolicæ Sedis tutela in perpetuum conſervari*; *quatenus*, *largiente Do-*
„ *mino*, *Regularis illic Ordinis diſciplina vigorem debitum ſemper obti-*
„ *neat*. *Datum Laterani per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis*,
„ *& Bibliothec*. XVIII. *Kalend. Maii*, *Indic*. VII. *Incarnationis Domini-*
„ *cæ* MCXV. *Pontificatus quoque Domini Paſchalis II. Papæ anno* XV.
„ III. Præfata vero Monaſteria ſancti Petri & de Farinate, Abbatiſſæ
„ Monaſterii ſancti Damiani de Dovera ſubjecta erant, ut publicum in-
„ ſtrumentum locationis, actum ſub die XVII. Januarii anno MCXIII. in
„ loco Trivillii, per Petrum de Quintano oſtendit; per illud enim Abba-
„ tiſſa conſentientibus ſuis Monialibus, ad novem annos, agros & domos,
„ quas in territorio Trivillii poſſidebant ob Eccleſiam ſancti Petri, Joanni
„ Corda locabat, cum obligatione ſolvendi ſingulis annis triginta ſalma-
„ tas tritici, & certas vini menſuras, ſuis Monialibus, Presbytero & Cleri-
„ cis, die feſto ſancti Petri. Idipſum etiam alia Scriptura facta anno
„ MCCCCII. ſub die XXV. Januarii ab Antonio de Carotis a Mozanica de-
„ monſtrat, in qua quidem hæc leguntur: *Abbatiſſa prædicta ob mortem*
„ *Prioriſſæ de Farinate*, *& de ſancto Petro Trivillii*, *inſtituit Prioriſſam*
„ *& Prælatam dictorum ſanctorum Fabiani*, *& Petri de Trivillio Joannam*
„ *de Suardis &c*. anno MCCCCXC. die XXI. Octobris. Scribente Lazaro de
„ Dulcellinis, Placentiæ Epiſcopus præfatis Monialibus ſancti Benedicti
„ conſtruendi Oratorium Cremæ, quod vocarunt ſanctæ Mariæ Matris Dei,
„ licentiam impertiit; ejus vero curam, quod nimis diſtaret, eſſetque ſub
„ Ordinarii poteſtate, gerere non poterat: verumtamen pro educatione
„ Virginum ad habitum & Religionem admiſſarum Monaſterio Trivillii,
„ cum Abbatiſſa eas adſcribebat, quod ſub Ordinario non eſſet, utebantur
„ Cremenſes anno MCCCCXCII. Rebus ita procedentibus, an. MCCCCXCV.
„ ex commiſſione Alexandri Papæ VI. Otto Cardinalis Legatus in parti-
„ bus Lombardiæ, illorum cuique Monaſteriorum ſuam Prælatam dedit:
„ & ſequenti anno ab Apoſtolica Sede obtinuerunt poſſe regi per Abba-
„ tem Monaſterii Clarævallenſis; quod tamen ad effectum mandatum non
„ fuit, eo id Officii recuſante ob nimiam loci diſtantiam: ſed bellorum
„ aliarumque calamitatum cauſa, Monaſterium de Farinate plurimum de-
„ trimenti paſſum, antequam ad nihilum reduceretur, cautæ illius Virgi-
„ nes, cum ſuis privilegiis & bonis, in ſpecie vero cum dominio cujuſdam
„ poſſeſſionis quingentarum ſexaginta ſex perticarum, Trivillium transla-
„ tæ, Monialibus ſancti Petri ſeſe ſociaverunt; ac ideo per centum annos
„ & amplius, promiſcue earum Monaſterium, ſanctorum Fabiani & Seba-
„ ſtiani, vel etiam ſancti Petri de Trivillio dicebatur, & Moniales de Fa-
„ rinate, vel ſancti Petri vocabantur. Tamdem Pontifice Alexandro VI.
„ omnes unanimes ſperantes in Dei famulatu ſe magis profecturas, ſi ad
„ Inſtitutum ſanctæ Claræ tranſirent, id abeo obtinuerunt, per Breve ſu-
„ pracitatum, cum facultate poſſidendi in communi, & ſubeſſendi perpe-
„ tuis futuris temporibus Fratribus Obſervantiæ Provinciæ Mediolanenſis:
„ quod quidem Breve die prima Junii anni MCCCCXCVIII. executioni
„ mandatum fuit, coram & in præſentia Reverendorum Dominorum Vi-
„ carii Generalis Archiepiſcopi Mediolanenſis, & Præpoſiti Paragliati,
„ cum aſſiſtentia Patris fratris Seraphini *Caccia* Regularis Obſervantiæ,
„ Concionatoris & Confeſſoris, necnon earumdem Monialium Vicarii
„ inſtituti, Vicarium Generalem Obſervantiæ partibus in Ciſmontanis
„ agente Patre fratre Ludovico a Turri Veronæ; cui etiam functioni plu-
„ res nobiliſſimi viri adfuere: igitur eo die Reverenda Domina Abbatiſſa
no-

Digitized by Google

„ nomine Prudentia *Chiozzi* Mediolanenſis, cum trigintanovem ſuis Monialibus, quarum nomina in publico actu his deſuper confecto, exprimuntur, Regulam ſanctæ Claræ amplexata, publice & ſolemniter ſua vota emiſit.

Plures Virgines ſanctitate florent in Monaſterio S. Petri Trivillii. *Ex hiſt. MSS. Conven. Trivillii P. Fris Franciſci de Trivillio.*

„ IV. Hac autem occaſione, cum tempora certa non habeamus, quibus ſub Inſtituto divæ Claræ nonnullæ floruerint, quarum optima fama perdurat, eas ſaltem hic recenſere juſtum eſſe putavi. Celebratur in primis ſoror Bona Franciſca Cattania, Virgo magnæ ſimplicitatis, ſilentio & Obſervantia Regulari conſpicua, ſupraque modum in recitatione Divinorum Officiorum diligens ac attenta, quæ inſtante ſibi ultima vitæ periodo, ridens adſtantibus Virginibus dixit: *Attendite, pulcherrimum ſiquidem concentum audio*. Alia etiam a Martinengo, cujus nomen proprium excidit, adeo pie mundi peccata deflebat, & Chriſti Servatoris opprobrioſam necem, ut ei juſſum fuerit in propria cella orationi vacare: hæc inter recitandum pſalmos pœnitentiales præcipue, ut amans, & amantem videbatur loqui: morti & ipſa vicina, Conſorores invitabat ad audiendum quam ſuavis eſſet muſica, quam ſuis auribus percipiebat: mox in modum Crucis compoſitis manibus, ſpiritum Deo reddidit: & ecce ſtatim hirundinum turbam, ferreas claves Clauſtri occupare, quarum tantus erat garritus, ut eis tamdem Pater Confeſſarius ſilentium indixerit. Soror Barbara Piſcaria, ſe ipſam contemnens, admodum pauper & devota vivebat: in ſuo tranſitu apparente ſibi glorioſiſſima Deipara, cum ſancta Urſula, exclamavit: *O quam pulchra eſt*! Soror Angela Degana Converſa, beatiſſimæ Virgini Mariæ plurimum addicta, eam quolibet die Sabbati millies ſalutabat, millies Angelicam Salutationem recitando: morti propinqua, exhortatis Monialibus ad devotionem erga Deiparam, revelavit, quod ſemel in nocte Natalis Domini cum eſſet in dormitorio, proceſſionem beatorum Spirituum, quam Mater Dei comitabatur, vidiſſet, & mox, neſcia quomodo, in Choro ante Præſepium, quod ibi repræſentabatur, translatam fuiſſe. Hæ omnes & aliæ, ſicut virtutibus & ſanctis operibus in Monaſterio ſancti Petri Trivillii ſplenduerunt, ita in eodem quieſcentes, ſupremam corporis Reſurrectionem ad gloriam, ex Dei miſericordia expectant.

Plures litteræ Pontificiæ in favorem Ordinis. *Indic. ex Vatic.*

„ V. At ad Vaticanum redeo; inde ſiquidem prodiiſſe licentiam conſtruendi Monaſterium pro Clariſſis in oppido Huermo, Antiſiodorenſis diœceſis lego: *Eximiæ devotionis*. XIV. Kalend. Martii. III. Nonas ejuſdem permiſſum eſt Oppidanis caſtri Calieti in diœceſi Coſentina pro Fratribus Obſervantiæ erigere domum: *Proviſionis noſtræ*. & XII. Kalend. Maii, conceſſo beneficio fratri Raynaldo de Gratianis: *Religionis zelus*. VIII. Kalend. ejuſdem frater Alexander de Arnedaris fit Epiſcopus Stephanenſ. in Macedonia: *Apoſtolatus officium*. Kalendis Junii, confirmatis ſtatutis Fratrum Tertii Ordinis, & Sororum Colonienſium: *Ad ea quæ*. dieque ſexta ejuſdem menſis Ultramontanæ Familiæ Obſervantum conceſſa privilegia ab Apoſtolica Sede, Ciſmontanæ itidem Familiæ eorumdem Obſervantum, communicata ſeu conceſſa fuere: *Exponi nobis*. Et indulta conſtructio Cœnobii de Canibo in diœceſi Carpentractes, Comitatus Avenionenſis in Gallia Narbonenſi: *Sacræ Religionis*. VI. Idus Junii; paulo ante fratri Hieronymo Chriſtophoro dato beneficio: *Religionis zelus*. III. Kalend. Junii. III. Idus Julii expedito brevi: *Quanta in Dei*. Fratres de Obſervantia recepti & admiſſi fuere in habitationem ſancti Franciſci Eslebicenſis, ſed forte legendum Eyſle-

,, lebenſis, cujus nihilominus domus alibi memoriam non video, præter-
,, quam in tabula provinciæ Saxoniæ.
,, VI. Interea vero die XIII. Julii Mediolani Obſervantes Familiæ *Fr. Ludovicus a Turre Vicarius Generalis.*
,, Ciſmontanæ ſua Comitia Generalia habentes, in Vicarium Generalem
,, elegerunt fratrem Ludovicum a Turre Veronæ, & aliis officiis diſtribu-
,, tis, ut habes in Annalibus; præter ea, quæ de Montibus pietatis ſtatue-
,, runt, decreverunt pariter, recedentes a Familia cum licentia eundi ad
,, Conventuales, ſi forte redirent, non eſſe recipiendos, niſi cum pœna
,, portandi Caputium probationis per tres menſes; recedentes vero ſine
,, licentia, & redeuntes, ultra præfatam pœnam, etiam carcere manci-
,, pandos eſſe: licentiatos autem ad aliam e ſua Provinciam, recipiendos
,, quidem, ſed juxta conſtitutionem Mantuæ: ſcilicet cum pœna probatio- *Ex hiſtor. Chronolog. legali fol. 148.*
,, nis Caputii per tres menſes, niſi Vicario Generali ob aliquam rationabi-
,, lem cauſam, viſum fuerit diſpenſandum. Etiam & de Confeſſoribus
,, Monialium ſtatuentes, decreverunt obſervandum eſſe morem Provincia-
,, rum: hoc tamen ſervato ne ultra biennium eidem Monaſterio præfician-
,, tur, ac etiam addito, quod ipſi Confeſſores nullo pacto ſe intromittant
,, in regimen Abbatiſſæ.
,, VII. Hac occaſione non æquum putavi præterire ſtudia & diligen- *Obſervantes in Sardinia.*
,, tiam, quibus pro Sardiniæ Fratribus de Obſervantia laboratum eſt. Eam
,, Inſulam ab antiquis Fratres Minoritas excepiſſe vix dignoſcitur ex Ca- *Vide Harol. ad ann. 1540. n.20.*
,, talogo diſtributionis provinciarum divi Bonaventuræ, in quo ſub Vicaria
,, Corſicæ quarta in Ordine, octavus & ultimus Conventus illius, legitur
,, unus Montis Raſi in Sardinia; ceterum, quando Fratres Regularis Ob-
,, ſervantiæ eas ad oras appulerint, nec ſcripto nec traditione probatur:
,, nihilominus ex antiquo libello quodam noſter Gonzaga novit ſub Reve-
,, rendo patre Ludovico a Turre Veronenſe, provinciæ ſancti Antonii
,, alumno, Vicario Ciſmontanæ familiæ Generali, demonſtrat aliquos Pa-
,, tres Sardos in Capitulo Generali Mantuæ ſcribi, ſed ſcribendum erat,
,, Mediolani operam dediſſe, ut eorum domus in Provinciam, a proprio
,, Vicario Provinciali regendam eveheretur; quod tamen obtinere non
,, potuerunt; & id forte ob numeri earum paucitatem: verba vero ex eo
,, libello eruta ſunt: *Tempore officii mei fratris Ludovici de Turre, propoſi-* *Gonza. de Prov. Sardin. in princip.*
,, *tum & ſupplicatum eſt nomine Fratrum Vicariæ Sardiniæ, cum multis*
,, *litteris, tam Regiæ Majeſtatis, quam aliorum nobilium illius Inſulæ, ut*
,, *Commiſſarius illorum habeat titulum Vicariatus, & vocem activam in*
,, *Capitulo Generali Mantuæ* (*lege Mediolani*) *anno Domini* MCCCCXCVIII.
,, *celebrato: concluſum eſt, quod ſint, ut hactenus fuerunt: & ſic reſponſum*
,, *eſt litteris præfatorum cum legitima excuſatione*. Ex iis, inquam, ver- *Vide Catal. Piſani an.1400. Indic. ex Vatic.*
,, bis colligit Gonzaga, Fratres, quidem hoc tempore, ſcilicet anno
,, MCCCCXCVIII. Regularis Obſervantiæ in Inſula Sardiniæ extitiſſe, at
,, per Commiſſarios, & non per Vicarios gubernatos; quid poſtea ſequu-
,, tum fuerit, dicetur. Poſt vero præfata, lego litem extitiſſe inter Fratres
,, noſtros Albingæ in ora Occidentali Liguriæ, & quemdam Bernardum
,, Peſſanum, per Apoſtolicum breve: *Humilibus*. expeditum ſub IX.
,, Kalend. Auguſti ſedatam; confirmationem vero Commiſſarii provinciæ
,, Siciliæ Kalendis Septembris: *Super familia*. erectionem domus in
,, Eremitorio ſancti Venaldi Volaterræ: *Ex commiſſo*. XIII. Kalend.
,, Octobris; cum ſuppreſſione Monaſterii ſanctæ Claræ Pennenſis: *Decet*
,, *Romanum*. VIII. Kalend. Decembris; quo tempore ad habenda be-
,, neficia diſponebatur frater Franciſcus de Saxello: *Religionis zelus*.
& po-

,, & poſtea ipſis Kalendis præſati menſis, noſtris Amadeitis ad Eccleſiam
,, Sanctorum Theodori & Blaſii Papiæ Conventus ædificatio permittebatur: *Ea, quæ*

Cron. lib.7. c.60. ,, VIII. Memoratur in ſuis Chronicis a Cimarella pater frater Cherubinus Hungarus, Vir ſuo ævo inſignis, qui ante Religionis ingreſſum in
,, Univerſitate Cracovienſi Artium Baccalaureus, & Eccleſiaſtes famoſus
,, cum eſſet, Minoritarum Inſtitutum perfectionis Evangelicæ amore,
,, ſpretis Mundi vanitatibus, ſubjit, ac in Religione pluries Guardiani
,, officium exercuit: hic ob præclaras animi ſui dotes, vitæque ſanctimoniam, a Regibus, Principibus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Prælatis
,, maximo in honore habebatur; obiit tamdem *Zbaſzin* in Polonia anno
,, MCCCCXCVIII. ac poſt obitum non ſemel viventibus apparuit.

Maria a Spiritu Sancto floret.

,, IX. Maria, a Spiritu Sancto nuncupata, Virgo nobilis ex Guadalfagiara civitate oriunda, cum Divinis obſequiis ſe ſe dedicare ſummopere cuperet, Deum ferventer exorabat, ut quæ illi placita forent, benigniter inſpirare dignaretur: exaudivit illam Altiſſimus; etenim cum
,, quadam die hujuſmodi orationi inſtaret attentius, per revelationem accepit, ut relicto ſolo patrio Segobiam ſe transferret: revelationi Divinæ
,, acquieſcens, in eam Civitatem perrexit, in eaque nonnullas honeſtiſſimas Virgines, eadem mente, qua & illa præditas, adinvenit, quæ facile
,, ſe ei adjunxerunt: qua opportuna occaſione oblata bene uti cupiens,
,, domum, in qua ſimul cum illis Deo felicius a rumoribus Mundi ſemota,
,, famulari poſſet, tum ex communibus facultatibus in medium collatis,
,, cum etiam diverſis fidelium eleemoſynis, anno MCCCCLXXXVI. ædificandam curavit; in eaque per duodecim annos continuos, cum cariſſimis
,, ſibi adhærentibus, ſub Tertiariarum Sororum Minoritarum habitu ſanctiſſime perſeveravit, feliciterque in Domino obdormivit. Hanc Virginem, poſt Gonzagam Arturus in ſuo Martyrologio commemorat:
,, ejus vero corpus jacet in Monaſterio ſanctæ Eliſabeth Segobienſi, Provinciæ Immaculatæ Conceptionis.

Gonzag. p.3. in Monaſt. S. Eliſabeth Segobien.

Arturus ad diem 5. Januarii.

ARGUMENTUM.

Moritur Franciſcus Samſonius Miniſter Generalis, & a calumniis vendicatur. Obſervantes Ultramontani celebrant Comitia Generalia. Georgius Erbalius, Paulus Aſſiſias, & Lucia Petri Fulginas humanis rebus valedicunt. Franciſcus Ximenius multa egregie præſtat in Maurorum Granatenſium converſione. In Gallia, Anglia, aliiſque locis promovetur Ordinis reformatio, & dilatatur Inſtitutum.

Moritur Franciſcus Samſon Miniſter Generalis. *Rodul. fol.194. Regiſtr. Ordinis.*

I. FRANCISCUS Nanius, agnomento Samſon, Generalis Miniſter, poſtquam prudentiſſime, & abſque querela per annos viginti quatuor Ordinem rexiſſet, hoc anno die XXVII. Octobris, ætatis anno octuageſimo quinto, Florentiæ deceſſit. Nullus ex Generalibus Miniſtris tam laudabiliter tot annos Præfecturam ſuſtinuit, illorum merita opportune & benigne coronantibus ſummis Pontificibus. Mirum itaque eſt, quod nullus ex tribus Pontificibus, ſub quibus hic rexerat, præſertim Sixtus IV. ejuſdem Inſtituti vir, qui eum valde diligebat, vel ad purpuram, vel ad inſulam Pontificiam non evexerit. Fortaſſis externos fugit ipſe honores, ſua ſorte contentus, & bene quidem vixit, qui bene novit latere.

II. Sed

Anno Christi 1499.	Alexandri VI. an. 7. & 8.	Maximiliani Imp. an. 6. & 7.	Religionis Minorum anno 292.

Defenditur a calumnia. *Bzov. hoc anno n. 10.*

II. Sed valde aliter de hoc homine ſenſit pro ſuo more Abrahamus Bzovius, quem tam effreni ambitione Cardinalatum ambiiſſe affirmat, ut pro eo aſſequendo, aliquando XXX. aliquando XXXV. aliquando XL. millia nummum aureorum Alexandro Pontifici obtulerit. Egregium quidem, & prorſus incredibile commentum, ut toties auſus ſit miſellus Monachus cum ſummo Pontifice de Cardinalatu paciſci, nec digniſſimam gravis ſupplicii, aut juſtiſſimæ confiſcationis pecuniarum pœnam ſubierit; ſed ita libere omnem ei pecuniam dimiſerit, ut cum ea & ſuppellectili inſuper argentea mortem obierit? Quis hæc crediderit de viro, quem alias omnes laudant. Quis tam inſolentem & inſanum putet, ut quod ſibi non licebat poſſidere, in pretium offerat Pontifici? Quis non tantæ dignitati gravem irrogari judicet injuriam, quod auſus ſit Fraterculus cum Pontifice venditionis & emptionis Cardinalitiæ negotium ſemel, denuo, & tertium inire? Citat autem Bzovius ſui aſſerti auctores Marcum Ulyſſipponenſem, qui nec verbum quidem de Samſone habet loco a Bzovio citato, quem tamen alibi digne commendat, & Brucardum in notis diariis, qui non niſi incerto id tribuit rumori, & futili verbo *ferunt*, Bzovii ſimilibus inſignem hanc quorumdam malignantium propinat calumniam.

Marc. lib. 7. cap. 15
Idem lib. 6. c. 60.

Capitulum Generale Obſervantum Ultramont. in Mechliniæ.
Regiſt. Ordinis.
Provinciæ Angliæ augmentum.

III. Fratres Obſervantes Ultramontani hoc anno celebrarunt Comitia Generalia in Cœnobio Mechlinenſi provinciæ Colonienſis, in quibus abſoluto triennio Franciſci Sagarræ Vicarii Generalis, ſubſtitutus eſt tertio Oliverius Mayllardus. Decretum eſt, provinciam Angliæ, quæ propter paucitatem domorum unum dumtaxat ferebat ſuffragium in Capitulis Generalibus, deinceps ferret duo more reliquarum provinciarum, quia aliquanto creverant Cœnobia. Inſuper conſtitutum eſt, ut Cuſtodia Hiſpalenſis, Bætici, Cordubenſis, & Giennenſis regnorum domos complectens, ſepararetur a provincia Caſtellæ, & adjunctis domibus regni Granatenſis, erigeretur in provinciam, habito tamen aſſenſu Patrum provinciæ Caſtellæ in proximis Comitiis eorumdem. Ortis quibuſdam circa hæc difficultatibus, precibus Regum Catholicorum perſuaſus Alexander Pontifex, emiſſo diplomate anno ſequenti die XXI. Septembris probatum voluit, quod Capitulum conſtituit. Defuncti ſunt ſub hoc triennium in illa familia quingenti octoginta quinque Fratres, atque inter hos vir doctus, & illuſtris Stephanus Bruliſer, Magiſter Pariſienſis, ſancti Bonaventuræ fidelis ſectator, qui multis annis legit in Conventu Metenſi.

Inſtitutio Provinciæ Hiſpalenſis, ſeu Bæticæ.

Moritur Stephanus Bruliſer.

Et Georgius Erbalius.
Marc. lib. 7. c. 35.
Marian. de Viris illuſtr.
Ejus virtutes.

IV. Deceſſit hoc anno Georgius Erbalius provinciæ Picenæ, laicus centenarius, Thomæ Florentini diſcipulus, in Cœnobio Caſtilionis Aretini in Etruria, in quo annis quadraginta quinque commoratus eſt. Corpus continuo macerabat jejuniis, flagris, vigiliis, in paupertatis ſequela, in orationibus, humilitatis exercitiis, aliiſque ſectandis virtutibus, conſtantiſſimus. Poſt multorum annorum curriculum eo fervore proſequebatur, quæ ſibi ſtatuit pietatis exercitia, ut ubi alii conſummaſſe putarentur, ille videretur incipere. Chriſto pro nobis paſſo tenerrime compatiebatur, neque Chriſti dolores aut meditari, vel pictos videre aliquando poterat ſine cordis paſſione & lacrymis. In oratione brachia in crucis modum extendebat, Chriſtum crucifixum commodius meditaturus. Referebat Fratribus fervida & paupercula reformationis primordia ſub prædicto ſuo Magiſtro, pœnitentiam, inediam, abſtinentiam. Carnes raro & parce manducaſſe non mendicatas, non emptas, ſed ſponte oblatas, neque has ipſas, ſi quando abundabant, ſale inſpergebant, aut in plures dies reponebant, ſed in pauperes diſtribuebant. Referebat, ſimplicem Fraterculum dure fuiſſe a ſuperiore

riore increpitum, quod fruſtulum recentis carnis, ab amico ſine Prælati licentia acceptum, domum advexerit, appenſumque ad collum reduci juſſit ad benefactorem, erratique veniam flexis genibus poſtulare. Porcum etiam a pio quodam viro miſſum noluiſſe Fratres admittere, neque Guardiano conſenſum præſtare ut acciperet. Accepit tamen ſuo ſolo arbitrio, & ſalivit; ſed quoties ex eo quidquam menſæ inſerebat, nolebant Fratres guſtare neque attingere, ſat contenti pane & oleribus. Rigor iſte prior cœpit in provincia Tuſciæ leſteſcere, in qua carnes, aliaque victus ſubſidia ultra neceſſitatem cœperunt Fratres accipere, & in plures dies cuſtodire, pio ſcilicet colore frequentis excuſandi circuitus, & benefactorum vitandæ moleſtiæ.

Item Paulus Aſſiſias. Tom. 9. an. 1401. n. 14.

V. Circa hunc annum deceſſiſſe in Conventu Bonæ quietis, vulgo *del buon reposo*, Paulum Aſſiſiatem laicum, referunt monumenta provinciæ ſancti Franciſci, ibique ſepultum fuiſſe nos alias indicavimus, cum de hoc egimus Cœnobiolo. Tranſitus diem & horam longe ante præſcivit; quare per octiduum ante deceſſum pie & devote per omnem domum inclamabat: *Beati, qui ad cœnam Agni vocati ſunt*. Alterum commemoravimus Paulum Aſſiſiatem, ſed ſacerdotem, & in Theologia magiſtrum, ſancti Bernardini diſcipulum. In Conventu Aracœli in Urbe, hoc anno vitam terminavit

Tomo 10. anno 1426. n. 12.

Ac Dominicus de Ponzo.

Dominicus de Ponzo apud Spediam, inſignis Theologus & concioator, a dicendi gratia & efficacia *alter Paulus* nuncupatus. Magna libertate, ſed diſcrete vitia reprehendebat, & culpas arguebat, nullius timens potentiam, nullius minas reformidans. Florentiæ contra Savonarolam, & Romæ contra abuſus Curiæ intrepide prædicavit. Hydruntum anno MCCCCLXXX. direptum contra Turcas triremes duxit, multoſque robuſtos Fratres, ſocios adhibuit, qui variis incurſionibus non parvam hoſti moleſtiam intulerunt.

Obit Soror Lucia Petri Fulginas. *Jacobil. de SS. Fulginat. pagin.* 253.

VI. Lucia Petri Fulginas hoc anno die IX. Decembris obiit Peruſii in Montis Lucis Monaſterio. Anno MCCCCXXXV. Clariſſam induta Fulginei ad ſanctæ Luciæ Parthenonem, anno MCCCCXLVIII. viginti duabus Sororibus Monaſterium prædictum Peruſinum reformaturis adnumerata eſt. Ea fuit virtute, regularis Obſervantiæ zelo, humilitate, oratione & caritate, ut reliquis Sororibus facta ſit religioſæ converſationis exemplar. Anno MCCCCLIX. Monaſterio Præfecta, iterum id ipſum munus an. MCCCCLXXIII. oportuit ſubire, neque cum officii termino triennali illud potuit deponere, a Sodalibus ſemper, dum vixit, reelecta. Annis viginti ſex continuis Monaſterium rexit ſumma prudentia & caritate, ab omnibus ſumme dilecta. Corporis ſarcinam depoſuit Sororum & Peruſinorum ingenti dolore, anno ætatis octuageſimo, incolatus Peruſini quinquageſimo primo, præmiſſis omnibus Chriſtianæ pietatis officiis, & gravi ad Sorores exhortatione.

Gomez. de rebus Ximenii lib. 2.

VII. Reges Catholici Ferdinandus & Eliſabetha, cum nuper Granatæ urbem magna virtute e Maurorum eriperent poteſtate, ad confirmandos in ſua obedientia cives, & in officio continendos, illuc hoc anno proficiſci prudentiſſimo conſilio decreverunt. Ubi cum multæ res paſſim occurrerent, quæ iis, alioqui prudentiſſimis, negotium faceſſerent, dubioſque & ſuſpenſos tenerent, fratris Franciſci Ximenii Archiepiſcopi Toletani præſentia viſa eſt neceſſaria, cujus ſolertia & conſilio res illæ ancipites expedirentur. Quapropter accedere juſſus, dum conſtituendæ Academiæ Complutenſi totus eſſet intentus, univerſæ fabricæ cura Balthanaſo viro optimo, & illarum rerum peritiſſimo commiſſa, Granatam abit; unde Reges poſt menſem Hiſpalim profecti, novæ reipublicæ ſtabiliendæ, & Maurorum converſionis provinciam illi commendarunt. Is porro multa ad urbis tranquillitatem,

Ximenius Granatam avocatur.

tem, multa ad mutua Chriſtianorum cum Mauris commercia, multa denique ad religionem ipſam ſpectantia excogitavit. Nam cum Divina providentia & beneficio, Ferdinandus Talabricenſis, Hieronymiani Ordinis Sodalis, vir ſanctimonia & doctrina clarus, ad ejus urbis Pontificatum aſſumptus eſset, facile Ximenius ab homine minime ambitioſo obtinuit, ut concordibus animis de illorum ſalute inter ſe communicarent, eoſque omni cura & diligentia ad Chriſti fidem reducendos curarent. Quod cum diligenter ſecum conſideraſsent, hæc demum ratio ad id exequendum potior viſa fuit. Mauris ad fidem convertendis totus intendit.

VIII. Vocatis primum ad ſe ſacerdotum illorum Principibus, (quos illi *Morabitos*, & *Alfaquinos* vocant) cum iis quotidie manſuete & comiter de rebus ad religionem ſpectantibus diſputare, nihil per vim cum illis agere, ſed potius omni libertatis genere eorum animos ſibi devinciendos curare, quod & fecerunt. Nam partim ſericeis telis, partim rubris pileis, coccineo grano tinctis, quibus gens illa impenſe delectatur, non contemnenda ſumma comparatis, donatos a ſe dimittebant. Qui nuper igitur contempti & captivi eſse videbantur, æqua libertate & ſplendore cum victoribus ſe frui cernentes, animis paulatim erga noſtros conciliatis, Chriſti dogmata amplecti cœperunt: populoque deinceps ſuadere, ut mendaci Mahometo abnegato, Chriſtum verum Deum ſequerentur. Fuit id adeo providens & ſalubre conſilium, ut intra paucos dies Alſaquinorum auctoritatem turbæ ſecutæ, ab Baptiſmum petendum catervatim convolarent. Nam dies quidam inter faſtos relatus eſt, quo pluſquam tria millia hominum luſtrali aqua expiata ſunt. Quos cum non poſset Ximenius privatim ſingulos de Eccleſiaſtico more tingere, decrevit aſperſorio univerſos luſtrare, quod merſionis ſimplicis locum habuit.

IX. Cœpta eſt fieri hæc converſio ſub finem hujus anni, magnaque urbis pars jam fidem Chriſti libentiſsime ſuſceperat; quando quidam contumaces, paternarum traditionum nimis ſtudioſi, dolentes priſcam Maurorum fidem in Hiſpania funditus eo exemplo perire, populi animos crebris concionibus a Chriſtianiſmo vehementer deterrebant. Hos omnes Ximenius, ne quid detrimenti novellæ illæ plantationes caperent, vinculis coercitos, in cuſtodia detinuit: &, quod ejus ingenio repugnabat, indignis modis tractari permittebat. Inter hos Zegri quidam, partim ob generis nobilitatem, partim ob egregias animi & corporis dotes auctoritate præſtabat. Nam ſermone hominum jactabatur, e patritia illius Abenhamaris familia, qui rhytmis vernaculis ab Hiſpanis paſsim decantatur, rectam regionem trahere. Is magnopere aſsidua contra ſuos increpatione, Ximenii pios conatus retardabat. Qua de cauſa decrevit Ximenius, omni fere humanitate depoſita, ſevera in eum ratione animadvertere, & ei, quem comitate & beneficentia nullo modo potuerat placare, atrocia remedia admovere. Data eſt cura cicurandi hominem Petro Leoni, Ximenii a ſacris Miniſtro, qui vere animo leonino præditus, adeo fortiter in ea re ſe geſsit, ut hominem alioqui ferum & immani animi truculentia reluctantem, manſuetum & humilem reddiderit, prorſuſque Ximenii voluntati obtemperantem. Nam aliquot poſt dies, ſive impotentia difficilis convinctus, ſive potius Divino ad id adſpirante favore, qui omnibus hominibus ad ſalutem præſto eſt, Zegri ad Alſaquinum Chriſtianorum (ſic enim dixiſſe memoria proditur) ſe deduci quamprimum poſtulat. Deducitur vinctus ut erat & ſqualidus: qui a Ximenio petiit, ut quo poſſet libere eloqui, vinculis illum juberet exolvere, neque enim quidquam pro rato habendum eſſe, quod ab

homine captivo compedibus & manicis conſtricto diceretur. Ille vinculis levatis, continuo genubus volutatus, terram primum, deinde manum proprlam, ex Maurorum ritu, a priſca gentium adoratione dimanante, deoſculatus, ſe velle fieri Chriſtianum dixit: id enim ſibi ea nocte manifeſta viſione ab Ala (ita enim Mauri Deum vocant) admonitum. Seque Divinitus ad eam rem vocari certo ſcire. Quod tunc proculdubio ſe declaraturum eſſe confidebat, quando tale quippiam accidiſſet, ubi ejus fides erga Chriſtianos expoſceretur; ut interim taceret, quantum momenti ad rem, quam in præſentia parabat Ximenius, ſua ad Chriſtum converſio allatura eſſet: *Sed ne ego*, ridens inquit, *ſtultus ſum, qui aliunde momenta requiro, quam ab hoc tuo ferociſſimo Leone, cui ſi noſtri ſemel committantur, nemo erit, qui non illico Chriſtianus fiat*. Hoc autem renidenti vultu dixit, quaſi ſubnotare vellet Leonis erga ſe acerbitatem.

X. Lætior ea de re, quam credi poteſt, Ximenius, ablatis captivitatis veſtibus, totoque illo pædore abſterſo, quem ex diuturna, eaque graviſſima cuſtoſtia contraxerat, veſte coccinea & ſericea indutum, ad ſacrum fontem venire jubet. Ubi ille per Baptiſmum reviviſcens, nomen ſimul cum religione mutavit, & Gonzalum Ferdinandum Zegri ſe appellari voluit: quoniam olim adoleſcens, in latiſſima illa planitie, quæ ante urbem Granatam eſt, cum magno Gonzalo Ferdinando, forti dimicatione, & ancipiti certamine manum conſeruerat, vireſque Ducis præſtantiſſimi cum ſingulari humanitate expertus fuerat: & potiſſimum in gratiam optimi Antiſtitis, quem magnum Gonzali amicum, ob ejus excellentiam, eſſe ſciebat: certe illum officiis non vulgaribus, in ſui amorem pellicere curaverat.

XI. Commodiſſima accidit Ximenii conſiliis hæc Zegri converſio, nam ſimul atque id vulgatum fuit, Mauri, quibus priſca ſuperſtitio cordi erat, animis mutatis, Chriſtianiſmo initiantur. Tantum poteſt unius hominis apud populum auctoritatis, qui ſua virtute & animi præſtantia fidem ſibi & amorem inter ſuos peperit. Quinquaginta millibus nummum in ſingulos annos a Ximenio Zegri donatus, non modo Chriſtianæ religioni apud ſuos dilatandæ, ſed & reipublicæ commodis augendis multis in rebus poſtea uſui fuit, quemadmodum in Ferdinandi Regis Catholici hiſtoriis traditur.

XII. Hoc ſucceſſu exultans Ximenius, occaſionem tam commodam urgendam, & totum Mahumetanum errorem penitus ex animis illorum, quando opportunitas dabatur, extirpandum eſſe ratus, nihil illorum opiniones morabatur, qui inveteratam conſuetudinem paulatim aboleri conſultius eſſe cenſent: id enim tantum in rebus parvi momenti, & ubi de animarum ſalute non agitur, locum habere exiſtimabat. Ergo Alfaquinis ad omnia obſequia eo tempore exhibenda promptis, Alchoranos, id eſt, ſuæ ſuperſtitionis graviſſimos libros, & omnes cujuſcumque auctoris, & generis eſſent Mahumetanæ impietatis codices, facile ſine edicto aut vi, ut in publicum adducerentur, impetravit. Quinque millia voluminum ſunt ferme congregata, quæ variis umbilicis, punica arte, & opere diſtincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modo, ſed animos quoque ſpectantium rapiebant. Multi eis ſe donari a Ximenio petierunt, ſed nemini quidquam conceſſum eſt. Ignibus omnia, publica in pyra ad unum juſſit exuri, præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cujus gens illa, non ſine magno profectu ſtudioſiſſima ſemper fuit, quæ propter celeberrimæ artis dignitatem, ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutenſi nunc aſſervantur.

XIII. Hactenus quidem proſpero curſu religioſiſſimo Antiſtiti propoſitum

ſitum ſucceſſerat, & quamvis res difficillimas & graviſſimas ſit aggreſſus, incomparabili tamen prudentia, qua ſemper eſt uſus, omnes ex voto confecerat. Non deerant tamen, quibus indignum eſſe videbatur, prorſuſque ab inſtituto Chriſtiano alienum, quemquam per vim, aut hujuſmodi artibus ad fidem Chriſti capeſſendam adigere, cujus unicus ſcopus manſuetudo eſt, & prompta in primis ac ſincera voluntas. Cum præſertim Toletanis Conciliis, quorum tam celebris apud omnes Chriſtianos auctoritas eſt, ſevere admodum ſancitum ſit, nemini vim ad credendum Chriſto inferendam. Ceterum ille conſilium in ea re ſuum ſecutus fuit, pauloque poſt ad duriſſimum ſcopulum allidens, ut in rebus humanis quoties aliquid præclarum tentatur, parata ſemper invidia eſt, quæ ardua quæque negotia ſubvertit, milleque impedimentis obſiſtit, animi ſui conſtantiam oſtendit, quantumque robur pectori ineſſet, in acerbiſſimo caſu declaratur.

Sui propoſiti adverſarios experitur.

Vide conc. Tolet. 4. c 56. & hab. c. de Judæis d. 45. & conc. Tol. 6. c. 3. & conc. 17. c. 8.

XIV. In ea urbis parte, quæ *Albaizinum* dicitur, exorta rixa inter aliquot Mauros & tres ex Ximenii familia, in tantum prorupit tumultum, ut tamquam ad claſſicum urbs tota concineret, & ſpe recuperandæ libertatis ad arma conclamaret. Augebatur in ſingulas horas popularis furor, & quo magis ſedari tentatum eſt, eo magis invaleſcebat, neque per diem illum, aut noctem ſubſequentem ullum potuit adhiberi remedium. Demum Ximenii domum obſidere inſtitnunt, vel quia iram & odium, quæ jam dudum, tamquam in ſuæ ſuperſtitionis everſorem conceperant, in eum effundere, vel quia familiam omnem, cui oppido erant propter heſternam rixam indignati, cupiebant occidere. Suadebant plerique Antiſtiti, ut turbarum furorem in tempore declinaret, & ad Alhambram, fortiſſimum urbis præſidium ſe conferret. Pium reſpuit ipſe conſilium, indignumque ſua gravitate duxit alio commigrare, cum præſertim periculum eſſet, ne, illo abſente, in familiam ſæviretur. Dies decem perſeveravit pertinaciter ſeditio, cœpitque Ximenii nomen apud multos, ſed maxime apud Regem Ferdinandum, cujus virtute, & improbo labore parta erat Civitas, periclitari.

Et graviſſimum obſtaculum.

XV. Auxerat fama malum, ſparſitque multis in locis, ſed Hiſpali præcipue, ubi Reges degebant, totam urbem rurſus in Maurorum poteſtatem veniſſe, & tam atroci gravique jacturæ Ximenium occaſionem omnem dediſſe, dum ſtudio nimis pervicaci Mauros adhuc rudes, & traditionum ſuarum tenaces, nullis præmiſſis catechiſmis aut doctrinis, ſubito vellet Chriſtianos fieri. Stupor in primis Reginam tenebat, cœpitque de ſui Antiſtitis prudentia dubitare, ſed apud Regem indignabundum, cui tantis laboribus & difficultatibus urbis expugnatio conſtiterat, quantum licuit, excuſabat. At ille conceptum dolorem diſſimulare nequiens, ita Reginæ objecit: *En*, inquit, *tot majorum noſtrorum, & noſtros triumphos, Hiſpanæ nobilitatis ſanguine, & ſudore partos, ob Ximenii tui ſtultam pervicaciam, momento temporis diſſipatos & everſos*. Hæc Regis tam juſta, ut tunc omnibus videbatur, increpatio, eo mentem Reginæ acrius pupugit, quoniam nondum conjugis animo excidiſſe ſentiebat, Alphonſi Aragonii filii honores præreptos, & Ximenii prælati injuriam. Anxia igitur animi litteras doloris & querimoniæ plenas ad Ximenium quamprimum dedit, per quas ille intellexit miſſum a ſe tertio ſeditionis die curſorem celerrimum, impedimento aliquo detentum non perveniſſe.

XVI. Ergo ut Regum indignationem, & conceptam iracundiam mitigaret, Franciſcum Ruizium ſodalem ſuum cum mandatis Hiſpalim ad Reges miſit, ſtatim ſe illuc venturum promittens, rationem omnium illis redditurus, ſimul ac motus Granatenſes reſediſſent. Adeo rem omnem Ruizius

a prin-

Digitized by Google

a principio eleganter edocuit, adeo ſingula per partes diſſeruit, ut Regum animos, ſerie rerum actarum audita, leniverit, & ſuo patrono priſcam benevolentiam reſtituerit. Poſt vero Ximenius Hiſpalim veniens, omnem præſentia ſua, ſi qua remanſerat, offenſionem abſterſit, relato præſertim tumultus ſine, & fructu, quem inde decerpſit, converſæ ad Chriſtum gentis univerſæ. Nam, cum Albaizinenſes læſæ Majeſtatis lege tenerentur, conditioque illis propoſita eſſet, utrum ſupplicium mallent, an baptiſmum: ad Chriſtum omnes ad unum ſunt redacti, & ſimul quidquid in reliqua urbe infidelis turbæ ſupererat. Quos omnes Archiepiſcopus Granatenſis, in partem gregis ſibi commiſſi receptos, ſedulo, ut par erat, Ximenio adjuvante, Chriſtianis myſteriis per ſingulos dies imbuendos perſtudioſe & ſanctiſſime curavit. Sactis etiam Miſſarum, ceteriſque Divinis pſalmodiis, quæ ex antiquorum Patrum traditione, in Orthodoxis Eccleſiis decantantur, eos intereſſe conſueſciebat. In eo tamen a Granatenſi diſſenſit; quod ille fidei, & ſacroſanctæ Miſſæ myſteria, atque utriuſque teſtamenti libros vulgari Maurorum idiomate imprimere, eiſque tradere cogitarit; hic autem indignum, & pene par piaculo dicebat, hominibus nondum bene in religione confirmatis ſacra noſtra irridenda aut contemnenda, vel perperam & ignoranter interpretanda proponere: ejuſque demum ſententia prævaluit.

XVII. Magnæ deinceps apud omnes venerationi Ximenius eſſe cœpit; ſiquidem tam gravi affectus incommodo, & tam arctis anguſtiis circumventus, neque ipſe animo defecerat, neque ſe in latebras abdiderat, aut Regum ſuorum conſpectum fugerat. Porro plus mentis acie videre, quam ſolent homines, credebatur, quod re ancipiti, neque plane confirmata, barbara Civitate adhuc ſuum Mahumetum ſpirante, tanta animi contentione, ut Chriſti doctrinam amplecterentur, laboraverat & effecerat. Annos ferme tres in converſione gentis, & urbis ſtabiliendo regimine Ximenius inſumpſit, rebuſque tandem ex voto compoſitis, annuente Regina, poſt multas moleſtias, & curas immodicas, quas ob Reipublicæ commodum ſponte ſubibat, in ſuam ſe deducit diœceſim, Complutumque ſub Natale Dominicum anno MDII. pervenit.

Ann.1498. n.38. XVIII. Ludovicus Epiſcopus Albienſis in Gallia, de quo ſupra locuti ſumus, aliique Prælati a reformatione Cœnobiorum, Fratrum, & Monaſteriorum Clariſſarum, ac translatione eorumdem ad Obſervantes, præſertim in Franciæ Provincia, non ceſſabant, omnemque adhibebant operam, ut ſecundum Regularia Inſtituta Fratres viverent religioſius. Dolentes vero Conventuales, ſibi quotidie domos auferri, Pontificem rogarunt, ut decreta prædeceſſorum, præſertim Pauli II. & Sixti IV. circa domorum translationes, & mutuos Fratrum tranſitus, vellet confirmata. Id præſtitit ſequenti conſtitutione, quæ in Firmamento trium Ordinum plano errore data ſcribitur anno MCCCCXCVI. X. Kalendas Septembris. Inde vero proceſſit error, quod ſcriptor ex bulla originali, quæ apud me eſt, ita ſubſcripta anno MCCCCXCIX. XVI. Kalendas Septembris, omiſſo numero *nono*, exſcripſerit *nonageſimo ſexto*, & *decimo Kalendas Septembris*, ſeparato a Kalendis numero *ſexto*, & addito annorum calculo. Do ipſam conſtitutionem ex autographo.

Jubetur ne Obſervantes occupent domos Conventualium. Firm. tract. 2. p. 2. fol. 50.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex originali. XIX. *Super gregem Dominicum nobis, licet immeritis, deſuper creditum vigilis exercentes ſpeculatoris officium, in decore ſacræ religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Ordinis Minorum, mundanis abjectis illecebris,*

bris, devotum & ſanctum exhibent Domino famulatum, ingenti mentis exultatione reficimur, proſpicientes potiſſime, quod ipſi ſuis ſanctis operationibus, quibus in agro militantis Eccleſiæ, tamquam rutilans in amictu ſponſæ Carbunculus, & candida Margarita præſulgent, & orationibus aſſiduis ſibi ad ſalutem proſunt, & exemplo bonæ vitæ alios ad opera incitant caritatis; unde proſperum eorum ſtatum paternis deſiderantes affectibus, ac ne inteſtinæ diſcordiæ, quæ per verſutum humani generis hoſtem, inter dicti Ordinis profeſſores jam dudum diſſeminari cœperunt, diutius invaleſcant, ad ea continua ſollicitudine intendimus, per quæ diſcordiæ ipſæ penitus extirpentur, & Fratres prædicti mutua inter ſe caritate conjuncti, in pacis amœnitate, & perfectione vitæ quietæ, quibuſvis ſemotis perturbationibus, in eodem agro proficiant, ac ſibi & aliis fructum germinent ſempiternum. Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa II. prædeceſſor noſter de piæ memoriæ Sixti Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri, tunc in minoribus conſtituti, ac dicti Ordinis Generalis Miniſtri, & quondam Marci de Bononia, tunc in Ciſmontanis partibus ſuper Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos Vicarii Generalis, necnon etiam tunc Generalis Procuratoris Conventualium, & Commiſſariorum, de Obſervantia nuncupatorum, tam citra, quam Ultramontanorum Fratrum hujuſmodi in Romana Curia tunc deputatorum expreſſo conſenſu & concordia, ex ejus certa ſcientia, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, inter alia, per quaſdam diſtrictius inhibuit: ne Conventuales de Obſervantia, & e converſo, de Obſervantia nuncupati Fratres dicti Ordinis, per ſe vel alium ſeu alios, quovis quæſito colore vel ingenio, Conventualium Fratrum prædictorum aliquam domum, locum, Conventum, ſeu Monialium eis ſubjectarum Monaſterium de novo recipere, invadere vel perturbare, aut de illa vel illo ſe quomodolibet intromittere quoquomodo præſumerent. Alioquin ex tunc in contrafacientes, & inhibitionis hujuſmodi tranſgreſſores tam Conventuales, quam de Obſervantia Fratres prædictos, eiſque in præmiſſis dantes auxilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis forent in prædicto Ordine, excommunicationis ſententiam promulgavit, a qua non poſſent, niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, & in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium obtinere. Et deinde præfatus Sixtus prædeceſſor, qui interim, dicto Paulo prædeceſſore de medio ſublato, ad ſummi Apoſtolatus apicem, Divina favente clementia aſſumptus fuerat, motu proprio, & ex certa ſcientia ſua, litteras prædictas ratas & gratas habens & innovans, omnibus & ſingulis clericis, & Religioſis de Bulla, vel alias de Obſervantia nuncupatis, Ordinum quorumcumque, necnon laicis utriuſque ſexus, etiam cujuſvis dignitatis, gradus vel conditionis forent, etiamſi Patriarchali, Epiſcopali, Abbatiali, & alia quacumque Eccleſiaſtica vel mundana præſulgerent dignitate & auctoritate, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ hujuſmodi, quam eo ipſo, quoties illos contrafacere contigerit, incurrerent, per alias ejus litteras ſimiliter inhibuit, ne domus & loca prædictorum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatorum, aut Monaſteria Monialium eorum curæ commiſſa, aliis Fratribus, Monialibus ſeu Sororibus etiam ejuſdem Ordinis, quovis nomine nuncupatis, quomodolibet concederentur, aut quod amotis exinde Fratribus & Sororibus, illas & illa inhabitantibus, reformarentur, & alii Fratres, aliæ Moniales ſeu Sorores, eorum vel earum loco ſurrogarentur & ſubſtituerentur ibidem, ſeu quod Monaſteria prædicta aliorum curæ committerentur, procurare, quærere aut tentare, niſi apud Miniſtrum Generalem & Provinciales dicti Ordinis pro tem-

tempore exiſtentes, qui tenerentur & deberent, quoties opportunum foret, & poſtquam eſſent requiſiti, infra annum domos ipſas debite reformare, & quæ correctione & reformatione indigerent, corrigere & emendare, nec etiam ad effectum hujuſmodi amotionis eorum a domibus ſuis, eiſdem Fratribus Conventualibus, & eorum curæ commiſſis Monialibus injurias aut gravamina inferre quoquomodo præſumerent, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Miniſtri Provincialis, Cuſtodum, Guardianorum & aliorum Fratrum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatorum, Provinciæ Franciæ, juxta morem dicti Ordinis, petitio continebat, pro pace & quiete dicti Ordinis, & illius Fratrum tam Conventualium, quam de Obſervantia nuncupatorum, animarumque ſuarum ſalute, ac evitatione ſcandalorum & periculorum, quæ inter eos evenire poſſent, nihil utilius convenientiuſque ſit, quam quod litteræ prædictæ ſtrictiſſime obſerventur. Pro parte tam venerabilis fratris noſtri Georgii Epiſcopi Albanen. dicti Ordinis Vice-Protectoris, ſuper hoc inſtantis & aſſerentis præmiſſa dicto Ordini Fratrum Minorum expedire, quam Miniſtri Provincialis, Cuſtodum, Guardianorum & Fratrum provinciæ Franciæ hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſingulas litteras prædictas, quoad provinciam Franciæ hujuſmodi, & illius domos & Fratres, Monaſteriaque Monialium eis ſubjecta approbare & innovare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur, qui Ordinem Fratrum Minorum, & illius Fratres prædictos ſingulari dilectione proſequimur, Miniſtrum Provincialem, Cuſtodes, Guardianos & alios Fratres provinciæ Franciæ hujuſmodi, ac eorum ſingulos a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulas litteras prædictas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, quoad Provinciam, illiuſque domos & Fratres, Monaſteriaque Monialium eis ſubjecta hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia noſtra, tenore præſentium approbamus & innovamus, illaque omnia, quoad Provinciam & illius Fratres, domos & Monaſteria hujuſmodi, ſub excommunicationis, anathematis, & perpetuæ maledictionis, ac ſingulis aliis pœnis, in ſingulis litteris prædictis contentis, quas directe vel indirecte, publice vel occulte contrafacientes, & præmiſſa quoquomodo non obſervantes, aut contra ea, ſeu eorum aliqua vel aliquid apud Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Communitates, Univerſitates, locorum Ordinarios, & alios Prælatos, ac quaſcumque alias perſonas Eccleſiaſticas vel ſeculares, ſeu eorum aliquem, vel etiam apud Sedem Apoſtolicam aliquid quoquomodo per ſe vel alium ſeu alios ſollicitantes, aut quaſcumque alias litteras impetrantes, ſeu impetrare procurantes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, præeminentiæ, dignitatis & auctoritatis fuerint, eo ipſo incurrant, perpetuo ſtrictiſſime obſervari mandamus. Et nihilominus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, nulla domus Provinciæ, Ordinis Conventualium hujuſmodi, etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, & Apoſtolica auctoritate emanatarum, quovis modo reformari valeat, niſi prius reformandi Fratres cum Miniſtro dictæ Provinciæ pro tempore exiſtente, ac Cuſtode, ſub cujus cuſtodia ipſa reformanda domus fuerit, per litteras Apoſtolicas, de conſenſu Protectoris prædicti Ordinis etiam pro tempore exiſtentis, in eiſdem litteris

ex-

expreſſo, & de quo legitime conſtet, moneantur, quod infra annum, prout in litteris Sixti prædeceſſoris bujuſmodi cavetur, a die monitionis bujuſmodi computandum, ſecundum Regularia dicti Ordinis inſtituta, privilegiaque & indulta eis per dictam Sedem conceſſa, & eorum conſuetudines approbatas, reformari debeant: Et ſi infra annum ſe reformari recuſaverint, tunc per alias Apoſtolicas litteras de prioribus litteris & monitione & conſenſu ſpecialem mentionem facientes, & de ſimili conſenſu Protectoris vel Sub-Protectoris prædicti, de quo etiam conſtet, ut præmittitur, emanatas, & non alias, reformatio bujuſmodi Archiepiſcopis vel Epiſcopis, & non eis inferioribus, qui per ſeipſos vel ſaltem eorum Vicarios Generales procedere teneantur, committi, & ad reformationem bujuſmodi, Miniſter, Provincialis, Cuſtos, Guardianus & Fratres domus ſic reformandæ bujuſmodi, & alii, qui fuerint evocandi, cum aſſignatione termini duorum menſium ad ſe purandum, & ſuper boc conſulendum, ac contra litteras reformationis bujuſmodi allegandum citari, quodque reformatio ipſa juxta inſtituta, privilegia, indulta & conſuetudines bujuſmodi, & non alias fieri, & domus & Fratres ſic reformati ad novam obedientiam minime reduci, ſed ſub Miniſtro, & illius Cuſtodis prædictorum obedientia ut prius remanere debeant: Quodque ipſi Fratres de Obſervantia contra Conventuales, aut ipſi Conventuales contra de Obſervantia Fratres prædictos, eorumque Religionem, vitam, mores & boneſtatem, quoad Provinciam, & illius domos, ac Fratres bujuſmodi, Chriſtifidelibus directe vel indirecte, quovis quæſito colore aliquid quoquomodo prædicare, aut publice dicere, ſub excommunicationis, anathematis, maledictionis, & aliis ſententiis, cenſuris & pœnis prædictis, quas contrafacientes etiam eo ipſo incurrant, nullatenus poſſint. Præterea quod Pauli & Sixti prædeceſſorum bujuſmodi, ac præſentibus litteris, aut earum aliquibus, in toto vel pro parte aliquatenus derogari non poſſit, nec derogatum eſſe cenſeatur etiam per litteras, privilegia, indulta, ſtatuta, ordinationes, commiſſiones, mandata, decreta, conceſſiones & alias diſpoſitiones, quæcumque etiam quaſvis ſententias, cenſuras & pœnas in ſe continentia, ac ſub quibuſvis formis & expreſſionibus verborum, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, urgentioribus, ampliſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, & etiam cum ſingularum litterarum prædictarum totali & vera inſertione, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum Reginarumque, Principum, Ducum, Comitum, Communitatum, Univerſitatum, & aliorum Dominorum temporalium, ac Cardinalium, Patriarcbarum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, & perſonarum quarumcumque, etiam ex quantumcumque maximis & excogitabilibus cauſis, conſiderationibus & reſpectibus, ac ſcientia & motu ſimilibus, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per Sedem prædictam, aut ejus auctoritate tam bactenus, quam deſuper pro tempore conceſſa, facta & quomodolibet emanata, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis formis & modis tunc expreſſis, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine bujuſmodi derogari valeat, niſi in eiſdem derogatoriis litteris, quod ſingulæ litteræ prædictæ ad obviandum animarum periculis, graviſſimiſque inconvenientibus & ſcandalis, quæ inter eoſdem Fratres exoriri formidabantur, mature & conſultiſſime, ac gravi cum deliberatione emanarunt, & per illas inconvenientibus & ſcandalis bujuſmodi opportunum & ſaluberrimum remedium adbibetur, quodque ex illarum derogatione non minora poſſent inconvenientia & ſcandala in poſterum exoriri, pacique, concordiæ & tranquillitati ipſorum Fratrum perniciosiſſime obviaretur, & eorum perturbatio, & ſcanda-

doloſa diſcordia ſequeretur, expreſſe & individue, ac verborum forma hujuſmodi non mutata, vere & non ficte mentio facta fuerit, & de conſenſu Protectoris, ſeu Vice-Protectoris pro tempore exiſtentis hujuſmodi, de quo in dictis derogatoriis litteris mentio fiat, & ſimiliter conſtet, quod derogatoriæ dictæ litteræ emanaverint, fueritque Miniſtro Provinciali, Cuſtodi, & reformandis Guardiano & Fratribus prædictis per trinas litteras Apoſtolicas diverſis temporibus, & cum intervallo duorum menſium de præſentatione ad præſentationem præſentatas, intimatum, quod prædicta Sedes litteras derogatorias hujuſmodi concedere, vel alias præmiſſis derogare intendit, ac quidquid, & totum id, quod contra Pauli & Sixti prædeceſſorum, ac præſentium litterarum hujuſmodi, & earum ſingularum tenores, per quoſcumque etiam locorum Ordinarios, Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Communitates, Univerſitates, & alios Dominos temporales, necnon dictæ Sedis Legatos etiam de latere, & Cardinales, ac Nuncios, Commiſſarios, delegatos, & alias perſonas quaſcumque, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, etiam cum derogatoriarum derogatoriis clauſulis hactenus emanatarum, & in poſterum emanandarum hujuſmodi, & alias quomodolibet de quacumque auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari, & fieri contigerit, ex nunc irritum & inane, illudque & contrarias litteras prædictas nullius fore roboris vel momenti, & haberi prorſus pro infectis, auctoritate & ſcientia prædictis irrefragabiliter ſtatuimus, ordinamus & decernimus. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis Fratrum Minorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, Ordini Fratrum Minorum & Fratribus, ac quibuſvis aliis perſonis hujuſmodi, communiter vel diviſim, etiam cum præmiſſis, & quibuſvis aliis clauſulis & decretis hactenus quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis: quibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus pro eorum ſufficienti derogatione, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens foret, deferri, volumus atque decernimus, quod illarum tranſumptis, manu alicujus publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus in judicio & extra, & alias ubilibet fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, innovationis, mandati, ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, derogationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. XVI. *Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno* VII.

Controverſiis provinciæ Angliæ Pōtifex modum præſcribit.

XX. Exortis etiam inter Miniſtrum & Conventuales ex una parte, & Cuſtodem ac Fratres Obſervantes ex alia parte, provinciæ Angliæ variis controverſiis circa eamdem domorum reformationem, ſequentem edidit Pontifex conſtitutionem præcedenti perſimilem; quam tamen placuit in gra-

gratiam illius Provinciæ exſcribere, ut ſciatur in quo ſtatu ſub hoc tempus res Obſervantum illic verſarentur.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super gregem Dominicum &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa II. prædeceſſor noſter, de piæ memoriæ Sixti Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri, tunc in minoribus conſtituti, ac dicti Ordinis Generalis Miniſtri, & quondam Marci de Bononia tunc in Ciſmontanis partibus ſuper Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos Vicarii Generalis, necnon etiam Generalis Procuratoris Conventualium, & Commiſſariorum, de Obſervantia nuncupatorum tam citra, quam Ultramontanorum Fracrum hujuſmodi, in Romana Curia deputatorum, expreſſo conſenſu & concordia, ex ejus certa ſcientia, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, inter alia diſtrictius inhibuit: ne Conventuales de Obſervantia, & e converſo de Obſervantia nuncupati Fratres prædicti, per ſe vel alium ſeu alios, quovis quæſito colore vel ingenio, de cetero Conventualium Fratrum prædictorum aliquam domum, locum, Conventum, ſeu Monialium Monaſterium de novo recipere, invadere vel perturbare, aut de illa vel illo ſe quomodolibet intromittere; Conventuales autem, & alii Fratres de Obſervantia, Generali dumtaxat, ſeu etiam Provinciali Miniſtris ſubditi, eorumque Prælati Fratres, de Obſervantia nuncupatos, ſub Vicariis vivere ſolitos, transfugas, ſeu ad eos fugientes, niſi oſtenderent litteras ſuæ licentiæ a Prælato ſuo per eos obtentas, in quibus contineretur nomen domus, a qua receſſiſſent, & illius, ad quam remiſſi eſſent, etiam ſub prætextu cujuſcumque licentiæ ſuper hoc ipſis Fratribus Conventualibus, & aliis de Obſervantia dictis Vicariis non ſubditis, eorumque Prælotis ab Apoſtolica Sede conceſſæ, quam quoad hoc idem Paulus Prædeceſſor penitus revocavit, acceptare quoquomodo præſumerent, ſed illos ad Prælatos ſuos, juxta continentiam quarumdam aliarum litterarum recol. mem. Pii Papæ II. ſimiliter prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editarum, quas idem Paulus prædeceſſor voluit obſervari, remittere tenerentur: & vice verſa prohibuit, ne ejuſdem Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupati, & ſub Vicariorum obedientia vivere ſoliti, Fratres prædicti, ſcandaloſos & criminoſos Fratres Conventuales nuncupatos, diſciplinam Ordinis ſubterfugientes recipere, ſed ſimiliter ad Prælatos ſuos deberent remittere, ſervata tamen aliarum ſanctæ mem. Eugenii Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri, & ejaſdem Pii litterarum, quoad hoc editarum forma, alioquin ex tunc in contrafacientes, & inhibitionum prædictarum tranſgreſſores tam Conventuales, quam de Obſervantia, ac alios Fratres prædictos, eiſque in præmiſſis omnibus dantes aaxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis forent in prædicto Ordine, excommunicationis ſententiam promulgavit, a qaa non poſſent, niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium obtinere. Si vero dicti Fratres, de Obſervantia nuncupati, qui ſolum Miniſtro Generali ſubſunt, inhibitioni prædictæ contravenerint, ultra præmiſſas pœnas per Miniſtros Provinciales, eorumqae Vicarios, Miniſtro extra illam Provinciam exiſtente, & unam ipſoram Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub Vicariis viventium requiſitionem, non obſtante quacumque, per Sedem Apoſtolicam, vel alias conceſſa exemptione, coerceri, & ad faciendum in præmiſſis compelli poſſent & deberent remediis opportunis. Præterea idem Paulus prædeceſſor, cum intellexiſſet nonnullos dicti Ordinis profeſ- Ex lib. 174. fol. 141.

foret, ſub obedientia, quam voverant, vivere ſubterfugientes, variis prætenſis coloribus, & mediantibus litteris Apoſtolicis, ſibi procuraſſe domos & loca, in quibus ſine Superiorum obedientia degerent, omnes & ſingulas per eoſdem Fratres receptas domos, aut Generali immediate, aut Provincialibus Miniſtris, ſeu Vicariis de Obſervantia dicti Ordinis ſubeſſe debere, decrevit, mandavitque Fratribus, qui illas inhabitabant, ut infra quindecim dierum ſpatium, habita decreti hujuſmodi notitia, eligerent ſub teſtimonio publico, utrum Generali & Provincialibus Miniſtris, an vero Vicariis, de Obſervantia nuncupatis ſubeſſe mallent: ſtatuit quoque quod nullus talis frater ex tunc in poſterum aliquem locum ſeu domum, etiam quarumcumque litterarum Apoſtolicarum obtentu, recipere valeret, niſi de licentia Generalis ſeu Provincialium Miniſtrorum, vel Vicarii de Obſervantia illius Provinciæ, in qua locus ſeu domus ipſa conſiſteret; & ſi domum ſeu locum hujuſmodi reciperet, ſi ipſe ſubeſſe mallet Vicariis, de Obſervantia nuncupatis, prælibatis Vicariis, alioquin Generali vel Provincialibus Miniſtris prædictis ſubeſſe deberet, ut præfertur; & ſi forte Fratres ipſi recuſarent ita ſubeſſe, dictus Paulus prædeceſſor taliter recepta loca ex tunc Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto: & deinde prædictus Sixtus prædeceſſor ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptus, præmiſſa obſervari inter alia mandavit, prout in Pauli & Sixti prædeceſſorum eorumdem litteris deſuper confectis, reſpective plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis, Cuſtodum & Fratrum provinciæ Angliæ Conventualium, necnon Commiſſarii Ultramontanorum, de Obſervantia nuncupatorum Fratrum dicti Ordinis, petitio continebat, ad obviandum nonnullis diſcordiis & differentiis, quæ inter Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos Fratres prædictos dictæ Provinciæ exoriri formidabantur, & pro pacis amœnitate mutuaque concordia inter eos obſervanda, nullum utilius aut convenientius remedium adhiberi poſſet, quam quod inter eos dicta concordia, ac omnia & ſingula in litteris Pauli prædeceſſoris hujuſmodi contenta ſtrictiſſime obſerventur: pro parte Miniſtri Provincialis, Cuſtodum & Fratrum provinciæ Angliæ, ac Commiſſarii Fratrum Ultramontanorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordiam & litteras Pauli prædeceſſoris prædicti, quoad Fratres provinciæ Angliæ hujuſmodi confirmare, approbare, dictaſque litteras innovare, & pro illarum firmiori obſervatione, opportuna remedia, & injuncta adhibere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur &c. Miniſtrum Provincialem, Cuſtodes & Fratres Provinciæ Angliæ, necnon Commiſſarium prædictos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam & litteras Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta, quoad Fratres Provinciæ Angliæ hujuſmodi dumtaxat, ex certa ſcientia noſtra, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac eaſdem litteras Pauli prædeceſſoris quoad illos innovamus, illaſque ac concordiam prædictam perpetuæ & irrefragabilis firmitatis robur obtinere decernimus, necnon omnia & ſingula præmiſſa, Fratres tam Conventuales, quam de Obſervantia nuncupatos Provinciæ hujuſmodi ſub excommunicationis, anathematis, & perpetuæ maledictionis, ac aliis pœnis, in ſingulis litteris prædictis contentis, quas directe vel indirecte contrafacientes, & illa quoquomodo non obſervantes, aut contra, vel eorum aliquod apud

Re-

Reges, Principes, Prælatos, Communitates, Univerſitates, vel alias perſonas quaſcumque Eccleſiaſticas vel ſeculares, ſeu aliquem ex eis, vel apud Sedem prædictam per ſe vel alium ſeu alios aliquid quomodolibet ſollicitantes, aut quaſcumque litteras impetrantes ſeu impetrare procurantes, eo ipſo incurrere volumus, ſtrictiſſime obſervari mandamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eadem concordia: & nihilominus ut præmiſſa irrefragabilius obſerventur, & quæcumque eorum moleſtationis materia præcludatur, auctoritate, tenore & ſcientia prædictis, ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nulla domus Provinciæ Angliæ, & Ordinis prædictorum, vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, quovis modo reformari valeat, niſi prius illius Fratres ſic reformandi cum Miniſtro dictæ Provinciæ Angliæ pro tempore exiſtente, ac Cuſtode Cuſtodiæ, ſub qua ipſa reformanda domus fuerit, per alias litteras Apoſtolicas de conſenſu Protectoris aut Vice-Protectoris dicti Ordinis, & pro tempore exiſtentis, in eis expreſſo moneantur, & quod infra ſex menſes a die monitionis hujuſmodi computandos, ſecundum regularia dicti Ordinis inſtituta, ac privilegia eis per dictam Sedem conceſſa, conſuetudineſque per Sedem ipſam approbatas, reformari debeant, & ſi infra dictos ſex menſes ſe reformare recuſaverint, tunc per alias litteras Apoſtolicas de prioribus litteris, & monitione ac conſenſu hujuſmodi ſpecialem mentionem facientibus, & de ſimili conſenſu Protectoris vel Sub-Protectoris prædicti in eis etiam exprimendo emanatas, & non alias, reformatio hujuſmodi perſonis Archiepiſcopali vel Epiſcopali dignitate præditis, & non eis inferioribus, qui per ſeipſos, vel eorum officiales generales procedere teneantur, committi, & ad reformationem eamdem Miniſter Provinciæ Angliæ & Cuſtos Cuſtodiæ, ac Fratres reformandæ domus hujuſmodi, necnon alii, qui fuerint evocandi, cum præfixione duorum menſium ad ſe parandum, & ſuper hoc conſulendum, & contra litteras reformationis hujuſmodi opponendum citari, & reformatio ipſa juxta inſtituta, privilegia & conſuetudines hujuſmodi fieri, necnon domus & Fratres ſic reformati ad novam obedientiam minime reduci, ſed ſub Miniſtro Provinciæ Angliæ, & Cuſtode Cuſtodiæ hujuſmodi ut prius remanere debeant. Præterea, quod ſi contingat aliquos ex prædictis Fratribus tam Conventualibus, quam de Obſervantia nuncupatis, contra concordiam etiam Pauli prædeceſſoris, ac præſentes litteras, aut aliquas ex eis in toto, vel in parte quomodolibet directe vel indirecte venire, illi ex dictis Fratribus, qui offenſi fuerint, videlicet Conventuales, ad dictum Miniſtrum Provinciæ Angliæ, ſeu Cuſtodem illius Cuſtodiæ, vel ejus ſubſtitutum, de Obſervantia vero nuncupati Fratres, ad Vicarium de Obſervantia pro tempore exiſtentem, vel ejus Commiſſarium ſuper his recurſum habere, ipſeque Miniſter Provinciæ Angliæ, Cuſtos vel ſubſtitutus, aut Vicarius vel Commiſſarius, ultra prædictas pœnas, quæ ſalvæ ſint, prædictos tranſgreſſores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, uſque ad plenam & omnimodam ſatisfactionem, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, coercere, & ſi tranſgreſſores ipſi ſuper hoc requiſiti, ſatisfactionem hujuſmodi impendere noluerint, poſt duos menſes requiſitionem ipſam immediate ſequentes, ipſi ſic offenſi Fratres, & loca dictorum tranſgreſſorum, abſque aliqua pœna, & cujuſvis cenſuræ incurſu recipere & retinere poſſint. Et inſuper, quod concordiæ, & Pauli ac Sixti prædeceſſorum, necnon præſentibus litteris hujuſmodi, aut earum aliquibus etiam in toto vel in parte derogari non poſſit, nec derogatum eſſe aliquantumvis permittatur, etiam per litteras, privilegia, indulta, ſtatuta, ordinationes, decreta, commiſſiones, mandata, conceſſiones, & alias diſpoſitiones, quæcumque

etiam

etiam quaſvis ſententias, cenſuras & pœnas in ſe continentia, ac ſub quibuſvis formis & expreſſionibus verborum, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, ampliſſimis & inſolitis clauſulis, decretis, etiam ad inſtantiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Principum, Ducum, Communitatum, Univerſitatum, & aliorum Dominorum temporalium, ac Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, & perſonarum quarumcumque, & etiam ex quantumcumque maximis & excogitabilibus cauſis, conſiderationibus, & intuitu, & ſimili ſcientia, ac motu proprio, necnon Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cum concordiæ Pauli ac Sixti prædeceſſorum, necnon præſentium litterarum hujuſmodi omnimoda, & de verbo ad verbum inſertione, per prædictam Sedem pro tempore conceſſa & facta, ac ab ea vel ejus auctoritate, & pro tempore quomodolibet emanata, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod prædictis, & quibuſvis aliis litteris etiam præmiſſas clauſulas in ſe continentibus, & de quibus quarumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, etiam ſi in eis contineretur, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modis & formis tunc expreſſis, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hujuſmodi derogari valeret, per eas ſufficienter derogatum ſit, & eſſe intelligatur, niſi in eiſdem derogatoriis litteris, quod concordia, ac Pauli & Sixti prædeceſſorum, necnon præſentes litteræ hujuſmodi ad obviandum animarum periculis, graviſſimiſque inconvenientibus & ſcandalis, quæ inter eoſdem Fratres exoriri formidabantur, mature & conſultiſſime emanarunt, quodque per illas ad obviandum inconvenientibus & ſcandalis prædictis, opportunum & ſaluberrimum remedium adhibetur, & ex quacumque illarum derogatione non minora poſſent inconvenientia & ſcandala in poſterum exoriri, & paci ac concordiæ ipſorum Fratrum maxime obviaretur, perturbatioque inter eos, & pernicioſa diſcordia orirentur, expreſſe & individue, ac verborum hujuſmodi forma non mutata, mentio facta fuerit, ipſæque derogatoriæ litteræ de conſenſu Protectoris ſeu Vice-Protectoris prædicti, de quo in dictis derogatoriis litteris etiam expreſſa mentio fiat, emanaverint, fueritque tam Miniſtro & Cuſtodibus, quam Vicario ſeu Commiſſariis, & Conventualibus, ac de Obſervantia nuncupatis Fratribus prædictis dictæ Provinciæ Angliæ per trinas litteras Apoſtolicas, diverſis temporibus, & cum duorum menſium deputatione ad præſentationem intervallo, eis præſentatas, intimatum, quod Romanus Pontifex pro temporo exiſtens derogatorias litteras hujuſmodi concedere, vel alias præmiſſis derogare intendit. Poſtremo, quod quicumque locorum Ordinarii, & eorum officiales, ac aliæ perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate tam ſeculari, quam regulari conſtitutæ, Canonicique Cathedralium Eccleſiarum, quos pro parte Conventualium, vel de Obſervantia nuncupatorum Fratrum eorumdem ſuper hoc pro tempore requiri contigerit, & eorum ſinguli, eiſdem Conventualibus, & do Obſervantia nuncupatis Fratribus Provinciæ Angliæ hujuſmodi, eorumque domibus & Monaſteriis Monialium, ſub eorum cura & regimine pro tempore degentium, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere, & illa obſervari facere, & pro defenſione hujuſmodi, ac præmiſſorum obſervatione, contra quoſcumque contradictores & rebelles, per cenſuras prædictas, etiam eas, quoties eis videbitur, aggravando & reaggravando, & alia opportuna remedia, etiam invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, etiam ſummarie, ſimpliciter & de plano, abſque ſtrepitu & figura judicii procedendo, eoſque, conſtito eis ſummarie, quod ad eos citandos tutus non pateat acceſſus, per edi-

edictum publicum in locis publicis circumvicinis, de quibus veriſimilis ſit conjectura, quod ad ipſorum citandorum ſeu monendorum notitiam pervenire valeat, aſſignandum, citare, aliaque omnia & ſingula facere, diſponere & exequi valeant, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria erunt quomodolibet & opportuna: decernentes ex tunc quidquid, & totum id, quod contra concordiæ, & Pauli ac Sixti prædeceſſorum, necnon præſentium litterarum hujuſmodi tenorem, ſeu aliquem ex eis tam per Conventuales, quam de Obſervantia nuncupatos Fratres prædictos, & eorum ſingulos, necnon Reges, Principes, locorum Ordinarios, Communitates, Univerſitates, & alios Dominos temporales hujuſmodi, & Legatos etiam de latere, & Cardinales, Nuncios, Commiſſarios quoque, & Delegatos dictæ Sedis pro tempore exiſtentes, necnon alias perſonas quaſcumque, cujuſvis ſtatus, gradus, Ordinis, dignitatis, præeminentiæ, nobilitatis & conditionis exiſtentes, & prætextu quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, etiam derogatoriarum hujuſmodi, & alias quomodolibet, & quacumque auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari & fieri contigerit, ac contra litteras prædictas, & exinde ſecuta quæcumque, irrita & inania eſſe, & pro prorſus infectis haberi. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. aliiſque Apoſtolicis, necnon bon. mem. Ottonis, & Ottobonii olim in regno Angliæ dictæ Sedis Legatorum, in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod quædam litteræ per nos cariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico Regi Angliæ illuſtri, qui ut aſſeritur, Ordinem & Fratres prædictos benigniſſimo favore proſequitur, ſuper reformatione nonnullarum domorum Provinciæ & Ordinis prædictorum hactenus conceſſæ, ſalvæ ſint, & eſſe cenſeantur, nullumque eis per hoc præjudicium generetur, quo minus ille Henricus Rex poſſit illis uti &c. Datum Romæ apud ſanctam Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. *pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* VII.

Henricus VII. Rex Angliæ Ordini addictiſſimus.

XXI. Ludovicus a Turre Vicarius Generalis videns multorum Fratrum conſcientias variis ſcrupulis exagitari propter qualitatem & valorem paramentorum Eccleſiaſticorum, hoc anno, die III. Junii obtinuit a Pontifice ut liceret tuta conſcientia tenere paramenta deaurata & pretioſa, quæ eis offeruntur aut donantur, eiſque ad libitum uti, non obſtantibus aliorum Pontificum declarationibus. Conceſſit etiam eadem die Pontifex, quod quilibet Procurator domorum Ordinis Minorum Obſervantum poſſit exercere officium procurationis pro quibuſcumque Fratribus advenientibus de aliis Cœnobiis, ac ſi eſſet deſtinatus peculiariter Procurator pro illis; ita quod Procurator unius domus, ſit quaſi Procurator omnium in caſu neceſſitatis, non obſtante declaratione Pontificum, quæ dicit, quod quælibet domus habeat ſuum ſpecialem Procuratorem.

Ex regiſtro Ordinis.
Conceditur Obſervantibus, ut poſſint uti pretioſis paramentis.
Vide Roder. to. 3. qq. Reg. qu. 25. ar. 2.
Item quod Procurator unius domus Obſerv. poſſit procurare pro alia.

XXII. Hoc anno, uti refert Trithemius, facultas Theologica almæ Univerſitatis Colonienſis ſtatuit & decrevit conſtitutione firmiſſima, tenendum, ſentiendum, credendum, docendum, prædicandum, & conſtantiſſime defendendum ab omnibus ſuppoſitis ſuis, quod beata Dei Genitrix Virgo Maria, ab omni labe originalis peccati, ex ſingulari prærogativa Divinæ potentiæ, ſemper fuerit præſervata, exempta & privilegiata, & qui contrarium fecerit, ab ipſa Univerſitate reſecatus, honoribus & emolumentis Theologicæ facultatis omnino & omni tempore ſit privatus, & quod nullus in ea facultate promoveatur, niſi juraverit ſe hoc ſtatutum ſemper obſervaturum.

Trithem. in Chronic. Spanheimen.
Decretum Univerſitatis Colonien. de Conceptione B. Mariæ Virginis.

XXIII. Pro-

Fr. Joan. Epiſc. Stephanen. Fr. Alexander Radel. *Lib. 225. fol. 19.*

XXIII. Promotus eſt ad Epiſcopatum Stephanen. in Macedonia, ſub Archiep. Dyrrachien. frater Joannes Almodonaris, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Lucæ, die XXIV. Aprilis. Erat vir doctus Alexander Radel Gallus, Guardianus Bellovacenſis, cui Pontifex hoc anno, VIII. Idus Octobris juſſit conferri gradum Magiſterii, & ſummopere laudat a virtute & doctrina. Huic nihilo inferior Joannes Stobnicenſis Polonus, de quo ita Simon Starovolcus ſcribit: *Vir in religione ſincerus, in moribus probus, & in doctrinis ſolide verſatus: adoleſcens prima laurea Philoſophica anno* MCCCCXCIV. *in Academia Cracovienſi redimitus, quarto poſt anno, Magiſterii dignitatem promeruit, inque publicam profeſſionem vocatus, ingenti diſcipulorum copia floruit: quibus in exhibenda doctrina benevolus, & in præſtandis beneficiis facilis fuit: honeſtatis, tranquillitatis, concordiæque, necnon diſciplinæ publicæ & domeſticæ amator obſervantiſſimus. Magnum ſui deſiderium omnibus reliquit, imo & exemplum, cum rebus ſæcularibus valere juſſus, minimum ſe in Ordine Minorum de Obſervantia videre voluit, & ſacrum habitum ipſorum indutus, multa innocentiæ ſanctitatiſque opinione, multos cum annos geſſit, Sodalibuſque ſuis morum commendatione mirifice præluxit, quos etiam ſacris litteris annos multos imbuit, & Michaelis Pariſienſis præceptoris olim ſui, & profeſſoris in Academia Cracovienſi publici, ſcripta, in via Scotiſtica conſcripta, typis publicis evulgavit: & quidquid ipſe ſcripſit, cum eadem ſubtili Schola concluſit (ſcripſit autem ſubtiliſſimas in univerſam Philoſophiam quæſtiones) ſimpliciter diſcipulus ſuus Thomas Poſnanienſis, qui Phyſicas, & quæſtiones itidem ad mentem Scoti ſcripſit, & parvulum tractatum Philoſophiæ naturalis.*

Fr. Joann. Stobnicenſis. *Starovolc. de Scriptor. Polon.*

Conv. S. Viti Mariliani. *Gonz. in Prov. Terræ laboris Conv. 23.*

XXIV. Vir nobilis Albericus Carrafa, Conventum ſancti Viti martyris a ſe prope oppidum ſuum Mariliani, in Campania felici, & pulchra planitie affabre conſtructum, ac Patribus Conventualibus deſtinatum, hoc anno, auctoritate Apoſtolica ad Obſervantes transferri curavit. Eſt hic locus prædicti oppidi incolis, multiſque oppidis circumvicinis commendatiſſimus, uti ipſe ſub annum MDCCXXXIX. conſpexi, ob frequentia ſancti Viti miracula, præſertim in curandis rabie affectis, aut a canibus rabidis quoquomodo vulneratis.

Conv. Hydruntinus.

XXV. Conſtructus eſt etiam Conventus Hydruntinus ſancti Joannis Fratrum Obſervantum. Etenim ſub hujus anni finem Vicarius Provinciæ Apuliæ impetravit a Pontifice facultatem, ut liceret civibus Hydruntinis extra, & prope muros urbis Obſervantibus domum ædificare ſub invocatione ſancti Joannis, demolito prius ſacello, ſeu Eccleſiuncula vetuſta ejuſdem Sancti, uti ex Alexandri diplomate, quod ex Vaticano Archivo accepi, lectori conſtabit: *In eminenti Apoſtolicæ dignitatis*. III. Nonas Octobris.

Conv. Aſtunenſis. *Gonz. in Prov. S. Nicolai Conv. 31.*

XXVI. In eadem Provincia etiam prope & extra muros urbis Aſtunenſis, ubi prius erat Eccleſia ſanctæ Mariæ Annunciatæ, ut eiſdem Fratribus ſub hoc ipſo titulo domus a civibus ædificaretur, Pontifex indulſit, ſimili dato diplomate XI. Kalendas Octobris.

Conv. S. Geminiani. *Idem in Prov. Tuſciæ Conv. 31.*

XXVII. In Tuſcia aliquantulum ab oppido S. Geminiani conceſſum fuit Obſervantibus Eremitorium ſancti Vivaldi, ut illic Cœnobium ædificarent; ea tamen lege, ut imagines divorum Laurentii, Leonardi & Verdiani prædicti oppidi patronorum in Eccleſia depingi curarent. Suſceperunt in ſe Fratres onus domum conſtruendi, promiſeruntque oppidani ſe corpus ſancti Vivaldi, quod in præcipua Eccleſia cuſtodiebant, daturos, ubi primum Fratrum Eccleſia eſſet ad ſummum perducta. At fefellerunt; neque enim

Fra-

Fratres, aliud præter maxillam unam potuerunt impetrare. Hoc in loco multa ſunt ſacella, in quibus Dominicæ paſſionis myſteria ad vivum exprimuntur, eo modo diſpoſita, quo Hieroſolymis evenerunt, & Bernardinus de Caymis, uti ſuperius diximus, in Varalli monte delineavit. Circa juriſdictionem horum ſacellorum orta ſunt inter Fratres & ſeculares litigia, non minus, quam inter Varallenſes, quæ ſuo loco narravimus, & Leo X. ac Clemens VII. ſuis litteris diremerunt.

Ann. 1493. n. 42.
Ibid. n. 45.

XXVIII. Ex diplomate Alexandri, in quo refertur, domos S. Nicolai Agrigentinæ urbis, & ſanctæ Annæ oppidi Julianæ, diœceſis Agrigentinæ ante pleroſque annos opera fratris Matthæi de Gallo (Agrigentini ſcilicet, quem nos aliter diximus cognominatum) conſtructas ſub regimine Miniſtrorum Generalis & Provincialis, ab iſtius obedientia fuiſſe exemptas, datumque Vicarium ex ipſius Obſervantiæ Inſtituto, qui eas aliaſque domos gubernaret, manifeſte conſtat utramque hoc anno longe fuiſſe priorem. De Agrigentino alias dicenda narravimus: ante hoc diploma nihil certi de Julianæ Cœnobio ſcribendum occurrit. Situm eſt inter denſa nemora non procul a Julianæ, Cluſarum & Buſachini oppidis, pietati fovendæ, & tironibus educandis perquam opportunum. Habitabant in oratorio ſanctæ Annæ ante unum vel alterum ſeculum pii quidam Eremitæ, ſucceſſerunt circa annum MCCCCLX. Minoritæ Obſervantes; ab his anno MDLXXXIV. tranſiit ad Reformatos opera fratris Bonaventuræ Agrigentini laici, a Sciaſcia cognominati, qui primum in familiam Obſervantum ea in inſula reformationem invexit. Jacent hic Simon Neapolis a Calaxibetta laicus, virtutibus & miraculis illuſtris, Bonaventura Melitenſis etiam laicus, humilitate, & lætitia ſalutaris, omnibus gratiſſimus, Franciſcus a Bivona ejuſdem conditionis & ſtatus, qui anno MDCXVII. ſanctiſſime in Domino requievit.

Conv. Agrigentinus.
Lib. 176. fol. 138. Gonz. in Provinc. Sicil. Conv. 32.
Tom. 11. anno 1442. n. 15.
Tom. 10. anno 1416. n. 18.
Conv. Julianæ.
Fr. Simon Neapolis.
Fr. Bonavent. Melitenſis.
Fr. Franciſcus a Bivona.

XXIX. Michael Torrerius civis Cæſarauguſtanus, accepta hoc anno ab Alexandro VI. facultate, domum conſtruxit Obſervantibus in loco de Luna, Cæſarauguſtanæ diœceſis, ſub invocatione beatæ Mariæ de Montelora: *Piis fidelium votis*. XII. Kalendas Aprilis. Cœnobium eſt perquam devotum & amœnum, & fundator dum vixit, continuis proſecutus eſt Fratres beneficiis. In ſacrario ſervatur os cujuſdam beati viri Didaci Minoritæ, quod ſi aquæ immergatur, & illa conſperguntur armenta, a quacumque ſcabie vel infirmitate liberantur, qua de cauſa undequaque paſtores illuc adventant. Anno MDLXXVIII. mirandum accidit in Erlæ oppido propinquo. Vir quidam Zelotypus, Fratrum implacabilis inimicus, audiens uxorem ad Cœnobium profectam, Fratribus caniſtrum panibus oppletum aſportaſſe, redeuntem ſemel, iterumque pugione perſodere tentavit. At deficientibus viribus, & labente ex manibus pugione, offendere non potuit. Id Divinæ occultæque virtuti attribuens, ad Fratres abiit, crimenque confeſſus, uxorem melius habuit deinceps, & Fratres non abſque omnium admiratione, omni beneficiorum genere proſecutus eſt.

Conv. Lunæ.
Gonz. in Prov. Aragon. Con. 16.

XXX. Joannes de Alconchel, diœceſis Pacenſis, in ea Hiſpaniæ regione, quæ Extremadura nuncupatur, hoc anno VII. Idus Septembris impetravit facultatem ædificandi Cœnobium pro Fratribus Obſervantibus ad Eremitorium ſanctæ Mariæ de Luce, in ſolo ejuſdem Joannis, & prædicta diœceſi conſiſtens. Eo paupertatis compendio conſtructum eſt, ut in concavo ſaxo in Moncarii Montis jugulo V. M. P. ab oppido Alconchellio exædificatum, ultra viginti paſſus non extendatur, anguſtumque ſit octo dumtaxat Fratrum habitaculum. Commendatur multis miraculis, quæ ibidem meritis beatæ Mariæ Virginis patrantur, & corpore

Conv. Moncarii.
Lib. 221. fol. 3. Gonz. in Prov. S. Gabriel. Conven. 3.

Didaci Villanovani laici, quod ſumma veneratione ibidem aſſervatur.

Conv. Alcaudeti. XXXI. In regione Bætica, vir nobilis Alphonſus Fernandez a Monte Majori, & Maria de Velaſco conjuges, ut prope muros oppidi Alcaudete, Giennenſis diœceſis, eiſdem Obſervantibus domum ædificarent, etiam hoc anno facultatem obtinuerunt: *Piis ſupplicum votis*. XI. Kalend. Octobris. Anno ſequenti opus inchoatum narrat Gonzaga. In eodem diplomate conceditur etiam licentia ædificandi in dicto oppido Monaſterium Clariſſarum, de quo mox dicemus.

Gonz. in Prov. Granat. Conv. 13.

Tom. 14. anno 1483. n. 52. Conv. Malliacenſis. XXXII. Diximus ex Gonzaga conſtructum Conventum Malliacenſem in Provincia Franciæ anno MCCCCLXXXIII. & quidem ante hunc annum MCCCCXCIX. originem & formam accepiſſe, plane conſtat ex diplomate Alexandri Pontificis, in quo narratur Joannem de Mailli Baronem, & Dominum oppidi Malliacenſis, diœceſis Ambianen. ex devotione, quam erga Minorum Obſervantum Inſtitutum ferebat, atque ut parentum ultimæ voluntati ſatisfaceret, intra diſtrictum prædicti oppidi eiſdem domum ædificaſſe, conceſſa ſibi licentia a Juliano Cardinale Epiſcopo Sabinenſi, tunc Apoſtolicæ Sedis Legato in partibus Galliarum, eique amplius conceditur facultas aliam conſtruendi in loco de Pontencourt, diœceſis ejuſdem: *Sacræ Religionis*. Pridie Kalendas Maii. Poſterior hæc domus illa fortaſſis eſt, licet pauculorum Fratrum habitaculum, quam Gonzaga vocat *Petræ-pontis*, ab eodem Domino Malliacenſi conſtructa. Sed & tertiam ſub hunc annum fundavit juxta pagum Blangiacenſium in eodem Epiſcopatu, nullum ſui dominii abſque Obſervantum volens incolatu. Eadem ferme eſt hujus loci ac Malliacenſis forma & ſtructura, ſed hic poſterior inter denſiſſimas Picardiæ latet ſilvas, ad oram Burgundiæ, prior vero Blangiacenſis in poſtremis Picardiæ, & Normandiæ finibus, loco patet amœniſſimo. Malliacenſis vero in eo ſuperat, quod fundatoris piiſſimi quidem & nobiliſſimi corpus poſſideat. Clauſtrum Blangiacenſe conſtructum dicitur beneficio cujuſdam pii viri, Gallice *Beau Viſalge* nuncupati: utraque demum domus hæreticorum rabie deſtructa, Fratrum induſtria aliquatenus reſtaurata eſt.

Conv. Petræ-Pontis. Gonz. in Prov. Franc. Conv. 40.

Conv. Blangiacenſis. Indid. Conv. 38.

Conv. de Conimbo. Lib. 185. fol. 39. XXXIII. Vir nobilis Stephanus de Veſto, Ludovici Regis Francorum Conſiliarius & Camerarius, Baroniarum Gumandi, & Caſtri Raynardi, necnon loci de Maſteco Dominus, Seneſcalliæ Belludei Seneſcallus, obtinuit hoc anno VI. Idus Junii ab Alexandro Pontifice facultatem Conventum Minorum ædificandi in ſuo pago de Conimbo *, Comitatus Venayſini, diœceſis Carpentoratenſis, pro duodecim Fratribus victuris ſecundum ritus, conſuetudines & inſtituta Fratrum Conventus de Montiliis, in eiſdem comitatu & diœceſi non procul diſtantis. An vero ille domum hanc conſtruxerit, aliunde mihi non conſtat: domus illa de Montiliis in Provincia Provinciæ, & cuſtodia Avenionenſi Patrum Conventualium recenſetur.

* al. Cornubo.

Conv. de Montiliis.

Conv. Sleſvicenſis reformatur. Lib. 192. fol. 80. XXXIV. Fridericus Dux Sleſvicenſis, Joannis Daciæ Regis germanus frater, hoc anno III. Idus Julii a Pontifice obtinuit, ut Conventus ſancti Franciſci Sleſvicen. a progenitoribus ſuis Ducibus Sleſvicenſibus egregie olim conſtructus, calicibus, paramentis, omnique neceſſaria ſuppellectili abundanter inſtructus, ſed tunc incolis ferme deſtitutus, & ad humilem ſtatum redactus, transferretur ad Obſervantes.

Mon. Averſæ. XXXV. Religioſiſſimi Monaſterii ſancti Hieronymi intra muros urbis Averſanæ originem, ſub hoc tempus acceptam damus ex bulla Pontificia aliquantulum diverſam ab ea, quam tradit Gonzaga. Joannes Formatus civis Averſanus ſub mortem bona ſua duabus reliquit filiabus, Juliæ & Philippæ Formatis. Prior paulo poſt decedens, condito teſtamento juſſit, ut

Gonz. in Prov. Terra Labor. Monaſt. 2.

Digitized by Google

ut conſentiente & volente ſorore Philippa, omnia bona paterna conſtruendo Monaſterio Sororum Tertii Ordinis applicarentur. Facile ſoror aſſenſit, emptaque per teſtamenti executores domo, ipſa cum aliis mulieribus, aſſumpto prædicti Ordinis habitu, initium dederunt Monaſterio: *Piis ſupplicum votis*. XII. Kalendas Maii. Ubi per aliquot annos ſub eo vixerunt Inſtituto: ad majorem aſpirantes perfectionem, primam ſanctæ Claræ Regulam admiſerunt. Feliciſſimis auſpiciis progreſſus reſpondit; etenim Sororum numero, virtute & ſanctitatis opinione domus hæc mirabiliter accrevit, optimeque audit apud Averſanos. Hinc multæ prodierunt aliorum Monaſteriorum fundatrices.

XXXVI. Monaſterium beatæ Mariæ de Colomata extra muros Perufinos, Ordinis ſancti Benedicti, a ſexaginta annis Monialibus deſtitutum, emerat Franciſca Longa de Peruſio Soror Tertii Ordinis de Pœnitentia, impetravitque hoc anno, ut in Monaſterium ſanctæ Claræ adaptaretur, juxta Regularem Obſervantiam, quæ vigebat in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginatenſis, ex quo primas evocari juſſit Pontifex inſtitutrices, Annam, Euſebiam ac Benedictam Peruſinas, aliaſque novem Sorores: *Paſtoralis officii debitum*. VIII. Nonas Novembris: ſed cum in eodem diplomate juberet, regimen hujus novi Monaſterii committi Vicario Obſervantum Provinciæ ſancti Franciſci, & ille renueret admittere, graves increpatorias Pontifex miſit ad eum anno ſequenti litteras, quas nos dabimus in Regeſto. Mon. Colomatæ Peruſinum.

XXXVII. In oppido Boſchi ſive Nemoris, diœceſis Mediolanen. Monaſterium erat *ſanctæ Mariæ Chriſtus*, Ordinis ſancti Auguſtini, ſub regimine Presbyterorum ſecularium, cujus Moniales hoc anno petierunt impetraruntque a Pontifice, ut extincto illic Ordine prædicto, ſanctæ Claræ Inſtitutum concederet ſub obedientia Fratrum Regularis Obſervantiæ: *Romanus Pontifex*. Idibus Aprilis: an ita factum ſit, ignoro. Mon. Nemoris.

XXXVIII. Venetiis quædam Helena quondam Marci Vioni conjux, teſtamento ſtatuit, ut domus amplæ, quam Venetiis poſſidebat, pars una in habitaculum quarumdam mulierum regularem vitam ducere cupientium, & altera in Hoſpitium pauperum fœminarum Hieroſolymas, Romam, Compoſtellam, aut ad alia pia loca peregrinantium, adaptatetur. Ubi id factum a teſtamenti executoribus, adjunctumque ſacellum ſub invocatione Præſentationis beatæ Mariæ Virginis, in eoque conſtructum ſepulcrum ad ſimilitudinem ſepulcri Domini, quod Hieroſolymis conſpicitur; petierunt hoc anno Sorores ibidem conſtitutæ, ut liceret ſibi illic regulariter ſub perpetua clauſura, & cura Minorum Obſervantum habitare. Annuit Pontifex, emiſſo diplomate: *Regularem vitam profeſſis*. VII. Kalendas Novembris. Poſtea tranſierunt Sorores ad Inſtitutum ſanctæ Claræ, & ab illo condito ſepulcro cœpit Monaſterium *ſancti Sepulcri* appellari. Valde aliter hujus Monaſterii originem narrat Gonzaga; ait enim duas nobiles fœminas, Polixenam Præmarinam, & Beatricem a Rayneriis ab Euboea inſula, a Turcis obſeſſa, fugientes, Venetias mirabiliter appuliſſe, aggregatiſque ſociis Urſula Veneta & Maria Canali, Xenodochium quoddam peregrinis mulieribus Hieroſolymas proficiſcentibus excipiendis, a Senatu impetraſſe, & creſcente adventantium Virginum numero, Xenodochium in Monaſterium Clariſſarum ſub ſancti Sepulcri nomine convertiſſe. Fortaſſis Euboicæ fœminæ inter primas primum recluſorium Sororum Tertii Ordinis, ab Helena conceſſum, ingreſſæ ſunt, & mox ad Clariſſarum tranſierunt Inſtitutum. Ea porro Beatrix vixit pietate, ut miraculis claruerit, ejuſque corpus, & Claræ Venetæ in magna illic habeantur veneratione. Mon. S. Sepulcri Venetiis. *Gonz. in Prov. S. Anton. Mon. 13.* Beatrix a Raineriis.

Mon. Palmæ.

XXXIX. In oppido Palmæ, Cordubenſis diœceſis, ditionis nobilis viri Ludovici Portocarrerii, Joannes a Manibus albis, ut Clariſſarum erigere poſſet Monaſterium in quadam domo ſua prope Parochialem Eccleſiam beatæ Mariæ, hoc anno impetravit, adjectis quibuſdam conditionibus circa conſanguinearum in eodem Monaſterio receptionem, & regimen committendum Cuſtodiæ Angelorum ſive Hiſpalenſis præfecto: *Inter univerſa opera*. XIII. Kalendas Martii. Ejus conſtructionem in annum MDIX. differt Gonzaga, refertque creſcente Sororum numero defeciſſe alimenta, & Palmæ Comites domum ampliaſſe, & reditus auxiſſe. Rexerunt domum hanc Fratres Cuſtodiæ, ſeu Provinciæ Hiſpalenſis, donec ſub annum MDXVII. prædicti Comites Conventum ſanctæ Mariæ de Bethlehem in eodem oppido conſtruxerunt, aggregaveruntque Cuſtodiæ, ſive Provinciæ Angelorum, illiſque commendari curarunt regimen Monaſterii. Horum quidem cura, & religioſa diſciplina tantopere in regulari diſciplina & ſanctitate profecit, ut inde trium nobilium Monaſteriorum, Conſtantiniani, Caſſalienſis & Alaniſienſis fundatrices prodierint. Cujuſdam ſororis Catarinæ corpus magna illic colitur veneratione, eamque cumulatiſſima ſanctitatis & virtutum opinione vixiſſe, conſtans eſt Sororum traditio.

Gonz. in Prov. Angel. Mon. 2.

Mon. Alcaudeti. *Idem in Provin. Granat. Mon. 9.*

XL. Paulo antea præmonuimus uno eodemque diplomate conceſſam hoc anno facultatem nobilibus conjugibus Alphonſo Fernandez e Monte Majori, & Mariæ a Velaſco, Cœnobium Fratrum Obſervantum, & Monaſterium Sororum Clariſſarum in ſun oppido Alcaudeti conſtruendi. Iſtud inchoarunt anno ſequenti. Vixerunt illic plurimæ religioſiſſimæ Virgines, inter quas maxime enituit virtus & ſanctimonia ſororum Mariæ a Spinoſa, & Ludovicæ a Sandoval in choro honorifice ſepultæ; in quorum funeribus dulciſſimi auditi ſunt cœleſtes concentus. Longa orationis ſerie refert Gonzaga apparitionem ſororis Sabinæ Alvarez ab annis ſeptem defunctæ, Miſſarum ſuffragia repetitis vicibus expoſcentis.

Mon. Xereſii. *Gonz. in Provin. S. Michaelis Monaſt. 6. & 19. Mon. MSS. illius Prov.*

XLI. Duo refert Gonzaga Clariſſarum Monaſteria eſſe apud Xereſii oppidum, diœceſis Pacen. in Hiſpania, unum Lucis, alterum Matris Dei nuncupatum. Tertium addunt monumenta MSS. Provinciæ ſancti Michaelis, intra cujus fines oppidum iſtud comprehenditur, ſub invocatione beatæ Mariæ Spei. Quartum ego reperio in monumentis Vaticanis, cujus titulus & origo differunt ab eis, quæ de prædictis tribus narrantur. Ita porro habetur in diplomate Pontificio. Major de Silva, & filiæ illius duæ, aliæque nonnullæ mulieres habitum ſuſceperunt Tertii Ordinis, & profeſſionem emiſerunt regularem in manibus cujuſdam Minoritæ, deditque eis Epiſcopus Pacen. pro illarum habitatione quamdam Eccleſiam, *Eremitorium* nuncupatam extra muros dicti oppidi, ſub invocatione beatæ Mariæ de Conſolatione, prope quam vixerunt religioſe ſub tribus votis & clauſura, ſecundum regularia prædicti Ordinis Inſtituta. Demum Epiſcopus Pacen. eas commiſit curæ & regimini Bernardini de Guaza, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, viſitatoris Monaſterii de Tordeſillas, Palentinæ diœceſis, aliorumque Monaſteriorum in regnis Caſtellæ & Legionis conſiſtentium. Hinc motæ Sorores, ſtatuerunt vivere juxta conſuetudinem, & ſub Regula illorum Monaſteriorum; petieruntque a Pontifice facultatem ædificandi commodum Monaſterium prope dictam Eccleſiam. Annuit hoc anno Pontifex emiſſo diplomate: *Regimini*. X. Kalendas Julii. Principium accepit anno MDII. fundatoribus Joanne de Silva, & Majore Pinellia, ut teſtantur inſcriptiones duæ Hiſpanæ, una inciſa ſupra templi portam, altera ſupra tabulam marmoream ſepulcri magnifice erecti in medio ſacelli majoris.

Pri-

Prima ita ſe habet: *Eccleſiam hanc, & Monaſterium conſtruxit Joannes de Silva, ejuſque conjux, Major Pinel in reverentiam Dominæ noſtræ Dei genitricis. Inceptum eſt opus* MDII. Secunda. *Hic jacent magnifici Domini Joannes de Silva, & Dom. Major Pinel ejus conjux, fundatores hujus Eccleſiæ, & Monaſterii. Obierunt anno* MDXXIX. Situm eſt hoc Monaſterium extra portam Burgenſem ad CCL. paſſus, verſus Septentrionem, primaſque habuit fundatrices ex Monaſterio ſanctæ Mariæ de Gratia Conventualibus ſubjecto. Quibus etiam ex conceſſione Julii II. anno MDVII. Monaſterium hoc per aliquot annos obtemperavit, ſublato per Archiepiſcopum Toletanum Ximenium prædicto Bernardino, regimenque acceptavit Silveſter de Aguſa Miniſter Provinciæ ſancti Jacobi anno MDX. Sub hac præfectura magna inconſtantia iterum redierunt majori ex parte ad priſtinum Tertii Ordinis Inſtitutum, dimiſſaſque poſſeſſiones repetierunt, obtenta Romæ Pontificia & Miniſtri Generalis Bernardini Pratenſis facultate. Sub Pio V. redierunt ad Obſervantes, & vitam ſtrictiorem. Conſuetudo eſt in eo oppido, ut ſupplicatio, vel proceſſio, quæ fit in die Corporis Chriſti, incipitque in Eccleſia ſancti Michaelis, ad templum hujus Monaſterii perveniat. Dum hanc interturbare quidam contendunt, variis decretis Caroli V. & Epiſcopi Pacenſis factum eſt, ut perſeveraret. Jacet hic religioſiſſima ſoror Maria a Jeſu Tertium Inſtitutum profeſſa, vigiliis, jejuniis, orationibus intenta, erga pauperes & infirmas miſericors, ſuæ profeſſionis perfectiſſima obſervatrix, quæ mortis horam præſciens, habitum & veſtes conſuit, & paravit eo modo, quo defunctis Sororibus adaptantur, & paulo poſt ſeptuagenaria deceſſit. Maria a Jeſu.

XLII. Petierunt, & obtinuerunt Sorores domus incluſarum de Valentia Tertii Ordinis, Septen. diœceſis, ut poſſent tranſire ad Inſtitutum ſanctæ Claræ, regendæ a Vicario Provinciæ Portugallenſis: *Piis fidelium votis*. Kalendis Septembris. Urbs Septenſis eſt in Africæ Mauritania Tingitana; quidam ſuffraganeum conſtituunt Archiepiſcopi Eboren. alii Ulyſſipponenſis: Valentia oppidum eſt in Luſitania, fortaſſis additum, ſeu ſubjectum illi Eccleſiæ ad majorem Epiſcopi proventum vel commoditatem. Mon. Valentiæ in Luſitania.

XLIII. Petrus & Anna Duces Borbonii, erga Minorum & Clariſſarum Ordines addictiſſimi, poſt ædificandi Monaſterii in oppido ſeu villa Gienenſi ſupra Ligerim, Antiſiodoren. diœceſis, ſuperatas difficultates, ab Eccleſiæ collegiatæ ſancti Stephani Canonicis, & Rectore Eccleſiæ parochialis objectas, opus inchoarunt, & hoc anno impetrarunt ab Alexandro facultatem illud proſequendi, illudque tradendi Sororibus reformationis beatæ Coletæ, ſub regimine Vicariorum Generalis Ultramontani & Provincialis Lugdunenſis: *Eximiæ devotionis affectus*. XIV. Kalendas Martii. Ludovicus de Blot Viſitator Coletanearum quindecim curavit evocari Sorores ex variis Monaſteriis, ſex ex Malendinenſi, totidem ex Gratianapolitano, ex Suoriano duas, unam ex Aquarum amiſſarum, quæ adventantes puellas religioſiſſime inſtruxerunt, eaque firmitate pietatem ſtabilierunt, ut per annos multos mira vixerint ſanctimonia. Graves jacturas a Calviniſtis non ſemel paſſæ, ſummam oſtenderunt conſtantiam, animique fortitudinem; combuſtoque demum habitaculo, oportuit alio commigrare. Occiſus eſt crudeliter earum Confeſſarius Joannes Pariſotus anno MDLXVII. die XVIII. Octobris, vir religioſus & doctus, alumnus Cœnobii Maſconenſis. * Mon. Gienenſe. Foder. in Prov. S. Bonav. pag. 195.

* *Narrationes Monaſteriorum Auxoniani & Suoriani, quas Annaliſta ſero de ipſis monitus hic referebat, juxta ipſius monita expunximus, & ad propria loca, tom. ſcilicet 9. ſub an. 1412. num. 7. & tom. 10. ſub an. 1421. n. 21. retulimus.*

XLIV. Hoc anno ad exemplar collegii converſarum e proſtibulo mulierum, Pariſiis a fratre Joanne Tiſſerando, ut alias diximus, inſtituti, aliud ere- Domus Soror. Tert. Ordin. Coloniæ.

Mon. MSS. Provin. Colon. Tom. 13. ann. 1468. n. 16.

erectum eſt Coloniæ, ſub inſtituto Tertii Ordinis ſancti Franciſci, & titulo beatæ Mariæ Magdalenæ, quod etiam adhuc perſeverat, ſub regimine Archiepiſcopi. In moribus valde difformatum, reformandum commiſit anno MDCXI. Erneſtus Archiepiſcopus Nicolao Vigerio & Joanni Weyero, viris piis & prudentibus Regularis Obſervantiæ.

Monaſt. S. Claræ Barcinonen. reformatur. *Lib. 172. fol. 22.*

XLV. Frater Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, indefeſſe proſecutus Monaſteriorum Fratrum & Sororum in Hiſpania reformationem, non ſine labore & moleſtiis reformare potuit Monaſterium ſanctæ Claræ Barcinonen. Patribus Conventualibus ſubjectum, miſſo primum Michaele de Fenalis, ſecundum Alphonſo de Guadalajara, poſtremum Petro de Banyllis Vicario provinciæ Aragoniæ, multiſque cenſuris oportuit renitentes compellere. Similem etiam difficultatem probavit in reformatione

Et Methimnæ Pomerii. *Lib. 184. fol. 80.*

Monaſterii ſanctæ Claræ extra muros oppidi Methymnæ Pomerii, illam recuſante Abbatiſſa Maria Henriquez de Velaſco, Regis Ferdinandi ſorore conſobrina, ex genere & familia Bernardini Comeſtabilis.

Conv. S. Franciſci Firmani. *Lib. 217. fol. 59.*

XLVI. Confirmavit hoc anno Pontifex Fratribus Conventualibus Conventus ſancti Franciſci Firmani poſſeſſionem acceptam Monaſterii olim Clariſſarum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Virginibus ejuſdem urbis, Monialibus deſtituti, quod ſibi competere contendebant ex conceſſione Sixti IV. qui Minoribus Conventualibus largitus eſt omnia Monaſteria Clariſſarum, a Sororibus derelicta: necnon poſſeſſionem Eccleſiæ ſancti Liberatoris Firmanæ, a Gerardo Epiſcopo prædicto Monaſterio olim unitæ. Extendit etiam privilegia omnia, favores & gratias conceſſa Fratribus familiæ Ul-

Ex brevi originali. Lib. 185. fol. 3.

tramontanæ ad Fratres Ciſmontanæ. Multa inſuper & egregia privilegia a Sixto IV. quibuſdam domibus Tertii Ordinis conceſſa, ad alias voluit extendi.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Indic. ex Vatic.

Inſubria devaſtatur.

Vide Harold. ad ann. 1428.

„ I. IN Ludovicum Sfortiam dum Veneta gens Ludovicum XII. Franciæ invitat, ille in Venetos Turcam Bajazetum incitat, at ita magno incendio belli Inſubria univerſa devaſtatur. Interim beneficium fratri Bernardo de Leſſe confertur: *Religionis zelus.* VI. Idus Februarii. Roſcianum, *Roſano* Civitas Archiepiſcopalis in Magna Græcia; Græcos & Latinos Cives olim habebat, qui tamen haud bene cohærentes, facile invicem diſceptabant. Roſſanenſes etiam ſive Roſciani Cives Latini ritus in Magna Græcia, apud Oram Tarentini ſinus, inter Cariatum & Caſſanum, qui ſub anno MCCCCXXVIII. Cœnobium ædificantes Fratribus de Obſervantia, a Concivibus Græci ritus impediti, niſi diu poſt, ſub fratre Matthæo Sarraceno de Rhegio Julii, ab anno MCCCCLIX. ſuo Antiſtite, perficere potuerunt; hoc anno MCCCCXCIX. IX. Martii, erigendi Monaſterii Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci facultatem obtinuere: *Sedis Apoſtolicæ.* IX. Kalend. Aprilis ſuppreſſo Monaſterio ſanctæ Mariæ Firmi in Piceno: *Ex injuncto.* ac pridie Kalend. ejuſdem permiſſa Comiti Caſtri Sicei, Andegavenſis diœceſis conſtructione Con-

Topogr. Ferrer.

Indic.

„ ventus: *Inter curas.* etiam Coſentinis pro Obſervantibus datum eſt erigere domum ſanctæ Mariæ de Paradiſo: *Piis fidelium.* Eſt vero Coſentia, vulgo *Coſenza*, Civitas Archiepiſcopalis Brutiorum Mediterranea, ad Crathim & Caſuentum flumina in Montis deſcenſu, cum arce editiore loco conſtructa, Calabriæ Citerioris Metropolis haud obſcura, & ex Regni Neapolitani præcipuis, media inter Tarentum & Rhegium, a quibus

bus abeſt ſupra nonaginta M. P. Rothemburgi vero Monaſterium Sororum Tertii Ordinis IV. Idus Maii extinctum fuit: *Regimini univerſalis*. VII. Idus Septembris expoſito brevi: *Inter curas*. pro Conventu fundato in Eremitorio ſanctæ Mariæ de Luce de *Alconchel*; & altero pro beneficio fratris Jacobi Rimani; *Religionis zelus*, ac iterum alio Idibus Septembris pro conſtructione Conventus in oppido Vitelliano, vulgo *Viadana*, Cremonenſis diœceſis: *Exponi nobis*. quem Fratres provinciæ Tuſciæ in ſuis Comitiis oblatum acceptaverant anno MCCCCXCII. Poſtea fratri Alexandro *Gadet* Magiſterium decretum fuit: *Viri ſacræ*. VIII. Idus Octobris; ac tandem Cardinali Ximenio poſſe conferre beneficia indultum: *Exigentibus meritis*. XVIII. Kalendas Decembris. Obſervantiæ Fratres his temporibus ubique mira incrementa ſumpſerunt. Matthias Ungariæ & Boemiæ Rex hoc anno pro conſtruendis ædibus, & Eccleſia pro illis in oppido *Camenez*, in Epiſcopatu Miſnenſi, verſus Boemiam Regia liberalitate largas eleemoſynas contribuit: Verumtamen magnas difficultates ab Epiſcopo, Plebanis, Conventualibus, necnon etiam Monialibus ſanctæ Mariæ Stellæ paſſi ſunt; at urgente mandato Regis, demulcente etiam adverſariorum animos religioſa gravitate & gratia venerabilis Patris fratris Joannis, olim Epiſcopi Olomucenſis, circa feſtum Omnium Sanctorum in loci incolatum admiſſi fuere.

Litteræ Pontificiæ. Indic. ex Vatic.

Ex copia Harold. ad annum 1492. n. 18.

Ex copia.

Chronica Provin. Ref. Boemiæ. P. Sannig. infra ad ann. 1538.

II. Hic, eum præciſa tempora nos lateant, religioſiſſimo fratri Balthaſari *Reuſell.* profeſſione Laico, locum dabimus, ne tanti Viri memoria pereat: Oriundus ab oppido Algezira Regni Valentiæ, ibidemque noſtram Regulam profeſſus, in Eremitoriolo ſanctæ Mariæ Angelorum Civitatis Alonæ quadraginta annorum ſpatio vixit. Inde paupertatis amator, & Monaſticæ ſeveritatis longe remotis habitatoribus, gratiſſimos odores emittebat; enarrabat fama, eo ſilente, quam ſervide orationi, quamque ſevere macerationibus corporis incumberet, ſua vota beatiſſimæ Virgini Deiparæ piiſſimo ſervore expandebat. Quæ apud Majeſtatem Divinam quanti fierent, mirabilibus ſignis demonſtratum eſt: aliquando brumali tempore in ea ſolitudine, aſſiduis & copioſis imbribus obſeſſus, oleo, quo lampadem ſacram Deiparæ foveret, omnino carebat; quamobrem valde mœſtus, in genua provolutus, Deum, ut honori Matris ſuæ provideret, totis præcordiis oravit: moxque ſurgens Lychoſum magna fiducia ſigno Crucis benedixit, qui extemplo plenus oleo apparuit. Quidam Eques Alonenſis, ob contagium, quo infectæ ſuæ deperibant oves, triſtis Famulum Dei adiit, ſupplexque petiit, ut ſuis orationibus ſibi adeſſet. Oravit ille, & ad caulam profectus, ut gregi benedicetet, hæc magnæ ſimplicitatis verba, ſed majoris virtutis protulit: *O Creaturæ Dei quid facitis? Vivite, & non moriamini; magnum etenim damnum Domino veſtro affertis*: mirum! Ad illius juſſum ceſſavit morbus, & illico, mirantibus cunctis, convaluere oves. Alia plura ſigna per eum operatus eſt Altiſſimus, ob quæ apud Alonenſes & circumvicinos optima fama clarebat; tandem plenus meritis & diebus, in eodem Eremitorio obdormivit in Domino: ut autem Civibus innotuit ejus obitus, confluxere ad locum, & primores ſuppoſitis humeris feretro, illius cadaver ad Conventum ſancti Patris Franciſci ſuæ urbis delatum, triduo expoſitum populo Fratres reliquerunt, tamdemque in honorifico ſepulcro tumularunt, in quo integrum cuſtodiebatur; verumtamen poſt plura tempora, cujuſdam æditui incuria, ex lapidum ruina, cum cadavere tumba, ultimis temporibus confracta fuit. *

Frater Balthaſar Reuſell. floret.

Monum. MSS. Valentin. ſupra cit.

** Quæ hic de Bernardino Caymo acta obliteramus, propriis locis habes in Patre Waddin. ad an. ſcilicet 1493. n. 40. & ſeq.*

III. Flo-

„ III. Florebat etiam venerabilis Pater frater Franciſcus a Luca, qui
„ vivaciſſimo ſpiritu præfulgens, totus in augmentum Obſervantiæ incum-
„ bebat, juvenes ſpiritu præſtantes pro beneficio univerſali procurans; eo
„ enim ſuadente Paulus Jovia Lucenſis Civis, & ipſe nobilis, Mundi pom-
„ pis renuntians, habitum Ordinis ſuſcepit; poſtque emiſſam profeſſionem,
„ obtenta a Miniſtro Provinciali Tuſciæ facultate, multas ſtudiorum cau-
„ ſa Civitates una cum Franciſco ſimul peragrarunt, præſertim Bononiam,
„ Paduam, ac Lutetiam Pariſiorum, audieruntque in una ipſarum Magi-
„ ſtrum in Theologia fratrem Franciſcum a Ruvere Savonenſem, qui po-
„ ſtea ſuo tempore fuit Sixtus IV. Pontifex: & brevi ſcientiarum ut culmen
„ attigerunt, cum magno profectu etiam virtutum, Lucam regreſſi ſunt;
„ ejuſdem autem animi in bono adipiſcendæ perfectionis Monaſticæ pro-
„ poſito cum eſſent, & perſeverarent, remoram laxiori vitæ inter Con-
„ ventuales faſtidiebant; quamobrem Lucenſis Conventus reformationem
„ procurarunt, ac tandem triplicato brevi Apoſtolico Nicolai V. obtinue-
„ runt, quæ nihilominus ſuum effectum ſortita eſt anno MCCCCLIV. Nobi-
„ lium Civium opera, qui religioſam eorum duorum Patrum vitam ad-
„ mirantes, illiſque ſimiles alios deſiderantes, iis impenſe favebant. At
„ adverſariis reluctantibus, & Pontificiis mandatis obedire detrectantibus,
„ prudenti aſtu, eorum pertinaciam eluſerunt: habito ſiquidem his deſuper
„ conſilio, publicam ſupplicationem, cui omnes Cleri & Ordinum Regu-
„ larium Fratres intereſſent, decreverunt; ac ita factum eſt. Peracta vero
„ ſupplicatione, cum Patres Conventuales in Conventum regredi vellent,
„ fores clauſas adinvenerunt, & intus Nobiles Civitatis ſenſere, a qui-
„ bus negabatur ingreſſus: illis ita excluſis, Franciſco & Paulo præfatis
„ Seniores urbis & Priores domum & Eccleſiam conceſſere. Reformatio-
Plures Minores elati.
„ ne introducta, brevi ibidem præter prædictos, plures venerabiles Servi
„ Dei floruerunt, cum ſumma Civium ſatisfactione & conſolatione ſpiri-
„ tuali. Pulchrum erat intueri Franciſcum & Paulum, ambos in Theolo-
„ gia Magiſtros, depoſito faſtu, humiles, mortificatos, candidis moribus,
„ & eloquio ſacro fulgentes, paupertate nitentes, ſanctimoniæque odo-
„ rem ſpirantes. Porro Paulus Jovia ter ad Vicariatum provinciæ Tuſciæ
„ aſſumptus, novem annis eamdem prudentiſſime gubernavit: ſæpe in De-
„ finitorem Generalem electus, ſupremis Rectoribus, ſeu Vicariis Gene-
„ ralibus optima ſuggerebat conſilia; in quorum numerum etiam & ipſe
„ cooptatus fuiſſet, niſi gracilitas & corporis nimia debilitas, quibus im-
Vid. Wad. tom. 14. ann. 1472. n. 10.
„ potens ad tot labores ſuſtinendos videbatur, obſtitiſſent. Hujus obiter
„ meminit Annalium auctor. Tandem uterque plenus dierum & bonorum
„ operum in præfato Cœnobio ſancto fine quievit, Paulus quidem III. No-
„ nas Junii, & Franciſcus IX. Kalendas Auguſti anno MCCCCXCIX. Hoc
„ ſpeciale de Paulo Jovia legitur, quod ejus oſſa, cum alibi oblivioni fere
„ tradita, ac tumulata eſſent, Chriſtophorus Sanctinius Civis Lucenſis,
„ inde exhumata, ſub ſummo Altari honorificentius ſe collocaturum ſpopon-
„ dit, ſi ejus meritis a quotidiana febri, qua graviſſime a multis diebus aſ-
„ flictabatur, liberaretur. Soſpitatem igitur ex voto aſſequtus, quod pro-
„ miſerat, fideliſſime adimplevit: a quo etiam tempore, maximam ſancti-
Franciottus de rebus Lucen. Vide Arturum ad diem 1. Junii.
„ tatis opinionem adeptus eſt. Ceterum ex Franciotto libro de rebus Lu-
„ cenſibus ſcripſerunt de eo Gonzaga, Barezzus, & Waddingus, quos
„ in ſuo Martyrologio citat Arturus.
Viri doctrina & ſanctitate florēt.
„ IV. Venerandum virum Patrem fratrem Gerardum Neapolitanum
„ pluribus micantem virtutibus ibidem in patria, ad ultimum vitæ finem
glo-

„ glorioſe perveniſſe hoc anno MCCCCXCIX. VIII. Kalendas Aprilis, enar-
„ rat Natalis Bonifacius in ſua Navi Sanctorum, & Beatorum Seraphicæ
„ Religionis: & Cimarella in ſuis Chronicis commemorat Petrum Regi-
„ naldum, natione Gallum, in provincia Franciæ, in ſacra Theologia Ma-
„ giſtrum, hac ætate florentem, qui ſcripſit Speculum finalis retributionis,
„ librum de gaudiis piorum, & pœnis malorum, aliaque permulta ad uti-
„ litatem communem.

ARGUMENTUM.

Ampliſſimam Jubilæi formam promulgat Alexander Pontifex, ejuſque prorogandis & publicandis terminis, ac prædicandæ contra Turcas Cruciatæ Commiſſarium inſtituit Ludovicum a Turre. Frater Gaſpar Callienſis Epiſcopus mittitur Nuncius in Hungariam & Poloniam. Ad Indias Orientales deſtinatur Henricus Conymbricenſis cum ſeptem Conſodalibus. Habentur Ordinis Comitia Generalia, & eligitur in Miniſtrum Ægidius Amerinus, Obſervantibus parum propitius. Moriuntur Bartholomæus Lucenſis, & Cæcilia Coppola. Eliguntur Epiſcopi. Multiplicantur Cœnobia.

I. ULTIMUM hujus ſeculi annum Alexander Pontifex ampliſſimo reatuum indulto, & multiplici indulgentiarum cumulo ſacravit. Quia vero acceſſum in Urbem bella, peſtifera lues, aliaque nocumenta impediebant, Jubilæi terminum infra fines Italiæ diſtulit primo uſque ad ſolemnitatem Pentecoſtes, ſecundo uſque ad Nativitatem beatæ Mariæ Virginis, & indulgentias extra Urbem per univerſam Italiam, & in Inſula Corſicæ, amplius producto termino, lucrandi facultatem conceſſit. Commiſſarium vero tanti operis publicandi, & ſapienter dirigendi conſtituit Ludovicum de Turre Vicarium Generalem Ciſmontanum Fratrum Obſervantum, virum prudentiſſimum & ſolertiſſimum, cui etiam commiſit, ſubſidia pro Cruciata & expeditione in Turcas colligendi facultatem, adjecta auctoritate alios ſubdelegandi. Multa circa poteſtatem hanc miſſa ad eum diplomata tum hoc anno, tum ſequenti, hic conjungo, ex quibus percipere licebit, quanta fuerit & qualis hominis penes Pontificem exiſtimatio.

Indicitur magna Jubilæi indulgentia.

Ludovic. a Turre indicendæ & prædicandæ Cruciata Commiſſarius.

Ad futuram rei memoriam.

II. *PAſtoris æterni, qui pro ſalute gregis Domini ſe in pretium immolare non abnuit, vices, quamvis immeriti gerentes in terris, & gregem ipſum nobis Divina diſpoſitione commiſſum, paternæ conſiderationis intuitu conſpicientes, de animarum ſingulorum fidelium & credentium populorum ſalute ſollicite cogitamus, & illarum periculis occurrimus, ut tenemur, eoſque, quos ut peculiares filios merito in viſceribus gerimus caritatis, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quam non ab homine obtinemus, ſed a Deo, indulgentiarum favoribus proſequimur, & remiſſionibus peccatorum confovemus. Nuper ſiquidem, cum præſens annus Jubilæi, remiſſionis & gaudii, ac reconciliationis humani generis Redemptori noſtro piiſſimo, qui quolibet anno centeſimo, ab illius primæva ordinatione, per fel. record. Bonifacium VIII. inſtitutus, & deinde per Clementem VI. ad quinquageſimum, & ſucceſſive per Gregorium XI. ad trigeſimum tertium, & poſtea ad vigeſimum quintum annos per piæ mem. Paulum II. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros,*

Ex authentico.

Vide Andream Victorellum de Jubilæo part. 1. pag. 1. & ſeqq.

propter humanæ vitæ brevitatem reductus fuit, inſtare noſceretur, eſſetque vere ille centeſimus annus, qui ab ipſa primæva ordinatione fuit inſtitutus, & in quo univerſi Chriſtifideles, quibuſcumque etiam graviſſimis delictis obnoxii, vere pœnitentes & confeſſi, viſitando Baſilicas & Eccleſias almæ Urbis, & extra eam ad id deputatas, illarumque majora Altaria, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequantur: & propterea ab omnibus Chriſtifidelibus cum majori frequentia & devotione non immerito celebrandus: & cuperemus dictum annum Jubilæi ab ipſis fidelibus cum omni debita & ſingulari devotione celebrari, & fideles ipſos ad dictam Urbem pro reverentia beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Principum, qui eam proprio ſanguine conſecrarunt, & in quorum Baſilicis, ſub illarum majoribus Altaribus, ipſorum Apoſtolorum Corpora glorioſa, & in majori Altari Eccleſiæ Lateranenſis Capita recondita honorifice conſervantur, pro Indulgentiis dicti Jubilæi conſequendis, undecumque perſonaliter accedere: Nos per alias diverſas litteras noſtras, pleniſſimam ipſius omni Jubilæi indulgentiam, litteraſque eorumdem prædeceſſorum noſtrorum deſuper emanatas, de Fratrum noſtrorum conſilio, approbando & innovando, ne contingeret aliquem ignorare ſeu dubitare, quo tempore annus iſte Jubilæi inciperet, & quæ ac quot Eccleſiæ pro dicta conſequenda indulgentia, & quot diebus illæ viſitari deberent, ex certa noſtra ſcientia per alias litteras noſtras, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus per univerſum orbem conſtitutis nunciavimus & declaravimus, ipſum annum Jubilæi in vigilia & primis Veſperis Nativitatis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime præterita inchoare; prout in eiſdem noſtris litteris, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut nonnullorum fide dignorum relatione accepimus, quamplures Chriſtifideles, etiam Archiepiſcopi, Epiſcopi, Reges, Reginæ, Duces, Principes, Marchiones, Domini temporales, Comites, Barones, Nobiles, Abbates, Priores, Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, etiam religioſæ, & ſeculares utriuſque ſexus, per univerſam Italiam conſtituti, devotiſſimi quidem & affecti, ac cupidi ſalutis animarum ſuarum, & indulgentiarum dictæ Urbis, tam qui, anno hujuſmodi Jubilæi durante, Baſilicas, & alias ipſius Urbis Eccleſias pro conſequenda remiſſione & indulgentia hujuſmodi per nos approbata & innovata libenter viſitaſſent, ſi ſenio, debilitate corporis, valetudine, infirmitate, inopia, impotentia Divinorum, humanorumque obſequiorum, vel aliorum negotiorum occupatione detenti non fuiſſent, aut guerrarum turbines, quibus ipſa Italia pluribus in locis afflicta, ſeu itineris diſtantiam, & diverſa viarum diſcrimina, ac epidemiæ morbum, quæ etiam Urbem ipſam æſtate proxime decurſa, plurimum oppreſſit, alioſque ſiniſtros eventus non formidaſſent, quam etiam, qui nullo impedimento detenti, Baſilicas & Eccleſias ipſas viſitare hactenus non propoſuerunt, cupiant alias indulgentiarum hujuſmodi fieri participes: Nos, qui cunctorum fidelium animarum ſalutem, ut ex debito paſtoralis tenemur officii, intentis deſideriis affectamus, ut Chriſtifidelium eorumdem animarum ſaluti ſalubrius conſulatur, debite providere volentes, ac cupientes immaniſſimorum Turcarum, qui inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere, & Rempublicam Chriſtianam evertere, & evidentiſſima cæde Chriſtianos trucidare non ceſſant, gravi jam imminenti preſſura, dum expugnatis nuper Neoponto, Methone, & Corone Civitatibus munitiſſimis, in reliqua loca convicina ſuos formidabiles exercitus, claſſeſque maritimas ſumma diligentia inſtruunt, & in Chriſtianum populum canina rabie magis atque magis ſævire non deſinunt, conatibus

bus obviare, & cum ad id noſtræ non ſuppetant facultates, etiam Chriſtifideles prædictos ad impendenda ad id opportuna auxilia, peccatorum remiſſionibus & indulgentiis incitare, eoſque favoribus proſequi gratioſis, habita ſuper hoc cum eiſdem Fratribus noſtris deliberatione matura; de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, de Fratrum prædictorum conſilio, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentiam ſtatuimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli Chriſtifideles, etiam Archiepiſcopi, Epiſcopi, Reges, Reginæ, Duces, Principes, Marchiones, Domini temporales, Comites, Barones, Nobiles utriuſque ſexus, etiam cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, & præeminentiæ exiſtant, Eccleſiaſtici, etiam religioſi, Abbates, Priores, Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac alii ſeculares & Regulares per ipſam univerſam Italiam conſtituti, vere pœnitentes & confeſſi, qui poſt ſolemnem publicationem præſentium in ipſa Italia factam, uſque ad feſtum Pentecoſtes proxime futurum incluſive, Eccleſias in dicta Italia, quas dilectus filius Ludovicus de la Turre Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſor, & ejuſdem Ordinis citra montes Vicarius Generalis, quem ad hæc & alia infraſcripta peragenda in ipſa Italia, noſtræ & Apoſtolicæ Sedis Nuncium & Commiſſarium facimus, conſtituimus & etiam deputamus, duxerit eſſe viſitandas, debito tempore, juxta ejuſdem Nuncii & Commiſſarii, ſeu deputandi vel deputandorum ab eo, vel ſubdelegandorum ab eis, providam ordinationem ſuper hoc faciendam, devote viſitaverint, & in eapſis ad hoc in ſubſidium ſanctæ Cruciatæ, & pro fidei Orthodoxæ exaltatione, ac ab ipſis perfidis Turcis defenſione, per Nuncium ſive Commiſſarium, aut deputandos & ſubdelegandos prædictos, deputandis, quartam partem illius pretii, quod viſitando limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & alias Baſilicas dictæ Urbis, & extra eam ad id deputatas, tam in eundo de locis ſuis ad Urbem prædictam, quam redeundo de eadem ad eorum loca prædicta veriſimiliter exponerent, vel alias juxta Nuncii & Commiſſarii, ac deputandorum & ſubdelegandorum prædictorum ordinationem ſeu arbitrium, effectualiter poſuerint, etiamſi dictum Jubilæum hoc anno in dicta Urbe vel alibi conſecuti fuiſſent, eamdem prorſus indulgentiam anni Jubilæi, & pleniſſimam peccatorum ſuorum remiſſionem, ac eum Altiſſimo reconciliationem, etiam a ſanctæ memoriæ Prædeceſſoribus noſtris, ac etiam a nobis, proficiſcentibus ad recuperationem Terræ ſanctæ, & Turcarum eorumdem expugnationem concedi ſolitam conſequantur, quam conſequerentur, ſi præſenti anno Jubilæi hujuſmodi Romam, & ad recuperationem hujuſmodi, ad expugnationem proficiſcerentur, & profecti fuiſſent, necnon Baſilicas & Eccleſias ad id in eadem Urbe, & extra eam deputatas, juxta noſtram & Prædeceſſorum noſtrorum ordinationem prædictam perſonaliter viſitarent & viſitaſſent. Et ut fideles ipſi hujuſmodi indulgentiæ commodius poſſint fieri participes, prædicto Nuncio & Commiſſario, de cujus providentia, integritate & ſolertia in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per ſe vel alium ſeu alios, quibus vices ſuas duxerit committendas, auctoritate noſtra Eccleſias, quæ propterea viſitari debeant, declarandi, & in qualibet Eccleſiarum earumdem ſimul vel ſucceſſive certum numerum Presbyterorum, Religioſorum vel ſecularium, Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium, etiam Obſervantiæ Regularis, de quo ſibi videbitur, ad audiendas eorumdem fidelium, pro indulgentia fluentium, confeſſiones, deputandi, & etiam eiſdem Presbyteris ſecularibus vel regularibus, quos per Nuncium & Commiſſarium, ac deputandos & ſubdelegandos prædictos, ad id deputari contigerit, uſque

Ludovicus a Turre Nuncius & Commiſſarius Apoſtolicus Iubilæi & Cruciatæ.

Ejus laus & auctoritas.

ad tempus per eos præfigendum, eorumdem fidelium confeſſione diligenter audita, pro commiſſis per ipſos Chriſtifideles exceſſibus, criminibus & delictis quibuslibet, etiamſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet quovis modo merito conſulenda, & a ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quibus quomodolibet ligati forent, eis de abſolutionis debitæ beneficio providendi, & pœnitentiam ſalutarem injungendi; necnon vota quæcumque per eos emiſſa, voto Religionis dumtaxat excepto, in opus indulgentiarum hujuſmodi commutandi, ac alia faciendi, gerendi, & exequendi, quæ per alias noſtras litteras dilectis filiis Pœnitentiariis, in eadem Baſilica beati Petri deputatis per nos conceſſa fuerunt; necnon etiam in dicta Urbe ſuper male ablatis incertis, vel per uſurariam pravitatem quæſitis, etiam certis, quando fœnerator ab alio fœneratore extorſerit, & ipſe uſuras reſtituere paratus non eſſet, vel alicui privatæ Eccleſiæ deberentur, in quibus tamen Romana Eccleſia ſuccedere poſſet, ac etiam bonis, quæ ad aliquorum manus perveniſſent, & illa habentes, quibus reſtitui debeant, ignorant vel dubitant, quamquam male ablata per eos non exiſtant, ſed alias illa ad eos pervenerint; & ſimiliter de de his, quæ pauperibus, aliis piis locis in genere abſque ulla ſpeciali determinatione relicta fuerunt, tam pro præterito, quam futuro temporibus componendi, ita ut ſoluta aliqua quantitate pro hoc ſancto opere in capſis prædictis, a reliquorum ſic relictorum, & male ablatorum, ac per uſurariam pravitatem extortorum, ſeu quæ ad eos alias pervenerunt, & cui ea reſtituere debeant, ignorant vel dubitant, ut præfertur, reſtitutione abſoluti exiſtant, & ultra reſtituere minime teneantur, eis concedendi: Symoniæ quoque in Ordinibus vel beneficiis commiſſæ labe pollutos, ad ipſum opus contribuentes, a ſymonia hujuſmodi, & a cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas propterea incurrerunt, abſolvendi, & ſuper irregularitate, ſi quam cenſuris eiſdem ligati, Miſſas & alia Divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias Divinis ſe immiſcendo, ſeu alias quomodolibet, etiam beneficia Eccleſiaſtica præmiſſorum occaſione, vel alias indebite occupando, præterquam ratione homicidii voluntarii, & bigamiæ contraxerint, diſpenſandi, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, exinde provenientem abolendi, & ut in ſic ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, & ſic quæſita beneficia Eccleſiaſtica, quæ ex tunc denuo collata eis cenſeantur, & perceptos ex eis fructus, etiam ex ratione omiſſionis horarum Canonicarum, & Divinorum Officiorum, facta aliqua compoſitione cum eis, in opus hujuſmodi convertenda, retinere valeant, eis concedendi in foro conſcientiæ dumtaxat: Et quoſcumque, qui ex quavis licita vel illicita cognatione proveniente affinitate, conſanguinitate & cognatione carnali vel ſpirituali, ſimplici aut multiplici gradu, ac quocumque publicæ honeſtatis, juſtitiæ impedimento, ſeu alias quomodolibet impediti, matrimonium invicem, ſcienter vel ignoranter, in quovis, etiam primo affinitatis, quæ per copulam fornicariam contracta eſſet, gradu contraxiſſent, ac carnali copula conſummaſſent, ſi impedimentum hujuſmodi in judicium deductum non foret, vel ſcandalum generari non poſſet, ab exceſſu hujuſmodi, de excommunicationis ſententia, quam præterea incurriſſent, injunctis inde eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, quæ ad opus defenſionis hujuſmodi dirigatur, & quod de cetero talia non committant, nec committentibus præſtent auxilium, conſilium vel favorem, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, abſolvendi: & ut in hujuſmodi matrimonio ſic contracto ſimiliter remanere, ſeu ſecrete de novo invicem matrimonium contrahere, & in illo ſic contracto ſimiliter remanere, libere & licite valeant, prolem ſuſcipere ex hujuſmodi matrimonio, & ſi quæ ſit ſuſcepta, legitimam de-

decernere, diſpenſando ſimiliter in eodem foro conſcientiæ dumtaxat; & cum quibuſcumque, qui aliqua bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Eccleſiaſticorum beneficiorum quorumlibet haberent, & judicialiter deficientibus probationibus, ad illorum reſtitutionem compelli non poſſent, etiamſi per ipſos probari poſſet, quæ bona omnia ad opus præmiſſum applicamus, ſuper eorum reſtitutione libere abſolvendi, & quod illa licite retinere poſſint in poſterum, eis etiam concedendi, & generaliter omnia & ſingula in præmiſsis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi & exequendi, plenam & liberam, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem. Et ne illi, qui peregrinari, & aliquam ex Eccleſiis deputandis pro conſequenda indulgentia hujuſmodi, commode & honeſte viſitare non poterunt, utriuſque ſexus, utpote infirmi, decrepiti, valetudinarii, Diviniſque aut humanis ſervitiis mancipati, effectu careant indulgentiæ memoratæ, volumus, quod ſi tales hujuſmodi, aut aliis quibuſvis impedimentis impediti Eccleſias ipſas viſitare, vere pœnitentes & confeſſi, ad capſas prædictas per fideles manus tranſmiſerunt, quantum per unam hebdomadam integram in victualibus cum eorum familia exponere conſueverunt, tam ipſi, quam de ipſorum ſic impeditorum familia exiſtentes, non impediti, eamdem prorſus indulgentiam conſequantur, ac ſi perſonaliter viſitarent: liceatque prædictis Nuncio & Commiſſario, ac deputandis & ſubdelegandis, pro talibus impeditis, & ſingulis locis, de quibus ſibi videbitur, confeſſores deputare idoneos, etiam quos ipſi non venientes eligere voluerint, qui erga impeditos eoſdem, ac de eorum familia exiſtentes, pari, qua alii confeſſores prædicti erga viſitantes dictas Eccleſias, auctoritate fungantur. Et quia facile contingere poſſet, aliquos dubitare, quantum offerre debeant pro conſequenda indulgentia prædicta, & aliis præmiſſis, nonnullos eſſe dubios vel incertos, an eorum impotentia, infirmitas, vel ſervitii occupatio ſit adeo excuſabilis, notabilis & legitima, quod juxta præmiſſa ad viſitationem faciendam aſtringi non debeant, & indulgentiam hujuſmodi conſequantur, ſed pro illa conſequenda ſufficiat eis, quantitatem prædictam in capſis hujuſmodi per fideles manus poni facere; volumus, quod tam Nuncius, Commiſſarius prædictus, & quibus vices ſuas in genere vel in ſpecie duxerit committendas, Confeſſor quem tales dubii aut incerti, ex prædictis deputandis, ut præmittitur adiverint, poſſit eis hujuſmodi dubietates, prout eorum ſtatui & indemnitati, animarumque ſaluti, & conſcientiæ quieti, & paci ſalubrius expedire cognoverit, decidere & determinare, ac viſitationem hujuſmodi, & ſummam de qua dubitarent, an ab eiſdem ſolvenda veniret, eiſdem in parte remittere, prout Nuncio ſeu Commiſſario, ſeu deputandis & ſubdelegandis prædictis neceſſarium eſſe videbitur, eos ad viſitandas dictas Eccleſias penitus impotentes exiſtere, declarare, habeanturque tales dubii juxta declarationem, ſeu remiſſionem hujuſmodi faciendam, quoad effectum conſecutionis indulgentiæ memoratæ, pro vere viſitantibus & ſolventibus, ad quod tenentur. Proviſo, quod confeſſor prædictus eiſdem impeditis, & de eorum familia exiſtentibus, loco viſitationis hujuſmodi, alia injungat opera pietatis. Verum, ſi qui forent, qui adeo pauperes eſſent, ut commode ſolvere nequeant juxta ordinationem prædictam, liceat Nuncio & Commiſſario, ac deputandis ac ſubdelegandis prædictis, cum talibus, qui ſolvere nequeant, ut hujuſmodi indulgentiæ fiant participes, convenire, & eos, cum ſibi videbitur, a ſolutione hujuſmodi, ſubſiſtente cauſa legitima, in totum vel in partem liberare; & per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Reges, Reginas, Duces, Marchiones, Comites, Barones, nobiles, & alios Chriſtifideles hujuſmodi tam Eccleſiaſticos & religioſos, quam etiam

ſe-

ſeculares, quorum magna familia foret, ratione hujuſmodi conſequendarum indulgentiarum faciendas contributiones, conſideratis diligenter eorum facultatibus, diſcrete limitare ac taxare, & deſuper cum ipſis, ſicut Nuncio & Commiſſario, ac deputandis & ſubdelegandis prædictis utilius videbitur, componere, necnon omnia alia circa hoc ad ſalutarem & celeriorem expeditionem faciendam, procurare & ordinare. Et ut oblationes hujuſmodi fidelliter colligantur, & collectæ conſerventur, ac illarum proventus in hoc ſanctiſſimum & neceſſarium opus, contra crucis Chriſti inimicos, & non in aliam cauſam omnino convertantur; volumus, quod Nuncius & Commiſſarius, ſeu deputandi & ſubdelegandi prædicti, in ſingulis Eccleſiis ad id per eos ordinandis, unam vel plures capſam vel capſas, clauſuris & clavibus bene munitam, prout ſibi & deputandis ſeu ſubdelegandis prædictis videbitur, ordinet; & quicquid ex unaquaque capſa extrahi continget, per authenticas perſonas annotari, & illud totum in præmiſſam cauſam, & non in alios uſus omnino convertendum, ad Cameram Apoſtolicam fideliter transferre ſeu tranſmittere procuret. Et ſi forſitan ſuper præmiſſorum executione, & præſentium litterarum conceſſione, ac illarum clauſulis & verbis aliqua dubia quomodolibet exorientur, ejuſdem Nuncii & Commiſſarii, qui de præmiſſis plene informatus exiſtit, ac etiam deputandorum & ſubdelegandorum ab eo, declarationi & interpretationi, toties quoties opus fuerit, ſtari debere decernimus. Et ut animarum ſalus eo potius procuretur, quo magis aliorum egent ſuffragiis, & quo minus ſibi ipſis proficere valent, auctoritate prædicta, de theſauro ſanctæ Matris Eccleſiæ, animabus in Purgatorio exiſtentibus, quæ per caritatem ab hac luce in Chriſto deceſſerunt, & quæ dum viverent, id promeruerunt, paterno compatientes affectu, quantum cum Deo poſſumus, ſuccurrere cupientes, de Divina miſericordia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, volumus & concedimus, ut ſi qui parentes, amici, aut ceteri Chriſtifideles pietate commoti, pro ipſis animabus Purgatorio igni, pro expiatione pœnarum eiſdem ſecundum Divinam juſtitiam debitarum, expoſitis, durante dicto tempore indulgentiæ, ad opus hujuſmodi aliquam eleemoſynam, juxta Nuncii ac Commiſſarii, ac deputandorum ac ſubdelegandorum prædictorum, vel alicujus eorum ordinationem, dictas Eccleſias viſitando pie erogaverint, ut præfertur, pro plenaria pœnarum relaxatione ſuffragetur; ac omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles, de ſimilibus poteſtatis plenitudine & liberalitate, qui manus adjutrices ad hujuſmodi opus, viſitando vel mittendo porrexerint, ac omnes & ſingulos eorumdem parentes defunctos, ac eorum benefactores, qui cum caritate deceſſerunt, in omnibus precibus, ſuffragiis, eleemoſynis, jejuniis & orationibus, Miſſis, horis Canonicis, diſciplinis, peregrinationibus, & ceteris omnibus ſpiritualibus bonis, quæ fient & fieri poterunt in tota univerſali ſacroſancta Eccleſia militante, & omnibus membris ejuſdem, participes in perpetuum fieri. Ceterum ne propter multitudinem indulgentiarum tam a nobis, quam a prædeceſſoribus noſtris conceſſarum, Chriſtifideles in hoc ſancto opere tardiores exiſtant; omnes indulgentias a nobis, & eadem Sede, vel ejuſdem auctoritate, quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam noſtro ſancti Spiritus in Saxia de dicta Urbe, Ordinis ſancti Auguſtini, & piis locis, Univerſitatibus, Confraternitatibus, etiam cujuſcumque qualitatis, & ad quemcumque uſum, etiam laicorum vel Clericorum inſtitutis, & ſingularibus perſonis, etiam plenarias, in vita vel mortis articulo, præterquam ratione expeditionis, & indulgentiæ anni Jubilæi hujuſmodi in dicta Urbe & extra eam videlicet conceſſas, uſque ad dictum feſtum Pentecoſtes proxime venturum, auctoritate Apoſtolica prædicta, de ſimili

Apo-

Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnino ſuſpendimus, illaſque interim nemini volumus in vita vel in morte aliquatenus ſuffragari, ac illas publicari & prædicari, aut earum prætextu, a quæſtoribus eleemoſynarum aliquid poſtulare nullatenus poſſe. Et inſuper ut præmiſſa melius & facilius, ſemotis quibuslibet impedimentis, debitum conſequantur effectum, omnibus & ſingulis locorum cujuſvis Ordinis vel conditionis exiſtant, utriuſque ſexus perſonis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac maledictionis æternæ, a qua non niſi a nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, præterquam in mortis articulo conſtituti, & debita ſatisfactione præmiſſa, abſolvi poſſint, ac prædicti Nuncii & Commiſſarii, ac deputandorum & ſubdelegandorum prædictorum arbitrio, qualitate facti, & perſona attenta, moderando, & de facto a contrafacientibus exigenda pœna, diſtrictius inhibemus: ne videlicet Ordinarii, Abbates, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ ſeculares & religioſæ quæcumque, præſentium publicationem in eorum Eccleſiis, Civitatibus & diœceſibus, & ubi & quoties opus fuerit, faciendam impedire, & aliquid prætextu dictæ publicationis petere, & etiam a ſponte offerentibus exigere & recipere, ac ipſi & quicumque alii, in præmiſſis & circa ea, fraudem aut dolum committere, neve procuratores hujuſmodi indulgentiæ participes fieri, & ſua pia ſuffragia erogare & mittere, ab hujuſmodi eorum propoſito, in toto vel in parte, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe retrahere, ac quaſcumque alias indulgentias, per nos, ut præmittitur, ſuſpenſas prædicare, publicare, aut illis quomodolibet, & earum prætextu, aliquid petere aut recipere, ac alias contra præſentes, illarumque tenorem, in ipſis prædicationibus, pium Chriſtifidelium animum ab eorum ſancto propoſito, dicto durante tempore, quoquo modo retrahere præſumant. Mandantes ſub ſimilibus ſententiis, maledictione & pœna, ipſas præſentes per quaſcumque verbi Dei Prædicatores, etiam Clericos & Religioſos, quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, juxta ordinationem & requiſitionem Nuncii & Commiſſarii, deputandorum, ſubdelegandorum Prædicatorum, in Civitatibus, locis & Eccleſiis ad hoc deputandis prædicari, publicari & declarari, ac prædictos Chriſtifideles ad contribuendum huic ſancto operi induci & exhortari; ac per loci Ordinarios, Abbates, & alias Eccleſiaſticas perſonas prædictas, ad id auxilium, conſilium & favorem impendi: necnon per Nuncium & Commiſſarium, ac deputandos & ſubdelegandos prædictos, tam ipſos, ſi non paruerint, quam generaliter contradictores quoslibet & rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compeſci & compelli debere, habituri ratum & gratum cenſuras & pœnas, quas Nuncius & Commiſſarius, ac deputandi & ſubdelegandi prædicti rite tulerint, ſive ſtatuerint in rebelles, & facturi illas, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari: & generaliter quidquid per Nuncium & Commiſſarium noſtrum, ac deputatos & ſubdelegandos prædictos in præmiſſis fuerit quomodolibet ordinatum. Super quibus omnibus & ſingulis, ſibi, ac deputandis & ſubdelegandis prædictis, plenam, liberam & omnimodam, etiam circa proceſſiones publice ad effectum præſentium faciendas, ac populi etiam ad ſonum campanæ convocationem concedimus facultatem: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon privilegiis & indultis, etiam Mari magno nuncupatis, eiſdem Ordinibus, illorumque perſonis, in genere & in ſpecie forſan, ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & efficacioribus & inſolitis, per nos & Sedem prædictam conceſſis,

ſis, & de quibus præſentibus, etiam ſi de verbo ad verbum, pro illorum ſufficienti derogatione habenda eſſet mentio ſpecialis, quæ quoad hoc, cuiquam nolumus ullatenus ſuffragari, contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus, vel eorum Ordinibus, conjunctim vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod ipſi, aut dictorum Ordinum perſonæ, ad publicandas aliquas litteras ſeu indulgentias hujuſmodi inviti compelli, ſeu quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, ac etiam dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu unius vel duorum publicorum Notariorum ſubſcriptis, & Nuntii ac Commiſſarii, vel deputandorum & ſubdelegandorum prædictorum, ac alicujus Prælati ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo munitis, ea prorſus fides indubia ubilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, deputationis, applicationis, ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati, conceſſionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. V. *Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno* IX.

Dilectis filiis noſtris Legatis, Vice-Legatis, Gubernatoribus, Locatenentibus, & quibuſvis aliis noſtris Officialibus in locis & terris nobis, & Romanæ Eccleſiæ ſubjectis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex originali. III. *Cum variis de cauſis quamplures Chriſtifideles in univerſa Italia conſtituti, hoc ſacro Jubilæi anno centeſimo, pro pleniſſima dicti Jubilæi indulgentia conſequenda, ad hanc almam Urbem noſtram perſonaliter accedere nequierint; Nos, more vigilis Paſtoris, animarum eorumdem fidelium ſaluti paterna caritate conſulere, & ne effectu indulgentiæ prædictæ deſtitutæ remaneant, providere volentes, ac noſtrorum Prædeceſſorum veſtigiis in hac parte inhærere; habita ſuper hoc cum venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, pleniſſimam dicti anni Jubilæi indulgentiam per ipſam univerſam Italiam, de Fratrum eorumdem conſilio duximus concedendam: adjectis pro uberiori ipſarum animarum ſalute, diverſis gratiis & facultatibus ſpiritualibus in litteris deſuper confectis expreſſis, ac dilecto filio Ludovico de la Turre Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſore, citra montes dicti Ordinis Vicario Generali, de cujus fide, bonitate & integritate gerimus in Domino fiduciam ſpecialem, Commiſſario ad id deputato. Quare, licet ſuperfluum arbitremur, rem tam piam, tam ſanctam, tamque animarum ſaluti utilem aliter commendare: hortamur tamen vos, vobis injungentes, ut omni veſtro ſtudio & favore, in Provincia iſta & Terris noſtris publicationi ipſius indulgentiæ, per dictum Commiſſarium, & ſubdelegandos ab eo faciendæ aſſiſtatis, quo res hæc tam pia, ſancta & ſalubris, votivum conſequatur effectum, in qua nobis plurimum ſatisfacietis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die* XXII. *Decembris* MD. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Di-

Dilecto filio Ludovico de Turre, Vicario Citramontano Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Commiſſario noſtro.

IV. *NUper pleniſſimam anni Jubilæi indulgentiam per univerſam Italiam, ſub certis modo & forma conceſſimus, te ad id Commiſſario deputato, cum diverſis facultatibus inibi contentis, prout in noſtris inde confectis litteris, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, aliquæ ex Provinciis tibi ratione Vicariatus tui ſubjectis, forſan extra Italiam, licet prope illam ſint conſtitutæ, & propterea dubites, an dictæ Provinciæ ſint comprehenſæ ſub tua commiſſione prædicta: Nos volentes deſuper animarum Chriſtifidelium ſaluti paterna caritate conſulere, litteras prædictas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, etiam ad Provincias prædictas, tibi, ut præfertur, ſubjectas, illarumque perſonas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus pariter & ampliamus: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris prædictis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* v. *Januarii* MDI. *Pontificatus noſtri anno* IX. Ex originali.

Eidem.

V. *CUm, ſicut accepimus, quamplures perſonæ tam Eccleſiaſticæ etiam Religioſæ, quam ſeculares executionem ſanctæ Cruciatæ, præſertim propter indulgentiam per nos Fratribus Prædicatorum & Eremitarum ſancti Auguſtini conceſſam, qua contra mentem noſtram uſi fuerunt, detrahendo & murmurando, impedire, ac volentes ſuas pias eleemoſynas offerre, ab illorum ſancto & pio propoſito retrahere præſumpſerint, ac propterea excommunicationis ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas incurrerint. Nos animarum ſaluti paterna caritate conſulere volentes, tibi, ac a te deputatis & deputandis, omnes & ſingulas perſonas prædictas, quæ ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi incurrerunt, ſi id humiliter petierint, ab illis abſolvendi, ac eis pœnitentiam ſalutarem injungendi, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Et quia, ſicut aſſeris, nonnulli ex ſubſtitutis tuis aliquos, qui res prohibitas ad partes infidelium detulerunt, & cum eis commercium habuerunt, ab excommunicationis ſententia abſolverunt; Nos grata & rata per dictos ſubſtitutos hactenus circa hoc geſta habentes, tibi etiam, ut eos, qui talia commiſerunt, prout tibi videbitur, dicta Cruciata durante, per te vel ſubſtitutos tuos, ab ipſa excommunicationis ſententia abſolvere poſſis, poteſtatem elargimur: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo tuo, vel ſubſtitutorum tuorum, aut alicujus Prælati ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ultima Aprilis* MDI. *Pontificatus noſtri anno* IX. Ex originali.

Anno Christi 1500.	Alexandri VI. an. 8. & 9.	Maximiliani Imp. an. 7. & 8.	Religionis Minorum anno 293.

Ad futuram rei memoriam.

Ex originali. VI. *Commiſſum nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis officium, tunc digne peragere non ambigimus, ſi ad ea ſollicite benignitatis extendimus affectum, per quæ Chriſtifideles animarum ſuarum ſalutem, Deo propitio, uberius valeant promereri, & propterea gratias per nos ad effectum præmiſſum conceſſas, interdum prorogamus, extendimus & ampliamus, prout id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem pro animarum ſalute, ac Catholicæ fidei, & reipublicæ Chriſtianæ adverſus perfidiſſimos Turcos, Chriſti nominis accerrimos hoſtes defenſione, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, per univerſum Italiam conſtitutis, qui nonnulla tunc expreſſa adimplerent, pleniſſimam ſacri anni Jubilæi centeſimi proxime decurſi indulgentiam, ſub certis modis & formis tunc expreſſis, uſque ad feſtum Pentecoſtes proxime futurum incluſive duraturam, per alias noſtras litteras conceſſimus gratioſe, dilecto filio noſtro Ludovico de la Turre, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſore, & ejuſdem Ordinis citra montes Vicario Generali, ad id Commiſſario deputato; cui, & ſubſtituendis ab eo diverſas ſuper hoc dedimus facultates, prout in litteris prædictis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis & inſertis, plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, quamplures Chriſtifideles fore noſcantur, qui ipſam pleniſſimam indulgentiam adhuc conſequi nequiverunt, nec infra dictum feſtum Pentecoſtes, ob temporis brevitatem, magnamque & longam locorum diſtantiam, conſequi poſſe ſperant. Nos, qui animarum cunctorum Chriſtifidelium ſalutem, quantum cum Deo poſſumus, pro debito paſtoralis officii ſupremis deſideramus affectibus, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, pleniſſimam Jubilæi indulgentiam, & quoad hoc litteras, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & facultatibus, uſque ad feſtum Nativitatis beatæ Mariæ Virginis proxime venturum incluſive, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium, de uberioris dono gratiæ prorogamus, ac etiam ad illos, qui dictam pleniſſimam indulgentiam etiam in alma Urbe noſtra dicto anno Jubilæi conſequuti fuiſſent, ſi de novo eam conſequi vellent, offerendo tamen medietatem ejus, quod prima vice obtulerunt, vel quod juxta arbitrium prædictorum Commiſſarii aut deputatorum ab eo videbitur, extendimus pariter & ampliamus: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris prædictis volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, ac etiam dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu unius vel duorum publicorum Notariorum ſubſcriptis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis, extenſionis, ampliationis, voluntatis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, anno Incarnationis Dominicæ* MDI. *die ultima Aprilis, Pontificatus noſtri an.* IX.

Di-

Dilecto filio Ludovico de la Turre, Vicario Citramontano, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſori, Commiſſario noſtro.

VII. *Dudum te Commiſſarium noſtrum cum diverſis facultatibus pro pleniſſima anni Jubilæi indulgentia per univerſam Italiam fecimus, conſtituimus & deputavimus, ita quod alios loco tui ſubſtituere poſſes, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut nuper nobis expoſuiſti, litterarum prædictarum vigore, multa per te & alios ſubſtitutos tuos geſta & adminiſtrata fuerint, & in dies gerantur & adminiſtrentur; Nos volentes quieti & tranquillitati, cum quibus facultatibus prædictis uſi fuiſtis, paterna caritate conſulere, omnia & ſingula ſic per te & dictos ſubſtitutos, litterarum prædictarum vigore geſta & adminiſtrata, & quæ gerentur & adminiſtrabuntur in poſterum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus. Decernentes illos, cum quibus dictis facultatibus uſi fuiſtis, per locorum Ordinarios, vel alios quoſcumque, contra dictarum litterarum tenorem moleſtari non poſſe, neque debere. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo tuo vel ſubſtitutorum prædictorum munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XI. *Septembis* MDI. *Pontificatus noſtri anno* X. Ex autographo.

Eidem.

VIII. *Cum alias pleniſſimam ſacri anni Jubilæi centeſimi proxime decurſi indulgentiam, per univerſam Italiam, pro animarum Chriſtifidelium ſalute, ac pro neceſſaria & ſanctiſſima contra perfidiſſimos Turcas, Chriſti nominis acerrimos hoſtes expeditione, eam diverſis gratiis & facultatibus conceſſerimus, te ad hæc Commiſſario deputato, prout in noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur. Et quia in inſula Corſicæ indulgentia prædicta publicata non fuit. Nos volentes animabus incolarum dictæ inſulæ etiam paterna caritate conſulere, indulgentiam, gratias & facultates prædictas cum omnibus & ſingulis in dictis litteris contentis clauſulis, ad dictam inſulam, ejuſque habitatores utriuſque ſexus, etiam quoad diſpenſationes matrimoniales in ipſis litteris contentas, citra & ſecundum gradum in utroque foro, alias tamen in omnibus & per omnia juxta dictarum litterarum continentiam & tenorem, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus pariter & ampliamus: volentes indulgentiam & facultates prædictas uſque ad feſtum Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime venturum, & per totam illius octavam incluſive dumtaxat, in dicta inſula durare, ſuumque effectum conſequi debere: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo tuo, vel a te* Ex originali.

ſubſtituendorum munitis, eo prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. *Septembris* MDI. *Pontificatus noſtri anno* X.

Anno 1498. n. 26. Fr. Gaſpar Epiſcopus Callienſis Nuncius in Hungariam, & Poloniam. *Miechov. rerum Polonic. lib. 4. cap. 76. Cromer. lib. 30.*

IX. Alius ejuſdem Inſtituti vir, frater Gaſpar Epiſcopus Callienſis, de quo ſupra diximus, hoc anno miſſus eſt Sedis Apoſtolicæ Nuncius in Hungariam, & Poloniam ad Uladiſlaum, & Joannem Alberti Reges, ad Turcicum bellum cohortaturus, & piæ militiæ, quam Crucis ſeu Cruciatam vocant, facultatem, atque Jubilæum promulgaturus, & poteſtatem decimarum de Eccleſiaſticis reditibus in ſuo utriuſqueRegno in ſubſidium ejuſdem belli exigendarum conceſſurus. Perfuncto prius munere in Hungaria, poſtea divertit in Poloniam, & Jubilæum cum Cruciata, die Dominica, quæ fuit XXX. Auguſti, Cracoviæ de Eccleſia ſanctæ Mariæ in circulo proceſſionatim in Eccleſiam Cathedralem incedendo, Rege Alberto ſequente, publicavit, atque inde ultra uſitatam contributionem multa florenorum millia in ærarium Regium ſunt illata.

Mittuntur Minoritæ ad Indias Orientales. *Oſor. de reb. Emanuel. l. 2. Maffejus hiſtor. Indic. lib. 2. Barros dec. 1. l. 5. c. 1. Gonz. in princ. Prov. S. Thomæ.*

X. Miſſi alii Franciſcani in terras remotiores, longinquoſque terræ fines, in Indiam ſcilicet Orientalem. Patefacta enim regione eouſque Europæis incognita, compertaque per Vaſcum Gammam, nobilem, fortique pectore virum, in illas oras navigandi ratione, Emanuel Luſitaniæ Rex, in rerum ingentium ſpem erectus, conſtituit alteram claſſem emittere, Præfecto Petro Alvaro Caprali, claro æque genere, ac virtute viro, Gammæ interim requie ex longa defatigatione conceſſa. Huic a Rege mandatum in primis, ut Chriſtianam fidem, Religionemque in iis regionibus tum ſereret, tum amplificare omni ſtudio inſiſteret. Idcirco partim ad prædicandum Ethnicis Evangelium, partim ad Chriſtianorum animos procurandos, egregie pius doctuſque Theologus Henricus Conymbricenſis, qui poſtea propter vitæ ſanctimoniam Septenſis Epiſcopus, Regi a confeſſionibus, & primus fuit Luſitaniæ Generalis Inquiſitor, cum ſeptem Sodalibus, & Sacerdotibus aliquot in eamdem expeditionem eſt deſtinatus. Soluta claſſe, XIII. die menſis Martii, Heſperidas verſus proceſſum eſt. Poſt ſuperatum longiore ambitu *Bonæ ſpei* promontorium, integro ferme menſe, inter maris horribiles jactationes elapſo, in telluris conſpectum feruntur. Inſulam initio rati, continuata dies aliquot ſecundum littus navigatione, continentem ſine dubio eſſe comperiunt. Ibi ex longa jactatione claſſem portus excepit, cui ab egregio ſitu, ac tuta ſtatione, *Securo* nomen impoſitum. Inde ad cognoſcenda loca gentemque deſcenſum in terram, & Chriſtiano ritu in ara ſubductili ſacrificatum, & concio de rebus Divinis ab Henrico eſt habita, Barbaris, cum nihil plane perciperent, tamen occulto Numinis impulſu, cœleſtes ceremonias, & ſacram concionem admirabili ſtudio ac veneratione celebrantibus. Ex his unus cum Gaſpare Lemio in Luſitaniam extemplo miſſus, Regem ac ceteros omnes ingenti lætitia, atque animi voluptate perfudit. In eo littore, Capralis prælta Crucis vexilla, ſolemni ritu & precationibus conſecrata, defixit, a quibus regio *ſanctæ Crucis* in aliquot annos dicta: ſed a Braſilo rubro ligno, quod tingendis veſtibus inde petitur, ſuperinditum deinde *Braſiliæ* cognomen, repudiata ſanctiore appellatione, tacitus prophani vulgi conſenſus, & pertinax conſuetudo retinuit. Eſt autem Braſilia novi orbis pars, quam paulo poſt Capralis accceſſum, Americus Veſputius Florentinus, ejuſdem Emanuelis auſpiciis, accuratius exploravit, atque a duobus ab Æquatore gradibus partibuſve, ad gradus quinque & quadraginta in Auſtrum excurrens, trigoni oblongi ſpeciem refert,

Fr. Henricus Conimbricenſis vir pius & doctus.

Concionatur Chriſtianis & Gentilibus.

fert, cujus baſis in Æquatorem a ſeptentrione obverſa, ab Oriente in Occidentem recta protenditur, & ab hoc ſecundo exploratore *America* paſſim nuncupatur.

XI. Ab hac fida ſtatione ſub menſem Majum ſolventes, horribili jactati procella, perditiſque quatuor navibus, tamdem ad primas, quas hodie vocant inſulas, deinde Moſambicum pervenere. Illinc ad Quiloam urbem, atque inde Melindem progreſſi, magna Regis voluntate renovato fœdere; hoſpitioque, & Oratore, quem Gamma præcedenti anno in Luſitaniam avexerat, in terram expoſito, in Archedinam inſulam, Canarino Indiæ littori objectam, ſecunda navigatione trajiciunt. Ibi rite per fratrem Henricum & ſocios expiata Luſitanorum crimina, & pane cœleſti omnes refecti, Barbaris Evangelium, quamvis, ut videbantur, ad virtutem & pietatem propenſis, tamen ob ſermonis inſcitiam promulgari non potuit.

XII. Ad Calecutum deinde naves applicitæ, quare, contra quam plerique putarant, Zamorinus haud mediocrem lætitiam præ ſe tulit, ac petenti Caprali haud gravate ſe in colloquium dedit: in eo colloquio, cum pax & amicitia certis legibus conveniſſet, ædes in urbe Luſitanis ad diverſandum ac negociandum benigne attributæ, jamque Luſitana gaza expoſita, & curatoribus ad commutationem rerum a Caprale inſtitutis, admirabili ſecuritate Henricus cum Sodalibus Evangelio, reliqui mercimonio dabant operam; cum ab Ægyptiis, & Sarracenis inſtitutoribus commota plebs, & prædæ illecta dulcedine, in Luſitanos irruit, ex quibus ad quinquaginta partim captis, partim interfectis, reliquos male mulctarunt, inter quos Henricus Antiſtes, & Conſodales quatuor, multis acceptis vulneribus ad claſſem vix evaſere. Ultus plene Capralis nefarium ſcelus, ulterius proceſſit ad Trimumparam, Cocini Regem, leucas ferme triginta in Meridiem diſtantem, Calecutano variis de cauſis infenſum, jactiſque anchoris e regione urbis, cum Malabaricos omnes jure ſuſpectos haberet, neque ſe, neque ſuorum quemquem incolis credendum exiſtimavit. Michael erat quidam Chriſtianus e Jogue, paucis illis diebus, Henrici & ſociorum opera, ad Eccleſiam adſcriptus, Indicæ rei bene peritus, & magna apud omnes exiſtimatione. Hunc tentandi fœderis & amicitiæ cauſa, Capralis ad Trimumparam legat. Rex qui de Luſitaniæ gentis opibus, & rei bellicæ gloria, deque rebus cum alibi, tum ad Calecutum geſtis multa inaudiſſet, jam ante in ejus nationis admirationem ac benevolentiam excitatus, quaſi inopinatam aliquam hæreditatem, ſic oblatam ejus amicitiæ facultatem avide arripuit. Datis ultro obſidibus nobiliſſimis, mira liberalitate de commercii legibus cum Caprali decidit, & ſingulari diligentia ac ſedulitate, per impigros adminiſtros, æquo admodum pretio, mercibus Indicis advenarum naves quamprimum onerandas curat: eorumque procuratoribus propriam in ſuo Regno Sedem ac domicilium largitur. Hæc ſub hnjus anni finem jacta Orientalis Indicæ converſionis initia: progreſſus & incrementa, ſi Deo placuerit, dabimus uno & altero tomo inſequenti.

Cum quatuor ex cōſodalibus male afficitur & vulneratur.

XIII. Habita hoc anno Generalia Ordinis Comitia in urbe Interamnenſi, Præſidentibus Ægidio Delphino Amerino, Ordinis Vicario & Procuratore, Miniſtroque Provinciali Orientis, & Epiſcopo ſive Vicario Interamnenſi, quos Alexander Pontifex ſuos Commiſſarios inſtituit. Præmiſit autem litteras ad Ægidium, & Patres Capitulares, ſevere & indignabunde jubens, ut vitam moreſque reformarent, præſertim in domo ſancti Franciſci Aſſiſiatis, in qua ſancti Inſtitutoris corpus requieſcit, aliter ſe ad Fratres Obſervantes ædes univerſas translaturum minitatus, addens inſuper

Capitulum Generale 103. Interamnæ. *Marc. 3. p. l. 9. c. 36.*

Eligitur Miniſter Generalis Ægidius Delphinus.

per omnium Principum ad ſe quotidie ferri querelas de eorum converſatione. Inchoatis Comitiis die XI. Octobris, delectus eſt Miniſter Generalis prædictus Ægidius, poſtea in regimine Obſervantibus nequidquam gratus, Conventualibus multo minus acceptus. Petrus Rodulphus Conventualis Alexandri Epiſtolam exſcripſit, & Delphinum his verbis deſcripſit.

Qualis ille vir? Rodul. fol. 194.

XIV. *Frater Ægidius Delphinus Amerinus, primo Ordinis Procurator, & Miniſter Orientis, deinde electus eſt Generalis Interamnæ, anno* MD. *die* XIV. *Octobris, tempore Alexandri VI. Pontificis Maximi. Hic in Generali præfectura viſitavit provinciam Luſitaniæ, Daciæ, & partem Galliarum, qui ſtudebat de Conventualium fama vehementer detrahere, multaque in eos molitus eſt, & præſertim deſtruxit Gymnaſium Pariſienſe, toto terrarum orbe celeberrimum. Dicebant Fratres, virum hunc nulli eſſe fidum, atque ita inſtabiliem, ut nihil ad firmitatem rerum & quietem adeſſet. Parvæ fuit ſtaturæ, corpore gracili, tortuoſo inceſſu, quaſi in circultu ambulans, oculis ſuis inficere videbatur in eum aſpicientes, colore livido, facie plumbea, tenuis vocis, nec viſus eſt unquam ridere, amphybologiſque verbis utens. Unde aliis quærebat maculas inſpergere, quibus ille inſigniter obiitus erat, & quod deterius eſt, alienumque a ſanctiſſimo B. Fr. Inſtituto, a Fratribus ſuis, quaſi a mancipiis, vectigalia exigebut. Quamobrem cum ipſe valde infenſus eſſet, inſtantibus Fratribus Religionis, præſertim Magiſtro Mauritio Hibernico Provinciali, viro doctiſſimo, & nonnullis aliis, munere Generalatus abdicatus fuit, in Capitulo Romæ celebrato anno* MDVI. *Præſidente Dominico Grimano Protectore. Tamdem dolore confectus, Neapoli a Gondiſalvo Fernandez exceptus, in Conventu ſanctæ Mariæ Novæ apud Fratres de Familia obiit.*

Regeſt. Ordinis fol. 9.

XV. In Regeſto etiam Obſervantum ita notatum reperio: In Generali Capitulo die XI. Octobris celebrato in anno Jubilæi, frater Ægidius Amerinus in quadrageſimum Miniſtrum Generalem electus, ſtatim cogitavit de diſſipanda Obſervantum Familia. Solutis itaque Comitiis, abiit ad ſummum Pontificem, & ficto colore reformationis Conventualium, obtinuit Breve, quatenus ei liceret Conventus Obſervantum viſitare, Superiores, ubi oporteret, deponere, Fratreſque hujus Inſtituti ad Conventualium Cœnobia tranſmittere, eiſque reformandis præficere. Mox progreſſus Florentiam, abiit in Conventum ſancti Salvatoris, ubi abſentibus Superioribus, & præcipuis Patribus, qui Lucenſi in Cœnobio ad Capitulum Provinciale convenerant, poſt prandium ſermonem habuit in refectorio, eoque expleto, auctoritatem conceſſit a caſibus reſervatis abſolvendi, juſſitque paratos eſſe ad domos Conventualium tranſmigrandi, ubi neceſſitas aut reformandorum opportunitas id expoſtularet. Ne vero circa hæc titubarent, dixit conceſſam ſibi a ſummo Pontifice ita faciendi facultatem. Non prius inde receſſit, quam per tabellarium citiſſime hæc Patribus Lucenſibus ſunt patefacta.

XVI. Illuc paulo poſt profectus ipſe Ægidius, eumdem repetiit ſermonem: ſed contradixit Timotheus a Luca, tunc Vicarius Etruſcæ provinciæ delectus, aſſerens gratias habendas ob paternum, quem dicebat ſe habere erga Obſervantes affectum, ſed quæ largiter offerebat, & ſpecioſo meditabatur titulo, tendere in interitum recentis Inſtituti. Miſſo mox ad Virium Generalem curſore, monuit omnium, quæ tentabat Ægidius. Porro ille cum Pontifice confeſtim egit, ut revocarentur tributæ circa Obſervantes facultates. Nihil itaque hujus generis amplius aggreſſus, ſecretis abditiſque modis Obſervantibus inſidiari non omiſit. Cum vero per Italiam parum profice-

In Hiſpaniam profectus ſuadet Ordinis unioné.

ficeret, tranſivit in Galliam & Hiſpaniam, honeſtoque unionis & pacis titulo, conabatur Regibus perſuadere, valde expedire, ut fieret unum ovile & unus paſtor, rogavitque ut Pontificem inclinarent ad indicendum totius Ordinis Generaliſſima Comitia, dandumque vaſtiſſimo corpori caput unum, cui utraque plena ſubeſſet Conventualium & Obſervantum Familia. Regina Hiſpaniæ Eliſabetha miſit Romam quemdam fratrem Bernardinum (forte illum quem ſupra dixi Ximenii Toletani Antiſtitis germanum fratrem) qui hæc obtineret a Pontifice, ea adjecta conditione, ut Miniſter Generalis aſſumeretur ex Obſervantibus. At Obſervantes Itali, re melius conſiderata, judicarunt minime expedire, ut commiſcerentur adeo diverſæ converſationis familiæ, ſed omnino oportere, ut utraque ſuum haberet directorem, & ab invicem ſeparatæ remanerent. Remiſerunt itaque Bernardinum, additis litteris, quibus Reginæ gratias agebant, rei totius commodum & incommodum explicantes.

Anno 1498. n. 16. Ibid. fol. 63.

XVII. Mortuum hoc anno in provincia Tuſciæ, & Conventu Capriolæ Bartholomæum Lucenſem, virum eruditum & pium, ejuſdem Provinciæ ſecundo Vicarium, Definitorem Generalem, & totius Familiæ Vicarium ſcribit Gonzaga, ſed Bartholomæum nullum invenio, qui Definitor & Vicarius fuerit Generalis. Fuit quidem Timotheus Lucenſis, de quo paulo antea diximus, his omnibus muneribus perfunctus, ſed nonniſi anno MDXII. electus eſt Vicarius Generalis, obiitque anno inſequenti.

Moritur Bartholom. Lucen. *Gon. in Provin. Tuſcia Conv. 4.*

XVIII. In eadem Provincia, & Cœnobio ſancti Salvatoris Fratrum Obſervantum, hoc anno, die XII. Januarii deceſſit frater Angelus Clericus adoleſcens, ex nobili familia Bonſia, quæ multos urbis Florentinæ Senatores, Cardinalem unum, plures Epiſcopos, præſertim Michaelem Minoritam Epiſcopum Ravellanum, & Petrum Paulum digniſſimum Converſanum Antiſtitem, adhuc ſuperſtitem, produxit. Fuit vitæ innocentiſſimæ, immaculatæ puritatis, candidæ mentis, corporis ſpecioſi. In nocte Chriſti Nativitatis, dum ſacra peragerentur myſteria, & ſacerdos ſacram hoſtiam elevaret proſpiciendam, videns pulcherrimum infantulum intra ſpecierum circulum, cœpit dulciter canere, & ſæpe repetere: *Verbum caro factum eſt*. Ptiſi moleſta infectus, morti propinquus occinere cœpit hymnum. *Te Deum laudamus*, repetenſque illa verba *Sanctus, Sanctus* &c. dulciter obdormivit in Domino. Super mortuum plangebant Fratres, ſed omnibus acerbius venerandus ſenex Petrus a Scarparia, per dies multos ſepulturæ incumbens, ſeque defuncti orationibus & meritis commendans.

Et Angelus Bonſius. *Marian. in Chronic. Prov. Tuſciæ.*

XIX. Obiit hoc anno in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginatenſi Cæcilia Coppola, Peruſii patre Franciſco inſigni Juriſperito, matre Leonarda de Ramazanis, ſterili & quinquagenaria, precibus ſancti Bernardini anno MCCCCXX. progenita, accepto in baptiſmate Helenæ nomine, in puellaribus annis multiplex ſpecimen dedit futuræ virtutis. Compoſitis moribus, venuſta facie, ingenio ſingulari, Latinæ & Græcæ linguæ peritia, celebrari cœpit & amari. A multis concupita, deſponſata eſt adoleſcenti concivi ætatis anno ſextodecimo, pingui, paulo poſt defuncto patre, accepta hæreditate. Sponſo Florentiam profecto, ut nuptiales pararet ornatus, a Minorita confeſſario perſuaſa, ut nullum præter Chriſtum ſponſum adamaret, cœpit de virginitate ſervanda, & tutius cuſtodienda ſubire conſilium. Illud potiſſimum duxit religioſo ſe committere carceri, e quo neque ipſa exire, neque a parentibus poſſet reduci. Placuit maxime prædictum Fulginei Monaſterium, a confeſſario digne commendatum; ubi cum ſe certo admittendam illius opera prænoſceret, arrepta fuga, illuc perquam velociſſime

Necnon Cæcilia Coppola. *Jacobil. de SS. Fulgin. fol. 10. Rodul. fol. 138. Marc. l. 7. c. 9.* Ejus vitæ compendium.

ſime perrexit. Inſecuti parentes, cum jam admiſſam, neque precibus, neque minis poſſent revocare, violenter noctu extrahere tentarunt, ſed a civibus cuſtodito Monaſterio, Virgo in ſancto Religionis propoſito læta permanſit.

XX. Mutato habitu, mutavit & nomen; quæ mundus dedit, univerſa repellens, & Cæcilia deinceps appellata, ſanctiſſimam Virginem cœpit æmulari. Caſtiſſimos mores, humilitatem, manſuetudinem, varios cruciandi corporis modos aſſidua fovebat oratione, atque eo frequenter ardore, ut igniri ſæpe viſa, etiam ſupra tecta flammæ prorumperent. At illæ ſæpe a civibus conſpectæ, incendii ingerebant judicium, monitæque Sorores ut accurrerent, ſolam in oratione hærentem Cæciliam reperiebant. Ætatis anno vigeſimo quinto, & Monachatus octavo, Monaſterio præfecta, Conſodales ad omne virtutum genus excitavit. Genitricem etiam ad ſuum allexit conſortium, & inverſo ordine naturæ, pro matre natam ſibi filiam egregiis documentis inſtruxit. Iterum Abbatiſſæ injuncto munere, Sororibus rigidæ paupertatis amorem ingeneravit, paulatimque diſtractis reditibus, cœpit male habere a Minoritis, Provinciæ ſancti Franciſci ſuperioribus, timentibus defutura in ergaſtulo recluſis vitæ neceſſaria. Demum, uti alias retulimus, eo deventum eſt, ut abdicata Urbani IV. formula vivendi, primam a ſancto Franciſco traditam ſuſceperint Sixti IV. Pontificis aſſenſu.

Tom. 14. Ann. 1476. n. 67.

XXI. Scribunt aliqui propterea illinc Romam tranſmiſſam, pacatiſque rebus, & introducta ſtricta norma vivendi, rediiſſe. Sed de hoc exilio, aut miſſione Romana, nihil comperio certum: id autem dubio procul, tertium Abbatiſſæ ſungentem officio, Friderico Monte Feltrio Duce agente, Urbinum deſtinatam, ut novum informaret Monaſterium. Prima illic inſtituta Præfecta, accedentes juvenculas piis moribus inſtruxit, eaſque diſciplinæ regularis jecit radices, quæ pulchra in ſequentibus produxerunt germina ſanctitatis. Poſt aliquot annos Fulgineum regreſſa, inito per litteras cum beata Euſtochio Meſſanenſi ſtrictiſſimo fœdere amicitiæ, in rebus quibuſque arduis & afflictis habuit conſolatricem. Tamdem octuagenaria poſt conſummatum feliciter curſum ſexaginta trium annorum in Religionis ſtadio, acceptis Eccleſiæ Sacramentis, editiſque in vita miraculis, & apparentibus ſuper Monaſterium ſtellis crinitis, ſanctam animam reddidit Creatori, die 11. Januarii. Sepulta in cœmeterio communi, poſt ſeptennium exhumata eſt, inventumque integrum & recens cerebrum in cranio, nulla ex parte læſo, indicium fortaſſis ingenitæ a Deo ſapientiæ & prudentiæ, qua ſuæ multarumque ſaluti proſpexit.

Fr. Sanctius Epiſcop. Guadicien. Ann. 1498. n. 16.

XXII. Electus eſt hoc anno Epiſcopus Guadicien. ſub Arch. Granaten. frater Sanctius Fontanen. ſacræ Theologiæ profeſſor, per translationem fratris Garſiæ ejuſdem Inſtituti, uti diximus, ad Catanien. in Sicilia, VII. Idus Februarii. Geruntinen. & Cariaten. unitarum Eccleſiarum in regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo ſanctæ Severinæ, frater Hieronymus Candidus, per obitum Franciſci, XII. Kal. Decembris. Mortuum hoc anno fratrem Donaldum O Follugh Epiſcopum Darenſem, ſub Arch. Dublinenſi in Hibernia, referunt monumenta ad me inde tranſmiſſa.

Fr. Hieron. Geruntinen.

Conv. Morlupi. Conv. in Provin. Roman. Conv. 21.

XXIII. Hoc anno Aldobrandinus Urſinus, Archiepiſcopus Nicoſianus, & Dominus oppidi Morlupi, diœceſis Nepeſinæ, quod quartodecimo ab Urbe prope viam Flaminiam diſtat milliari, ex modico tuguriolo & Oratorio beatæ Mariæ prope oppidum olim erecto, commodum fecit Obſervantibus Cœnobium. Titulum fert beatæ Mariæ ſecundæ, eo quod imago beatæ Virginis illic reverenter habita, inter eas, quas ſanctus Lucas depinxit, uti illic fertur, fuerit *ſecunda*. Habeo inter noſtri archivi monumenta inſtru-

ſtrumentum pergamenum prædicti Aldobrandini, cum ipſius ſigillo pendente, quo eidem Conventui, ſeu Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Secundæ donat libere quamdam terræ portionem arboribus conſitam. Confectum eſt Romæ in ædibus ipſius, in regione Campi Martii prope Tyberim. Anno MDXXI. die IX. Octobris.

XXIV. In Umbria circa hunc annum in jugo cujuſdam colliculi M. P. ab urbe Nucerina, Patres Clareni impetrarunt ſibi ædificari domicilium ſub ſancti Joannis Baptiſtæ vocabulo, ſumptibus ex communi civium ærario acceptis. Sub Aloyſio Puteo, Miniſtro Generali, tranſivit domus iſta ad Patres Obſervantes Provinciæ ſancti Franciſci.

Conv. Nucerinus. Idem in Provin. S. Franc. Conv. 28.

XXV. Petrus Simon Franciſci Caſtrificardi, diœceſis Anconitanæ incola, teſtamento legavit quaſdam facultates, ut ex eis, infra ſtatutum terminum conderetur Cœnobium alicujus Regularis Obſervantiæ in illo Caſtro, vel ejus territorio. Oppidanorum Univerſitas impetravit hoc anno XVII. Kal. Julii facultatem illud conſtruendi pro Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ.

Conv. Caſtrificardi. Ex lib. 221. fol. 291.

XXVI. Cuſtos Societatis quondam fratris Amadei Hiſpani, & Alexander de Rogatiis, Rector parochialis Eccleſiæ ſancti Clementis in urbe Cremonenſi, rogaverunt hoc anno Pontificem, ut Fratribus prædictæ Societatis illa concederetur Eccleſia, domus adnexa, & pars cœmeterii, pro Cœnobio ſui Inſtituti conſtruendo, reſervata adminiſtratione parochiali, relictis paramentis, emptaque domo, eidem Alexandro. Rei examen commiſit Pontifex VI. Idus Februarii Alexandro Archiepiſcopo Cæſarienſi, Cremonæ commoranti, & Præpoſito ſanctæ Agathæ ejuſdem Civitatis. Suſpicor hos non approbaſſe, quod petebatur, tum ne parochiæ inferretur præjudicium, tum quia prædicti Fratres aliud ea in urbe obtinuerunt domicilium, ad Sancti Lucæ parochiam, quod alias narravimus: neque enim inter domos noſtras hujus reperio veſtigium.

Conv. Cremonenſis. Lib. 223. fol. 57. Tom. 11. Ann. 1419. n. 47.

XXVII. Luganum Inſubriæ oppidum eſt, olim ſub Ducum Mediolanenſium, modo ſub Helvetiorum imperio, ad ripam ingentis lacus, ab illo oppido nuncupati. Prope mœnia conſtruxerunt Incolæ elegantem & capaciſſimam domum pro Fratribus Obſervantibus, qui ex ædicula ſancti Gotardi, ejus adminiſtratione retenta, illuc tranſierunt. Eccleſia conſecrata eſt anno incerto, die XXVI. Junii. Altare majus conſecravit Philippus Archintus Epiſcopus Comenſis, in honorem beatæ Virginis Mariæ in cœlum aſſumptæ. Eccleſiæ titulus eſt ſanctæ Mariæ Angelorum & Gratiarum. Jacet illic Dux ſive Imperator peditum exercitus Franciſci primi Regis Galliarum, Joannes Luſſius Undervaldenſis. Habent Fratres ampliſſimos hortos, prata, aquam abunde irrigantem, capaciſſimas officinas, & bibliothecam ſatis inſtructam.

Conv. Lugani. Gonz. in Prov. Mediol. Conv. 27. Monum. MSS. ejuſd. Prov.

XXVIII. Cavenſis urbs in Campania felici, amœniſſimos & fertiliſſimos habet in circuitu campos & colles, per quos frequentia & læta conſpiciuntur oppidula, quorum incolæ communi conſilio ſtatuerunt Fratribus Obſervantibus domicilium extra Civitatem conſtruere, ut prope haberent pios animarum curatores. Ita factum eſt hoc tempore, Alexandri Pontificis aſſenſu, ea ex urbis parte, qua Salernum tenditur, conſtituto pulchro quidem & commodo Cœnobio, quo totus confluit populus circumadjacentis regionis, tum ad cultum Divinum diebus feſtivis, tum ad conciones quotidianas tempore Quadrageſimali. Multæ magnæque ſunt hic campanæ, quarum ſonoro tinnitu valles & colles videntur exhilarari. Vigent hic ſtudia modo Philoſophica, modo Theologica Fratrum Provinciæ Principatus.

Conv. Cavenſis. Gonz. in Provin. Princip. Conv. 8.

Dum fundamenta effoderentnr templi, ænea inventa eſt in imo ſolo ſancti Franciſci imago, qua ſignificaſſe quidam autumarunt, ut ſub ſuo nomine Deo dicarent.

Conv. Oliveti. *Indid. Conv. 14.*

XXIX. Ad Oliveti oppidum, Compſanæ diœceſis, conditum hoc anno pro eiſdem Obſervantibus Cœnobium, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Paradiſo communibus ſumptibus oppidanorum. Aliud, ſancti Mauri nuncupatum, a ſancto Franciſco, uti ferunt, inchoatum, tum propter pagorum diſtantiam, tum propter vicini fluminis inundationes, translatum eſt ad locum, Boccini oppido propinquum. Marinus Caracciolus, Bucchianicorum Marchio, conſtruxit alterum prope oppidum ſuum ſancti Boni, ſub titulo ſancti Antonii Patavini, omnibuſque neceſſariis rebus inſtruxit, Fratres per totam vitam ſummo proſecutus affectu. Obiit hic Franciſcus de Oratino laicus, qui ob rigidam abſtinentiam, corporiſque macerationem, ſingulares virtutes, vitæque candorem, fuit apud omnes in ſumma veneratione.

Conv. Boccini. *Indid. Conv. 15.* Conv. S. Boni. *Idem in Prov. S. Angeli Conv. 20.*

Conv. Loreti. Conv. Tuſſiciæ. *Idem in Provin. S. Bernard. Conv. 21. & 22.* Conv. Terlitii. *Idem in Prov. S. Nicol. Conv. 32. Lib 213. fol. 92.* Conv. Forentiæ. *Lib. 203. fol. 181.*

XXX. Prope Loretum, & Tuſſiciam, Brutiorum oppida, duo erecti Conventus Obſervantum; primus, ſub nomine ſanctæ Mariæ de Pietate; ſecundus, ſub ſanctæ Mariæ de Cona: ille capacior eſt; hic duodecim Fratrum habitaculum. E regione Terlitii oppidi, Juvenacen. diœceſis in Apulia alter, ſub invocatione ſanctæ Mariæ della Nova, communi ex ærario collatis ſumptibus ædificatus eſt.

XXXI. Ante aliquot annos vir nobilis Trojanus Melfiæ Princeps, & oppidi Forentiæ, diœceſis Venuſinæ, Dominus, Sveva de ſancto Severino illius genetrix, & oppidanorum Univerſitas, in dicto oppido domum conſtruxerant Obſervantum, ſub titulo ſanctæ Catarinæ, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, ſolo Ordinarii aſſenſu. Hoc anno XVI. Kal. Julii erroris veniam, & facti confirmationem impetrarunt.

Conv. Stringolæ. *Monum. MSS. Prov. Calabr.*

XXXII. In Provincia Calabriæ Patrum Conventualium, accepit hoc anno initium Conventus ſanctæ Mariæ Gratiarum M. P. ab urbe Stringolenſi in quadam valle, copioſo fonte irrigua. Dederat locum Planetæ dictum, eremitorio conſtruendo pia fœmina Lucia Catuna fratri Joanni Cotronenſi Tertii Ordinis profeſſori; ille vero anno MDXI. Luciæ, civiumque aſſenſu, impetrata prius facultate Julii III. tranſtulit in Patres Conventuales. Suberat fundum juriſdictioni Eccleſiæ Lateranenſis, qua de cauſa Fratres quotannis libram ceræ perſolvunt. Non procul ab eo loco præerat Cœnobium aliud Franciſcanorum, in cujus parietinis, & disjectis ruderibus conſpiciuntur imagines ſancti Franciſci, aliorumque ejus ſectatorum. Ferunt, campanam majorem Eccleſiæ Cathedralis hinc fuiſſe translatam.

Conv. Barbariani. *Gonz. in Prov. S. Anton. Conv. 39.*

XXXIII. In cujuſdam montis clivo P. M. ab oppido Barbariani in Lombardia Tranſpadana, loco valde amœno, conſtructus eſt hoc anno Conventus Fratribus Amadeitis, ſub titulo ſancti Pancratii, ex communibus oppidanorum facultatibus. Facta hujus Congregationis unione cum Obſervantibus, connumeratus eſt Conventus reliquis Provinciæ ſancti Antonii.

Rodulph. fol. 281. 282. Conv. Scuteræ. Conv. Biccari. Conv. Cameratæ. Conv. Montis Rubei.

XXXIV. In Provincia Siciliæ Patrum Conventualium quatuor invenio Cœnobia hoc tempore conſtructa, quæ ſub his verbis breviter commemorat Petrus Rodulphus. *In cuſtodia Agrigentina locus Scuteræ anno* MD. *ſub titulo ſanctæ Mariæ Jeſu: locus pauper. Locus Biccari anno* MD. *captus a fratre Sebaſtiano de Irachio, ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis: locus eſt intra prærupta montium. In cuſtodia Drepani, locus Cameratæ, a quo fuerit fundatus, ignoratur, creditur quod anno* MD. *vel circa. Locus Montis rubei eſt antiquus anno* MD. *nulla habetur ſcriptura. Primum locum extra urbem ad jactum lapidis conſtitutam dereliquiſſe Fratres anno* MDCIX. *& intra Civita-*

vitatem ſe recepiſſe ad Conventum ſancti Franciſci ſcribit, Rochus Pirrus in ſua notitia Agrigentina.

XXXV. Martinus Aſtoricenſis, Cuſtos Cuſtodiæ domus Dei, de qua alias diximus, Provinciæ Caſtellæ, cupiens domum in oppido Arandæ Durianæ, Oxomenſis diœceſis, pro ſuis Fratribus conſtruere, vocatus eſt in judicium coram Vicario Generali Oliverio Maillardi per Cuſtodem & Fratres Provinciæ de Santoyo, allegantes locum illum intra ſuum diſtrictum contineri, juſſuſque eſt ab intento reſilire. Appellatione ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, rem hoc anno Kal. Octobris commiſit Alexander examinandam Epiſcopo Segobienſi, Archidiacono & Abbati de Caſtro Eccleſiæ Burgenſis. Favit Martino Eliſabetha Regina, & Conventum hoc anno inchoavit, qui in triginta Fratrum commodum evaſit habitaculum. Magna oppidanorum erga Fratres benevolentia, rebus omnibus abundant.

Tom. 11. Ann. 1447. n. 19. Conv. Arandæ Durianæ. *Lib. 249. fol. 252.*

XXXVI. Ab urbe Placentina Hiſpanica leucis quatuordecim diſtat Scalabia, ubi Julii Cæſaris caſtra hibernabant, vulgo *Truxillo*, nobilis & vetuſta Civitas, olim oppidum, fortium illuſtriumque virorum ferax, dives opum, campo fertiliſſima. Ut hic fieret Obſervantium Cœnobium, petierunt hoc anno, & impetrarunt licentiam Gubernator & oppidani: *Piis fidelium votis*. pridie Kal. Novembris. Reſtiterunt conſtructioni multi ex clero ſeculari, unde neceſſum fuit, ut anno MDI. Reges Catholici ad Epiſcopum Placentinum ſcriberent, quod, non obſtantibus clericorum objectionibus in ſuo Senatu diſcuſſis, opus promoverent, & anno ſequenti ad quatuor viros primarios Joannem de Chaves, Didacum Garciam de Chaves, Chriſtophorum Pizarrum, Ferdinandum Alphonſum Altamiranum, operis fautores, alias darent, ut intrepide Fratribus faverent, necnon ad Didacum Ruiz de Lago, urbis Gubernatorem, ut fabricæ acceleraret complementum. In urbem ad Xenodochium Spiritus ſancti venerant Fratres ex Eremitorio ſanctæ Mariæ de Luce, acceperuntque a Regibus Catholicis Maurorum delubrum Cœnobio propinquum, in officinas, minime autem, ut habet regium diploma, in templum convertendum. Fratribus jam in Conventum translatis, commiſit Ferdinandus Rex anno MDXIII. Maurorum curam, cathechiſmum & inſtructionem eorum, qui ad fidem convertebantur. Præ foribus & in teſtudine Eccleſiæ conſpiciuntur regia inſignia, & in ſacello majori urbana. Jacent in Eccleſia multi viri illuſtres, præſertim Alphonſus Mendus, inſignis Tribunus militum in Belgio, & Ferdinandus Pizarrus celeberrimus Peruani imperii debellator. Floruit hic, domumque rexit Guttierrus a Trejo, vir ſuo tempore doctiſſimus, quod abunde teſtantur ejus notiſſima commentaria in Evangelia & epiſtolas Paulinas.

Conv. Truxilli. *Gonz. in Provin. S. Michael. Conven. 5.* *Monum. MSS. illius Prov.*

XXXVII. Joannes de Guadalupe Provinciæ Angelorum alumnus, novellam meditatus Regularis Obſervantiæ reformationem, quæ Provinciæ ſancti Gabrielis, non hoc anno, ut ſcribit Gonzaga, ſed poſteriori dedit initium, humiles & pauperes ædificabat aggregabatque caſulas, ex quibus Cuſtodiam efformavit, ſuaſitque hoc anno nobili viro Joanni de Figueroa Domino loci de Salvaleone, diœceſis Pacen. ut impetraret facultatem eo in loco ædificandi Cœnobium, ſub certa norma & peculiari regiminis modo gubernandum, non expreſſo Rectoris aut Inſtituti nomine, ad fugiendam Sodalium invidiam & contradictionem, quam in aliis probaſſe refert Gonzaga. Hunc ex primis novæ Cuſtodiæ fuiſſe, erectumque ſub titulo Montis Sion, idem narrat auctor; ſed periiſſe alioque translatos Fratres, ejus conatui vehementer obſiſtentibus Patribus Provinciæ S. Jacobi, inde ſuſpicor, quod nullum inter reliquos Conventus hujus tractus veſtigium reperiam.

Gonz. in proœmio Prov. S. Gabriel. Lib. 249. fol. 259. An. 1502. Conv. Salvaleonis.

Conv. Villæ novæ de Fraxino. *Gonz. ibid. Conven. 15.*

XXXVIII. Alium Conventulum idem Joannes Guadalupenſis hoc anno acquiſivit, aliquantulum procul ab oppido Villæ novæ de Fraxino, quem tamen ob excitatas turbas, redimendamque vexationem paulo poſt deſeruit. Reſtitutus tamen fuit ejus ſectatoribus & diſcipulis an. MDXXXVIII. a Joanne primo Marchione & oppidanis, ad priſtinas ſedes vocatis. Sed cum nimls ab oppido diſtarent, prædictus Marchio aliud eis breviſſimo temporis ſpatio poſuit domicilium, ſub titulo Dominæ noſtræ de Spe, quinquaginta dumtaxat paſſibus ab oppido ſemotum. Nihil non præſtitit hie Marchio benevolentiæ & beneficentiæ erga Fratres quoad vixit, miniſtratis victui neceſſariis. Petrus filius patris veſtigia ſecutus, optimum ſe benefactorem exhibuit, donec inde offenſus, quod Provinciæ Patres eo in loco comitia celebrantes, noluerint ad ejus votum Guardianum, cujus opera in ſacris confeſſionibus utebatur, ad alterum triennium contra Provinciæ ſtatuta, in officio confirmare, omnia eis caritatis ſubſidia denegavit. Ut iratum placarent, eo munere fungi confeſſarium juſſerunt in alio Conventu

Conv. Scaphæ ruptæ.

Rupis Amatoris II. M. P. a Scapha rupta, Hiſpanice *Barcarotta*, ejuſdem Marchionis oppido, ut ejus obſequio uti poſſet, ubicumque placeret. Sed cum fruſtra omnes placandi modos intentarunt, cum illic vivere non poſſent, locum deſeruerunt, claveſque per fratrem Alvarum Taviranum Marchioni tradendas miſerunt. Dum traderet, inquit: *Quandoquidem propter obſervatas ſanctiſſimas leges a Patribus noſtris inſtitutas, nos fame opprimere voluiſti, domumque tuam relinquere compellis, claves accipe; ſed cave, ne ante annum, ab illata nobis gravi hac injuria, Dei ſentias vindictam*. Et quidem ſenſit; nondum enim erat annus elapſus, quando abſque prole vitam terminavit. Alphonſus frater, qui in ditione ſucceſſit, hoc exemplo cautior effectus, Fratres revocavit, domumque reſtituit, patris per omnia pietatem æmulatus. Beneficum itaque deinceps ſenſerunt Fratres, omneſ-

Fr. Joan. Bandonal.

que poſteros Marchiones. Jacet hoc in loco Joannes Bandonal, laicus humillimus, in perferendis laboribus patientiſſimus, vir vere bonus & pius,

An. 1556.

de quo largius ſub annum, quo deceſſit, dicemus.

Conv. Alpartilii. *Gonz. in Prov. Aragon. Con. 15.*

XXXIX. Patres Conventuales Cœnobii Bilbilenſis in Aragonia, ædiculam quamdam divo Chriſtophoro ſacram, recreationis gratia, in declivio montis amœni M. D. P. ab oppido Alpartilio conſtruxerunt. Illis loco cedentibus, ſubrogatiſque Obſervantibus, cujuſdam pii viri fratris Inici opera, parva domuncula in juſtum Conventum circa hunc annum evaſit. Quia vero devotioni, rerumque Divinarum contemplationi perquam opportunus, Recoletis Patribus Provinciæ Aragoniæ deſignatus eſt. Mira res hic aliquando accidit. Multa nive obſeſſo ad Conventum aditu, conflictatiſque Fratribus inedia, unus reliquis audentior, ſuperatis difficultatibus, Alpartilium ad Franciſci a Luna, loci Domini, ædes abiit, Fratrumque expoſuit anguſtias. Juſſit ille, ut quidquid panis domi eſſet, illico conſerretur. Oeconomo reſpondente nihil ſupereſſe, expectarique ut e furno panes adveherentur, denuo præcepit, ut promptuaria omnia luſtrarentur; & ecce dum nihil minus ſperatur, omnia panibus redundare comperiuntur, datique ſunt Fratribus abundanter. Ne vero tanti miraculi memoria deperiret, juſſit præfatus heros Franciſcus, teſtibus adhibitis, a Notario fideliter excipi, & ubique publicari.

Conv. Azubiæ. *Idem in Prov. Granat. Con. 14.*

XL. Regina Catholica Eliſabetha in obſidione Granatenſi, paucis ſtipata nobilibus & ſervis, Azubiam, lætum inter amœnos hortos oppidum, quarto ab exercitu lapide, recreationis gratia proceſſit. Parum autem abſuit, quin a Saracenis e latebris irruentibus, vel occideretur vel caperetur.

tur. Periculo ſuperato, a confeſſario Ferdinando Talaberico, tunc Epiſcopo Abulenſi, mox Archiepiſcopo Granatenſi ſciſcitata, cujus ex cœlitibus die illa feſtum celebraretur, reſponſoque accepto, ſancti Ludovici Regis Francorum eſſe natalem, ſummas gratias Deo habuit, promiſitque eo in loco Cœnobium conſtruere ſub prædicti ſancti Regis invocatione. Hoc itaque anno ſtetit promiſſis, commodo Fratribus Obſervantibus exædificato Conventu.

XLI. Nobilis vir Philippus Argall Domicellus, Sulcitanæ diœceſis in Sardinia, Jacobi Argall Domini Villæ de Maſſarga filius, obtinuit hoc anno XIV. Kalendas Januarii a Pontifice facultatem, ut ea in Villa Cœnobium Obſervantibus conſtrueret. Non tamen conſtruxiſſe puto, dum in Sardorum Conventuum recenſu nulla hujus mentio habeatur.

Conv. Maſſarga. Lib. 25. fol. 120.

XLII. Jacobus Brigantinorum Dux, hoc anno non procul a ſuo Villæ Vitioſæ oppido in Luſitania, Conventum Fratribus ſub ſanctæ Mariæ Pietatis invocatione, tumultuario opere, auctore Joanne Guadalupenſe ſupra memorato, fabricavit. Prima hæc fuit Provinciæ Pietatis ædes, a qua etiam nomen accepit. Ruinæ proximam, Theodoſius Dux, Jacobi filius, anno MDXLVII. refecit. Conventus eſt devotiſſimus & religioſiſſimus, in eoque deceſſit Marcus a Portu læto, magna ſanctitatis opinione.

Conv. Villæ Vitioſæ. Gonz. in Prov. Pietat. Conv. 6.

Fr. Marcus a Portu læto.

XLIII. In Luſitaniæ regione illa, quæ Tranſtagana dicitur, non longe ab oppido Oliventiæ, diœceſis Elvenſis, Alvarus Meneſius, vir nobilis, Conventum Obſervantibus circa hunc annum extruxit in ſolo a Ferdinando Meneſio Marchione Villæ regiæ, ejus conſanguineo, liberaliter conceſſo. In Inſulis Aſturum Maris Oceani, in urbe Cuſpidis ſubtilis, Luſitanice *Punta delgada*, erectus etiam circa hunc annum Conventus Conceptionis beatæ Virginis Mariæ ex communi ære Civitatis.

Conv. Oliventiæ. Idem in Provin. Algarb. Conv. 22.

Conv. Cuſpidis ſubtilis. Indid. Conv. 22.

XLIV. Vir nobilis Petrus de Rohan, Vicecomes de Frouſſar, Dominus Caſtri Gyæ, Andegaven. diœceſis, & Regni Franciæ Mareſcallus, petiit & impetravit facultatem ædificandi Cœnobium Obſervantum prope Vicum Mortiernellii ſui dominii, & prædictæ diœceſis, Fratribus Provinciæ Turonenſis tradendum: *Inter curas multiplices*. Pridie Kalendas Aprilis. Illud quidem firmiter conſtruxit ſub invocatione beatæ Mariæ Angelorum. In Provincia Aquitaniæ reformatus eſt hoc anno Conventus beatæ Mariæ Pacis, alias ſancti Galli prope Muratum in Arvernia, diœceſis ſancti Flori, executore Abbate Feneriarum Ordinis ſancti Auguſtini, Claramonten. diœceſis, auctoritate ſibi commiſſa ab Epiſcopo Albienſi, quem ſuperius diximus in hoc genus reformationis toto ſtudio incubuiſſe.

Conv. Mortiernelii. Gonz. in Provin. Turonia Pictav. Conv. 24.

Conv. Murati reformatur. Lib. 218. fol. 138.

An. 1498. n. 38.

XLV. Ad Draguignianum oppidum, diœceſis Forolivienſis, in Provincia ſub Alpium radices, domicilium Obſervantibus, ineunte hoc anno die XXVI. Januarii, cooperantibus Petro Fabro Medicinæ Doctore, Jacobo Fabro Priore de Monte-Farone & Raymundo Petri Fabri mercatore, inchoatum eſt in loco, quu præceſſerat ſancti Joſephi ſacellum; unde duplici titulo ſancti Joſephi, & ſancti Franciſci inſignita eſt Eccleſia. Opus juverunt Proceres & Conſules urbis, collata etiam antiquiſſima turre, ex cujus materia & ruderibus opus annorum duodecim ſpatio completnm eſt. Ante decennium conſtruendæ domus Innocentius VIII. facultatem largitus eſt. Eccleſia conſecrata eſt in die omnium Sanctorum a Bartholomæo Portenenqui Epiſcopo Trojano. Illic ſepulta eſt Anna Carlotta de Villa nova, quæ curavit fieri Odæum, multaque ibidem conſpiciuntur virorum nobilium mauſolea.

Conv. Draguigniani. Gonz. in Provin. S. Ludov. Conv. 14.

XLVI. In Provincia Boſnæ Argentinæ, ad Ramæ oppidum, juxta quam-

Conv. Ramæ.

Gonz. in Provin. Boſnæ Argentin. Conv. 13.

quamdam vetuſtiſſimam Eccleſiam deſerto in loco, Conventum divo Petro ſacrum, hoc anno Obſervantes conſtruxerunt. Sed Turcarum injuriis expoſiti, illorum feritatem ſæpe experti ſunt, & ſemel quotquot illic erant Fratres, crudele ſubierunt martyrium.

Con. Gandeſhemenſis. *Gonz. in Provin. Saxon. fol. 665.*

XLVII. Henricus Senior Brunſvicenſis & Lucemburgenſis impetravit hoc anno facultatem ædificandi in oppido ſuo Gandeshemenſi, diœceſis Hildeſemenſis, Cœnobium pro viginti Fratribus Obſervantibus, ſub titulo beatæ Mariæ Virginis: *Sacræ Religionis honeſtas*, Idibus Decembris; & quidem ædificaſſe ante annum MDXII. conſtat ex ſerieConventuum Provinciæ Saxoniæ, qui ſub illum annum extitiſſe a Gonzaga referuntur.

Monaſteria quinque Aretii. *Lib. 252. fol. 185.*

XLVIII. In urbe & diſtrictu Aretinis, quinque reperio hoc tempore Monaſteria Clariſſarum; primum ſancti Spiritus; ſecundum ſanctæ Claræ; utrumque intra Civitatem; tertium ſanctæ Mariæ de Printa extra muros; quartum ſanctæ Mariæ de Montecellis, diœceſis Aretinæ; quintum ſanctarum Margaritæ & Magdalenæ in eadem urbe. Sed cum in omnibus laxius & liberius quam par erat, viveretur, ſub regimine PP. Conventualium, deputarunt cives quoſdam probos viros, qui reformandis præeſſent. Ægidius Delphinus Vicarius Generalis in ea commoratus urbe, deputationi aſſenſit, voluitque ut ſuppreſſis quatuor prioribus Monaſteriis, quintum ex illorum reditibus & pretio ampliaretur, in meliorem formam reduceretur, & regulari inſtituta diſciplina reformaretur. Ut ita fieret, facultatem hoc anno Pontifex conceſſit. Opinor tamen aliter factum; invenio enim adhuc mentionem Monaſterii ſanctæ Claræ apud Gonzagam in recenſu Monaſteriorum Provinciæ Etruriæ.

Gonz. in Provin. Tuſciæ Mon. 15.

Mon. Biturgli. *Tom. 10. anno 1420. n. 26. Lib. 210. fol. 189. Gonz. in Provin. S. Franciſc. Monaſt. 11.* Mon. Vincentiæ. *Lib. 213. fol. 48.*

XLIX. Biturgiana, vulgo *Borgo di ſan Sepolcro*, domus Tertiariarum Sororum, diœceſis civitatis Caſtelli, de qua diximus alias, hoc anno ſuſcepit Regulam ſanctæ Claræ, ita annuente Pontifice ſub IV. Idus Maii. In ejus reſcripto vocatur domus ſancti Sebaſtiani, ſed apud Gonzagam appellatur ſanctæ Catarinæ. In urbe Vincentina, ut conſtruerent cives Monaſterium ſub titulo ſancti Franciſci, & ſecunda Regula ſanctæ Claræ, ſcilicet per Innocentium IV. tradita, ac ſub regimine Obſervantum, hoc anno pridie Nonas Februarii Pontifex conceſſit. Primæ ſex magiſtræ & inſtitutrices ex Monaſterio Mantuano ſanctæ Eliſabethæ vocatæ ſunt. Hinc habetur illud iſto antiquius eſſe, cujus originem & tempus, quo conditum eſt ſub tertia Regula, aut tranſivit ad ſecundam, Gonzaga ſe neſcire fatetur.

Gonz. in Provin. S. Anton. Mon. 15. & 16.

L. Henricum Henriquez virum nobilem, Dominum loci de Villada, Legionenſis diœceſis, domui Regiæ Præfectum, Militiæ ſancti Jacobi Legionenſis Commendatarium, impetraſſe hoc anno facultatem ædificandi domum pro Sororibus Tertii Ordinis, ſub invocatione ſanctæ Annæ in oppido Bazæ, Guadicien. diœceſis, ſcribit Gonzaga. At non hoc, ſed ſequenti anno conceſſa eſt facultas: etenim licet Bulla ſubſcripta ſit anno MD. & X. Kalendas Februarii, dies ille non incidit in hunc annum, ſed ſequentem. Sæpius monui contra hujuſmodi calculandi errores annum apud Pontificios non incipere a Nativitate Chriſti, ſed a Verbi Incarnatione, & non ab initio anni ſolaris, ſeu uſualis, a Kalendis ſcilicet Januarii, ſed a die Annunciationis beatæ Virginis Mariæ, octavo ſcilicet Kalendas Aprilis, litteras Apoſtolicas ſub plumbo annos auſpicari. Annus itaque iſte MD. perſeverat uſque ad diem XXV. Martii, & proinde Bulla hæc data anno MD. X. Kalendas Februaarii, ſeu die XXIII. Januarii, non hujus anni, ſed ſequentis fœtus eſt; dum hic annus incipit a die XXV. Martii, & definit ſub eumdem diem anni ſequentis. Hunc ſecutus annorum calculum, plurimorum Con-

Mon. Bazæ. *Gonz. in Provin. Granat. Mon. 10.*

Conventuum ſtructuras, quas Gonzaga communi ſupputandi errore in priores annos ſtatuit, nos ad ſequentes annos retraximus. Hujus igitur Bazæ domus conſtruendæ facultate anno ſequente obtenta, variis a ſtructore adjectis regulis, conditionibus, modiſque vivendi, in Bulla, quam in Regeſto hujus tomi exhibemus, contentis, brevi opus complevit, pauloque poſt Sorores ad ſanctæ Claræ Inſtitutum tranſierunt. Amplos reliquit fundator reditus Monaſterio, ejuſque ſucceſſores non minus beneficos ſe Sororibus præſtiterunt. Et primum ſanctæ Annæ inditum vocabulum deſuevit, tamen & nunc vocatur ſanctæ Eliſabethæ de Angelis, in gratiam & auram Eliſabethæ Reginæ Catholicæ, a qua Henricus multa recepit beneficia.

LI. Similiter hoc anno idem refert Auctor, Monaſterium ſancti Nicaſii in ſuburbio Ubetenſis oppidi, diœceſis Giennenſis, ædiacatum fuiſſe pro Tertiariis Sororibus, quæ poſtea factæ ſunt Clariſſæ. Auctorem operis incertum dicit: ſed litteræ Pontificiæ indicant, ante aliquot annos Leonoram de Molina cum aliis Sororibus in domo beatæ Mariæ Virginis, ex licentia Epiſcopi Giennenſis, a ſe conſtructa, ſub regulari habitu dicti Ordinis conſtitiſſe, & hoc anno impetraſſe, ut in Monaſterium domicilium iſtud erigeretur, ſub Viſitatione & correctione Bernardini de Guaza, Ordinis Minorum de Obſervantia, Monaſterii de Tordeſillas, aliorumque in Caſtellæ & Legionis regnis conſiſtentium Viſitatoris Apoſtolici: *Univerſalis Eccleſiæ regimini*. VII. Idus Octobris. Mon. S. Nicaſii. *Indid. Mon. 11.*

LII. Superius diximus, Alexandrum Pontificem uniiſſe domui ſanctæ Marinæ Sororum Tertii Ordinis Zamoren. beneficium Villalupenſe. Hoc anno IV. Kalendas Decembris, comperio etiam uniiſſe domui ſancti Barnabæ ejuſdem Inſtituti & urbis, Eccleſiam Parochialem ſanctæ Trinitatis Zamoren. per liberam reſignationem Didaci de Pennefilos, ejuſdem Eccleſiæ Rectoris, accedente conſenſu Didaci Epiſcopi Zamoren. Prælati domeſtici Pontificis, necnon Parochianorum illius Eccleſiæ. Tertiam ejuſdem Inſtituti domum prope eamdem urbem ſub appellatione ſanctæ Eliſabethæ conſtruxiſſe Beatricem a Vaſurto hoc anno ſub ſimplici tantum voto caſtitatis ſcribit Gonzaga, atque ita perſeveraſſe uſque ad annum MDLXXXII. donec Franciſcus a Burgis, Miniſter Provinciæ ſancti Jacobi, in cujus diſtrictu illud eſt Monaſterium, eas ad profeſsionem trium ſolemnium votorum coegit, data optione vel ita faciendi, vel paternos lares repetendi. *Anno 1495. n. 81.* Domus Sororum Tertii Ordinis S. Marinæ Zamoren. *Lib. 259. fol. 168.* Domus S. Barnabæ Zamoren. Domus ſanctæ Eliſabethæ Zamoren. *Gonz. in Provin. S. Jacobi Monaſt. 19.*

LIII. Maria Enriquez de Velaſco, Ferdinandi Regis Catholici conſobrina, ac Bernardi Fernandez de Velaſco Comitis de Haro, & Comeſtabilis Regni Caſtellæ filia, Abbatiſſa Monaſterii ſanctæ Claræ, extra muros oppidi Methymnæ de Pomar, diœceſis Burgenſis, conſiderans notabile damnum ſpirituale & temporale, quod ex frequenti Monialium ab eo Monaſterio extractione, & ad alias domos ejuſdem Ordinis translatione, ſub prætextu novæ inſtitutionis, aut veteris diſciplinæ reſtituendæ proveniebat, obtinuit hoc anno, III. Kalend. Martii, privilegium, ne ulla deinceps Monialis abſque Abbatiſſæ licentia ab eo Monaſterio extrahi poſſet aut diſcedere. Monaſterii Methymnæ Pomerii privilegium. *Lib. 221. fol. 3.*

LIV. Magna erat hoc tempore controverſia inter Sorores Monaſterii ſanctæ Claræ extra muros oppidi Methymnæ del Campo, diœceſis Salamantinæ, ac Rectores Eccleſiarum parochialium, & Beneficiatos perpetuos prædicti oppidi, circa ſolutionem decimarum & primitiarum, quas prædicti Rectores & Beneficiati contendebant ſibi deberi ex terris & poſſeſſionibus prædicti Monaſterii. Lata eſt in favorem Monialium hoc anno ſententia. Monaſterii ſanctæ Mariæ de Monte Domini extra muros Florentinos, Ordi- Alterum Monaſterii Methymnæ Campi. *Lib. 249. fol. 254.* Monaſt. S. Mariæ de Monte Domini Florentinum.

Ibid. fol. 251. dinis ſanctæ Claræ, hoc anno occurrit mentio, & nobilis prædii & vineæ, quæ poſſidebat infra parochiam ſancti Martini a Sexto, in loco dicto Peretela, diœceſis Florentinæ.

Domus Sororum Rothembergi ſupprimitur. *Lib. 221. fol. 70.*

LV. In oppido Rotemberg citra Necharum, Conſtantienſis diœceſis, provinciæ Maguntinæ, domus erat Sororum Tertii Ordinis, in qua plures Sorores religioſe vivebant. Negligentia demum Superiorum & temporum calamitate ad eum pervenit ſtatum, ut una dumtaxat Soror illic reſideret. Cives itaque & Conſules, aſſentiente Maximiliano Imperatore, oppidi Domino, & Hugone Epiſcopo Conſtantienſi, in uſus & ſubſidium pauperum & infirmorum domum & reditus converterunt. Factum Pontifex confirmavit.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Dogl. cit. ſup. Turca Peloponneſum vexat. *Indic. ex Vatic.* *Ambroſ. Calep.*

„ I. ATrum finem Sfortianæ domus in Inſubria jam late dominantis, „ triumphante ibidem Ludovico Franciæ Rege, affert hic annus; „ Ludovico Duce captivo, ejuſque triſtem ſortem ſequente Aſcanio Cardinale ſuo fratre, dum a Sfortia peſſimo conſilio invitatus Turca in Venetos, Peloponneſum vexat armis univerſum. Methonem, vulgo *Madon*, urbem ad Coryphaſium promontorium, & Coronem eiſdem in oris „ alteram occupat, & commovet Principes cum Pontifice ad bellum ſacrum: at hæc inter frater Petrus Paulus de Aqua-Pendente, VI. Kalend. „ Februarii, beneficium obtinet: *Digna exauditione*. III. Idus Martii „ Joannes de Medina Senonum in Gallia Celtica aliud: *Religionis zelus*. „ quo tempore prodiit facultas conſtruendi Monaſterium ſancti Petri „ Montis-Plani ad Brutium, promontorium Italiæ extimum, cui olim Sicilia adhæſit, a Ptolomæo nuncupato Sicylleo, & vulgo *Burſano* in Calabria: *Diſpoſitione Divina*. XII. Kalend. Aprilis pro Fratribus Obſervantiæ indulta eſt erectio domus beatæ Mariæ de Monte *Lorez*, Cæſarauguſtanæ diœceſis in Aragonio Regno Hiſpaniæ: *Piis fidelium*. fratri „ Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano ſecum habere poſſe quatuor „ Fratres Minores permiſſum: *Tuæ devotionis*. XV. Kalend. Maii; frater „ Rodulphus *Heyleſdem* III. Nonas Maii beneficium aſſequitur: *Religionis* „ *zelus*, qui nihilominus in Annalibus legitur aſſumptus ad Epiſcopatum „ Aſcalonis, antiquæ Urbis Maritimæ Philiſtinorum in Paleſtina, vulgo „ *Scalona*, anno MDIII. At XVII. Kalend. Junii conceſſit Pontifex Vicariis Generali, & Provincialibus Obſervantiæ Ultramontanis poſſe deputare Confeſſores, etiam ſeculares, Fratribus & Sororibus Tertii Ordinis ſibi ſubditis, per ſuum Breve, cujus tenor ſequitur.

Harold. ad ann. 1503. n. 5.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Vicariis, ac Cuſtodibus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Ultramontanis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Speculum fol. 44. tract. 2.

„ II. *EXponi nobis feciſtis, quod licet auctoritate Apoſtolica vobis fuerit* „ *conceſſum, quod Fratres & Sorores Tertii Ordinis ſancti Patris* „ *Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Confeſſorem habere debeant per Generalem & Provinciales pro tempore Vicarios, & Cuſtodes Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum reſpective deputandum;* „ *qui*

„ *qui ſit de Ordine Fratrum Minorum Conventualium , vel de Obſervantia ,*
„ *cum facultate etiam dandi Sacrumenta Eccleſiaſticu dictis Fratribus & So-*
„ *roribus Tertii Ordinis ; tamen propter locorum diſtantiam ſæpe evenit ,*
„ *quod commode prædictum Confeſſorem , juxtu conceſſionem Apoſtolicam ,*
„ *deputare non poteſtis , & propterea aliquod inconveniens in animarum ſua-*
„ *rum periculum contingere poſſet .*
„ *Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum , ut in præ-*
„ *miſſis opportune providere , de benignitute Apoſtolica dignaremur . Nos*
„ *ſupplicationibus hujuſmodi inclinati , diſcretioni veſtræ , & cuilibet ve-*
„ *ſtrum de cetero perpetuis futuris temporibus , ut in locis , in quibus Fra-*
„ *tres Conventuales vel de Obſervantia prædicti commode haberi non poſſunt ,*
„ *Fratribus & Sororibus præfatis Tertii Ordiuis , ubicumque ultra montes*
„ *commorantibus , de conſilio aliquoram Fratrum , Confeſſores Præsbyteros*
„ *ſecularos , vel aliorum Ordinum Regulares honeſtos deputare valeatis : quibus*
„ *eorum & earam peccata confiteri , & ab eis quæcumque Eccleſiaſtica Sa-*
„ *cramenta recipere poſſint , illoſque in eorum Monaſteriis & Domibus , ju-*
„ *xta mores Tertii Ordiuis , ſecum habere ; ita tamen , quod Confeſſores ipſi*
„ *dictarum Sororum clauſtru ſeu interiores officinas , abſque alterius perſo-*
„ *næ bonæ vitæ & famæ ſocietate , nullo modo debeant ingredi : locorum*
„ *Ordinariorum , ſeu cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita ,*
„ *libere & licite valeatis , licentiam concedimus pariter & facultatem .*
„ *Non obſtantibus præmiſſis , ac Apoſtolicis , necnon iu Provincialibus &*
„ *Synodalibas Conciliis , & veſtri Ordinis Minorum Capitulis editis genera-*
„ *libus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus , ſtatutis quoque &*
„ *conſuetudinibus dicti Ordinis , etiam juramento , confirmatione Apoſtoli-*
„ *ca , vel quavis alia firmitate roboratis , ceteriſque contrariis quibuſcum-*
„ *que . Datum Romæ apud ſanctum Petram ſub annulo Piſcatoris , die* XVII.
„ *Maii* MD. *Pontificatus uoſtri anno* VIII.
„ III. Collato beneficio fratri Petro Roterio : *Religionis zelus* .
„ VIII. Idus Junii . Moniales ſanctæ Claræ primæ & ſecundæ Regulæ , ac
„ etiam Sorores Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci , ſub cura Fratrum
„ Minorum degentes , a ſolutione contributionum exemit : *Alias decrevi-*
„ *mus* . die XIV. Julii : & expedito brevi pro Monaſterio ſanctæ Catarinæ ,
„ Cæſarauguſtanæ diœceſis : *Ex commiſſo* . VI. Idus Auguſti fratri Guillel-
„ mo da Pacientia beneficium contulit : *Suſcepti cura* . pridie Kalendas
„ Septembris . Fratri Herculi de Avenantibus aliud , VII. Idus ejuſdem
„ menſis : & pridie Idus ejuſdem aliud fratri Bernardino de Borgarellis :
„ *Religionis zelus* . III. Nonas Octobris indicta generali reformatione
„ Monaſteriorum Monialium per totam Germaniam : *Admonet nos** VI. Idus
„ Octobris , per Breve Apoſtolicum : *Ex debito paſtoralis*. Ximenio Cardi-
„ nali & Archiepiſcopo Toletano facta fuit facultas conſtruendi Conven-
„ tum & Collegium Virginum de Alcala *de Henares* : hæc eſt Latinis Com-
„ plutum , Civitas olim Epiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſis , ad Henaram
„ fluvium , qui labitur in Turiam ; nunc oppidum præclarum , Academia
„ famoſum in Regno Caſtellæ Veteris ; pridie Idus ejuſdem fratri Joanni
„ de Scomate , & ipſis Idibus pariter ejuſdem fratri Oliverio beneficia con-
„ ceſſa fuere : *Religionis zelus* .
„ IV. Salarum etiam Monaſterii ſanctæ Claræ tempora certa cum fuge-
„ rint , ejus fundationem ad hunc annum , vel certe circa , ex conjecturis
„ & notitiis adducendis reducere viſum eſt ; initio quidem , cum parva &
„ humili æde Oratorium , ſed fine ſepultura pro defunctis Sororibus habe-

Litteræ Pontificiæ.
Indic. ex Vatic.

Ex copia.

Ex Vatic.

* *Acta Capituli Generalis Interamnenſis, & Cœnobii Cavenſis notitiam hic expunctam luculentius habes hoc anno a P. Waddingo.*

„ bant : Efferebantur enim fato functæ ad Eccleſiam Cœnobii ſancti Bernardini Salarum tumulandæ in quodam ſepulcro, pro ipſis ibidem extructo, cui lapis ſuperpoſitus hanc inſcriptionem habebat: *Sepulcrum Monialium ſanctæ Claræ Salarum*. Cum vero nullam temporis differentiam oſtentet, quid inde concludendum erit, niſi tenebras palpare? Quod autem circa hunc annum, ſaltem in Monaſterii Sanctimonialium regularis honorem tranſiit, argumentum eſt, quod cum quererentur ad ſolutionem publicorum onerum quemadmodum alii ſeculares Laici, anno MDXLI. ſupplices ad Carolum V. Imperatorem habentes recurſum, & coram eo probantes ſe in poſſeſſione haud onera ſimilia ſolvendi ab annis quadraginta elapſis; eodem anno MDXLI. menſe Septembri, publico & de jure decreto cautum fuit, in poſſeſſione manutenendas eſſe: videtur ergo anno MD. ſaltem, ſi non anterius, fundatum fuiſſe, vel honorem Clauſtralis domus approbatæ, & legitime admiſſæ attigiſſe: etenim anterius ſi libertatis, vel immunitatis ab hujuſmodi oneribus habuiſſent, illud, vel immemorabile allegaſſent; vixerunt autem inibi ſine clauſura formali, ut vocant, ideſt ſolutæ a præcepto non transgrediendi limites ſuæ circumſpectæ habitationis ſine licentia, verumtamen cum decore, honeſtate, ac religioſitate optimum probitatis exemplum effundentes, adeo quod ſempiterna Dei bonitas in pluribus, & ſpecialiter in una earum ſplendere ſingulariter dignata fuerit, in ſorore ſcilicet Paula, cuius opportuniori occaſione ſermo recurret.

Monumen. MSS. Prov. Ref. S. Didaci.

„ V. Florebant interea plures in Religione, doctrina, virtutibus & ſanctimoniæ fama commendabiles, quorum primus occurrit Angelus ab Iſchitella Sacerdos Provinciæ ſancti Angeli, omni genere virtutum refertus, ac ſummæ perfectionis vir, qui multis præclarus meritis deceſſit e e vita in Conventu ſancti Bernardini apud ſanctum Severinum urbem Piceni in Valle ad Potentiam flumen, ac inter Camerinum Metropolim & Maceratam; ibi Chriſti Servus in communi Fratrum Sarcophago, unde plurima eveniunt miracula, ſepultus eſt. De eo poſt Gonzagam, ſcripſerunt Barezzus, Daza, & Arturus in ſuo Martyrologio ad diem ſeptimam Novembris.

Gonz. in Conv. 9. Prov. S. Angeli.

Barez. p. 4. l. 1. c. 52.

„ VI. Alter etiam Angelus dictus Pelitenſis, ſeu ab Altamura clarebat, cujus tanta humilitas fuit, tantaque manſuetudo, ut paſſim ab omnibus tum Fratribus, cum etiam ſecularibus ovicula nuncuparetur. Diem clauſit extremum in Conventu ſanctæ Mariæ da Pietate apud Uxentum Salentinorum urbem, ſex M. P. ab Alenzo altera urbe in eodem tractu Hydruntinæ terræ, quam veteres Japygiam vocitabant; porro ejus obitum populorum circumvicinorum, qui tanti Viri ſanctitatem optime noverant, magnus luctus celebravit. Poſt Gonzagam, & Barezzum eum commemorat Arturus. Memoratur etiam a Marco Ulyſſipone Baptiſta Helvetius, vita functus in Conventu ſancti Bernardini Aquilæ, ubi vitæ ſanctitate ſplendebat: eique Arturus undecimam diem Decembris dedicavit.

Gonz. in Conv. 7. Prov. S. Nicolai.

Plures Fratres ſanctitatis odore florent.

Barez. ſup. cit.

„ VII. Frater Bernardinus de Buſtis, celebris ille Provinciæ Mediolani filius, qui Philoſophicis diſciplinis apprime inſtructus, Theologiæ & Juris utriuſque exactam peritiam aſſequutus, vere religioſiſſimus fuit, & ſanctitate inſignis, optimos ejus mores non tantum fama, ſed etiam ejus lucubrationes ad animarum ſalutem exactæ, cuilibet perito & idiotæ comprobarunt, præter enim, quod in præcipuis Civitatibus Italiæ deſide-

„ deratus & expoſtulatus, ingenti cum populorum applauſu & fructu, ſin-
„ gulis ferme annis exemplo incontaminatæ vitæ, & optima Evangelii do-
„ ctrina, junctis gratia & zelo, prædicaverit, ſcitum eſt ſcripſiſſe Roſa-
„ rium Sermonum per Quadrageſimam, ac de omnibus diebus tam Domi-
„ nicis, quam Feſtis per annum, necnon de omni materia prædicabili,
„ duobus tomis diſtinctum, pluries impreſſum opus: Opus præterea Ser-
„ mones de beatiſſima Virgine Maria, ac de ejus excellentiis, non modo
„ pro ſingulis ejuſdem Feſtivitatibus, ſed & omnibus per annum Sabbatis
„ inſervientes, quos in unum tomum congeſtos, Mariale nuncupavit: Hos
„ Sermones doctiſſimos affirmat Eyſengrenius; plenos pietatis & bonarum
„ rerum Poſſevinus. Præterea Officium de Conceptione beatæ Virginis
„ Mariæ compilavit, approbatum a Sixto IV.; inſuper Officium ſanctiſſimi
„ Nominis Jeſu; egitque apud Innocentium VIII. ut ſanctiſſimum Nomen
„ Jeſu, in quo ſolo oportet omnes homines ſalvos fieri, die peculiari,
„ nempe die proximo Idibus Januarii, ritu ſolemni celebraretur. Præterea
„ pro defenſione Montium Pietatis, anno MCCCCXCVII. ad Bernardinum
„ de Carvajalio, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinalem, Alexandri
„ Papæ VI. in Lombardiam a latere Legatum, Mediolani ſcripſit. Tam-
„ dem zelo animarum, vitæ candore & ſanctitate conſpicuus, florens adhuc
„ anno MD. obiit Malegnani in Inſubria; de eo, poſt Gonzagam plures
„ ſcripſere, quos citat Arturus ad diem octavam Maii. Idem auctor ad
„ diem XXVI. Januarii, ſequentibus verbis duos Hybernos commendat
„ dicens: Ferallus *Mag-Egan*, & Philippus vixerunt apud Conventum
„ Kyllconnamenſem in Comitatu Galviæ: Ferallus a doctrina, prudentia
„ & aſſidua oratione; Pilippus vero *Cluan* ab eximia humilitate, pietate
„ & ſingulari diſcretione commendati, floruerunt poſt annum MD. ſed non
„ eodem anno migrarunt ad Dominum. De Creſcentio Lombardo profeſ-
„ ſione Laico meminit Dionyſius de Pullinari, ejuſque excellentem hu- *Dionyſ. de Pullinari de variis*
„ militatem, jugem orationem, & præfervidam erga infirmos caritatem, *ſanctitate illuſtribus Prov. Tuſc.*
„ qua in officio piiſſimo noctes ducebat inſomnes, extollit: vixit in Con-
„ ventu ſancti Salvatoris Florentiæ, in quo claruit anno MD. Hieronymus
„ Lindſayus, de quo legitur in Annalibus ad annum MCCCCLX. quod ejus
„ conſilio Oliphanti Comes ex proprio patrimonio Conventum extruxit.
„ Erat nobiliſſimus, & bonæ indolis Juvenis, Juris utriuſque Doctor, &
„ Comitis *de Craſuvort* legitimus filius, qui ut primum beati Patris Corne-
„ lii a Zirichzea in Scotiam adventum accepit, ad illum ſe contulit, atque
„ Franciſcano habitu indutus, tantopere in Seraphica Religione profecit,
„ ut quamplurimis, etiam præſtantiſſimis Patribus, humilitatis, orationis *Harold. ad ann. 1460. n. 19.*
„ atque abſtinentiæ palmam præripuerit. Properavit autem ad Dominum in
„ Conventu ab Oliphanti Comite intra Oppidi ſancti Joannis ſepta ejuſ-
„ dem exhortatu conſtructo, XVIII. Kalend. Octobris anno MD. poſtque
„ Gonzagam plures citati ab Arturo egerunt de eo. Etiam hoc anno die
„ prima Februarii Marcus a Ferraria Hiſtonii Apuliæ in Conventu ſancti
„ Honufrii, cum vixiſſet paupertatis, abſtinentiæ & humilitatis amantiſſi-
„ mus, plenus ſanctitate & meritis obiit, ut collegit Arturus: qui ex Mar- *Arturus ad diem 23. Auguſti.*
„ co Ulyſſiponenſe commemorat Nicolaum *Volſcum*, qui Religionem in-
„ greſſus, Fratrum Laicorum ſtatum cum elegiſſet, magno ſpiritus fervo-
„ re, paupertatis amantiſſimus, in oratione fervens, in auſteritate vitæ
„ ſeverus, corporis mortificationi potiſſimum incumbebat; ac tamdem ſe-
„ ptuagenarius in pace quievit: nec oblitus eſt ex Gonzaga Thomæ Graul-
„ tii, viri eruditiſſimi atque ſanctiſſimi, qui in antiquio Cœnobio apud

Idem ad diem 31. Julii.

,, *Artebates*, urbem antiquam Belgii, & caput Artheſiæ, Scarpa fluvio
,, irrigatam, trigintaquatuor annis Guardianatum exercuerat, hac ætate
,, florentis: nec monitus a Fodereto, prætermiſit Joannem Oſerum, qui
,, fuit Conventus Colletani Guardianus, in eoque admirandis virtutibus,
,, & Regulari Obſervantia ita ſplenduit, ut a cunctis pro Sancto habitus
,, ſit & veneratus. Nos autem ex monumuntis Reformatæ Provinciæ ſancti
,, Salvatoris in Ungaria commemorabimus finem laudabilem fratris Joannis
,, quondam Epiſcopi Waradienſis, qui in Conventu Sradiſtienſi, quem
,, ipſe conſtruxerat, ſarcina corporis depoſita, hoc anno properavit in cœ-
,, lum; ejus enim polito lapidi ſepulcrali hæc inciſa verba etiamnum legun-
,, tur: *Anno Domini* MD. *obiit Reverendus in Chriſto Pater frater Joan-*
,, *nes, quondam Epiſcopus Waradienſis, qui jacet hic tumulatus. Oretis*
,, *pro eo.*

Idem ad diem 2. Februarii. Monum. MSS. Prov. ſancti Salvatoris.

Harold. ad ann. 1475. n. 15.

,, VIII. Apollonia Vidua Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci, de
,, qua aliquid legitur in Annalibus, bonis operibus jugiter intenta, poſt-
,, quam a lege Viri ſoluta fuit, miraculis etiam coruſca ad cœlum evolavit,
,, ſepelirique voluit in Eccleſia Conventus Annuntiationis Deiparæ Virginis
,, Fratrum Minorum extra & prope Portam Civitatis Bononienſis an. MD.
,, IV. Idus Martii, ubi plurimis miraculis diffamatur: Porro ad ejus buſtum
,, ſequentia carmina leguntur.

Sylveſ. Maru. in hiſt. Sanct. Religionis Franciſc.

,, *Condita capſa eſt hac ſoror Apollonia digne,*
,, *Quam, quæ jam fecit, firmant miracula Sanctam.*
,, *Nupta prius Civi, ſed poſt Vidua ipſa manſit,*
,, *Franciſci tamdem ſe ſe veſte induit Almi.*

,, At ejus vitam ſcripſit Sylveſter Marulus. Poſt plures, quos citat, agit
,, de ea Arturus ad diem duodecimam Martii.

,, IX. Clara Fulginas virgo ſanctimonialis Tertii Inſtituti, Regularis
,, Obſervantiæ zelatrix, ſæpe meruit a Seraphico Patre ſancto Franciſco
,, miris apparitionibus conſolari: quadam vice in feſtivitate ejuſdem eximio
,, fervore in Deum elevata, plures defunctorum animas e Purgatorii pœ-
,, nis miſericorditer ſolutas, in Cœlumque lætas conſcendere vidit: quam
,, inimico humani generis, quod ejus orationibus durius torqueretur,
,, exoſa eſſet, eidem quadam vice oranti, alapæ fortiter inflictæ ſignum in
,, maxilla, dum vixit, evidenter oſtendit. Tamdem migravit ad ſponſum
,, anno ſalutis MD. Kalendis Julii. Eam poſt Jacobillum commemorat Ar-
,, turus, qui ex Gonzaga ad diem IV. Aprilis celebrat alteram Claram Ve-
,, netam virginem Monaſterii ſancti Sepulcri Venetiis ſanctitate miraculis
,, comprobata florentem: hæc ut ad Superos evolavit, ad venerationem
,, ſui cadaveris ibidem tumulati anno MD. vel circiter, omnes, tum Soro-
,, res, tum etiam ſeculares ſuaviter attraxit, & ad ſui imitationem
,, etiamnum incendit. Pariter ex eodem Gonzaga ſub XI. die Junii Eliſa-
,, betham virginem Navarræam, Albigæ ſeu Albiæ urbis in Aquitania, &
,, in Monaſterio ſanctæ Claræ, vitæ ſanctimonia claruiſſe enarrat, red-
,, ditque ejus Auctoris verba, quæ ſequuntur: *Hujus aliquando loci habita-*
,, *trix fuit Illuſtriſſima ſimul, ac pientiſſima ſoror Eliſabetha a Navarra,*
,, *ex Sereniſſima Briariæ Principum familia oriunda, cujus humilitas,*
,, *paupertas, atque ceteræ virtutes incredibiles fuere.* Ubi loco *Sereniſſimæ*
,, *Briariæ Principam familia*, legendum eſt, *Bearnæ Principum familia.*

Jacobill. de SS. Fulgin.

Mar. Ulyſſipon. Chron. p. 3. l. 7. c. 17.

,, Ex Marco vero Ulyſſiponenſe ad diem XXV. Martii, circa hunc annum
,, Euſraſiam virginem Abbatiſſam floruiſſe refert, verbis ex eodem ſequen-

tibus

,, tibus adductis. Florebat anno MD. circa quod tempus majus Monaſte-
,, rium Monialium extra urbem Ulyſſiponenſem reformatum fuit, & Pa-
,, trum Obſervantinorum juriſdictioni ſuppoſitum, R. P. Alphonſo Luſi-
,, tano Miniſtri Provincialis vices agente. Hæç autem Reformatio intro-
,, ducta fuit opera ac labore reverendæ Matris, ſororis Eufraſiæ præfatæ,
,, vitæ ſanctitate inſignis, virtute cujuſdam bullæ Alexandri Papæ VI.
,, quam favore D. Emanuelis Regis Portugalliæ obtinuerat. Commemo-
,, ratque Arturus in ſuo Martyrologio ſecundæ editionis ſub XIV. Kalendas
,, Auguſti in Monaſterio Aneſſiacenſi Diœceſis Gebennenſis, quamdam
,, Virginem Anonymam, vitæ ſanctimonia fulgentem circa hunc annum
,, exceſſiſſe.

ARGUMENTUM.

Mittuntur aliquot Minoritæ ad Indias Orientales ſuis Couſodalibus opitulaturi, atque inter Indos Occidentales impigre laborat Joannes de Traſſiera. Ludovicus a Turre Vicarius Generalis, Commiſſarius Pontificius inſtituendæ contra Turcas Cruciatæ egregie adlaborat. Ordo Monialium Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ Franciſcanorum regimini ſubjicitur, cujus origo & proceſſus enarratur. Moritur Joannes Hortulanus, ejuſque acta referuntur. Florent Andreas Groſſetanus & Antonius a Gavaciis. Inſtituitur Ordo Sororum Annunciationis Virginis Mariæ. Univerſitas Moguntina publico decernit ſtatuto ſanctam defendere Conceptionem ejuſdem Virginis Immaculatæ. Creantur Epiſcopi. Multiplicantur Cœnobia. Conceduntur privilegia.

I. ANNO ultimo ſnperioris ſeculi diximus miſſos cum Henrico Præfecto Conſodales ſeptem Minoritas ad Indias Orientales, atque ex his occiſos tres apud Calecutium; Henricum & reliquos vulneratos, vix Sarracenorum, & falſi Regis Calecutiani inſidias evaſiſſe. Hoc autem anno Emanuel Luſitaniæ Rex, quæ facta erant circa claſſem a ſe ſuperiori anno per Petrum Alvarum Capralem deſtinatam, ignorans, prudenterque judicans, poſt longiſſimum feri maris curſum, certaque inter barbaras gentes pericula ſubmittendum eſſe navium & hominum ſupplementum, miſit naves tres aut quatuor, quibus Joannem Novium nobilem Gallæcum præfecit, & Minoritas quatuor, reliquis cum Henrico miſſis, auxiliarios deſignari curavit. His etiam adjuncti alii, anno ſequenti deſtinata altera claſſe majori, uti tunc referemus.

Chro. Min. MSS. Oſor. de rebus Eman. lib. 2. Maffæus de reb. Ind. lib. 2. in principio. Barroſ. dec. 1. lib. 5. c. 10.

Mittuntur ad Indias Orientales Minoritæ quatuor.

II. Apud Indos Occidentales in Hiſpaniolæ Inſula, in convertendis Paganis, deſtruendis idolis, & Chriſtianorum Catecheſi impigre laborabat hoc anno Joannes de Taſſiera, qui illuc navigarat cum Franciſco de Bovadilla, a Regibus Catholicis anno proxime elapſo, deſtinato Chriſtophori Columbi in regimine ſucceſſore. Per illum, & per Joannem Velaſquez Regium Theſaurarium miſit Bovadilla ſuæ poteſtatis inſtrumenta ad Columbum, quibus parendum prudenter iſte exiſtimavit, etſi inhumaniſſime, & ingratiſſime cum illo egerit Bovadilla.

Her. de Ind. Occid. dec. 1. l. 3. cap. 9.

Joan. de Traſſiera egregie laborat in Hiſpaniolæ inſula.

III. Ludovicus a Turre Vicarius Generalis Ciſmontanus, Minorum Obſervantum Commiſſarius Pontificius, prout diximus anno proxime elapſo, circa publicationem & propagationem Jubilæi, & pro colligenda pecunia in ſacram expeditionem contra Turcas Venetis & Hungaris bellum illa-

Varia bulla ex reg. Vatic.

Ludov. a Turre Commiſſar. Pontificius pro Cruciata.

illaturos neceſſaria, multa egregie per ſe deſtinatoſque a ſe Conſodales præſtitit: ſua etiam ſuorumque opera interpoſita ex præſcripto Pontificio apud Principes Italiæ, ut ad ſacrum fœdus cum Pontifice, Imperatore, Hiſpano, Gallo & Hungaro Regibus accederent. Submiſit etiam quoſdam ex ſuis, qui contra peſtilentiſſimum genus hæreticorum in Boemia exortum (quod Foſſariorum dicebatur, quia in foſſis & occultis ſpeluncis nocte convenirent, turpitudinem ſine differentia perſonarum more beſtiarum exercentes) ſolerter prædicarent & ſtrenue decertarent, quod illi laudabiliter præſtiterunt. Dum vero in Hungaria Obſervantes illius curæ commiſſi, moleſtiis afficerentur a Patribus Conventualibus, ipſo rogante, Pontifex ſcripſit ad Alexandrum Farneſium Cardinalem ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconum, in iis partibus Legatum, ut audiret, componeret, aut facienda referret.

Minoritæ prædicant contra Foſſarios hæreticos.

Breve datum 4. Auguſti.

IV. Celebravit ille hoc anno prima die Junii Comitia Generalia Ciſmontanorum Obſervantum in Cœnobio ſancti Donati ſive Bernardini, extra Urbinum, in quibus ſecundo inſtitutus eſt Vicarius Generalis Hieronymus Torniellus; Definitores additi, Alexander de Palumbaria Provinciæ Romanæ, Jacobus Mantuanus Provinciæ Bononienſis, Timotheus Lucenſis Provinciæ Etruſcæ; Guardianus Montis Sion Hieroſolymis, Maurus Hiſpanus Provinciæ ſancti Bernardini; miſſique ſunt Viſitatores ferme in omnes Provincias. Vicarius autem Generalis quamprimum in Urbem venit Pontificem veneraturus,& ab eo obtinuit has litteras, ut corruptelæ Ordinis periculo præcaveret.

Reg. Ordinis. Capit. General. Cismont. Obſervant. 22.

Vide de hoc Mauro ann. 1504. num. 1.

Dilecto filio fratri Hieronymo de Torniellis, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia citra montes Vicario Generali.

ALEXANDER PAPA VI.

Ex tranſumpto authentico.

V. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut nobis nuper exponi feciſti, interdum contingat aliquos Fratres adeo, humani generis hoſte procurante, in reprobum ſenſum datos reperiri, ut nulla ex re corrigi, & rectam ad ſemitam reduci poſſint: Nos attendentes dicti Ordinis quieti & conſervationi obſervantiæ veſtræ omnino conducere, ut perſonæ ſic incorrigibiles, ne alios corrumpant & inficiant, a vobis ejiciantur; tibi & Generali Vicario pro tempore exiſtenti, per voſmetipſos dumtaxat, & aliis Vicariis Provincialibus dicti Ordinis per eos, cum conſenſu majoris partis Capituli Provincialis, Religioſos dicti Ordinis, quos ſic incorrigibiles repereritis, tamquam membra putrida habitu veſtro ſpoliandi, & a vobis ejiciendi, ac contra quoſcumque eis forſan auxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore ſuper dicti habitus delatione præſtantes, etiam cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, procedendi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis & circa ea neceſſaria quomodolibet & opportuna faciendi, gerendi & exequendi, auxilium quoque brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocandi, plenam, liberam & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XV. *Junii, anno* MDI. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Facultas ejiciendi incorrigibiles.

VI. Ma-

Digitized by Google

VI. Magnus ille vir Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus (de quo ſæpe ſub elapſi ſeculi finem locuti ſumus) non minori virtute, quam dignitate illuſtris; uti erat in pauperes & egenos beneficus, dum in regione Bætica converſioni & inſtitutioni Maurorum Granatenſium totus intentus, Regibus Catholicis Ferdinando & Iſabellæ jugiter aſſiſteret, ſub hunc annum, cum in urbe Hiſpalenſi divi Lazari Noſocomium extra muros urbis poſitum inviſeret, & ægrotorum frequentiæ reditus impares eſſe intellexiſſet, ut trecena millia nummum in ſinglos annos compararentur, curavit, quibus fœdo lepræ morbo laborantibus commodius ſubveniretur. Cum autem ad hæc & ſimilia pietatis officia ſecreto & celerius exequenda, indigeret fidis & religioſis adminiſtris, præter duos ſui Inſtituti viros, quos prius ab Alexandro Pontifice, qui cohabitarent, obtinuit, impetravit etiam hoc anno alios binos adjungi, ſive ex hac Religione, ſive ex alia pro ſuo arbitrio deligendos.

Gomeſ. de reb. Ximen. lib. 2.

Franciſc. Ximen. promovet Hoſpitale leproſorum Hiſpali.

Reg. Alex. VI. lib. 2°0. fol. 65.

Conceduntur ei ſocii Religioſi.

VII. Egit ille pridem, ut religioſiſſimus ordo Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ, intra clauſtra Monaſterii ſancti Dominici conceptus, a Franciſcanis aleretur, & tamquam ramus in bonam olivam inſertus, fœcundos fructus afferret. Poſtquam itaque curaverat, ut a Regula Ciſtercienſium ad Clariſſarum primæ illæ hujus nominis mulieres tranſirent, & a ſuo regimine ad Minorum directionem deflecterent, etiam hoc ipſo anno voluit germen iſtud in Ordine ſancti Franciſci firmius coagmentare, & per incertas incommodaſque ſedes diſcurrentes virgines, in primævis ampliſſimiſque ædibus Minorum ſtabilire. Qualiter factum ſit, breviter jam indicavimus, & clarius ad hujus anni finem referemus. Hinc itaque occaſionem ſumimus de fundatione iſtius Religionis ſcribendi: neque enim prius id opportune nos facturos putavimus, dum militabat ſub Regula Ciſtercienſi; neque certo conſtiterit, quo anno Alexander VI. conceſſerit, ut illa dimiſſa, ad ſanctæ Claræ leges ſuam vitam componerent. Ea porro fuit iſtius Religionis origo.

Ordo Conceptionis ſubjicitur regimini Minorum.

Tom. 14. anno 1477. n. 40.

VIII. Duxerat Joannes II. Caſtellæ Rex Eliſabetham, Eduardi Luſitaniæ Regis filiam, uxorem. Hæc ſecum duxit Beatricem a Silva conſanguineam, inter pediſſequas cariorem, Jacobi primi Comitis Portalegrenſis, & beati Amadei Franciſcani ſororem. Forma præſtantiſſimam adamare plurimi cœperunt, ſed & Regi, ultra quam vellet Regina, complacebat, adeoque procorum ignes exarſerunt, ut non ſemel cœdibus, magnorumque duellis de illa fuerit dimicatum. Ad hæc ita doluit Regina, ut adoleſcentulam anguſto recluſerit loculo, & cibo potuque mulctaverit. Illa velut alter Jonas ex ceti viſceribus, ab illa caligine preces funditans, periculum redemptura, caſtitatem Deo devovit ſub Genitricis auſpiciis, ſi in tantis anguſtiis probaret tutelarem. Proxima nocte, beata Virgo ſe videndam exhibuit, candida veſte, cæruleo pallio circumamictam, oppignoratamque libertatis fidem, triduo evoluto, exolvit. Indignatæ Reginæ potentiam aulæque pericula declinatura puella, e Tordeſſillarum oppido, in quo hæc contigerunt, Toletum aufugit; ſed inſperato duo occurrunt Franciſcani, qui Luſitano ſermone eamdem in propoſito roborarunt, futuramque multarum Virginum matrem prædixerunt, & paulo poſt ex oculis evanuerunt. Ex his unum, ex ſermone & ſignis, poſtea D. Antonium Luſitanum fuiſſe judicavit.

Hujus Ordinis origo.

Bivarius de Ord. Concep.

Marc. 3. p. l. 8. c. 9. & ſeqq.

Beatrix de Silva fundatrix.

In juventute male afficitur a Regina conſanguinea.

Fugit.

IX. Regium Divi Dominici Parthenonem Toleti ingreſſa, per annos perſtitit quadraginta, ea modeſtia & verecundiæ vallo, ut obductum vultui velum nuſquam domi ſubtraxerit; neque ſe ulli mortalium conſpicendam præ-

In Monaſterio ſe recludit.

præbuerit, præterquam Eliſabethæ Reginæ Ferdinandi Regis uxori, prioris Eliſabethæ filiæ, quæ gratiam hanc a Virgine impetravit. Hic ſecundo apparens Deipara, fundandi in ſuæ Conceptionis honorem ſacrarum Virginum Inſtituti cogitatum infudit. Re cum Eliſabetha Regina collata, primo inſtituendo Collegio Regias accepit domos, *Palatia Gallianæ* nuncupatas, in quarum penetralibus Eccleſiuncula ſive ſacellum erat ſanctæ Fidis Virginis & Martyris, Agennis Aquitaniæ celebris. In eas pedem intulit Beatrix anno MCCCCLXXXIV. duodecim pii propoſiti comitibus aſſumptis, quæ in id ipſum conſpirantes, poſt aliquot annos, Reginæ preces apud Pontificem Innocentium VIII. interpoſuerunt, ut liceret eis in honorem Conceptionis Virgineæ Ordinem ſanctimonialium inſtituere, ſub Regula Ciſtercienſi, peculiari habitu, & ritu officii Divini Conceptionis immaculatæ Virginis privilegium exprimentis, per ſingulos dies recitandi. Omnia hæc Innocentius iſtis litteris conceſſit.

A beata Maria monetur Ordinis inſtituendi.

Favet Regina Catholica.

Et Innocentius VIII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERUS SERVORUM DEI.

Venerabilibus Fratribus Caurienſi, & Cathonienſi Epiſcopis, ac dilecto filio officiali Toletano, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex autographo.

X. *Inter innumera Divinæ majeſtati accepta opera, fundare cœnobia ac religioſa loca, in quibus prudentes Virgines accenſis lampadibus ſe præparent obviam ire ſponſo Chriſto Jeſu, ac gratum & ſedulum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes, piis devotarum perſonarum deſideriis, per quæ cœnobia & loca ipſa fundari & erigi valeant, libenter annuimus, & earum humiles preces favorabiliter exaudimus. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Beatricis de Sylva mulieris Toletanæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim cariſſima in Chriſto filia noſtra Eliſabeth Caſtellæ ac Legionis Regina illuſtris, ob ſingularem, quam ad Conceptionem beatæ Mariæ Virginis gerit devotionis affectum, unam maximam domum,* Palacios de Galliana *nuncupatam, in Civitate Toletana conſiſtentem, ad ipſam Reginam legitime pertinentem, in qua una antiqua Eccleſia ſive capella ſub invocatione ſanctæ Fidis eſt conſtituta, præfatæ Beatrici cupienti vitam ducere regularem, ad effectum ut inibi unum Monaſterium alicujus Ordinis approbati, ad honorem ejuſdem Conceptionis erigeretur, in quo dicta Beatrix & aliæ devotæ mulieres ejus ſodales ſub regulari Obſervantia viverent, ac Altiſſimo, & eidem beatæ Mariæ famularentur, liberaliter & gratioſe conceſſit & donavit, ipſæque Beatrix & mulieres, conceſſionis & donationis hujuſmodi vigore, dictam domum receperunt, & illam ex tunc in communi viventes, & eidem Altiſſimo, ac beatæ Mariæ famulantes inhabitarunt, prout habitant de præſenti; ea tamen intentione, quod dictum Monaſterium inibi erigeretur. Quare pro parte ejuſdem Beatricis, aſſerentis ſe de nobili genere procreatam fore, ac ipſam & mulieres prædictas Ordinem Ciſtercienſem, ad quem ſingularem gerunt devotionis affectum, velle profiteri, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta domo Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſub invocatione Conceptionis hujuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in quo in communi, & ſub regulari obſervantia, ac perpetua clauſura vivant, erigere, illique dictam Eccleſiam ſive capellam pro Eccleſia ſive capella aſſignare, aliaſque in præmiſſis opportune*

tunc providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, religionis propagationem, & animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, pium & laudabile propoſitum Reginæ & Beatricis prædictarum plurimum in domino commendantes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, necnon conſideratione ejuſdem Reginæ, nobis ſuper boc bumiliter ſupplicantis, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum in dicta domo unum Monaſterium ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis, ſub invocatione Conceptionis bujuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, bortis, bortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro una Abbatiſſa, quæ aliis præſit Monialibus dicti Ordinis, ac Beatrici & mulieribus inibi nunc ſecum degentibus, ſi profiteri voluerint, quæ in communi, ac ſub regulari Obſervantia, & perpetua clauſura vivant, & quæ, ac Monaſterium bujuſmodi, proat ſancti Dominici Toletani dicti Ordinis, el Viejo *nuncupatum, ac nonnulla alia ejuſdem Ordinis Monaſteria locorum Ordinariis ſunt ſubjecta, Archiepiſcopo Toletano pro tempore exiſtenti ſubjiciantur, alias ſine alicujus præjudicio, & jure parochialis Eccleſiæ, ac cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra erigatis, dictamque Eecleſiam ſive Capellam illi pro Eccleſia perpetuo aſſignetis: ac Abbatiſſæ dicti Monaſterii pro tempore exiſtenti, & illius Conventui, quod aliqua ſtatuta & ordinationes laudabilia & boneſta, ſacris canonibus non contraria, quæ Moniales in dicto Monaſterio pro tempore degentes perpetuo obſervare teneantur, etiam circa electionem Abbatiſſæ, tam bac prima vice, quam deinceps perpetuis futuris temporibus faciendi, condere poſſint, licentiam concedatis: & qaod Abbatiſſa pro tempore exiſtens, & Moniales præfatæ veſtem albam cum ſcapulari etiam albo, & deſuper mantellum coloris cæleſtis, in quibus quidem mantello & ſcapulari imago ejuſdem beatæ Mariæ affigatur, deferre, ac cingulo cannabis ad inſtar Fratrum Minorum cingi debeant: ac in boris canonicis, juxta morem Romanæ Eccleſiæ dicendis, banc modam, videlicet, quod Dominicis, in quibus aliqua biſtoria incboata, ſive officium Dominicæ de neceſſitate dici debet, & quibus feſta duplicia & ſemiduplicia & ſolemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus, quibus officium feriale omitti non poteſt, ac octavis ipſarum feſtivitatum dumtaxat exceptis, omnibus aliis diebus per totum annum, boras canonicas majores & officium Divinum de bujuſmodi Conceptione dicere, & ut, præfatis exceptis diebus, in quibus boræ majores de Dominica vel feria aut feſto dici debent, boras minores & officium parvum ejuſdem beatæ Mariæ cum antipbonis, verſiculis, capitulis, & orationibus de eadem Conceptione dicere debeant: ac ſingulis ſextis feriis, & per Adventum Domini, ac aliis diebus, quibus alii Chriſtifideles ad jejunandum ſunt adſtricti, jejunare teneantur, & ad alia jejunia non obligentur: Ac cum, ſicut aſſeritur, dicta Civitas a mari per ſeptem dietas & ultra diſtet, ac piſcium penuria in ea continue vigeat, carnibus omni tempore, præterquam diebus jejuniorum bujuſmodi, ac Sabbati, & quartis feriis veſci: ac Abbatiſſa pro tempore exiſtens, de conſilio Monialium ſibi pro tempore in conſiliis aſſiſtentium, ſecum, & cum aliis Monialibus dicti Monaſterii ſuper jejuniis, ad quæ ex ſtatuto & ordinatione præſentibus, non autem ex juris diſpoſitione obligabuntur, & lineis indumentis, cum viderit expedire, diſpenſare: ac quoſcumque presbyteros ſeculares, vel de licentia ſuorum Superiorum, cujuſvis Ordinis regulares in earum confeſſores, ad celebrandum eis Miſſas, & alia Divina officia, ac Eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrandum, qui Abbatiſſæ, & cujuslibet Monialium in eodem*

Conceptioniſtarum Virg. habitus.

Monaſterio pro tempore exiſtentium confeſſionibus diligenter auditis, in ſingulis Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus, ſemel dumtaxat in vita, in aliis quoties fuerit opportunum, pro commiſſis de abſolutionis debito beneficio providere, ac pœnitentiam ſalutarem injugere; necnon ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium ſuorum peccatorum, de quibus corde contritæ, & ore confeſſæ fuerint, remiſſionem, cuilibet earum in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus concedere valeant, eligere poſſint: Quodque nullus abſque Abbatiſſæ pro tempore exiſtentis expreſſa licentia, clauſtra dicti Monaſterii ingredi poſſit, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam eo ipſo contrafaciens incurrat, eadem auctoritate ſtatuatis & ordinetis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, Abbatiſſæ & Monialibus præfatis de cetero perpetuis futuris temporibus, ut Quadrageſimæ & aliis diebus, quibus ſtationes in Eccleſiis Urbis & extra eam celebrantur, aliqua Altaria in Eccleſia dicti Monaſterii viſitando, & ante illa genibus flexis ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam devote dicendo, eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, ſi Eccleſias prædictas viſitarent, ac omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis & exemptionibus aliis dicti Ordinis per ſedem prædictam in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore earumdem præſentium, de ſpeciali dono gratiæ indulgemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXXIX. *pridie Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno* V.

Litteræ Pontificiæ ſubmerſæ, mirabiliter reſtitutæ.

XI. Diploma hoc, dum in Hiſpaniam tranſmitteretur, ſæviente mari, fuit demerſum, quod ubi Dei ancilla intellexit, & dolorem ſuum in oratione beatæ Virgini Mariæ repræſentavit, illud intra ſcrinium, aliis chartis admixtum, invenit. Re mira patefacta, & diligenter diſcuſſa, ſolemni inſtituta ſupplicatione Capitularium ſedis Toletanæ, Accitanus ſive Guadicenſis Epiſcopus, ex Archiepiſcopi Ximenii arbitrio, litteras patenter in domum Beatricis invexit; ubi ſolemni ſacro peracto, & de more gratiarum actione celebrata, pro concione Epiſcopus miraculi ſeriem enarravit, Conceptionis myſterium explicuit, dixitque poſt quindenam ſtatuto die omnes illas Beatricis diſcipulas ſimul cum Magiſtra huic Ordini exordium daturas.

Pie moritur Beatrix.

At non potuit illa diem hunc a ſe deſideratiſſimum videre: præmonita enim propinquæ mortis, magnique ſui Ordinis poſt varias procellas incrementi, in ejus diei pervigilio, quo ſolemni ritu cum ceteris novæ vitæ Inſtitutum profeſſura erat, ſuſcepto prius habitu, votiſque emiſſis, adſtantibus Patribus & Sororibus Dominicanis illius Monaſterii, in quo tot annis convixit, in æternam felicitatem evolavit, ætatis anno LXVI. Chriſti MCCCCXC. Kalendis Septembris. Exanimis ſeu jam morituræ fronti ſtella aurea inſoliti fulgoris inſedit, ipſoque die ſui tranſitus apparuit in Cœnobio Guadalſagiaræ fratri Joanni de Toloſa, tertium alias Miniſtro Provinciæ Caſtellæ, eique ſuas filias futurumque Ordinem commendavit.

PP. Dominicani de illius corpore certant.

XII. Interim magna mota controverſia circa funus & corpus, quod ſibi deberi contendebant Patres Dominicani, propter longiſſimum apud ipſos incolatum, reſiſtentibus ſociis & filiabus, advocatis in adjutorium Franciſcanis, fuit poſt longam litem adjudicatum, ut eodem coleretur loco, quem ad

ad colendam beatam Virginem ipſa delegerat. Ubi vero Patres Prædicatores Magiſtram obtinere non poterant, ſaltem diſcipulas repetebant, allegantes aliquandiu ſuis monitis paruiſſe, & ex ſuo prodiiſſe Monaſterio. At protegente prædicto Patre Toloſano, in ſuis remanſerunt ædibus, paucisque diebus elapſis, profeſſionem emiſerunt, ac domum, præfecta ſibi Philippa Beatricis nepte, deinceps dixerunt Monaſterium Conceptionis.

Submittitur Minoritis Ordo Conceptionis.

XIII. Videns autem Ximenius Archiepiſcopus ſuccreſcentis Ordinis altius figi radices, ſecumque cogitans felicius progreſſurum, ſi Fratrum Minorum committeretur regimini, quorum perpetuo ſtudio, & infracta conſtantia ſanctæ Conceptionis myſterium ubique potenter invaluit, egit cum Regina Eliſabetha, ut ſubtracta Diœceſano cura, transferretur ad Franciſcanos, Regula inſuper præſcripta Clariſſarum. Hoc ab Alexandro VI. impetrato, Philippa præfecta cum aliquibus Sororibus renuerunt Inſtitutum profiteri ſanctæ Claræ, & ad Monaſterium tranſierunt ſanctæ Eliſabethæ, tradito Beatricis corpore Sororibus Cœnobii Matris Dei Ordinis Prædicatorum. Reliquis quæ remanſerant, adjunxit Alexander ſanctimoniales Benedictinas Monaſterii ſancti Petri *De las Duennas*, Conceptioniſtarum domui contigui, annuente etiam Abbatiſſa Benedictina, quæ cum pauculis, quas habebat Sororibus, Regulam ſanctæ Claræ, & Inſtitutum ſuſceperunt Conceptionis. Reſtauratis ædibus ſancti Petri, ad eas tranſierunt omnes; ibique uſque ad hunc ipſum annum habitarunt, donec demum auctoritate, qua tunc pollebat Apoſtolici Reformatoris Ximenius, eas tranſtulit ad Cœnobium ſancti Franciſci, ut ſtatim dicemus. Singulas iſtas mutationes refert diſtincte Julius II. in diplomate dato anno MDVI. quod tunc excribemus, & demum anno MDXI. eis Regulam peculiarem præſcripſit, ſuo Inſtituto appropriatam, a Fratribus Minoribus confectam. Sedatis tamdem turbis, & ſtabilito in domo hac Conceptionis Ordine, Catarina Calderonia Monaſterii Præfecta cogitavit de recuperando ſuæ Inſtitutricis corpore, & tamdem Apoſtolico obtinuit mandato, ut reſtitueretur. Aperto loculo, in quo jacebat, ſuaviſſimus inde odor eflavit: nunc decenti conditum loco, digna habetur veneratione. Scribunt de Beatrice ejuſque Inſtituto Marcus Ulyſſiponenſis, Franciſcus Bivarius Ciſtercienſis, Franciſcus Gonzaga, Antonius Vaſconcellus Jeſuita, Bartholomæus Cimarella, & alii.

Variæ mutationes hujus Ordinis.

Marc. cit. c. 17. Bivar. in hiſtor. Concept. Gonz. 1. p. de ord. Concept. Vaſconc. in deſcript. Regni Luſit. Cimarel. 4. p. l. 5. c. 12.

XIV. Obiit hoc anno III. Idus Januarii (teſte Marco Ulyſſiponenſi, & aliis, ſive uti habent Monumenta manuſcripta Salmanticentia apud me manuſcrip. anno MCCCCXCIX. IV. Idus Januarii) Joannes Luſitanus laicus, qui a diuturno multorum annorum horti Salmanticenſis cultu, *Joannis Hortulani* nomine apud Fratres audivit, eoque hactenus ab omnibus appellatur. Natus in oppido *Vallis viridis* in confinibus Luſitaniæ, quæ ad veterem vergunt Caſtellam, mortuo patre tenuis fortunæ viro, Ledeſmam abiit, ubi quæ primum oſtiatim mendicando colligebat, vel poſtea ex paſtoritia mercede recipiebat, pauperibus diſtribuebat. Salmantica in eam urbem Minoritæ duo venerunt in ſequenti die Dominica concionaturi, quos ubi tranſeuntes viderat Joannis herus, pio adoleſcenti ſuaſit, ut attente dicentes audiret, crederetque non ſua, ſed Dei verba illos proferre. Ubi ille excepit Chriſti erga humanum genus immenſum amorem, a concionatore ferventer explicatum, ita cordi inhæſerat Redemptionis beneficium, ut deinceps uſque ad obitum frequenter ſuſpiria cum his verbis emitteret: *Amor meus Jeſus*. Aliquanto poſt Salmanticam a duobus Fratribus occurrentibus in via perductus, ubi janitor adoleſcentis perſpexit candorem, miniſteriis applicuit domeſticis, demumque datus eſt in adjutorium

Marc. 3. p. l. 8. cap. 1. & ſeqq. Cimarel. 4. p. l. 8. c. 8.

Moritur Joannes Hortulanus. Ejus ortus & juventus.

Hortulano, cui obeunti in cultura ſucceſſit. Ea diligentia, induſtria & pietate munus obivit, ut ad ſuum conſortium, conceſſo habitu, Fratres admiſerint.

Initiatur inter Minores.

Virtutes.

XV. Miro fervore Dei ſervitutem aggreſſus, ab oratione, Miſſiſque audiendis difficile poterat avelli. Noctem pene omnem agebat inſomnem, arbori innixus, manibus in cœlum elevatis; ubi autem oportebat corpori indulgere, ſedens in terra ſomnum carpebat breviſſimum. Cultum & reverentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſummo promovebat affectu, ſuffitus, luminaria procurando, lampades & miniſterialia tergendo. Miſeris & egenis tenerrime compaſſus, pauperibus, viduis, infirmis multa colligebat ſubſidia. Circa hæc duo notiſſimam viri pietatem audientes, atque aliquando videntes Caſtellanus & Luſitanus Reges, abunde jubebant miniſtrari neceſſaria. In proceſſionibus Corporis Chriſti tamquam ebrius ſpiritu exultabat, ferebatque in ſacculo flores, quos paſſim ſpargebat in via, & prunariolum, cui perſæpe varia infundebat odoramenta, genuflexus illa ſua miro ardore repetens verba: *Amor meus Jeſus*; per quæ in ſupplicatione procedentes ad majorem tanti myſterii excitabat reverentiam. Urbanas & rurales percurrebat Eccleſias, & ſi quid incompoſitum aut indecorum erat, amovebat, ſacram ſupellectilem & lampades ſtudioſe mundabat. Deinde domum regreſſus, ut abigeret cogitationes vel ſpecies mundanas, quæ ex converſatione ſecularium quoquo modo adhæſerant, procedebat in Templum, & exultans coram ſanctiſſimo Altaris Sacramento, per ſonalium, ſive aliud inſtrumentum, ori immiſſum inſufflabat, varioſque edebat ſonos, & paulo poſt in orationem procumbebat. Interrogatus cur ita pueriles ſonos precibus præmitteret? reſpondebat, facilius ita parari aſcenſum ad Divina; mens etenim humanis colloquiis aſſueta, & rebus mundanis depreſſa, non adeo expedite a terrenis ad cœleſtia reſurgit. Dum vero ab aliis cogitationibus ad rei leviſſimæ, & pueriliſ ſonitus conſiderationem ſubducitur, nullo negotio a recula iſta ad Divinæ pietatis contemplationem aſcendit. In oratione aſſiduus, tempus omne, quod injunctis officiis ſupererat, Deum ferventer orabat, ut peccatorum vellet miſereri, & ſecretum latibulum ſuper Templi laquearia nactus, illic coram beatæ Virginis imagine lacrymarum irriguis in horas multas ejus auxilium implorabat: ſingulis noctibus ſub horam undecimam ſurgebat, & præmiſſa integra orationis hora, media nocte Fratres ad Matutinas preces excitabat.

Erga S. Euchariſtiam reverentia.

Pium inventum abducendi mentem a terrenis.

Orationis ſtudium.

Dei reverentia.

XVI. Divinam reveritus præſentiam, ita ſe gerebat, quaſi ſemper in ejus eſſet conſpectu, eaſque faciebat in Templo & locis ſacris genuflexiones, corporis inclinationes, humileſque actiones veluti ſi viſibiliter Deum aſpiceret; unde quibuſdam videbatur inſanire. Sæpe auditus eſt cum Patre æterno ferventiſſimum inire colloquium, ſibi univerſiſque peccatoribus miſericordiam deprecari, Filiumque exorare, ut ſua merita ſupplici exhiberet, quæ ille poſſet offerre Patri, eaque mox tamquam ſibi benigne collata, & reverenter accepta, ſummo fervore & admirabili humilitate Patri immolabat. Aliquando coram Altaris Sacramento viſus eſt tremulis artubus pavidus & elinguis in terram proſtrari, quaſi nihil virium ſupereſſet, & Divini Judicis coram ſedentis contra ſe proferendam ſeveram expectaret ſententiam. Mundana quæque præ oculis poſita nihili faciebat, ac ſi Deum præſentem ſemper conſpiceret. Honores, quos Regibus & Magnatibus exhiberi videbat, quo poterat modo, ſanctiſſimo offerebat Sacramento; magnis exclamans vocibus: *Soli Deo honor & gloria: Tibi Domine non hominibus hæc omnia debentur.* Videns ſemel Hiſpanum Regem magna majeſtate man-

du-

ducantem, aulicos adſtantes, ferculorum apparatum, vaſa aurea & argentea, tibicines variis inſtrumentis canentes, domum reverſus, omnia hæc, qua potuit, miris modis æmulatus, congregatis in ſacello præcipuo coram Sacramento optimis quibuſque ſacrarii vaſis, nihil ferme prætermiſit eorum, quæ vidit, quod in hoc ſuo pio convivio non repoſuerit, ſacras laudes & pios hymnos decantans.

XVII. Chriſti pro nobis paſſi hærebat cordi tenerrima memoria, ita ut ad ſingulas occaſiones profluvia erumperent lacrymarum. Filii defuncti funus proſecuta in Templum Minorum vidua Salmanticenſis, amare flebat, ſuumque magnis vocibus dolorem exponebat, quod filii latus interno curando apoſtemati viderit aperiri, & tunc præ oculis jacere defunctum. Audiens mulieris quærelas Joannes, in copioſas lacrymas, altaſque voces prorupit: *Amor meus, Jeſu: nonne & illius plantæ manuſque perforatæ, & latus apertum, totumque laceratum corpus miſella vidit Genitrix exangue?* Hujus itaque acerbiſſimi doloris, & lacrymarum pluſquam mulieris, univerſi qui adſtabant miſerti, ut tantum dolorem & ejulatum temperaret, rogabant, Deum magnificantes, qui tantum ſui amorem pauperi infuderit Fraterculo. Paſſionis Chriſti meditatio.

XVIII. Prophetiæ ſpiritu a Deo illuſtratus, multa prædixit certo exitu comprobata. Franciſcus Ximenius Cardinalis, de quo paulo antea diximus, referebat, nobilem quemdam amicum ſuum ad Joannem acceſſiſſe conſulturum, quam ex duabus ſponſis ſibi oblatis admitteret? Cui ille: *Neutram vult Deus admittas; ſed ut vitam aſſumas Monaſticam: cave ne monita iſta contemnas, & poſtea valide pœniteat.* Attamen ex iis unam ille delegit, cum qua paulo poſt rixatus, tot jecit femina diſcordiæ, ut exortis inter parentes & conſanguineos contentionibus & jurgiis, utrique abſque prole miſere fuerint trucidati. Miſſus ut viſeret nobilem heroinam Archiepiſcopi Compoſtellani conſanguineam, tunc Salmanticæ præ dolore partus morti propinquam, ubi ad limen acceſſit, & immenſis cruciatibus ejulantem audivit, ſervis, qui occurrerunt, ait: *Si Domina veſtra olim parentum annuiſſet conſiliis, & clauſtrum ſubjiſſet, minime hos ſentiret dolores.* Parturienti deinde benedicens, & Crucis in capite ſigno protracto, prædixit eam incolumem parituram infantulum. Non prius ille diſceſſit, quam iſta puerulum enixa melius habuerit, & palam confeſſa ſit, quod ſervi narrarunt, vere Joannem inſinuaſſe, ſe noluiſſe intra clauſtra recludi, ſed ſemper ad nuptias aſpiraſſe. Prophetiæ ſpiritus.

XIX. Rex Catholicus Ferdinandus dura obſidione oppidum Cantalapetræ, quod ad Epiſcopum ſpectabat Salmanticenſem, & Luſitanus in ſuam redegerat poteſtatem, per dies multos ſtringebat, oſtenſiſque tormentis Joanni fortuito illuc advenienti, quibus hoſtium quatebat munimenta, interrogabat, quid de ſuis judicabat conterraneis, an ut vincerentur, expectarent? Cui ille, poſtquam rogaret ut mitius cum Luſitanis ageret, reſpondit: ſpem ſibi magnam ineſſe non minus ab eo cingendam urbem Granatenſem, quam Cantalepetram. Ad hæc exultans Rex: *Utinam*, inquit, *id mihi liceret: ſed quod mihi das judicium futuræ expeditionis? In primo*, ait Joannes, *Regni Granatenſis oppido a te ſubacto, prima legetur Miſſa Annunciationis Virgineæ.* Regina Eliſabetha, quæ tunc aderat, conferens hæc verba in corde ſuo, de bello Mauris inferendo cœpit anxius cogitare. Ubi ab hoc ventum eſt, in primo loco ſub poteſtatem redacto juſſit ſolemniter Pontificio apparatu Miſſam cantari Annunciationis, memor verborum Joannis; ſed antequam iſta inchoaretur, accepit, pium quemdam presbyterum eam-

eamdem Miſſam privatè legiſſe, & ultra duas horas Altari adſtitiſſe, ſemperque fleviſſe, & ſecreto receſſiſſe. Reges hæc audientes, in majorem erecti ſpem obtinendæ Granatæ, nihil non præſtiterunt, donec urbe & regno Granatenſi ſint potiti. Ægrotans in Valetudinario rogavit Guardianum, ut in cellulam transferretur, dixitque eidem ſub ſecreti arcano, ſe tunc non moriturum, in illo tamen Cœnobii angulo finem vitæ poſiturum, idque ſe rogaſſe a Domino, ut inde ſpiritus ad Deum rediret, ubi ei revelaverat remiſſa ſibi eſſe peccata.

XX. In ſacello Annunciationis multam repoſuerat ceram pro ſolemni, quæ inſtabat, Corporis Chriſti proceſſione; ſed omnem quidam furatus eſt latrunculus. Obtenta Superioris licentia, ut per quem hoc factum eſſet, inquireret, abiit in prædictum ſacellum oraturus. Poſt mediæ horæ orationem, recta profectus per vicos multos, abſque ulla indagine, ad quoddam pervenit diverſorium, nulloque interrogato, proceſſit ad locum, ubi tota cera latebat. Eam ceram aſtantibus ſibi dixit neceſſariam pro Corporis Chriſti proxima ſupplicatione, & nemine contradicente, totam reportavit. Prædictus Ximenius teſtabatur, ſe miranda nimis in homine vidiſſe, ab eo audiviſſe, atque in eodem ſacello a ſenſibus alienatum, nihil eorum, quæ circa ſe fiebant percepiſſe, & ibidem ſanctum Franciſcum ei apparuiſſe. Multa porro appoſite ſatis ſacræ Scripturæ loca, præſertim ex Pſalmis & Evangeliis Vir Dei proferebat, & quæ ad Chriſti ſpectabant paſſionem, ardentius explicabat.

Occulta perſpicit.

Senſum percipit ſac. Script.

XXI. In menſa nihil eorum, quæ apponebantur, juxta Evangelii conſilium, reſpuebat; ſed ex carnibus aut piſcibus ad avellanæ delibabat menſuram, eamque cinere commixtam. Juſculento frigidam infundebat & panem; vinum adeo dilutum bibebat, ut nihil ſaporis aut coloris remaneret. In diebus jejunii ab Eccleſia præſcriptis, etiamſi valde langueret, nullatenus vetita admttebat edulia. Semel ex medici conſilio, & Miniſtri Generalis, qui tunc aderat, præcepto, die Veneris carnem manducavit, ſed ubi obedientiæ ſatisfecit, vomitum provocavit, cibumque rejecit. Veſtitus erat habitus pannoſus, tunica aſpera & inculta, & ſubtus ſetoſum cilicium. Multis modis corpus cruciabat, ſed in pœnitentia & oratione, tria dicebat ſibi valde diſplicere, ſordes, ſcalpendi pruritum, & frigus intenſum. Pœnitentiarum omnium dicebat potiſſimam, injurias remittere, & pro inimicis orare.

Rigidum jejunium.

Aſper amictus.

XXII. Mortis præſciens tempus, anno MD. in natalitiis ſancti Joannis Evangeliſtæ umbonem in refectorio aſcendens, ſumpto themate: *Vos, qui permanſiſtis mecum in tentatione &c.* Sancti Apoſtoli heroicas expreſſit virtutes, deinde Fratres admonuit, ut mortis memores eſſent, quia *qua hora*, inquit, *non putamus, Dominus cito veniet, & ſub mediam noctem vocabit.* Quid ſibi hæc vellent, aut quo ejus tenderet ſermo, Fratres tunc non perceperunt, ſed poſt quindenam ex ipſo intellexerunt eventu. Diebus porro interlabentibus omnia illa ferventius peragebat, Sacerdotibus frequentius miniſtrabat ſacrificantibus, in plures horas orationem protrahebat, & vehementiori ſpiritu ex cordis intimo alta emittebat ſuſpiria, paſſim illa ſua repetens verba: *Amor meus Jeſus.* Poſtremo, quo vixit die, dum Fratres reficiebantur, in ſupra memorato ſacello oravit, deinde parumper comedit, mox urbis circuivit Eccleſias, lampades abſterſit, lychnos emunxit, oleum infudit, Altaria ornavit, demum in ſuo illo ſacello cereum album incendit. Vocato poſt hæc Gondiſalvo Coutino, religioſo viro, cujuſdam Comitis Luſitani filio, qui Imperatricis Iſabellæ, Emanuelis Luſitani Regis filiæ,

Lucæ 22. 28.

Mortem ſuam prædicit.

filiæ, & Caroli V. conjugis poſtea excipiebat confeſſiones, qua potuit, efficaciter injunxit, ut quod ille erga ſanctiſſimum Sacramentum humile, ſed debitum præſtabat obſequium, ipſe proſequi vellet, præſertim circa lampades oleo fovendas.

XXIII. Nocte ſequenti ſub horam undecimam pulſavit ad Confeſſarii oſtium, rogans ut confeſtim morituro aſſiſteret, repetitiſque verbis: *Amor meus Jeſus, nunc auxiliare, quia venit tempus miſerendi*: mox invocato beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum auxilio, oravit ut ex Virginis Annunciatæ ſacello ſibi afferretur cereus, quem ille ſub veſperam in Altari incenderat, & Cœnobii accerſeretur Præfectus. Interim placide, & plene reatuum peracta confeſſione, cum interrogaretur a Confeſſario, quem ſentiret dolorem? aut quas corporis moleſtias? *Nullas*, inquit, *attamen jam jam diſceſſuro rogo, ut reatuum impertias indulgentiam*. Hac accepta, ſedit in lecto repetens illa verba: *Amor meus Jeſus, tempus miſerendi Deus*. Admiratus Sacerdos, quod abſque ullius mortis anguſtiis, mortis explicaret præludia, juſſit ut fidei præmitteret profeſſionem. Hac peracta, in lectulum corruit, acceptiſque in manibus cereo & Cruce, emiſſo ſuſpirio, felicem animam reddidit Creatori, accepto pro viatico die præcedenti ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Pie decedit.

XXIV. Tunc revelavit Guardianus, ante biennium ſibi dixiſſe Joannem, ſe in cellula non in valetudinario moriturum, occultaſque multas explicuit hominis virtutes. Summo mane, dum corpus ferebatur in aulam Capitularem, Eccleſia plena erat populo, cui miro quodam modo illa nocte Dei Servi tranſitus innotuit. Expoſitum in Templo cadaver, omnes tangere, oſculari, venerari certabant, habitumque diſcerpere. Ne majores pateretur injurias, redactum eſt intra ſacelli majoris cancellos, ubi Alphonſus Manrique Magiſter ſcholarum Salmanticenſis, Archiepiſcopus mox Compoſtellanus, toto funeris tempore coram feretro oravit genuflexus. Pro concione hominis virtutes, gratiaſque ſingulares, quas a Domino receperit, enarravit Andreas a Gatos, celeberrimus illius Cœnobii concionator. Sanguinem ex naribus effluentem ſudariolo excepit prædictus Alphonſus, & populus univerſus porrectis per cancellos magna contentione panniculis. Nihil porro mirum, quod in tanta haberetur apud omnes veneratione, dum annos quadraginta quinque inter eos vixit, majori ſemper pietatis incremento: ſepultus eſt ſub Solis occaſum ad cornu Epiſtolæ, prope murum ſubtus Altare præcipuum. Tunicam laceram & vilem ſibi ſervavit Ludovicus de Eſcobar, ejus Confeſſarius, quam pro magno donario accepit Alphonſus a Fonſeca Archiepiſcopus Compoſtellanus a Præſide Cœnobii. Populi erga defunctũ devotio.

XXV. Toto eo tempore, quo inter Fratres converſatus eſt, numquam viſus eſt iraſci, turbari, otioſe agere, aut loqui, quempiam offendere, jejunia laxare, clanculum manducare, præceptis obedientiæ reluctari, cum fœminis converſari, verbis contendere aut jocari, cuipiam detrahere aut adverſari. Nihil in eo reprehenſione dignum aliquando obſervatum eſt; ſed omnia potius laude & imitatione digniſsima. Humilitas in eo enituit profunda, auſtera pœnitentia, rigoroſum jejunium, ſtrictiſsima paupertas, promptiſsima obedientia, puriſsima caſtitas, ferventiſsimus in Deum amor, & ſingularis in proximos caritas. Qualis Dei in rebus humanis providentia, ut ea in urbe, ubi maxime efflorefcunt ſcientiæ liberales, & litteræ præcellunt humanæ, hominem hunc inter tot ſapientes & Magiſtros voluerit annis multis converſari, & tot virtutibus prælucentem ab omnibus honorari, ut oſtenderet, veram illam eſſe ſcientiam, quæ pietatem docet, virtutes Optimæ illius qualitates.

Chryſoſt. hom. 1. in 1. Cor. c. 2. Iſa. 23. & 33. Idem homil. 21. in c. 6. ad Epheſ.

tes ingenerat, Dei ingerit timorem, & mundi inſerit contemptum: *Nihil par eſt operanti gratiæ, quæ omnia vincit*, & per quam Deus *perdit ſapientiam ſapientum*. Non itaque curandum eſt, *quomodo te reddas florentem, & magnæ exiſtimationis in doctrinis externis, & facias gloria inſignem; ſed ſtude quatenus te doceas mundum deſpicere: inde fies ſplendidior, & gloria illuſtrior*. Et quidem in nobili illo Athenæo Salmanticenſi, inter ſumme illuſtres illuſtrior hic pauper Fraterculus ab omnibus ſummo in honore eſt habitus. Opus eſt moribus, non dicendi facultate; vitæ modeſtia, non orationis vehementia; factis non verbis: Hæc gloriam advehunt, hæc cœlorum Regnum conciliant.

XXVI. In Monumentis manuſcriptis provinciæ ſancti Jacobi, quibus recenſentur Capitula & Congregationes factæ ſub Vicariis Obſervantum, refertur ita ſtatutum fuiſſe in Congregatione XLIV. celebrata Salmanticæ anno MDVII. *Reliquiis venerabilis, ac ſanctæ memoriæ Patris fratris Joannis Hortulani, aliquis modus ſingularis, & ſignatæ ſepulturæ fiat, ſicut melius viſum fuerit expedire, taliter tamen, quod neque ultra, quam deceat venerari eum, qui a S. R. E. nondum eſt canonizatus, notari minime poſſimus, neque funus ejus abſque aliqua memoria inter communes Fratrum ſepulturas permaneat, ſed quod apponatur ad ejus ſepulcrum aliquod Epigramma, vel Epitaphium tantum*.

Floret Andreas Groſſetanus. *Tom. 10. anno 1425. n. 20. Marc. 3. p. l. 7. c. 41. Cimar. 4. l. 1. c. 32.* Et Antonius a Gavaciis. *Tom. 10. anno 1412. n. 32. & Tom. 11. anno 1444. n. 65. Myrans lib. de orig. Annunciat. Corn. a Lapide in cap. 5. Baruch. Lipſ. l. 2. Lovan. c. 17.* Ordo Annunc. fundatur a Joan. Valeſia.

XXVII. Circa hoc tempus floruerunt Andreas Groſſetanus, de quo alias diximus, in oratione mentali aſſiduus & immobilis, qui fixis oculis Solem intuebatur in lucis æternæ contemplatione immerſus, & beatam Virginem Mariam meruit in hac vita radiantem videre. Obiit in vigilia ſancti Laurentii, ſepultus in Cœnobio Navis in Tuſcia. Et Antonius a Gavaciis Laudenſis, de cujus ſanctitate, & ſepulturæ loco, apud quoſdam dubio, ſuo loco peractum eſt.

XXVIII. Hoc anno Alexander Pontifex approbavit Regulam Ordinis Sororum Annunciatarum a Joanna Valeſia, Franciæ Regina, Ludovici XI. filia, Caroli VIII. ſorore, Ludovici XII. uxore, cooperante Gilberto Nicolai, alias Gabriele Maria Minorita, fundati. Poſtquam enim a viri conſortio ſoluta eſt, tota pietatis operibus addicta, Ducatus Bituricenſis dono accepti, fructibus ſe ſuſtentavit, magnamque illius partem, & reditus alios piis uſibus impendit, & Monaſterium decem Beneplacitorum, ſeu Virtutum beatæ Mariæ Virginis Biturici extruxit. A pueritia cum Chriſto verſata, poſt diverſas ab ipſo, ejuſque ſanctiſſima Matre acceptas revelationes, de hac præſertim Religione inſtituenda, cum ad ſolidiorem ſtatum opus perduxiſſet, & Regulam a prædicto proprio ſuo Confeſſario accepiſſet, eum in Urbem deſtinavit, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritate cuncta ſtabilirentur. Initio ille obſtacula offendit, nedum Pontifice, verum etiam quibuſdam Cardinalibus refragantibus. At vero ſacrificiis & precibus rem omnem Deo, ejuſque Genitrici, cujus cultus per hoc Inſtitutum promovebatur, commendans, inſperato vocatur a Joanne Baptiſta Ferrario Cardinale tituli ſancti Chryſogoni, Epiſcopo Mutinenſi, Datariæ Apoſtolicæ Præfecto, & bene ſperare jubetur, ſeque illius negotii fautorem ac promotorem ſpopondit, affirmans nocte præterita, ut ita faceret, ſe a ſanctis Laurentio & Franciſco in ſomniis præmonitum. Obtinuit tamdem datum VIII. Kalendas Auguſti Diploma Pontificium Gilbertus: cum quo dum lætus Bituricum revertitur, in itinere in prædones incidit, quorum ferociam, in horrendam foveam, nivibus oppletam dilapſus, incolumis evaſit. Joanna Regulam reverenter acceptam, approbatione Pontificis veneratione digniſ-

gniſſimam, religioſæ Sororis febrientis capiti impoſuit, & ſalutem reſtituit. Regulam autem ipſam Bullæ Leonis X. inſertam, nos ſub annum MDXVII. proferemus, & vitam Joannæ inſtitutricis ſub annum MDIV. quo deceſſit, ex variis Scriptoribus miniſtrabimus. Refert Alexander Taſſonus in ſuis Chronicis Mutinenſibus Manuſcriptis, Alexandrum Pontificem ſub hunc annum præcepiſſe, ut natale ſancti Franciſci pro feſtivo ab omnibus haberetur.

XXIX. Facultas Theologiæ Univerſitatis Maguntinæ, exemplo Pariſienſium & Colonienſium provocata, ſtatuit hoc anno die XIII. Octobris defendere beatam Virginem Mariam præſervatam, exemptam & immunem ſemper fuiſſe ab originali macula, & neminem debere admitti ad gradus Theologicos, qui prius non juraret, ſe nullo unquam tempore fauturum opinioni contrariæ.

Trith. in Chron. Sponcimen. hoc anno. Academiæ Moguntinæ decretum de Conceptione Virginis.

XXX. Aſſumpti ſunt hoc anno ad Epiſcopatus, frater Antonius de Tauro Hiſpanus ad Caſtrenſem in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano, per obitum Joannis, X. Kalendas Auguſti: frater Joannes N. ad Glandolacenſem in Hibernia, ſub Archiepiſcop. Dublinen. per obitum Ivonis, die XXI. Auguſti: frater Garſias N. ad Byblen. in Phœnicia, ſub Patriarcha Antiocheno, die XVIII. Septemb. frater Jacobus de Turre ad Tullenſem in Lotharingia, ſub Archiepiſcop. Treviren. die XXVIII. Octobris; frater Gregorius de Seccheud ſacræ Theologiæ profeſſor ad Sebaſten in Samaria, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, VIII. Idus Octobris.

Fr. Anton. Epiſc. Caſtren.
Fr. Joan. Epiſc. Glandolacen.
Fr. Garſias Byblen.
Fr. Jacob. Tull.
Fr. Greg. Seb.

XXXI. Intra vel extra oppidum, ſeu urbem Politii in regno Siciliæ, diœceſis Cephaleditanæ, ut domus ædificari poſſet pro Fratribus Obſervantibus in loco opportuno, ab Univerſitate concedendo, deprecante Vicario ac Fratribus, indulſit hoc anno Pontifex: *Sacræ Religionis*. III. Nonas Januarii. Porro illi lente domum extruxerunt ad D. P. ab oppido ſub nomine ſanctæ Mariæ de Jeſu. Habetur hic in veneratione antiquiſſima & devota Virginis imago, floruitque ibidem Vincentius Marinus, vir in rebus agendis peritus & ſolers, olim ab Ordinis ſecretis.

Conv. Politii. *Conv. in Prov. Siciliæ Conv. 11.*

XXXII. Cum ad radices prærupti & aſperrimi montis Alojæ in Cantabria, Rodericus a Balzategni paſtor gregem minaſſet, pulcherrimam vidit virginis Mariæ imaginem rubo implexam. Veneratus ſimulacrum, ad Onatenſe oppidum VI. M. P. diſtans, celeriter abiit, & quod viderat, narravit. Supplicatione diſpoſita, illuc profecti oppidani, debitis honoribus imaginem proſequuti, ædiculam illic ſub titulo ſanctæ Mariæ de Arançaço, ſive de Rubo (etenim apud Cantabros Arançaça rubum ſignificat) conſtrui curarunt. Tantus fuit deinde Cantabrorum ad locum concurſus, tamque frequens munerum largitio, ut Patres Mercenarii, obtenta ab oppidanis ædicula, Cœnobium adjunxerint; ſed deſertæ rigidæque manſionis ab oppido valde remotæ pertæſi, locum deſeruerunt, quibus protinus ſucceſſerunt quidam ex Tertio Ordine ſancti Franciſci, qui ædificium imperfectum compleverunt. Hos autem cum ad Inſtitutum Minorum Obſervantum Franciſcus Cardinalis Ximenius generalis reformator omnium Religionum in Hiſpania Apoſtolica deputatus auctoritate reduxiſſet, Petrus de Oñate Miniſter, & Fratres Tertiarii ſibi pridem ſubjecti, mutationem hanc Inſtituti petierunt ab Alexandro Pontifice hoc anno confirmari, concedique facultatem Eccleſiam Conventumque commodum illic ædificandi, adjunctis aliis ædificiis, quæ loci deſerti incommoda videbantur exigere. Univerſa conceſſit Pontifex, dato diplomate ad Epiſcopos Calaguritanum & Calmenſem, & ad Abbatem Collegiatæ Eccleſiæ beatæ Mariæ de Cervaruca: *Sacræ Religionis*. XII. Kalendas Septembris.

Conv. de Rubo ſive de Arançaço.

XXXIII. Ex hoc porro tempore judico, Cœnobium in poteſtate Obſervantum tranſiiſſe. Sed Franciſcus Gonzaga aliter narrat, dicens, Tertiarios ad votum Catholicorum Regum Ferdinandi & Eliſabethæ ad Inſtitutum Prædicatorum tranſiiſſe, in eorumque poteſtatem domum tranſtuliſſe, & non niſi anno MDXIV. ſub Leone X. ex definitiva quadam ſententia ad Franciſcanos rediiſſe. Unde vero hoc habeat non producit. Eſt autem ſacra hæc ædes in univerſa illa regione celeberrima, continuis miraculis beatæ Virginis commendatiſſima. Unde cum univerſa ſortuito anno MDLII. conflagraret, intra breviſſimi temporis ſpatium ex eleemoſynis ultro oblatis, major & pulchrior refecta eſt. Magnum contulit fabricæ ſubſidium Rodericus Gomez a Silva, Ebolitanorum Princeps, cubiculo Philippi II. Præfectus. Vicinorum populorum, & ſi aliquanto diſtantium frequens eſt ad Cœnobium concurſus, nihilque permittunt Fratribus neceſſarium deſiderari. Commorantur illic Fratres ferme quadraginta, vigetque pro adoleſcentibus ſtudium Philoſophiæ.

Gonz. in Prov. Cantab. Conv. 4.

XXXIV. Roderico Henrici Oſſorio Comiti de Lemos indulſit hoc anno Pontifex, ut domum Fratrum Obſervantum (*propter eorum*, inquit, *exemplarem vitam, ac uberes fructus, quos incolis locorum, in quibus degunt aſſidua & devota Divinorum officiorum celebratione, verbi Dei prædicatione, ac confeſſionum diſcreta auditione ſolent afferre*) ædificare poſſet in ſuo oppido de Monteforte de Lemos, Lucen. diœceſis in Gallæcia: *Eximiæ devotionis affectus*. pridie nonas Septembris. Inchoatum porro ædificium ſub titulo ſancti Antonii de Padua ab Henrico, non niſi anno MDIII. aſſerit Gonzaga, & morte ſuperveniente, remanſiſſe imperfectum, ſed ab Alvaro Oſſorio Henrici filio, & Beatrice de Caſtro ejus conjuge, templum fuiſſe completum. Hinc genti Oſſoriæ ceſſit juſpatronatus, & ſacellum præcipuum. Promovit etiam fabricam Rodericus a Caſtro, Henrici nepos, Hiſpalenſis Archiepiſcopus S. R. E. Cardinalis, deſtinata honeſta ſumma pecuniæ ad aliquot annos pro operis conſummatione. Student hic Fratres adoleſcentes Philoſophiæ, & commode vivunt Fratres ferme triginta.

Conv. Monfort.

Idem in Provin. S. Jacobi Conv. 29.

XXXV. Fridericus III. Imperator, Maximiliani hoc tempore imperantis genitor, ante annos ſeptem, obtinuit a Miniſtro Provinciæ Auſtriæ Pontificia ſuffultus auctoritate, ut amotos e Conventu Laybenſi præ vetuſtate labente, quatuor vel quinque illic habitantes Patres Conventuales, per alios Conventus diſtribueret, & Fratres Obſervantes illorum loco majori in numero collocaret. Ita porro factum, & nobilis vir Willelmus de Aurgpech, Maximiliani Capitaneus generalis in Ducatu Carniolæ, Eccleſiam & domum magnifice reparavit, cultumque Divinum religioſe adauxit. Hoc anno Pontifex translationi, introductioni & reformationi prædictis robur adjecit.

Conv. Laybenſis.

Reg. Alex. l. 59. fol. 112.

XXXVI. Willelmus Dux Juliacenſis & Montenſis, Comes Ravensbergenſis, Dominus Hesbergenſis & Luſenburgenſis obtinuit hoc anno licentiam ædificandi Obſervantibus domum in Monte S. Jodoci prope Bilefeldiam, Padebornenſis diœceſis in Weſtphalia: *Piis ſupplicum votis*. VII. Kal. Octob: opus autem incepit an. MDII. & Fratres in poſſeſſionem inchoati ædificii introduxit, datiſque litteris Dunſeldorpii, juſſit ut omnes urbis Bilefeldenſis Vicarii, Paſtores, Sacerdotes, Clerns univerſus, una cum Scholaribus introductionem Fratrum in prædictum locum per ſuos officiales faciendam, debito comitatu honeſtarent. Unde miror quantum ab hac narratione Pontificis, & illius Cœnobii monumentis expreſſa, diſcrepet Gonzaga, qui Eccleſiæ constructionem hoc anno tribuit cuidam Joanni Scrageo opulento mercatori, alia-

Con. Bilefeldiæ.

Idem in Provin. Colon. Conv. 18.

que

que adjungit, quæ cum Bulla Pontificia minime poſſunt cohærere. Devenit autem Bileſeldia in poteſtatem hæreticorum, & Fratres ad multas anguſtias redacti ſunt. In Comitiis Colonienſibus anno MDCXXVII. Conventus adjudicatus eſt Provinciæ Saxoniæ ſanctæ Crucis.

XXXVII. Diximus ſupra, Monaſterium decem Placitorum, ſeu virtutum beatæ Mariæ Bituricis a beata Joanna Valeſia Franciæ Regina fuiſſe conſtructum, regulamque in eo ſervandam Alexandrum confirmaſſe, quam ipſa Joanna etiam hoc anno ſolenniter coram Epiſcopo Albienſi, aliiſque nobilibus viris profeſſa eſt. Poſt ejus deceſſum Eccleſia conſecrata eſt anno MDXX. per Gregorium de Ambaſia Cardinalem, Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legatum, ita curante P. Gabriele Maria, qui Monaſterium per aliquot annos gubernavit. *Hoc anno n. 28. Mon. Annunciatæ Bituricen. Idem in Provin. Turonen. Piſſav. Mon. 1.*

XXXVIII. Martinus Zuperius, civis Raguſinus, facultates ſuas reliquit Communitati & Magiſtratui urbis pro conſtruendo Monaſterio Clariſſarum, ſecundum primævam inſtitutionem Ordinis ſanctæ Claræ, ſub cura & regimine Fratrum Regularis Obſervantiæ. Cum autem Rector & Conſilium Civitatis judicarent locum maxime idoneum pro his piis ædibus conſtruendis, ſitum contiguum Eccleſiæ ſancti Petri majoris, quæ de Jure patronatus erat quorumdam laicorum, & tunc vacabat per obitum Franciſci de Gradis ultimi Rectoris, rogarunt Pontificem, ut, conceſſa Monialibus prædicta Eccleſia, concederet etiam facultatem contiguum Monaſterium extruendi, & primas Inſtitutrices ex Monaſterio ſanctæ Claræ illuc transferendi, eiſque liceret in reliquis obſervato rigore primæ Regulæ ſanctæ Claræ, poſſeſſiones & bona immobilia habere, dum ea in urbe difficile poſſent ex mendicitate vitam transigere. Cuncta Pontifex hoc anno conceſſit: *Injunctum nobis*. IV. Nonas Junii. Vivunt in hoc Monaſterio ſub invocatione ſancti Petri Virgines viginti, cui ædificando cum non ſufficerent a Martino legata, Rector & conſilium, quæ deerant ſuppleverunt. Anno MDVI. dum Fratres, quorum regimini eas Pontifex ſubjecit, nollent illarum curam habere, niſi ſecundum Inſtituta primæ Regulæ nudis pedibus incederent, & a carnibus abſtinerent, indulſit Julius II. ut juxta morem Monaſterii ſanctæ Claræ ejuſdem urbis, & calceatæ incederent, & carnibus veſcerentur. *Mon. Raguſin. Reg. Jul. II. lib. 9. fol. 293.*

XXXIX. In urbe Firmana (cujus digniſſimus Archiepiſcopus Joannes Baptiſta Rinuccinus nobilis Florentinus, multis titulis illuſtris, nunc Apoſtolicum agit Nuncium apud ſupremum conſilium Confœderatnrum Catholicorum in Hibernia, ad humillimas meas preces illuc a ſanctiſſimo Domino Innocentio X. deſtinatus) pia fœmina Jacoba, Leonardi Firmani conjux, ſimiliter omnes ſuas ex teſtamento legavit facultates, ut pro Clariſſis ſub correctione, & viſitatione Fratrum Regularis Obſervantiæ victuris Monaſterium conderetur. Ita factum hoc anno, ſed non ſub Julio II. uti habet Gonzaga, ibique commorantur intra muros Civitatis Sorores ferme ſexaginta ſub titulo *ſanctæ Mariæ de Gratiis*. *Mon. Firmanum. Gonz. in Prov. March. Mon. 4.*

XL. Maria Abulenſis, ſive de Avila, nobilis fœmina, relicta quondam Ferdinandi de Acuña, Siciliæ Proregis, obtinuit hoc anno facultatem ex bonis ſibi relictis conſtruendi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ in convenienti loco Abulenſis vel Salamantinæ aut Segobienſis Diœceſum, quæ tamen Fratribus Regularis Obſervantiæ ſubjicerentur, & poſſent in ſuo choro ſanctiſſimum habere Euchariſtiæ ſacramentum. Aſſenſit votis Pontifex hoc anno: *Sacroſanctæ militantis*. III. Idus Martii, & in litteris datis ad Abbatem Monaſterii ſancti Spiritus extra muros Abulen. facultatem adjunxit, *Mon. Gordillatum.*

ut ipſa Maria ad Clariſſarum conſortium & profeſſionem admitteretur, & Monaſterio, ſi videretur ad regimen idonea, præficeretur. Illa interim per annos quinque cum duodecim piis fœminis Tertii Ordinis habitabat in domo religioſo more conſtructa prope Monaſterium ſanctæ Mariæ de Conſolatione oppidi Calabazani, Palentinæ Diœceſis. Sed cum arctiorem & perfectiorem vitam inire cuperet vehementer, ſtatim poſt obtentam Pontificis licentiam, delecto loco opportuno prope pagum Gordillarum, Abuleoſis diœceſis, Clariſſarum Monaſterium inchoavit, ad quod rudis adhuc ſtructuræ ſe contulit ſub finem anni ſequentis, vocatis in ſocietatem prædictis ſociis duodecim, ſeniſque Sororibus ex Monaſterio Calabazani, quæ reliquas vitam docerent regularem. Ut vero tutius & commodius viverent Sorores, ſub annum MDLII. translatæ ſunt in ipſam urbem Abulenſem, ubi ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, retento etiam agnomine prioris loci de Gordillis, inhabitabant Sorores quinquaginta quinque, juxta numerum a fundatione præfixum. Ipſa autem jacet in choro inferiori, Sepulcro Alabaſtrino. Semper hic floruerunt Virgines ſumma pietate, & exactiſſima Regulæ Obſervantia. Sub finem ultimi ſeculi illic quieverunt in pace Maria Meſſia, abſtinentia, corporis maceratione, erga pauperes caritate, & vehementiſſimo martyrii deſiderio inſignis: Franciſca de Angelis, vitæ incontaminatæ & pauperrimæ, Eliſabetha de Dueñas, Urſula de Sanctis, & Florentina de Herrera, ſui Inſtituti perfectæ ſectatrices, virtutibus illuſtres.

Idem in Provin. Concept. Mon. 4. Monum. MSS. ejuſd. Prov.

XLI. Reges Catholici Ferdinandus & Iſabella inſigne hoc anno inchoarunt in urbe Granatenſi, quam ante paucos annos e Maurorum eripuerunt poteſtate, Clariſſarum Monaſterium ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ. Septuaginta capax eſt Sororum Urbaniſtarum, reditibus locuples, religioſa obſervantia commendatiſſimum. Floruerunt ibidem pleræque Sorores ſanguine & virtute illuſtres; præcipuæ ſunt Ludovica a Cruce prima Abbatiſſa, in ſeculo dicta Tereſia de Torres, Comitiſſa Villarenſis, Michaelis ab Iranzu, Comitis Stabuli Caſtellæ conjux, quæ poſt viri obitum, ſecreto e domo receſſit, Aſtigii religioſam ſubiit vitam, & exinde tranſlata eſt ad regimen novi hujus Monaſterii, cujus prima inſtituta eſt Abbatiſſa; Iſabella Lucæ, Maria de Bobadilla eodem functa officio, Eliſabetha Gonzales, Beatrix a Beamonte, & aliæ quarum memoria ſub annos, quibus deceſſerunt, opportune recurret.

Mon. Granaten. *Gonz. in Prov. Granat. Mon. 12. Monum. MSS. ejuſd. Prov.*

XLII. Traditus hoc anno Sororibus Ordinis Conceptionis immaculatæ Virginis Mariæ, paulo ante a Beatrice de Silva inſtituti, Conventus ſancti Franciſci urbis Toletanæ, uti alias admonuimus. Etenim cum Patres Conventuales hujus Cœnobii hactenus incolæ, ad alios Conventus abire juſſi, hunc Obſervantibus ceſſerunt, atque iſti alium inſignem ſancti Joannis a Regibus Catholicis Ferdinando & Eliſabetha conſtructum in eadem urbe haberent, decretum eſt in Comitiis provincialibus hoc anno apud Civitatem Regiam celebratis, antiquum domicilium ſancti Franciſci prædictis Sororibus relinquere, id maxime cupientibus Regina Eliſabetha, & Franciſco Ximenio illius urbis Archiepiſcopo. Tranſlationem hanc poſt aliquot annos Julius II. ſuo diplomate probavit, & Sorores titulum ſancti Franciſci in Conceptionis tranſtulerunt: Domus vero, quam Sanctimoniales eo uſque poſſidebant, converſa eſt in egregium & capaciſſimum Xenodochium, quod Petri Gonzalvi a Mendoza, olim Toletani Archiepiſcopi, appellatur. Primum & præcipuum hujus Inſtituti Monaſterium hoc eſt, ſeptuaginta ferme Sororum capaciſſimum, ab eoque prodierunt pleræque Sorores, multorum ejuſdem Ordinis Monaſteriorum fundatrices. Illic jacet ipſa religioſiſſimi Inſtituti ſupradicta fundatrix.

Mon. Concept. Toletan. *Tom. 1. an. 1217. n. 26. & Tom. 14. an. 1479. n. 31.*

Gonz. in Provin. Caſtel. Mon. 21.

XLIII. In

XLIII. In urbe Montis-Regalis, in Regione Pedis-Montium, cujus Epiſcopus ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Taurinenſis, ſub hoc tempus Monaſterium fuiſſe Sororum Tertii Ordinis, ſub invocatione ſancti Franciſci, mihi conſtat ex diplomate Alexandri, quo Cantori Montis-Regalis, & cuidam Canonico Taurinenſi committit deciſionem litis motæ contra Monaſterium, per Franciſcum de Oymo, Rectorem Eccleſiæ beatæ Mariæ Berdulli, contendentem ſibi deberi decimas ex fructibus terrarum & prædiorum, quæ poſſidebant in diſtrictu prædictæ Civitatis. *Domus Sororum Mon-regalis. Regeſt. Alex. lib. 212. fol. 143.*

XLIV. In urbe Peruſina, præter domum ſanctæ Agnetis Sororum Tertii Ordinis, aliaſque ejuſdem Inſtituti ea in urbe extructas, de quibus ſuis locis actum eſt, aliam adjungi conceſſit hoc anno Pontifex ad preces nobilium mulierum Hippolytæ, Lucretiæ & Camillæ de Ballionibus. Etenim, cum illæ obtinuiſſent a quibuſdam Confratribus Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Virginibus, ſtatuerunt juxta eam Monaſterium prædicti Inſtituti conſtruere, gubernandum juxta ritus, mores & inſtituta regularia, quæ vigebant in ſupradicta domo ſanctæ Agnetis, & ſub regimine ac directione Guardiani pro tempore exiſtentis, & Fratrum Cœnobii ſancti Franciſci de Monte, Reg. Obſerv. extra muros Peruſinos conſtituti, & in eo congregare Thomaſiam Nicolai Piorcoli, Gabrielam Antonii della Fiore, ac alias quaſcumque Sorores dicti Tertii Ordinis, in eadem Civitate per domos privatas extra Monaſteria habitantes. Incipit diploma: *Paſtoralis officii*. v. Idus Septembris. *Domus Sororum Peruſina S. Mariæ de Virginibus.*

XLV. Sub annum MCCCCLX. Petrus a Merxocira Tertii Ordinis accepit ab incolis oppidi Cernamcellæ, Diœceſis Bracharenſis in Luſitania, Eremitorium quoddam in margine fluvii Tavoræ ſitum, & Cœnobiolum adjunxit Fratrum ejuſdem Inſtituti. Sed cum opus imperfectum reliquiſſet, ubi deceſſit, quædam ejus conſanguinea dives & præpotens, pulſis Fratribus, quaſi jure hæreditario locus ille ad ipſam ſpectaret, eum occupavit. Sed Joannes II. a fratribus interpellatus anno MCCCCXCV. ſui regni ultimo, eiſdem juſſit reſtitui. Dum tamen ibidem per paucos annos minus commode, & abſque ſufficienti victu commorantur, loco valedixerunt. Ita deſertum, nobilis quædam fœmina Maria hoc anno ſive præcedenti, ut alii volunt, refecit, & Sororibus Tertii Ordinis ſub cura & regimine Fratrum ejuſdem Inſtituti tradi curavit. Ab anno vero MDLXIX. earum curam gerunt Fratres Regularis Obſervantiæ Provinciæ Portugalliæ. *Domus Cernamcellæ. Gonz. in Provin. Portug. Mon. 20.*

XLVI. Ex monumentis Colonia miſſis percipio, hoc anno Monaſterium Sororum ejuſdem Tertii Ordinis, ea in urbe extitiſſe in Graloch in lata platea, quibus Miniſter, Subminiſter & Fratres Cœnobii ſanctæ Mariæ ad Olivas tunc Tertii Ordinis, nunc primi, reſignarunt domum quamdam, additis quibuſdam conditionibus. Stipulationi inſtrumenti die XIII. Januarii adfuit Magiſter Rolandus de Colonia Miniſter PP. Conventualium, qui poſtea tranſivit ad Obſervantes. *Dom. Colonien. in Graloch. Monum. MSS. Prov. Colon.*

XLVII. Multas poſſeſſiones, & pingues reditus habuiſſe hoc anno arcam & fabricam inſignis cœnobii PP. Conventualium ſancti Antonii Patavini in villa Anguillariæ, mihi conſtat ex conventione inita inter Joannem Pedemontanum laicum Paduanæ Diœceſis, & Maſſarios ſeu deputatos gubernationi bonorum & redituum arcæ & fabricæ prædictæ. *Reditus Convetus Patavini.*

XLVIII. Concedit hoc anno Vicario Generali Ciſmontano facultatem incorrigibiles ab Ordine expellendi: *Cum ſicut nobis*. XV. Junii, & univerſis Fratribus Obſervantibus communicationem privilegiorum aliis quibuſcumque Religionibus conceſſorum: *Sacræ Religionis*. V. Februarii. *Varia privilegia.*

Uni-

Univerſis Clariſſis primæ & ſecundæ Regulæ, ac Sororibus Tertii Ordinis ſub diſciplina Fratrum Regularis Obſervantiæ degentibus, largitur exemptionem a quibuſcumque taxis, decimis, collectis, aliiſque impoſitionibus, quantumvis Pontifex omnibus Eccleſiaſticis decimas impoſuerit pro ſubſidio ferendo contra Turcas, bellum Chriſtianis inferentes: *Expoſitum fuit nobis*. XXIII. Maii. Declaravit, Vicarios Generales & Provinciales poſſe reſervare ſibi caſus; Obſervantes non poſſe ſuccedere in hæreditatibus; Poſſe Fratres Euchariſtiam adminiſtrare in Paſchate, in quibuſdam partibus Sclavoniæ; Clariſſas & Tertiarias non teneri ad ſolvendas contributiones: *Intelleximus aliquos*. die XXIV. Julii. Rogante etiam Hieronymo Torniello Vicario Generali, die XV. Julii indulſit ipſi & Vicariis provincialibus, quod poſſint commutare vota mulierum promittentium ſe ingreſſuras Ordinem ſanctæ Claræ, in vota Tertii Ordinis, in eoque poſſe profiteri, præſertim quando non poſſunt ingredi Religionem Clariſſarum. Alia plæraque largitus eſt Fratribus, & Sororibus privilegia, quæ apud alios habentur congeſta.

Roderic. in bullar. Firmam. 1. Ordin. Speculum Minorum.

ARGUMENTUM.

In Orientalibus Indiis fidei negotium promovent Minoritæ, & in Occidentalibus multa peragunt laudabiliter. Franciſcus Ximenius Maurorum Granatenſium converſioni totus intendit. Complutenſem urbem multis modis exornat. Bibliorum Complutenſium editionem magnis impenſis, accitis undique viris doctiſſimis, aggreditur, & tamdem aſſequitur. Rei litterariæ & pietati aliis etiam modis proſpicit. Obſervantes Ultramontani Generalia celebrant Comitia. Exordia recenſentur provinciæ ſancti Gabrielis. Moritur Cherubinus Meſſanenſis. In provincia Etruriæ florent viri illuſtres, & piæ Moniales. Tartari in minori Polonia vim inferunt Minoritis. Creantur Epiſcopi. Dilatatur Inſtitutum.

I. EMANUEL Luſitaniæ Rex, cognitis rebus per ſuos in India Orientali geſtis, & a Calecutano Rege illatis injuriis, quas ſupra indicavimus, hoc anno claſſem paravit navium viginti, rebus omnibus inſtructiſſimam, quæ vel amicis præſidio, vel hoſtibus poſſet eſſe terrori. Præcipuam partem commiſit Vaſco Gammæ, præcipuo illarum regionum exploratori, cum ſummo totius Arabici, Perſici, & Indici maris imperio. Ille, cum IV. Idus Februarii Ulyſſipone ſolviſſet, ex itinere Abrahamum Quiloæ Tyrannum tanto apparatu perterritum, Emanueli ſtipendiarium feciſſet, ingentem Sarracenorum navem militibus, & omni telorum genere paratiſſimam, Calecuto redeuntem expugnaſſet, ac in Malabares trajiciens, Cananorem, & Cocinum tetendiſſet, legatos excepit e vetuſtiſſima illorum ſtirpe, quos Thomas Apoſtolus olim ad Chriſti fidem a Brachmanorum fabulis, & impura ſuperſtitione traduxit. Urbem habebant illi Crangannrem, non longe a Cocino diſſitam; ſed a Regulis Ethnicis in miſeram ſervitutem redacti, in adventu Luſitanorum novam Divinitus aſſulſiſſe lucem reputantes, conſilio inter ſe habito, miſerunt, qui Gammæ dicerent, ſe & vetuſtiſſimos Chriſti famulos eſſe, & hoc ipſo Luſitanici nominis cupidiſſimos, multa ſe a Barbaris indigna quotidie pati; petere & orare, ut Emanuelis Regis nomine ſe ſuaque omnia in patrocinium fidemque recipiat. Sub hæc, deditionis inſigne, ſceptrum argento decoratum Gammæ ſupplices detulere.

Maffejus l. 2. hiſtor. Indic. Oſor. de rebus Emanuelis lib. 2. Gonz. in Provin. ſancti Thomæ. Anno 1501. n. 1.

Luſitani ſolvunt in Orient. Indias.

Itineris facinora.

re. Quos ille benigno vultu, comiter & amice complexus, bono animo eſſe jubet: vel in primis mandatum ſibi a Rege Luſitaniæ affirmans, ut Chriſtifideles, quotquot in ea regione ſuperſint, omni opere atque auxilio ſublevet: nondum id ſibi per Calecutanorum inſidias, & quotidiana vitæ diſcrimina licuiſſe, ac ne tum quidem ob anguſtias temporis, reditu jam jamque imminente, poſſe illis, quam vel maxime cupiat, operam ſtudiumque præſtare. Ceterum, quæ prima ſe occaſio det, enixe curaturum, ut non ſine cauſa Chriſtiani omnes in Regum Luſitaniæ pietate opibuſque, certiſſimum ſuæ ſaluti, commodiſque præſidium eſſe conſtitutum intelligant.

II. Laudabilis quidem miſellorum per longiſſima ſeculorum ſpatia inter tot preſſuras & calamitates in una Chriſti fide conſtantia; ſed non adeo puram, deficientibus Paſtoribus & Magiſtis, conſervarunt, quin ex infidelium commixtione, & pravis quorumdam doctrinis, errores aliquot admiſcuerint. Gammæ Legationem audienti aderant Henricus Minoritarum Præfectus, cum paucis illis ſociis, qui ex Calecutanis inſidiis ſuperfuerant, qui facile perſuaſerunt, ut afflictas Chriſtianorum reliquias foveret, & ſub optimi Regis tutela tutæ eſſent, efficeret. Illis porro omnem humanitatem & benevolentiam exhibentes, aditum præſtiterunt faciliorem ignaræ, ſed piæ genti ad ſe accedendi, & ſibi aperuerunt ad eos transeundi, unde factum eſt, ut ablegatis erroribus, eos puræ reſtituerint fidei, innumeroſque ritu Chriſtiano baptizarent. Deficientibus etenim inter eos Sacerdotibus, non niſi ab Epiſcopo, qui ad eos raro accedebat, quartum in anno ſacris operaturus, & ſemel parvulos baptizaturus veniebat. Paulo poſt Zamorino Rege Calecutano bellum in Cocinicum movente, quia Gammam, & comites ſibi prodere, vel e ſuis finibus in perpetuum exterminare nolebat, multa paſſi ſunt Fratres incommoda, neque fidei propagandæ eos, quales cupiebant, licuit facere progreſſus. Fecit tamen aliquales in Inſula Capitis Viridis, ſub ejuſdem Regis Emanuelis ditione, Franciſcus a Monte Barrotio, Cœnobii Naulenſis in Riparia Januenſi alumnus, quem illic laudabiliter operantem referunt Monumenta Vaticana Regiſtri Pontificii anno præterito deceſſiſſe.

[Margin: Chriſtianos ſancti Thomæ fovét & inſtruunt Minoritæ.]

[Margin: Franciſcus a Monte Barrotio in inſula Capitis Viridis prædicat. Reg. Alex. l. 277. fol. 115. Herr. de Ind. Occid. dec. 1. l. 4. & 5. c. 1. Monumen. MSS. Prov. S. Crucis.]

III. Reges Catholici Ferdinandus & Iſabella, res Indicas amplius ſtabiliturі, Inſulæ Hiſpaniolæ turbas inter ipſos Hiſpanos fœde graſſantes opportune ſedandas, & Chriſtophoro Columbo, Fratribuſque a Franciſco Bovadillio indigne habitis, ſatisfacere cupientes, Nicolaum Ovandum militiæ Alcantarenſis Larenſem Commendatarium, virum probum & prudentem, cum ſumma poteſtate ad eam inſulam deſtinare, & Bovadillium in Hiſpaniam revocare hoc anno decreverunt. Ut Imperii fines protenderet Ovandus, numeroſam claſſem unius & triginta navium, militemque copioſum Reges ſubminiſtrarunt; ad inſtruendos vero barbaros idololatras, ac procurandas Chriſtianorum animas, Minoritas decem addiderunt, Præfecto Alphonſo Eſpinario, viro litteris, pietate, aſpectu venerando. Solvit ille Sanlucario portu Bœtico Idibus Februarii, portumque ſancti Dominici in Hiſpaniola tenuit XVII. Kalend. Maii; ubi rite, juxta præſcriptas ſibi regulas, diſpoſitis rebus, reductiſque Indis ad Colonias, & civile conſortium, cum prius ſparſim, & abſque certa ſede vagarentur, Miniſtri Evangelici commodius potuerunt, & uberiori fructu, quam qui præceſſerunt pauculi ſocii, religioſa munera obire. Plurimi tunc homines ad fidem converſi, ſacro baptiſmate tincti infantes, frequenti catecheſi inſtructi pueri, fœminæ, quæ ſexum decedebant, edoctæ, idola comminuta, aræ conſtructæ, Divinus cultus palam inſtitutus, novaque facie novus Orbis cœpit promicare. Pro lo-

[Margin: Reges Catholici ad Indias Occid. claſſem mittunt. Et Minoritas decem.]

[Margin: Eorum fructus.]

locorum indigentia Fratres tamquam per ſtationes opportune diſpoſiti, religioſo ardore quidquid ad Indorum converſionem, vel ad Hiſpanorum procurationem ſpectabat, ſolerter obibant. Porro Ovandus grati animi daturus indicia, a Columbo, olim Inſulæ Præfecto, in ſancti Dominici urbe præcipua cœptum Cœnobium ſolide conſtruxit, & Fratribus neceſſaria quæque miniſtravit.

Conv. urbis ſancti Dominici.

IV. Auctorem hujus miſsionis fuiſſe Franciſcum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum, refert his verbis Alvarus Gomeſius. Cum multa gravia, & hominibus Chriſtianis indigna per Hiſpanos Duces, & Centuriones, reliquumque item Hiſpanorum militum vulgus, qui illuc commeaverant, patrari nunciarentur adverſus illas gentes, alioqui imbelles & inermes, ſtatim Ximenius, dum Hiſpali apud Reges moratur, cœpit cogitare, quo pacto his malis ſuccurreretur. Nam, cum omnes illuc trajicientes, unico tantummodo opum congerendarum ſtudio tenerentur, unicaque illa inexplebili auri cupidine, terras ſub alio Sole jacentes quærerent; primo de deprædandis & ſpoliandis miſeris hominibus, & ni aurum proderent, male mulctandis, poſt de erudiendis, & Chriſto initiandis, maligna & perfunctoria cura agebant. Idcirco Regibus Ximenius ſuaſit, ut viros religioſos, ſanctimonia & integritate vitæ præſtantes, ad eam rem curandam tranſmitterent, qui ſolutioris vitæ licentiam omnem comprimerent. Id ſtatim religioſiſsimi Principes effecerunt, & de Ximenii conſilio & voluntate, cum ceteris viris, qui ex omnibus Hiſpaniæ Cœnobiis electiſsimi conquiſiti ſunt, una quoque ſunt profecti Franciſcus Ruizius Ximenii comes, Joannes Traſsierrus (quem alii dicunt maturius illuc navigaſſe) & Joannes Robles, omnes Ximenio cariſsimi & intimi, provinciæ Caſtellæ alumni: quorum cum ille probatiſsimos mores, & inſignem eruditionem cum non vulgari pietate conjunctam abunde noſſet, voluit magis humano affectui pro tempore cedere, quam Chriſti nomini & gloriæ deeſſe. Multum enim intereſſe exiſtimabat, per quos in tam barbaris, tamque late patentibus terris fides prima plantaretur & coleretur. Ex his Franciſcus Ruizius, cum ad cœli mutationem ſuſtinendam parum firmo corpore eſſet, incommodiſsima valetudine vexatus, poſt ſemeſtre tempus ad Reges & Antiſtitem ſuum rediit, Franciſco Bovadillio Hiſpaniolæ Præfecto, in cuſtodia ſecum adducto, ut repetundarum reus ageretur, & variarum criminationum, quæ adverſus illum opponebantur, apud Regium Senatum rationem redderet.

Gomez. lib. 2.

Franciſcus Ximenius curat mitti Minoritas ad Indias.

Vide Herrer. dec. 1. l. 3. c. 9. & quæ diximus an. præced. num. 2.

V. Porro Ximenius poſtquam jam diu a ſua diœceſi, totus intentus converſioni Maurorum Granatenſium abfuerat, Complutum Natalem Domini celebraturus abiit; ſed dum illic Academiæ molem, quam parabat, adurget, & Pontificiæ ſuæ ditioni omni ſtudio proſpicit, Alpuxarrenſes, qui montea nivoſos urbi Granatæ imminentes incolunt, partim Granatenſibus indignati quod cæremonias patrias reliquiſſent, partim ne ipſi quoque eo eaſdem deferendas cogerentur veriti, præruptorum montium, quos habitant, natura freti, defectionem adhorti ſunt. Hæc res non mediocriter animos Regum conturbavit, nam in expugnanda Provincia, nullibi durius aut periculoſius laboratum & dimicatum fuerat. Cuncti in Ximenium denuo fremere, ejuſque rurſus conſilium improbare, quod pertimeſcendæ illius ſeditionis cauſa & origo videbatur. Idcirco per litteras a Regina revocatus, rurſus Granatam venire cogitur, operibus ædificiorum, quibus intendebat, interruptis. Quo cum iter ſtudioſe faceret, antequam ad urbem Granatam perveniret, omnem tumultum Regis virtute ſedatum fuiſſe, & Alpuxarrenſes, totumque illum ſaltum habitantes, qui a colore *Sierra Vermexa* noſtra tempe-

Ximenius Granata Complutum venit.

Granatam revertitur Mauros pacificaturus.

peſtate, olim *Oroſpeda* Græco nomine, propter tramites rupibus impeditos eſt appellatus, acri prælio & cruento devictos, tamdem Chriſti ſacra ſuſcepiſſe, per amicorum litteras agnovit. Permultum ea victoria animos Ximenio obtrectantium placavit, qui totam illam querimoniam de Mauris ad ſacra coactis depoſuerunt.

VI. Ximenium Granatam ingredientem, Reges benigniſsime ſuſceperunt, cui in Alhembrana arce, ubi Catholici Reges diverſabantur, locus ad manendum eſt datus, omnique genere comitatis & favoris liberaliter eſt tractatus. Dum igitur duorum ferme menſium ſpatio, arcanis, graviſſimiſque de rebus cum Regibus aſſidue agit, & cum nobilioribus ex Maurorum gente hominibus, qui ſe hortante, Chriſti Religionem ſuſceperunt, libenter verſatus, & fidei Chriſtianæ ab eis rationem expoſcit, in morbum graviſſimum incidit, qui cum longior videretur, parumque Medici remediis vulgaribus proficerent: Reges, quos ſollicitudo incredibilis tenebat, lecto accumbentem ſalutarunt, & dulciſſimis verbis conſolati, & bono ut eſſet animo hortati ſunt. Male habuit humaniſſimam Reginam, & Ximenii imprimis amantem, tanta virium in eo diminutio: idcirco digreſſa, agitare cum Medicis cœpit, an habitaculi & loci mutatione ejus ſaluti conſultum iri crederent? Quibus in re ancipiti & parum cognita omnia tentanda eſſe ſuadentibus, Regina per nuncios obnixe poſtulat, ut quoniam Medici e ſalute ſua id eſſe ſtatuebant, quibus in capitis periculo non obtemperare piaculum eſt, mutatis ſedibus, Genalariſum adeat. Is eſt locus viridariis & hortis amœniſſimus, quo nimirum vernis temporibus exhilarandi animi cauſa Granatæ Reges ſe conferre conſueverant: inde quod eſt proſpectus jucundiſſimus in bonam Civitatis partem, quæ intuentium oculos ſubjecta urbe, mira ratione & varietate oblectat. Paruit Regiis mandatis Ximenius: ſed neque ob hoc melius ſe habere ſentiebat. Menſis unus jam elapſus erat, poſtquam ille Genalariſum migraverat, in dieſque deteriori valetudine uſus, morbo vires majores aſſumente, maraſmum graviſſimum contraxit, & in febrem hecticam incidiſſe videbatur. Nihil Medici interea inconſultum, nihil intentatum aut inexpertum relinquebant. Regina ad illum, quod eximiæ cujuſdam benevolentiæ indicium erat, iterum viſendum anxia divertit. Omni ſermonum genere jacentem confirmat, beneque eum ſperare jubet. Sed morbi importuni, & ſævi, principum hominum præſentiam non verentur; nihilque minus illis deprecantibus aut jubentibus, in mortalia corpora ſævire deſinunt.

Honorifice recipitur a Regibus Catholicis.

Ægrotat.

VII. Erat ferme ad maciem extremam redactus Ximenius, Medicis omnibus nihil ſe amplius ad ejus ſalutem præſtare poſſe aperte profitentibus. Forte aderat nobilis ex Mauris mulieribus fœmina, a Ximenio ſacris aquis intincta, quæ ſuggeſſit, Granatæ quamdam eſſe vetulam, quæ longæ ætatis beneficio edocta (erat enim pluſquam octogenaria) ſine ulla venarum ſectione, & ſine ullo pharmaco ſolis unctionibus morbos depelleret, & corpora in priſtinam ſanitatem reſtitueret. Accerſita mulier, venis exploratis, & ventre pertentato, non eſſe Medicis inſultandum dicit, ſi morbum periculo & difficultate plenum, artis vi depellere nequiviſſent: ſe tamen Deo auxiliante, ſub cujus tutela tantus vir ſpiritum ducebat, ſperare ante octo dies ad priſtinam ſalutem Ximenium redacturam, unctionum dumtaxat, & herbarum beneficio: Unum tamen interea præmii loco depoſcere, ut id Medicis inſciis ageretur, qui auctoritati ſuæ conſulentes, hujuſmodi medelas ab illiteratis hominibus profectas, verbis atrocibus conſueſſent improbare: ſtatimque ad artis ſuæ præſcripta, pugnis quibuſdam verborum, quorum

rum illa imperita erat, omnem rem deducendam curarent. Quod etſi illa parum morabatur, remediorum ſuorum nempe conſcia, permultum tamen ægrotantis intereſſe, ne quid ei ſcrupuli aut ſuſpicionis ex illorum dictis ſuboriretur: quaſi vero dona ſanitatum, non magis Numinis beneficio, quam ope ulla compararentur. Æquum poſtulare viſa eſt mulier, & ne quid deinceps Medicis innoteſceret, curatum eſt. Ergo per noctis tenebras jam omnibus digreſſis, ſedula anus ad Ximenium veniebat, eumque, nemine repugnante, unctionibus fovebat, leniterque oleo condito præfricabat; donec tamdem aſſiduis medelis, intra octo dierum præſcriptum tempus, fidem ſuam mulier liberavit. Cum vero paulatim vires confirmaſſet, ut quamprimum in patriam terram contenderet, monuit, familiarium locorum beneficio priſtinam ſalutem prorſus habiturus.

Complutum ſanus revertitur.

VIII. Facta ſunt omnia ex mulieris præſcripto: nam illico adhortantibus Regibus, Ximenius in Caſtellam profectus, antequam Complutum, quo iter inſtituerat, veniret, integra jam ſanitate fruebatur. Ibi ergo patrii cœli indulgentia, & otii numquam antea conceſſi, beneficio, rurſus animum ad cœpta opera convertit. Sed quoniam in eum locum, ex omnibus Reipublicæ Chriſtianæ gymnaſiis, bonas litteras, jamdiu ab Hiſpania exulantes, reducendas curabat, ad Complutum exornandum ſeſe comparavit. Igitur viam illam, quæ *Maxima* appellatur, rectitudine & longitudine conſpicuam, cœno, & aquarum ſordibus, quæ propter loci planitiem ſtagnabant, oppletam, lapidibus univerſam ſterni juſſit, & medio alveo paulum deprimi, quo aquæ præcipites ſenſim laberentur, illamque puram, & vicinis domibus innocuam relinquerent. Hanc aliquot poſt annos Alphonſus Fonſeca, tertius a Ximenio Antiſtes, vir politioris vitæ, & totius elegantiæ gnarus, ad eam pulchritudinem, quæ nunc cernitur, reduxit, ablatis ligneis columnis, & earum loco marmoreis ſubſtitutis. Ajunt tunc animum Ximenio fuiſſe viam illam maximam ad portam uſque Mantuanam continuare, omnibus ædificiis, quæ ſeſe obiter objicerent, dirutis, ſed negotiorum multitudine, rerumque graviorum interventu, quod propoſuerat, nequaquam effeciſſe.

Urbem exornat.

Cogitat de fundanda Academia.

IX. Interea dum hæc gerebantur, Franciſcus Ferrera, Complutenſis Eccleſiæ Abbas, qui quarto ferme anno Romam miſſus a Ximenio fuerat, de Academiæ Complutenſis erectione cum Romano Pontifice acturus, vir ſane induſtrius, & ad congreſſum potentiorum aptus, obtentis litteris diplomatibuſque illis, quas *Breves* vocant, ad eam rem conficiendam neceſſariis, ad Ximenium venit. Eæ partim Alexandri VI. partim Julii II. indulgentia omni benignitate, omnibus gratiis & favore refertæ, liberaliſſime conceſſæ ſunt. Quas poſtea Leo X. ingeniorum & ſtudiorum magnus fautor, incrementis multis confirmavit. Fuit enim Ximenius, quo tempore vixit, ſummis Pontificibus carus, tum propter ſummam in Sedem Apoſtolicam perpetuo reverentiam, tum propter non vulgaria in eoſdem privatim officia; de quibus per ſua loca dicemus.

Magnifice excipit Burgundiæ Principes.

X. Sub hunc ipſum annum, Philippus Burgundiæ Dux, Regum Catholicorum gener, & Joanna conjux, in Hiſpaniam hæreditariæ ſucceſſioni deſtinandi, pervenerunt; quare Ximenius Toletum profectus, in id omnem curam intendit, ut Senatus Populuſque Toletanus, tanto imperio deſignandos Principes, quam ſplendidiſſimo poſſet apparatu, ad ſe primo venientes exciperet. Fecit id ſedulo officioſa Civitas, nec Ximenius quidquam eorum, quæ ad religioſa officia ſuæ dignitati congrua ſpectabant, omiſit, per quinque ferme menſes Toleti ea de cauſa moratus, parum quidem

dem aulicas delicias curans, ceteraque hominum militarium oblectamenta, qnibus per eos dies regius comitatus ſeſe exhilarabat.

XI. Igitur intentionem omnem ad ea convertit, quæ jamdiu animo meditabatur. Intelligebat ſane vir prudens, ſacrorum voluminum lectionem, quæ *Biblia* Græco nomine paſſim appellantur, cunctis qui ſacris initiati ſunt, ſed præſertim Theologis, maxime eſſe neceſſariam, nullibique magis eoſdem illos rerum Theologicarum ſtudioſos dormitare, quam in ea verſanda tractandaque, idque potiſſimum e trium linguarum ignoratione provenire, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, quibus non ſolum quidquid ſcitu dignum eſt in omnibus diſciplinis profanis eſt proditum, ſed ſacra omnia continentur. Divinabat vir prudentiſſimus in tanta hominum noſtrorum inertia, Divinas litteras negligentium, impios homines quamprimum exorituros, qui earum lectione armati, & ad ſuos affectus detorquentes, Chriſti Eccleſiam auſu quidem nefario & immani, a noſtra tamen imperitia profecto, impugnare & evertere tentarent. Quin antiquiſſima quæque Chriſtianæ Religionis tempora ſecum reputans, Divina providentia ita eſſe factum videbat, ut quemadmodum a prudentibus Imperatoribus ex hoſtium, cum quibus dimicant, pugnandi natura, ratio & conſilia ſumuntur, ita quoque adverſus dæmonum artes, qui ingeniis humanis percallide abutuntur, remedia quoque ex eodem fonte petenda eſſe. Chriſtus enim Optimus Maximus, unde omnis ſapientia ad homines emanat, ſanctos Eccleſiæ Chriſtianæ Patres per quaſdam doctrinarum viciſſitudines adverſus emergentes hoſtes, convenientibus armis prudentia ſua inſtruxit.

Meditatur editionem Bibliorū quatuor linguarum.

XII. Ximenius, qui ex publica morum corruptela, ipſorumque adeo religionis principum immoderantia, vulpeculas aliquas in occulto nutriri conjectabat, quæ vineam myſticam, cum minus expectaretur, demoliri tentarent, neque ad id aliunde comparato præſidio, quam ex ſacrorum voluminum perperam intellectorum promptuario, non abs re timere cœpit, ne noſtri imparati, & in utriuſque Teſtamenti libris peregrini & hoſpites deprehenderentur. Magni igitur Origenis diligentiam imitatus, qui hexaplis illis decantatis, omnes ſacrorum voluminum, quæ tunc habebantur, translationes in unum conjunxerat, editionem Bibliorum faciendam curavit. In ea veteris Teſtamenti libri ternis columnis per ſingulas paginas ſunt diſtincti. Prima, Hebraicam lectionem tenet, media, vulgarem, qua nunc utimur, tertia, Verſionem Græcam LXX. Interpretum, translatione etiam Latina illuſtratam. In margine vero inferiori, ne quid deſideraretur, Chaldaica, quam vocant, paraphraſis ſubjecta eſt, Latina verſione & regione appoſita. At novum Teſtamentum Græcam lectionem quam emendatiſſimam, & vulgarem translationem habet. Additum eſt poſtremum volumen, Hebraicarum dictionum eruditum & copioſum *Onomaſticon*, ab ejus linguæ peritis valde laudatum. Id in aliquot Bibliorum hujuſmodi libris quorumdam incuria, qui eos aſſervandos ſuſceperant, non ſine gravi jactura deſideratur.

XIII. At res fuit cum primis operoſa & magnifica, & quæ non modo tam ingentem Principem, ſed etiam ingentis animi virum, ad difficultates omnes evincendas, rem tam arduam comitantes requireret. Accerſivit continuo ad ſe homines utriuſque litteraturæ peritiſſimos, Demetrium Cretenſem, natione Græcum, Antonium Nebriſſenſem, Lopidem Aſtunigam, & Ferdinandum Pincianum, Græcarum litterarum & Latinarum profeſſores, quorum ſcripta, & ſtudioſa monumenta paſſim nunc in manibus habentur: Alphonſum medicum Complutenſem, Paulum Coronellum, & Alphonſum

Zamoram, Hebræarum rerum conſultiſſimos: qui cum olim inter ſuos publicas ſcholas fuiſſent moderati, tunc Chriſtianæ fidei ſacris ex animo ſuſceptis, Eccleſiæ Orthodoxæ domeſtici & alumni eſſent, merito ad tantum negotium a Ximenio ſunt vocati: quod illorum virtuti, eruditioni & conſtantiæ, merito eſt commiſſum.

XIV. Cum his viris de ſuo conſilio ſermones confert, liberaliſſime impenſas promittit, & ſingulos præmiis propoſitis privatim invitat. Ante omnia feſtinandum admonet, ne, ut ſunt res mortales caducæ & fluxæ, aut illi patrono ad eam rem promptiſſimo, aut ipſe tam accommodis adjutoribus privaretur, quorum præſentiam & operam pluris quam ullas pretioſas poſſeſſiones aut divitias æſtimaret. Accenduntur cuncti Ximenii verbis, & ab eo die, donec ultima manus fuit impoſita, nihil eſt a viris eruditiſſimis ceſſatum. Conquiſiti ſunt undique utriuſque Teſtamenti vetuſtiſſimi codices, ad quorum fidem caſtigatio excudendorum fieret, & vitiata loca ſanarentur, & quæ dubia & obſcura eſſent, illuſtrata collucerent. Sed potiſſimum adjumento fuerunt Bibliothecæ Vaticanæ venerandæ antiquitatis apographi, quorum copia per Leonem X. Pont. Max. benigniſſime Ximenio facta eſt, cujus jam tum magnificentiam demiratus, cœpit hominem in magno pretio habere, & ejus conſilium, quamvis in ultimis terris poſiti, quoties Reipublic. Chriſtianæ negotia poſtulabant, in rebus arduis requirere: LXX. tamen translationis explicatio, partim ab aliquot Academiæ Complutenſis eruditis hominibus, qui jam tunc ſub Demetrio & Pinciano præceptoribus, in Græcis litteris non vulgariter profecerant, partim a Demetrio, Pinciano, & Aſtuniga adeo feliciter confecta fuit, ut nihil a LXX. Interpretibus juxta Græcam eruditionem ſit dictum, qualia permulta apud eos habentur, quod a noſtris in tanta brevitate fuerit prætermiſſum.

XV. Fuit inter hos ad hoc munus vocatus Joannes Vergara, cui libri, quos vulgo *Sapientales* vocant, explicandi ſunt commiſſi: in quibus multa, quæ in Vulgata translatione difficilia eſſe videbantur, in antiquam lectionem reſtituit, nihilque magis ſeni, cum otio fruebatur, ſibi dicebat in votis eſſe, quam librum Eccleſiaſtici (quem *Panaretum* vocant) ſcholiis aliquot illuſtrare: ſed tardavit præclarum inſtitutum incommodiſſima valetudo.

XVI. Duravit ab hoc anno MDII. annos continuos plus minus quindecim de ſacris Bibliis edendis cura: ut pene cum Ximenii vita, finem quoque editio ſuſceperit; ubi ſi per partes narrandum eſſet, quantum laboris exhauſtum ſit, quantum tædii & faſtidii devoratum a viris illis operi præfectis in exemplaribus excutiendis, quamque multiplici & ardua negotiorum mole Ximenius interim alio evocaretur, nimium profecto in eis immoraremur.

XVII. At illud unum, quod ad impenſas a Ximenio abſolvendas factas pertinet, reticendum nequaquam eſt. Septem Hebræa exemplaria, quæ nunc Compluti habentur, quatuor millibus aureorum ex diverſis regionibus ſibi comparaſſe, Alphonſus Zamora Hebræarum litterarum profeſſor, ſæpe numero referebat: ut interim de Græcis & Latinis taceam, quorum illa ab urbe Roma, hæc tum ex peregrinis locis, tum ex variis in Hiſpania Bibliothecis, ab octingentis ferme annis characteribus Gothicis ſcripta, magnis ſumptibus Complutum ſunt delata. Jam vero calcographorum & ſcribarum ſalaria, doctorum hominum non vulgaria præmia, mercedes internuntiis propoſitas, quibus ad Codices vetuſtos adipiſcendos utebatur, aſſiduam denique ſubminiſtrantium catervam, quam ad res, quæ in-

inſperato emergebant, expediendas ſuſtentabat, & mille alia, quæ longum eſſet referre, ſi bene quis ratione ſubducta numeret, quinquaginta millium aureorum, & amplius, ſummam conficiet.

XVIII. Hac tamdem diligentia & auctoritate & liberalitate opus illud abſolutiſſimum prodiit Leoni X. Pontifici Maximo dicatum, cum in teſtimonium grati animi, tum quod univerſa, quæ ad ſacrarum litterarum illuſtrationem pertinent, nemini magis, quam Romano Pontifici, penes quem tota Eccleſiæ Chriſtianæ auctoritas eſt, conſecrari & offerri debeant. Opus mehercule miraculo par, & cujus tanta apud omnes, qui ubicumque terrarum in ſacris litteris verſantur, veneratio eſt, ut ad Complutenſium Bibliorum exemplum, quidquid alicubi excuditur, certatim revocetur, & in ſapientiſſimorum virorum ſcriptis, quoties de lectione ſacra controvertitur, teſtimonia ab eiſdem petita proferantur. Hoc ergo, quod Divini beneficii loco reponendum eſt, ſigno dato, mentes noſtrorum hominum, atque adeo mortalium ceterorum, ad ſacras litteras tractandas ſeſe converterunt, & velut ex longo veterno ad ſacra myſteria perſcrutanda evigilarunt: quæ, ut in prooemiis huic operi per viros illos eminentiſſimos propoſitis, ſapienter & copioſe dicitur, multam lucem, ne univerſam pene dixerim, ex linguarum cognitione, quibus utrumque Teſtamentum ſcriptum eſt, ſuſcipiunt. Et tamdem abſolutus eſt.

XIX. Joannes Brocarius Typographus Complutenſis, Arnoldi Guillelmi Brocarii filius, ſæpenumero ad æquales dixit, eo ipſo die, quo ultima manus a patre operis excuſioni impoſita fuit, ſe puerum eleganter veſtitum, cum ultimo Bibliorum volumine ad Ximenium veniſſe: qui impendio lætatus, ita cœlum ſuſpiciens acclamavit: *Grates tibi ago, ſumme Chriſte, quod rem magnopere a me curatam, ad optatum finem perduxeris.* Et ad familiares continuo converſus: *equidem* (inquit) *cum multa ardua & difficilia Reip. cauſa hactenus geſſerim, nihil eſt, amici, de quo mihi magis gratulari debeatis, quam de hac Bibliorum editione: quæ una ſacros religionis noſtræ fontes tempore perquam neceſſario aperit, unde multo purior Theologica diſciplina haurietur, quam a rivis poſtea deductis.*

XX. Non ſatis animi ſui magnitudini Ximenius ingens hoc Bibliorum edendorum opus eſſe arbitrabatur, adhuc alia ſecum volvebat, quæ morte præventus abſolvere non potuit. Nam, ut Joannem Vergaram, alioſque complures, qui eo tempore apud eum vixerunt, dicentes multi audierunt, Ariſtotelicorum voluminum editionem parabat: ut ſingulæ paginarum facies ternis columnis diſtinguerentur; quarum prima, Græca Ariſtotelis verba emendatiſſime contineret; media, vulgatam translationem; extrema vero, novam quamdam & liberiorem verſionem, ut eis veluti commentariis, ſcriptoris alioqui difficilis ſenſus abditi illuſtrarentur. Nam ad earum diſciplinarum cognitionem, quas in ſchola ſua tractandas propoſuerat, eum quoque auctorem perneceſſarium eſſe intelligebat; atque ad novam illam verſionem faciendam viros aliquot in Græcis & Philoſophicis litteris doctiſſimos accerſendos undecumque curaſſe. Huic rei inter alios, qui adhuc conquirebantur, Joannes Vergara deſignatus eſt: qui diligenter latinos fecit octo de Phyſico auditu libros, tres de Anima, Metaphyſices vero quatuordecim. Hi Toleti in templi maximi Bibliotheca ſervantur. At cum Bibliorum editioni Ariſtotelica eſſet ſucceſſura, atque illa nondum abſoluta, Ximenius e vivis ſublatus ſit, mortis præoccupantis injuria, quæ ſemper viris magnanimis periniqua & immatura accidit, præclari operis ingenti ſpe ſtudioſos homines fruſtravit. Cogitat Ariſtotelem Græco Latinum emittere.

XXI. Ve-

Digitized by Google

Libros pios edit. XXI. Verum hæc ad eruditorum hominum ſtudia juvanda eſſe videbantur. Illitterata vero & imperita turba, quorum maxima ubique copia eſt, ne vanis fabulis, aut Mileſiacis hiſtoriis, quibus mores corrumpuntur, ſive legendis ſive audiendis intenderet, libros aliquot ſanctimonia & pietate plenos, quibus ipſe ſe olim privatus oblectaverat, partim Latine edendos, partim in linguam vernaculam per viros prudentes transferendos, eoſque non ſine magnis impenſis vulgandos curavit. Hi ſunt Catarinæ Senenſis Epiſtolæ, Angelæ Fulginatis & Metildis opuſcula, Joannis Climaci gradus, Vincentii Ferrerii & Claræ Virginis Cœnobitarum ſuorum vivendi Inſtituta, Chriſti vitæ meditationes, quas Landulphus Carthuſienſis ſcripſit, Thomæ Arcbiepiſcopi Cantuarienſis vita: qui omnes, ſi Landulphum demas, cujus adhuc memoria recens eſt, propter excellentem vitæ puritatem, incorruptos & graviſſimos mores in Divorum numerum relati, ſcriptorum ſuorum pietatem commendant: veraque documenta exhibent, quibus in tanta hominum perverſitate, & in tanta omnium vivendi licentia, ad arduam illam virtutis viam rectum iter dirigere poſſumus. Sed cum hi libri partim ab Antiſtite per Cœnobia diviſi, partim a Bibliopolis e veſtigio diſtracti fuerint, pauciſſimi nunc inveniuntur, & ſui pretium raritate adaugent.

Et Muſicos. XXII. At vero cum Divinis cantibus obeundis muſici libri mutili & laceri in Eccleſiis haberentur, veritus ne quando illorum inopia Divinæ laudes intermitterentur, quæ mirum in modum, illa præſertim ſimplici modulatione, quam Gregorianam vocant, piorum animos religione afficiunt, in membranis univerſam Officii Divini ſeriem multis voluminibus excudi juſſit, appoſitis etiam muſicis notis, quæ per ſuam diœceſim diſtribuit. Hæc, ſi nunc excudenda forent, magnis ſumptibus & impenſis opus eſſet. Durant adhuc ex illis multa, quæ ſenio & caſibus tamdem conficientur, niſi alter Ximenio ſimilis exoriatur, qui ejus veſtigiis inſiſtens, in integrum ſarta tecta reſtituat.

Agriculturæ. XXIII. Ne quid tamen relinqueret, quod ad publicam utilitatem videretur pertinere, non ſolum earum rerum ſtudia, quæ diſciplinarum difficultatibus pervincendis, rebuſque graviſſimis tractandis inſerviunt, ſibi eſſe excitanda propoſuit, ſed etiam agrorum excolendorum, atque adeo vitæ ruſticæ univerſa exercitia. Nam quemadmodum illis ſtudiis animi paſcuntur, ita his corpora victum & ſubſidium percipiunt. Alterutris autem homines ſi occupentur, beatam vitam domi foriſque agent. Tres Fratres Talabricæ orti ſunt, Ferreræ nuncupati, ingenioſi ſane, & ſua quiſque eorum arte eruditus. Natu major ſtudiis eloquentiæ deditus, Oratoriam Compluti profeſſus eſt: ſecundus muſicæ artis ſtudioſus, organis pulſandis in Divi Ildephonſi delubro per Ximenium præfectus fuit: tertius in rei ruſticæ ſcriptoribus legendis verſatus, in eamque exercendam natura propenſus, Geoponicæ artis callentiſſimus evaſit. De ea diligenter ſcriberet, præcipit, præmiis etiam propoſitis, ut indocti & ruſtici homines, qui tunc agriculturam indigniſſime tractabant, aliquid vulgari lingua, quod legerent & ediſcerent, ad manum haberent, ne diſciplina honeſtiſſima periret. Hoc ille argumentum ita feliciter tractavit, ut jure cum priſcis illis contendat, qui Græce Latineve de ea re ſcripſerunt. Quanti vero fiant, quæ ſcripſit, teſtimonio ſunt crebræ illorum voluminum editiones, cunctis nimirum hominibus ea ſemper avide exoptantibus.

Capitul. Generale 22. Obſerv. Ultramôtanum. XXIV. Celebratum eſt hoc anno in feſto Pentecoſtes Capitulum Generale Obſervantum Ultramontanorum in Conventu Albienſi, Provinciæ Aqui-

Aquitaniæ, per Oliverium Maillardum, cui ſuffectus eſt Martialis Boulier Vicarius prædictæ Provinciæ. Paulo poſt hæc Comitia, Maillardus obiit Toloſæ in parvo Conventu circa feſtum diviſionis Apoſtolorum, ſeu, ut alii volunt, in die ſancti Antonii de Padua, ſtatimque ejus virtus & ſanctitas cœpit multis comprobari miraculis. Ter ſuit Vicarius Generalis familiæ, & quinquies Provincialis in diverſis Provinciis. Corpus ejus anno MDVIII. ex decreto Capituli Barcinonen. translatum fuit ex aula capitulari ad ſacellum in illius honorem conſtructum. Deſiderati ſunt in hac familia ſpatio unius triennii octingenti ſexaginta novem Religioſi. Deceſſit hoc anno in Conventu Romano Aracœli Ludovicus a Turre, proxime functus Officio Vicarii Generalis in ſamilia Ciſmontana.

Regiſt. Ordinis. Oliverius Maillardus obit miraculis clarus.

Ludovic. a Turre moritur.

XXV. Provincia, quæ nunc eſt ſancti Gabrielis, in confinibus Extremæ-Duræ & Luſitaniæ, per hoc tempus ſub Cuſtodiæ nomine, cœpit ſub peculiari Præfecto gubernari. Etenim Joannes Guadalupenſis, primo Provinciæ ſancti Jacobi, deinde Cuſtodiæ Angelorum concionator, vir probus, & Regularis Obſervantiæ promovendæ cupidiſſimus, cum ante aliquot annos ab Alexandro Pontifice ſacultatem impetraſſet, judicibus & executoribus deputatis Archiepiſcopo Granatenſi, & Priore Guadalupenſi, pauperculam domum in loco ſolitario prope Granatam ædificandi, in eaque aggregandi ex quibuſcumque adventantes Provinciis Conſodales ſex, ſub ſua dumtaxat, & Miniſtri Generalis obedientia victuros, a quibus Regula Minorum pure abſque gloſſis, indulgentiis aut privilegiis Pontificiis, ſecundum normam ſancti Evangelii obſervaretur; invenit protinus, qui adhærerent ex Cuſtodia Angelorum, & ex Provincia ſancti Jacobi Petrum Melgarium, alias de Valentia, laicum, genere & virtute illuſtrem, Archangelum Valliſoletanum celebrem concionatorem, Michaelem Cordubenſem, Joannem Paſchalium, alias ab Aquila, Sebaſtianum Pariſienſem. Conſtructis aliquot locellis in Extrema-Duræ, poſtquam multam contradictionem ab Archiepiſcopo Granatenſi paſſus eſt Guadalupenſis, & tamquam novitatum affectator aſpere habitus, atque extra totius ditionis fines ejectus, aſſumptoque horrido amictu, aſſuto caputio acuminato abſque orbiculari forma, quæ collum circumdet, aut ad ſcapulas pendeat, cœpit Joannes rei novitate plurimum inclareſcere, & cum ſuis ſectatoribus *Fratres de Caputio* apud vulgus imperitum audire. Melgarius apud Scalabiæ, ſive Caſtri-Julii (vulgo *Truxillo*) cives aliquot, præſertim Gomeſium Fernandez de Solis, Joannem de Chaves, & Alvarum de Inojoſa, qua erat apud omnes pietatis opinione, ita prævaluit, ut eis domum, de qua nos ſuo diximus loco, ædificare vellent; ſed inde natis diſcordiis, ceſſit tamdem locus Patribus Provinciæ ſancti Jacobi, qui omnem moverunt lapidem, ut Guadalupenſis novum Sodalitium diſſiparent. Miſerunt etenim Romam, qui litterarum Guadalupenſi conceſſarum exemplar ferret ad Jacobum Azevedum Commiſſarium Obſervantum ſamiliæ Ultramontanæ, & revocatorias referret. Eas obtinuit hoc ipſo anno ab Alexandro in hanc formam.

Exordium Provinciæ S. Gabrielis.

Gonz. in proœm. Provinciæ S. Gabriel.

Cimarel. 4. p. l. 8. c. 1. & ſeqq.

Marc. 3. p. l. 9. c. 28.

Joan. Guadalupenſis inceptor.

Fratrum de Caputio origo.

An. 1498. n. 34. & an. 1500. n. 36.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Toletano, & Epiſcopo Palentino, vel eorum alteri.

XXVI. *Pro parte cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Ferdinandi Regis, & Eliſabethæ Reginæ Hiſpaniarum & Sicilia Catholicorum, nobis nuper expoſitum fuit, quod nonnulli Fratres Minores illarum partium ſub ſtrictiori vivendi modo, & Evangelica paupertate, ac pri-*

Specul. Minor. tract. 2. fol. 127.

mæva Ordinis Fratrum Minorum hujuſmodi inſtitutione ſe vivere velle, aſſerentes, & eorum ſuggeſtione aliqui earumdem partium nobiles a nobis litteras obtinuerunt, per quas eis conceſſum ſeu concedi mandatum fuit, quod in Regis & Reginæ prædictorum Regnis & dominiis domos, oratoria & eremitoria pro uſu & habitatione dictorum Fratrum de novo conſtruere & ædificare, ac illa, & eis per Chriſtifideles conceſſa recipere & inhabitare, & in eis Fratres dicti Ordinis infra certum numerum, qui de obedientia Fratrum de Obſervantia ad illa voluntarie tranſirent, introducere & recipere libere poſſent, quodque Vicariis Provincialibus ejuſdem Ordinis, & hujuſmodi Obſervantiæ, licet infra eorum Provinciarum limites domus ipſæ exiſtant, obedire non debeant, ſed Miniſtro Generali dicti Ordinis Minorum immediate ſubjectæ ſint, & tam prædictarum, quam aliarum litterarum a felicis recordationis Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro, ſub forma Brevis emanatarum, & per nos confirmatarum prætextu, nonnulla oratoria ſeu eremitoria vel domos, & in eis Fratres de Obſervantia hujuſmodi, abſque ſuorum Superiorum licentia receperunt, & in dies recipere conantur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ex præmiſſis, quæ in enervationem reformationis domorum dicti Ordinis in prædictis partibus, non abſque ipſorum Regis & Reginæ opera & ſollicitudine, provide & mature factæ cedunt, inter eoſdem Fratres nonnulla gravia ſcandola exorta fuerint, & niſi deſuper provideatur opportune, in futurum graviora exoriri formidentur: Nos ſcandalis hujuſmodi obviare, ac ipſorum Fratrum paci & quieti conſulere cupientes, Regis & Reginæ prædictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, unam de Salvaleon per dilectos filios Joannem de Figueroa, & aliam de Alconchel per Joannem de Soto major, qui in hoc conſentiunt, & conſentiro parati exiſtunt, conſtructas & ædificatas, quas Joannes de Guadalupe ſub obedientia dicti Miniſtri, necnon aliam de Truxillo domos, & Pacenſis & Placentinæ Diœceſum, quam Petrus de Melgar dicti Ordinis profeſſores a nonnullis aliis nobilibus, hujuſmodi & quarumdam aliarum noſtrarum litterarum, & facultatis dicto Miniſtro deſuper, ut dicitur, conceſſæ prætextu, reſpective receperunt, Vicario provinciali Provinciæ ſancti Jacobi dicti Ordinis nunc & pro tempore exiſtenti concedere & aſſignare, ac illas & Fratres in eis pro tempore degentes obedientiæ & regimini ejuſdem Vicarii provincialis perpetuo ſubjicere, necnon quaſcumque litteras Apoſtolicas Joanni de Guadalupe, & Petro prædictis, ac quibuſvis aliis, cujuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis & conditionis exiſtentibus, tam ſuper ædificatione domorum, oratoriorum ſeu Eremitoriorum in Regnis & dominiis præfatis, ac Fratribus ſine licentia ſuorum Superiorum recipientibus, quam aliter ſuper præmiſſis etiam motu proprio, & certa ſcientia, ac ſub quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis, irritantibuſque decretis in forma Brevis, & alias quomodolibet nunc & pro tempore conceſſas, etiam quaſcumque ſententias, cenſuras & pœnas in ſe continentes, ac proceſſus deſuper pro tempore habitos, & inde ſecuta quæcumque, nulla & invalida fore, & prorſus pro infectis haberi: Quodque Fratres hujuſmodi de Obſervantia, qui ad præſens ſunt, & pro tempore fuerint, ad immeditatam obedientiam dicti Generalis, vel aliorum Conventualium Miniſtrorum, ac intra dictam Obſervantiam de una Provincia ad aliam, aut de una Cuſtodia ad aliam, quocumque titulo ſeu colore, ſine licentia ſui proprii Prælati in ſcriptis habita, tranſire non poſſint, & Joannes de Guadalupe, ac Petrus de Melgar prædicti,

cti, eorumque ſocii ſub obedientiis & Provinciis, a quibus exierunt, perpetuo eſſe & permanere debeant, ſtatuere & ordinare, & Joannem de Guadalupe, ac Petrum de Melgar, & ſocios prædictos, ut ad eorum priores obedientias & Provincias hujuſmodi ordinate redeant, ac alia omnia & ſingula, quæ in præmiſſis, ſeu circa ea neceſſaria fuerint quomodolibet & opportuna facere, exercere & conſequi de conſenſu prædictorum Joannis de Figueroa, & Joannis de Soto major, auctoritate noſtra curetis, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocatoque ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: nonobſtantibus præmiſſis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & prædictis & quibuſvis aliis litteris, privilegiis & Indultis Apoſtolicis, Miniſtro Generali & Fratribus Conventualibus, necnon Joanni de Guadalupe & Petro de Melgar præfatis, ac quibuſvis aliis communiter vel diviſim, ſub quibuſvis verborum formis, & præmiſſis ac aliis quibuſcumque clauſulis quantumcumque fortiſſimis & efficaciſſimis, nunc & pro tempore conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus pro eorum ſufficienti derogatione, ſpecialis, ſpecifica & expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad præmiſſa dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 11. Septembris, MDII. *Pontificatus noſtri anno* XI.

XXVII. Harum litterarum fultus præſidio Epiſcopus Placentinus, Melgario & auxiliaribus domus Scalabianæ ſuæ Diœceſis ſtructuram interdixit. Guadalupenſis vero hac concuſſus revocatoria, in Urbem advolans, ab eodem Alexandro obtinuit, ut hæ poſtremæ revocarentur. Sed dum ante emanatam Bullam Alexander decederet, eam poſt biennium a Julio II. impetravit, ut ex ipſa in Regeſto anni MDIV. apponenda conſtabit.

XXVIII. Veniens itaque Valentiam, Cœnobiolum ſibi conceſſum cœpit inhabitare, atque inde majores vires addere ſuæ novellæ Congregationi per deſerta loca diſperſæ. Non audebat ad priora domicilia Extremæ-Duræ, neque in Caſtellam redire; favebant enim impenſe Reges Catholici Regularis Obſervantiæ profeſſoribus, Guadalupii adverſariis. Atque hi, ut viam præcluderent iis, qui ſub ſpecie majoris perfectionis, aut rigidioris Inſtituti ad Guadalupii conſortium tranſibant, hoc anno in Congregatione habita in Provincia Caſtellæ, Præſide Vicario Generali Martiale Bouliero, ſtatuerunt, ut in ſingulis Provinciis aliquot domus deſignarentur, in quibus ſub nomine Recollectorum, qui vellent, religioſe, pie, & ſub ſumma viverent rerum egeſtate. Ita factum, ut omnes ferme intra ſuas ſe continerent Provincias, & redeuntibus, qui abierant, enervaretur novellum Inſtitutum. Vires tamen ſubminiſtrarunt Patres Conventuales, conceſſis tribus parvis Conventibus, ad quos etiam aliqui ex ipſis tranſibant. Inter iſtas adverſitates fluctuabat hæc humilis Cuſtodia, donec reſtitutis per Patres Provinciæ ſancti Jacobi, quas ab hac Cuſtodia divulſerant, Cœnobiis, ita præcipiente Capitulo Generali Romano anni MDXVII. demum in Congregatione Generali Toleti anno MDXIX. celebrata, in Provinciam ſub nomine ſancti Gabrielis erecta eſt. Hæc veriora ſunt illius exordia, quam ab aliis relata, quippe in antiquis monumentis enarrata ab oculato

Recollectorum Hiſpaniæ origo.

quodam teſte, qui præcipuis controverſiis & contentionibus ſpectator & actor interfuit, & a Bulla originali Julii II. quam in Regeſto anni inſequentis dabimus, in qua ferme omnia iſta adamuſſim referuntur.

Obiit Cherubinus Meſſanenſis. *Gonz. in Provin. Sicil. Conv. 10. Cimarel. 4. p. l. 8. c. 21.*

XXIX. Hoc anno die XXII. Martii deceſſit Taurominæ Cherubinus Meſſanenſis, vir miræ pœnitentiæ, & vitæ ſolitariæ, quam in Oratorio prope Cœnobium ſanctæ Mariæ de Jeſu devotiſſime in oratione, jejunio, & ſacrorum codicum lectione tranſigebat. Seculares raro admittebat: ſacris quotidie operabatur cum lacrymarum profluvio, & quod Divinis rebus ſupererat, tempus colendo hortulo impendebat. Ubi deceſſiſſe auditum eſt, univerſus confluxit populus, & veſtimenta in particulas diſcidit. Sepulcro conditus eſt peculiari in Eccleſia ad dextram ingredientis. Poſt annos fermè nonaginta, inventus eſt integro corpore, & illæſo habitu, dignorique loco e terra elevato repoſitus, miraculis illuxit. Marcum Romanum apoſtemate quo per menſes octo laborabat, exeſa lateris ſiniſtri carne, & coſtula affecta, ad ejus corpus in illa translatione deprecantem ſanavit. Annam Corbariam Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſimili malo ſub mammilla ſiniſtra vehementer dolentem, particula veſtis mirabiliter liberavit. Hernioſos multos, gravi & moleſto viſcerum erumpentium onere levavit. In magna habetur veneratione per univerſam illam regionem.

Pulinar. de viris illuſtr. Prov. Tuſcia. Cimarel. 4. p. l. 1. c. 36. Florent. Anton. Piſanus. Paulinus Piſanus.

XXX. In Provincia Etruriæ floruerunt paulo cis citra hoc tempus plerique Patres, vel litteris, vel pietate illuſtres. Ex urbe Piſarum prodierunt Antonius vir religioſiſſimus, pietate inſignis, confeſſarius Sororum ſancti Michaeletti, artis poeticæ peritiſſimus: Paulinus (quem alii dicunt Liburnenſem) ſtatura puſillus, animo & virtute magnus, egregius concionator. Provectæ ætatis venit ad hoc Inſtitutum, prius presbyter & facundus prædicator. Per optimas quaſque Italiæ urbes verbum Dei diſſeminavit, Philoſophiam & Theologiam annis multis prælegit, & in ultima ſenectute, Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta junioribus explicavit. Provinciam Etruriæ laudabiliter rexit, numquam novo ſed lacero habitu indutus, in oratione & Divinis laudibus aſſiduus. In ſenectute bona defunctus, ſepultus eſt cum Antonio prædicto ad Cœnobium ſanctæ Crucis prope urbem

Laurentius Piſanus.

Piſarum. Ibidem inſuper jacet Laurentius Piſanus Laicus, aſpectu venerabilis, vita commendabilis, piæ apud cives opinionis, ſua induſtria & humili ſervitute ingens lucrum Fratribus advehens & Conventui.

Angelus Florentinus.

XXXI. In Cœnobio Palenſi extra Pratum, jacent Angelus Florentinus ardentiſſimæ caritatis in confeſſionibus audiendis, & miſellis adjuvandis opere & conſilio indefeſſus, in oratione fervidus, in abſtinentia &

Franc. e Scarpeziâ.

pœnitentia rigidus, in prælatura mitis & placidus. Franciſcus e Scarperia adoleſcens ſumme bonus & ſimplex, immatura morte præventus, relicta

Leonard. Echeſius.

magna pietatis opinione. Leonardus, aliis Bernardus Echeſius Pratenſis, qui in ſacello ſancti Euſtachii perpetuo orabat poſt abſolutas preces matutinas uſque ad auroram, meruitque illum ſanctum martyrem videre. Nullo unquam die celebrare omiſit, neque a Divinis laudibus extra chorum remanſit. Obiit anno ætatis XCIV. virtutibus & bonis operibus illuſtris.

Pulinar. citatus. Cimar. cit. l. 2. c. 34. Monum. MSS. Prov. Tuſciæ. Maria Ant. Bagneſia.

XXXII. In eadem Provincia floruerunt etiam religione & pietate multæ Sorores, præſertim in Monaſterio ſanctæ Claræ Florentino, Maria Antonia Bagneſia Divinis officiis perpetuo aſſiſtens, orationi ſemper intenta, erga proximos ingenti flagrans caritate, benigna, patiens, miſericors, ſed erga ſemetipſam valde ſevera. Sorori lue infectæ inſerviens, ne abſque ſacramentis periret, dum confeſſarium fratrem Cherubinum Malegonnellum exorat, ut adminiſtret, & ille timet propius accedere Euchariſtiam porre-

porrecturus, meruit ut Divino modo ad os tabeſcentis e pixide transſerretur. Margarita Bonciania, quæ ſeminudam ſororem ſuo habitu contexit, a Chriſto crucifixo, coram quo precabatur, propterea commendata. Diſtincte illi propoſita ſunt Divinitus cuncta myſteria ſacratiſſimæ Paſſionis, & in nocte Nativitatis in Communione Euchariſtica, vidit ſpeciem pulcherrimi infantuli. Birgitta a Monte acuto, quæ ſuum nomen vidit ſcriptum in tabula inter Virginis Mariæ pias ancillas, ab Angelis deſcriptas. Perpetua Ambroſii, quæ Chriſti compaſſa doloribus, particeps eſſe voluit, inflicto ſibi ingenioſe vulnere laterali, quo diu laboravit. Baptiſta Balduccia Chriſto in cruce paſſo frequenter exponebat ſuas paſſiones vehementis doloris cardiaci, cui ille ſuos pro humano genere toleratos dolores viva voce oppoſuit, omnemque depulit a miſella afflictionem. Has ſecutæ ſunt aliæ religioſiſſimæ Sorores, Anna Helena de Nobilibus, Veronica e ſancto Petro in Balneo, & Puritas Florentina.

Margar. Bonciana.
Birgitta a Monte Acuto.
Perpetua Ambroſii.
Baptiſta Balduccia.

XXXIII. Hoc anno Tartari in Minori Polonia, tranato fluvio Iſtula lato & rapido, magnam Opatoviam combuſſerunt, & Conventum Minorum in caſtri formam redactum, diebus quatuor obſederunt; eo etenim nobiles quinque, & præcipui illius territorii incolæ cum ſua ſubſtantia ſe reduxerunt. Occidit Cœnobii ſacriſta ſagitta confoſſus, dum viriliter contra hoſtes caſtri portam defendit. Ceciderunt autem & ex Tartaris plurimi, eorumque Dux, qui tamdem confuſi receſſerunt. Extat hujus tanti beneficii a Deo recepti teſtis columna lateritia, in loco ubi Tartarorum occiſus eſt Anteſignanus, erecta. Ab eodem autem tempore omnia noſtra Cœnobia Tartaris pervia, cœperunt incaſtellari, ſive ad caſtrorum modum fortificari.

Chronic. MSS. Provin. Polon. ad hunc annum.
Tartari obſidene Conventũ Opatoviæ.

XXXIV. Creati ſunt Epiſcopi, Ludovicus de Sighen, Sacræ Theologiæ profeſſor, Miſinen, ſub Arch. Heracleæ, per obitum Joannis, XIII. Kalen. Junii. Antonius Gard. etiam Theologiæ Profeſſor, Libarien in Helleſponto, ſub Archiep. Cyziceno, III. Nonas Julii.

Ludov. Epiſcop. Miſinen.
Anton. Libarien.

XXXV. Prope Felicianum Galliæ Ciſalpinæ oppidum, diœceſis Alexandrinæ, conſurgit Cœnobium ſanctæ Mariæ de Fonte, ſumptibus Antonii de Zois medici, & Bartholomæi de Mutis Tertiarii Franciſcani conſtructum. Præfuit operi frater Carretus, jubente Aloyſio de Monticello provinciæ Januenſis Vicario, qui domum acceptavit pro Obſervantibus hoc anno XXII. Maii. Poſtremum ponit Gonzaga prædictæ Provinciæ Conventum.

Conv. Feliciani. *Gonza. in Prov. Gen. Conv.* 6.

XXXVI. Univerſitas & Incolæ Caſtri-Fortis Cajetani petierunt & impetrarunt ab Alexandro Pontifice, ut eis liceret in Eccleſiam Annunciatæ, in qua quædam laicorum Confraternitas inſtituta erat, introducere Fratres Minores de Obſervantia, eiſque contiguum conſtruere Cœnobium: *Exponi nobis feciſtis*. die XVI. Aprilis. An tamdem ædificarint, aut ædificatum Fratres poſtea deſeruerint, incompertum, uti etiam quid fecerint Fratres provinciæ Baſilicatæ, quibus conceſſa eſt facultas ædificandi Cœnobium in oppido ſeu territorio Montis-Muri, Tricaricen. diœceſis: *Sacræ Religionis*. VI. Idus Januarii.

Convent. Caſtri Fortis.
Conven. Montis Muri.

XXXVII. Fratres Provinciæ ſancti Jacobi regular. Obſerv. intenti piis operibus catechizandi, prædicandi, & ſacramenta miniſtrandi in oppido *Sobradilii*, quod a Civitate Roderici in Hiſpania diſtat leucis octo ad Septentrionem, habitabant in Eremitorio ſanctæ Mariæ P. M. ab oppido diſtante. Cum autem Valerianus Ordoñez de Villaquirano Epiſcopus Civitatenſis in viſitatione Diœceſis experiretur quantum ille populus per doctrinam & exemplum Fratrum proficeret, & vir nobilis Ludovicus de

Conv. Sobradilii.
Gonza. in Prov. S. Michael. Con. 16.

Ocampo oppidi dominus, cum Beatrice Mexia conjuge rogaret, ut ſibi liceret contiguum pro Fratribus conſtruere Monaſterium, Eremitorium, quod ad Eccleſiam parochialem prædicti oppidi pertinebat, libere Fratribus hoc anno conceſſit, facultatemque impertivit Cœnobium addendi, quod brevi peractum eſt. Sed poſt annos multos ſacellum præcipuum ædificatum eſt ex facultatibus a Ludovico in hunc finem legatis; cecidit tamen circa annum MDCXII. & de reficiendo oppidi domini non ſemel inierunt conſilium.

Conven. Rothomagen. reformatur.
Reg. Alex. libr. 193. fol. 279.

XXXVIII. Reformatur ſub hunc annum Cœnobium Rothomagenſe in Provincia Franciæ, & Cuſtodia Normandiæ per Stephanum Harau Vicarium Archiepiſcopi Rothomagenſis, & Joannem Baſſet, ac Petrum Dare locumtenentes judicum quorumdam ſecularium, ad hoc ab Archiepiſcopo & civibus auctoritate Apoſtolica deputatorum, qui domum tradiderunt Oliverio Maillardo, aliiſque Fratribus de Obſervantia: & Noveſianum, ſive Nuſſianum in Germania IV. M. P. infra Coloniam Agrippinam, a Raymundo Gurcenſi S. R. E. Presbytero Cardinali tit. ſanctæ Mariæ novæ, per Germaniam, Daciam, aliaſque terras Legato a latere, juſſum eſt reformari per Archiepiſcopum Colonienſem, & Abbatem Larenſem Ordinis ſancti Benedicti, & Abbatem in Zona Ordinis Præmonſtratenſis.

Et Aquenſis.

Et Aquenſe ſive Aquiſgranenſe, Leodienſis diœceſis, in quod introduxerunt Patres Conventuales hoc anno Fratres Collectaneos, timentes ſe ab eodem Raymundo Cardinale ad reformationem acceptandam cogendos: deinde anno MDVI. die X. menſis Auguſti ſe Fratribus de Obſervantia conjunxerunt, ac deinceps Fratres de Obſervantia appellari cœperunt. Habet autem hoc Cœnobium inſignes Reliquias nobilibus thecis incluſas, multam ſupellectilem argenteam, capaciſſimum Templum, multis ſacellis diſtinctum, ſtudium inſuper Philoſophicum & Theologicum.

Et Groningenſis.

Groningenſe in Friſia Occidentali, ſed capta a Geuziis urbe, opulenta quidem & populoſa, Duce Mauritio Naſſovio, anno MDXCIV. dirutus eſt Conventus, & converſus in ſcholam, & Eccleſia in palmariam, ſive in aulam ludi palmarii.

Matthias Bether.
Et Dordracenſis.

Præfuit hic aliquando vir venerabilis Matthias Bether, qui non ſemel viſus eſt in ſacrificio miſſæ a terra ſublevari. Dordracenſe in Hollandia a Ganda urbe V. M. P. ab Ultrajecto VII. M. diſtans, olim provinciæ Coloniæ, nunc Germaniæ inferioris.

Monaſt. S. Claudii Fulgin.

XXXIX. In Foro Flaminii, ſeu urbe Fulginei, hoc anno Clariſſis datum eſſe Monaſterium, ſub titulo ſancti Claudii, idque olim ſpectaſſe ad Sorores Benedictinas, & nunc inhabitatum a numeroſo choro Clariſſarum, ſcribit Gonzaga;

Gonza. in Prov. S. Franciſc. Monaſt. 8.

ſed ædificatum ab ipſa ſancta Clara anno MCCXXIX. impenſas miniſtrante Gregorio IX. ſcribit Jacobillus in ſuo nupero opere de urbe Fulginate. Clariorem notitiam ædificii, & reformationis dabunt litteræ Julii II. quas nos dabimus in Regeſto ſub annum MDVII.

Monaſt. Ulyſſiponen. reformatur.

Circa hunc annum reformatum eſt inſigne Monaſterium Clariſſarum extra muros urbis Ulyſſiponenſis per ſororem Eufraſiam, virtute illuſtrem, conceſſa ſibi facultate ab Alexandro Pontifice per diploma Apoſtolicum a Rege Luſitanorum Emmanuele impetratum, conceſſo regimine fratri Alphonſo Portugallenſi Obſervantum Vicario, ſcribit Marcus illa urbe oriundus.

Marc. 3. p. l. 7. c. 17.
Domus S. Leonardi Montis Falconis.
Gonza. in Prov. S. Franc. Mon. 20.
Domus Piſciæ.

Duæ inſuper hoc anno domus Sororum Tertii Ordinis conſtructæ ſunt, una in colle e regione ferme prædictæ urbis Fulginatenſis ad oppidum Montis Falci, diœceſis Spoletanæ, ſub titulo ſancti Leonardi; altera ſub invocatione ſanctæ Claræ intra Piſciæ oppidi in Etruria ambitum, ex facultatibus relictis a Catarina Bartholomæi Piſcienſi, ea lege, ut duæ ipſius neptes pro hujus In-

Inſtituti Sororibus Monaſterium ædificarent. Domus eſt capaciſſima quinquaginta & plurium Sororum. Eccleſiæ domus Sororum Tertii Ordinis reformatarum ſancti Martini extra muros oppidi Bopardienſis, diœceſis Trevirenſis, multas hoc anno Pontifex conceſſit Indulgentias. Domus autem hæc ante annum MCCCCXL. recipiebat conſeſſarios extraordinarios Minoritas ex Cœnobio Confluentino.

Idem in Provin. Tuſciæ Mon. 4.

Domus S. Martini Bopard.

XL. Eliberia ſive Elvira de Figueroa, Feriani comitis filia, Mareſcalli Peraſanni de Ribera uxor, Pacenſis diœceſis, petiit & obtinuit hoc anno, ut ſibi liceret Monaſterium Clariſſarum triginta trium in reverentiam totidem annorum, quibus Chriſtus in ſeculo vixit, ſub obedientia Fratrum Obſervantum conſtruere, prope eremitorium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, territorii ſeu oppidi de Fraxineto, & conditiones quaſdam apponere, legeſque præſcribere: *Chriſtianæ devotionis affectus*. XV. Kalend. Februarii. Liberam eremitorii poſſeſſionem ei conceſſit ſub hujus anni finem Alphonſus Manrique Epiſcopus Pacenſis; ei tamen interminabiles lites excitavit circa vendicandum ſibi eremitorium, aut proventus & fructus Parochus ſanctæ Catarinæ, prætexens membrum eſſe ſuæ Eccleſiæ, neque terminari potuerunt uſque ad annum MDCVI. quo Paulus V. adjudicavit Sororibus plenum & liberum eremitorii dominium. Et ſi vero fabricam accelerari curaverit Eliberia, non niſi anno MDVI. introduci poterant Sorores, quarum primæ magiſtræ evocatæ ſunt quinæ ex Monaſterio Safrano.

Monaſt. Fraxineti.

Gonz. in Provin. S. Michael. Monaſt. 6.

XLI. Aliqui ex Obſervantibus cupiditate hæreditandi bona parentum allecti, dum in hac ſocietate id nullatenus liceret, tranſibant ad conſortium Conventualium, quibus ex Pontificum indultis & declarationibus æquum erat hæreditare. Monitus Pontifex, hujuſmodi cupiditatem reſtinxit, decernendo, neque Fratribus tranſeuntibus, neque Conventibus horum intuitu tales Pontificum conceſſiones ſuffragari: *Cum intellexerimus*. die V. Aprilis. Cum Miniſter Generalis Ægidius Delphinus multa immutaret, & auderet in familia Obſervantum alia decernere contra litteras Apoſtolicas & exemptiones eiſdem conceſſas, idque inſinuaret a ſe fieri virtute poteſtatis ſibi conceſſæ, contra tenorem litterarum a Pontificibus emiſſarum, pro concordia utriuſque Inſtituti, declaravit Pontifex nihil tale ſe contuliſſe, neque velle, ut ea quæ ſtabilita erant, immutarentur: *Cum ſicut accepimus*. die XIII. Januarii.

Obſervantibus nullatenus licet hæreditare.

XLII. Fratribus & Conventui ſanctæ Mariæ de Angelis oppidi Brubenſis, diœceſis Colonienſis, quem diximus ab Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi egregie fuiſſe conſtructum, multiſque inſignibus Reliquiis exornatum, Raymundus Cardinalis Legatus ſupra memoratus multas conceſſit Indulgentias, & quas elargitus erat Hermannus ampliſſimas, confirmavit. Numeroſam Confraternitatem ſanctæ Annæ in Eccleſia Minorum Oppidi Andernacenſis, diœceſis Trevirenſis idem Cardinalis confirmavit, multiſque commendavit Indulgentiis.

Tomo 14. anno 1490. n. 59.

Conv. Brubenſis.

Conv. Andernacenſis.

AR-

ARGUMENTUM.

Franciſcus Ximenius Academiæ & urbi proſpicit Complutenſi. Habentur Comitia Generalia ſpe conſequendæ unionis, minime ſequutæ. Moritur Alexander VI. ſuccedit Pius III. & paulo poſt Julius II. qui Dominicum Cardinalem Grimanum ſuo loco ſubſtituit Ordinis Protectorem. Clemens Groſſus Ruvereus Sixti IV. nepos fit Cardinalis. Joannes Guadalupenſis ſuam Congregationem Fratrum de Caputio indefeſſe promovet & defendit. Renovantur controverſiæ circa Conceptionem beatæ Virginis Mariæ, quibus Pontifex modum præſcribit. Moriuntur Bernardinus a Foſſa, aliique pii viri, & Ludovica Sabanda. Inſtituuntur Epiſcopi. Multiplicantur Cœnobia.

Gomeſ. de rebus Ximenii lib. 3. Ann. 1501. n. 9. & 10.

Ximenius Academiæ, & Urbi proſpicit Complutenſi.

I. FRANCISCUS Ximenius Archiepiſcopus Toletanus ſub finem præcedentis anni Complutum profectus, ſurgenti Scholæ, de qua ſupra diximus, faſtigium impoſiturus, cui nuper dum Toleti, uti narravimus, commoraretur, decies centies nummum perpetuo percipiendum e proventibus Regiis comparaverat. Ea prima (ut ajunt) Academiæ largitio ab eo facta fuit, quod tam benignum & munificum principium ſpem ingentem ſtudioſis dedit futuræ propediem majeſtatis. Cum autem hoc anno, VI. Idus Martias Joanna Princeps Catholicorum Regum filia, Philippi Ducis Burgundiæ conjux, felici partu Ferdinandum infantulum Compluti pepeřiſſet, eumque Ximenius magna ſolemnitate, viris Principibus & Epiſcopis præſentibus, baptizaſſet, occaſionem hanc peropportunam Complutum ornandi & augendi nactus, vectigalium immunitatem a Regina Iſabella, puerperæ genitrice petiit pro Complutenſibus, apud quos tantus Princeps natus eſſet; ut quoniam liberalibus diſciplinis in eo oppido domicilium parabatur, liberi quoque a regiis exactionibus perpetuo eſſent: ita enim brevi futurum, ut locus inſigniter illuſtratus & adauctus, Hiſpanam juventutem ad ſtudia exercenda invitaret. Facile in publica lætitia impetratum eſt: in hunc uſque diem ad beneficii impetrati monumentum, Complutenſis Reſpub. Ferdinandi cunas & crepundia ſervat.

II. Dum omni hilaritatis genere regius Comitatus ob natum puerum Compluti ſe oblectat, caſus Ximenio inopinanti oblatus eſt, quo animi ſui lenitatem declararet. Poſtquam Reges Complutum venerunt, Ximenius ſilentium, opinor, captans, aula ſua alioqui capaciſſima relicta, longe ad Vaennæ cujuſdam domum commigravit, quæ in via maxima ad Guadalfajaræ portam eſt. Ibi ſtrepitu inſolito interpellatus, quid rei eſſet? miniſtros rogat: qui vinctum quemdam capite plectendum a lictoribus duci reſpondent. Proceſſit ad feneſtram, & de crimine per lictores edoctus, ne ulterius procederent, vinctumque ſolvi juſſit, ut quo vellet, abiret: hoc ſacræ ſuæ dignitati pietatis ergo concedendum eſſe dictitans. Placuit omnibus Ximenii factum, eoque gratius & jucundius fuit, quod die hilaritatis & lætitiæ pleno, quo regius puer in hanc lucem editus fuerat, nece hominis, quantumlibet noxii, oppidum pollui & funeſtari videbatur.

Ann. 1500. n. 10. Guſman. in hiſt. Indica l. 3. c. 42. Maffejus lib. 15. Dana l. 1. c. ult.

III. Anno ultimo poſtremi ſeculi, diximus Petrum Alvarum Capralem Præfectum claſſis Indicæ e Braſilia, ubi appulerat, Minoritam unum cum Gaſpare Lemio in Luſitaniam ad Regem Emmanuelem miſiſſe, qui referrent terræ gentiſque conditiones & ſtatum, quantumque conferret rebus Luſitanis, ſi Deo Regique ſubderetur. Miſit itaque hoc anno Rex novos explo-

exploratores, novos milites, novoſque fidei Magiſtros Minoritas, Italici maxime generis, qui forti magis animo, quam proſpero eventu barbaræ gentis converſionem intentarunt. Namque ante partam ejus linguæ notitiam, dum Evangelium Chriſti inceſſanter inculcant, a Barbaris primum cum admiratione auditi, mox contempti, demum male habiti, & e finibus expulſi. Unus ex iis in trajectu fluminis ignoti ſubmerſus, celebre illi ab ſe nomen dedit: *Fratris* quippe *flumen* exinde appellatum: reliqui ſubito coortis in advenas illius loci incolis interempti. Hi primi numerantur Braſiliæ martyres, quorum ſanguine irrigata, aliquot poſt annis fructus produxit cumulatiſſimos. Plurimos habent hic Minoritæ ſtrictioris Obſervantiæ Conventus, religioſis optimiſque viris redundantes, qui nuper in unam coaluerunt provinciam.

Miſſi ad Braſiliã Minoritæ.

Trucidantur.

IV. Habita hoc anno Comitia Generalia in Cœnobio Trecenſi in Gallia ſcribit Petrus Rodulphus; alii volunt coacta in Conventu Bleſenſi, & Marcus Ulyſsiponenſis fuiſſe celebrata anno præcedenti. Certe nonniſi hoc anno, vel potius ſequenti, & in Conventu Trecenſi, ſed non ſub Julio II. ut ſcribit Rodulphus, convocati ſunt præcipui Patres ex Reformatis, Miniſtro Generali ſubjectis, & ex Fratribus Regularis Obſervantiæ ſub Vicariis Provinciarum, & Generalibus utriuſque Familiæ Ciſmontanæ & Ultramontanæ viventibus; necnon ex Conventualibus, licet hi ægre acceſſerint, præſertim ex Italia, Miniſtro Generali non parum offenſi, quod Reformatos & Obſervantes ſibi prætulerit. Etenim ubi primum intellexit obiiſſe Oliverium Maillardi, uti diximus anno præcedenti, opere & ſermone apud Regem & Principes potentem, ſui Inſtituti Regularis Obſervantiæ defenſorem, Pariſios celeriter ſe contulit, ubi ſub prætextu Reformationis, Guardianum magni Conventus a munere abſolvit, ſubſtituitque unum ex reformatione beatæ Coletæ, cujus opera uſus eſt in reſtituenda ampliſsimæ domus diſciplina. Hinc ſibi Regis, Procerum, & Prælatorum Eccleſiaſticorum animos conciliavit, prætexens ubique Ordinis reformandi deſiderium. Sub feſtum Translationis ſancti Antonii ad XV. Februarii congregavit, uti dixi, in Cœnobio Trecenſi ex tribus Familiis digniores Patres, dixitque ſe ſummopere cupere Ordinis unionem, utque inter tot partes diſciſſus, in unum corpus coaleſceret. Id & facilius ſe conſecuturum ſperabat, ſi laxioribus ſtrictioris vitæ ſectatores præferret; utque hi ſibi ſub uno capite ſubderentur, cogitavit Regularis Obſervantiæ profeſſores ſub Vicariis viventes, unire Reformatis, qui ſub ſuo degebant imperio.

Rodul. fol. 244. Marc. l. 7. c. 37. Capitulum Generale Trecenſe 104. Reg. Jul. II. lib. 4. fol. 43.

An. præced. n. 24.

Miniſter Generalis reformandi Ordinis præfert deſiderium.

V. Deſtitutis itaque Miniſtris & Cuſtodibus Conventualibus, ſubſtituit ſive Obſervantinos, ſive ex ſuis Reformatis: ſed ne forte ex ambitu prælationis reformatum vitæ genus aliqui venditarent, ſtatuit ne ullus ex iis, qui deformate aut laxius vixerunt, eligi poſſent in Superiores, niſi poſtquam per ſeptennium cum Obſervantinis aut Reformatis laudabiliter vixiſſe probarentur. Ne vero Prælaturam adepti ad priſtinam laxitudinem diuturni imperii licentia redirent, præcepit ne ultra triennium regimen protraherent. Et ne Obſervantini ſui ſtatus jacturam, aut diſciplinæ corruptelam ſequi poſſe formidarent, ad firmiorem cautelam indulſit, ut conſtituta & privilegia a Conciliis Baſileenſi & Conſtantienſi, ab Eugenio Pontifice, & ſucceſſoribus decreta, in Archivio ſupremi Parlamenti reponerentur, ut inde deſumi poſſent, quotieſcumque eorum munimine ſe in ſuum ſtatum, ſi aliquando deperditum, vellent vendicare. Idque inſuper adjunxit, quod, ſi viderent Miniſtros aut Cuſtodes a recta via in laxam deflectere, liceret ab eis recedere, ſibique aggregare quotquot vellent illud Inſtituti genus amplecti.

Studet Obſervãtes in ſuam trahere ſententiam.

VI. Ad

Sed fruſtra.

VI. Ad hæc Vicarii Regularis Obſervantiæ Provinciarum Franciæ, Turoniæ, Burgundiæ, Aquitaniæ, atque Britanniæ, aliique non pauci diſcreti viri ejuſdem Familiæ, inito per aliquot dies conſilio, reſponderunt, ſe nihil eorum quæ propoſita erant, concludere poſſe abſque aſſenſu Vicarii Generalis, & reliquarum Provinciarum Familiæ Ultramontanæ Vicariorum conſpiratione, in Comitiis Generalibus anno MDV. habendis exprimenda. Cernens autem Miniſter, ſe nihil eorum, quæ propoſuerat, aſſequi poſſe, Lutetiam profectus, juſſit illuc convenire Diſcretos Cœnobiorum provinciæ Franciæ, & Miniſtrum ac Cuſtodes, præcipuoſque Guardianos abſolvit, & ex reformatis ſibi ſubditis alios ſubſtituit, ac Bonifacium de Ceva ſtrictioris Obſervantiæ Miniſtro adhærentis, virum probum, optimæ apud omnes opinionis, celebrem concionatorem, Provinciæ præfecit Miniſtrum. In aliis etiam Provinciis ſimiliter operatus, putavit brevi & nullo negotio ſe univerſi Ordinis unionem conſecuturum, fautoreſque ſtuduit habere Regem & Proceres prædictos.

Conventualibus inviſus.

Traduntur Conventus præcipui Obſervantinis in Belgio. Vide anno 1505.

VII. Indignati Conventuales, ſe a Miniſtro Generali ex ipſis aſſumpto, ita contemptibiliter haberi, ut ubique eos ab officiis deturbarit, & Reformatis ſibi ſubjectis voluerit inferiores, in pleriſque locis, præſertim in provincia Franciæ, prævenire ejus conatum, & ad Obſervantes, Vicariis parentes, tranſire decreverunt. Itaque tres præcipuas domos Bethunienſem, Iprenſem, & Gandavenſem, Tornacenſis, Attrebatenſis, & Morinenſis diœceſum (quarum prima erat Cuſtodiæ Attrebatenſis, & poſteriores Cuſtodiæ Flandriæ) Obſervantinis dederunt, ſeque ad illorum mores compoſuerunt. Id ubi reſcivit Ægidius Miniſter, cœpit expoſtulare Vicarium Obſervantum prædictæ Provinciæ, quod contra tot Pontificum Bullas, a nobis ſuis locis exſcriptas, auſus ſit illos Conventus admittere, præcepitque, ut inde ſibi ſubditos removeret. Hic vero pacis ſtudio omnem ſuam in Miniſtrum tranſtulit poteſtatem, ut recedere compelleret, expreſſa in albis ſchedulis propria ſyngrapha, ut ſui libentius obedirent. Miſſus, qui exequeretur, Bonifacius Provincialis Miniſter, & Bethunii, licet ægre, obtinuit, non tamen Gandavi, aut apud Iprenſes, dum urbium Rectores id permittere abſque licentia ſui Principis Philippi Archiducis, qui in Hiſpaniam, eam Provinciam recturus, abierat, ſibi non licere conſtanter affirmarent. Acriter & longo tempore inter partes litigatum fuiſſe, ſæpiuſque ad Sedem Apoſtolicam appellatum ab Obſervantinis, ut injurias repelleret, lego in Regeſto Pontificio Julii II. qui anno ſequenti, & ſub alterius initium cauſam omnem commiſit Abbati Monaſterii ſancti Jacobi Leodien. Decano ſancti Petri Lovanien. Leodien. diœceſis, & Joanni Severini Canonico Pariſien. qui demum ſententiam pro Obſervantibus tulerunt. Atque hæc hiſque ſimilia ita commoverunt in Ægidium Patres Conventuales, ut tamdem obtinuerint hominem ab officio removeri.

VIII. Obſervantini inſuper ferre non poterant, ſe tot Pontificum Conciliorumque Generalium decretis munitos, & favoribus ubique multiplicatos, magno diſciplinæ decremento ad conſortium Conventualium, a quibus reſtituendæ Regularis Obſervantiæ titulo receſſerunt, artificioſe ſub ſpecioſo titulo unionis reduci. Unde licet denuo ſub menſem Auguſti in Cœnobium Raptiſani, provinciæ Aquitaniæ præcipuos Patres, maxime Vicarios Franciæ, Turoniæ, & Burgundiæ congregaverit Generalis Miniſter, & Legatum Apoſtolicum in Francia hærentem habuerit fautorem, nihil potuit extorquere circa unionem tunc ineundam, præter quoſdam articulos ab Obſervantinis porrectos, & totius rei peragendæ in Comitiis Generalibus univerſi Ordinis conſtitutum.

IX. In-

Anno Chriſti 1503.	Alexandri VI. anno 11.	Maximiliani Imp. an. 10. & 11.	Religionis Minorum anno 296.

IX. Inde profectus in Hiſpaniam, dum illic etiam ſuum urget deſiderium, & unioni introducendæ præſtruit fundamenta, multorum contradictione ejus evertitur conſilium, mutato etiam rei Eccleſiaſticæ ſtatu. Etenim cui valde fidebat, moritur Alexander Pontifex XV. Kalend. Septembris, diverſas inter homines aſſecutus opiniones. A multis laudatus; multa etiam feciſſe ſacra illa dignitate indigna, carni & ſanguini nimium addictum, alii recenſent. Succeſſit Franciſcus Piccolomineus Cardinalis Senenſis, Pii II. nepos, Diaconorum primus, religione, morum integritate, & plurima virtute clariſſimus, electus X. Kalend. Octobris, VIII. Idus ejuſdem ad Lateranum coronatus a Raphaele Cardinale Riario S. R. E. Camerario, & Archidiacono, Pii III. nomine aſſumpto. Sed parum ſupervixit, dies enim viginti ſex in Pontificatu peregit, decedens hoc ipſo anno XV. Kalendas Novembris, ſepultus in Vaticano juxta avunculum Pium II. Poſt hunc creatus eſt Julianus de Ruvere Savonenſis, Cardinalis Oſtienſis, Sixti IV. ex fratre nepos, Ordinis Minorum Protector, vocatus Julius II., cujus auguratio incidit in Kalend. Novembris, & coronatio per prædictum Raphaelem Riarium ante fores Baſilicæ Vaticanæ in VI. Kalend. Decembris. Parum autem poſt adeptum Pontificatum, Protectorem Ordinis conſtituit Dominicum Cardinalem Grimanum, Patriarcham Aquilejenſem, virum doctiſſimum & ſolertiſſimum.

Moritur Alexander VI.

Succedit Pius III.

Hinc Julius II.

X. Fratrem habuit germanum Julius Bartholomæum Minoritam, quem Epiſcopatu Ferrarienſi, & Patriarchatu Antiocheno decoraſſe Sixtum IV. ſcribit Ciacconus, & nos diximus alias ex Monumentis manuſcriptis Conventus Savonenſis, in quo educatus eſt; ſed Ferdinandus Ughellus in ſuo Ferrarienſium Epiſcoporum cathalogo Regularis Inſtituti non meminit, & Patriarchatum ei tribuit Hieroſolymitanum. Alium Minoritam hoc ipſo anno parum poſt ſuam aſſumptionem Cardinalatus honore inſignivit Julius, Clementem Groſſum Ruvereum Savonenſem, Sororis Sixti IV. filium, Epiſcopum Mimatenſem, cui neſcio quem alium Epiſcopatum Mendenſem aſſigunt Rodulphus & Ciacconus. Primum obtinuit titulum ſancti Clementis, inde duodecim Apoſtolorum. Obiit Romæ anno MDV. die XIV. Auguſti. Per annos tredecim caruit Religio iſto Cardinalatus honore. Etſi enim ſub Innocentio VIII. deceſſerint Gabriel Rangonius anno MCCCCLXXXVI. & Petrus de Fuxo anno MCCCCXC. Cardinales Minoritæ, nullum ille, aut Alexander VI. ſubſtituit ex hoc Inſtituto virum, cum eum omnes ferme Prædeceſſores curſum retinuerint, ut ab eo tempore, quo in Ordinem hic decor invectus eſt, pauci elapſi ſint anni, in quibus ſacro Collegio Cardinalium adſcripti non ſint Minoritæ. Et quidem Alexander paucis, iiſque exiguis beneficiis Religionem devinxit, ſive quod illa Juliani Ruverei, Alexandro infeſti, protectioni commendata, ejus partes ſuſtinuerit; ſive, quod verius eſt, Alexander Cœnobitas frigide ſit proſecutus.

Fr. Bartholom. de Ruvere Julii II. frater. *Ciac. in vita Julii II.* *Tom. 14 anno 1479. n. 15.*

Fr. Clemens de Ruvere Cardin.

XI. Joannes Guadalupenſis, de quo anno diximus præcedenti, hoc anno in Urbem venit, adeoque dextere ſuum peregit negotium, ut ſub ipſis Julii II. augurationis auſpiciis, ipſoque coronationis die, ampliſſimas ſibi conferri impetrarit facultates inchoatam reformationem promovendi. Diffuſum conceſſæ poteſtatis diploma: *Rationi congruit*. VI. Kalend. Decembris editum, damus in Regeſto. De quinque Conventibus a Guadalupenſi jam ante hunc annum poſſeſſis, qui in Bulla referuntur, partim jam diximus, partim opportune dicemus.

Num. 25. Favet Pontifex Ioanni de Guadalupo.

Controverſiæ novæ circa Conceptionem beatæ Virginis Mariæ.

XII. Multæ fuerunt ſub hoc tempus controverſiæ inter Dominicanos & Franciſcanos, aliaſque his adhærentes Religiones, circa Conceptionem bea-

Eccu. ann. 1502. n. 10.

beatæ Virginis Mariæ. Occaſionem dederat ante aliquot annos Joannes Trithemius Abbas, qui ſcripto libro de laudibus ſanctæ Annæ Matris Deiparæ, in ſeptimo capitulo aſſeverabat, beatam Virginem ab originali macula non ſanctificatam, ſed præſervatam fuiſſe. Huic ſeſe oppoſuerat ex Dominicanis Vuigandus Cauponis, concionator Francofordienſis. Orto inter eos litterario bello, cum plures Trithemius in Vuigandum ad ſcribendum & impugnandum exciviſſet: quamquam operante Udalrico Kreituvicio, Rectore Univerſitatis Colonienſis, & Thoma Scoto profeſſore in eadem Theologiæ, pacem cum Wigando iniviſſet, Dominicanos tamen plerique Carmelitæ & Minoritæ divexantes, occaſionem dederunt, ut illi ad Alexandrum provocarint.

Bina palinodia circa Concept. Virg. Mariæ.

XIII. Interea triennio poſt, anno ſcilicet MCCCCXCVII. cum Joannes Verius Gallus, Doctor Theologus, ex iiſdem Dominicanis, in oppido Deppe, Rothomagenſis diœceſis, pro concione ad populum, plurima de ſanctificatione beatæ Mariæ Virginis in feſto Conceptionis ejuſdem diſſeruiſset, ad Univerſitatem Pariſienſem citatus, die XV. Septembris, non minus quam Wigandus Coloniæ, palinodiam recantavit. Poſtridie, hoc eſt XVII. menſis Septembris, apud ſanctum Maturinum in urbe Pariſienſi, LXXXII. Theologiæ profeſsores, omnes in eadem Univerſitate viri doctiſſimi, de rigore promoti, in præſentia totius Univerſitatis, uno ore unaque ſententia ſtatuerunt & determinarunt, quod nemo deinceps præfatæ Univerſitati adſcribatur, niſi ſe hujus determinationis, quod videlicet Beatiſſima Dei Genitrix & Virgo Maria ſemper ab originali macula fuerit immunis & præſervata, aſſertorem ſtrenuumque propugnatorem pro viribus futurum, confirmet juramento.

Decretum Pariſienſe circa iſtam materiam.

Aliud Colonienſe & alterum Moguntinum.

XIV. Facultas etiam Theologica Univerſitatis Colonienſis anno MCCCCXLIX. & facultas Maguntina anno MDI. ſimiliter decreverunt & ſtatuerunt, uti prænumeratis annis narravimus. Quare tot Univerſitatum in hac materia conſenſu, Minoritæ aliique cum Dominicanis acriter decertabant, & illi viciſſim contra depugnabant. Ab hac concertatione ſcandala multa in populis orta, & diſcordiæ non parvæ inter Prædicatores & Minores. Juſſit Alexander, ut utriuſque Ordinis Protectores remedium adhiberent. Anno itaque præterito, die ultima Martii, Oliverius Cardinalis Neapolitanus Epiſcopus Sabinenſis, Ordinis Prædicatorum Protector, & Georgius Cardinalis Ulyſipponenſis, Epiſcopus Albanus, Ordinis Minorum Vice-Protector, ſtatuerunt ne de hac materia amplius prædicaretur, neque coram laicis ageretur. Sed cum inſigne hoc & ſingulare Virginis privilegium ſilentio premi non poſſet, & in eo populis inculcando, aliqui excederent oppoſitam opinionem condemnantes, hoc anno Alexander Pontifex, editis his litteris innovandam judicavit Sixti IV. de hac controverſia conſtitutionem.

Pontifex cupit ſedare turbas ex hac controverſia ortas.

Ad futuram rei memoriam.

Specul. Minor. tract. 2. fol. 75.

XV. *Illius, qui ſe pro Dominici gregis ſalvatione in pretium immolari non abnuit, vices quamquam immeriti, gerentes in terris, circa ipſius excubias gregis nos ſollicitis congruit vigiliis intendere, ne contagioſos depaſcant feratus, & nimia curioſitas ſuperſtitionem, & ſuperſtitio errores & ſcandala parturiant, & ea quæ ad occurrendum erroribus & ſcandalis hujuſmodi per prædeceſſores noſtros ſalubriter ordinata ſunt, quibuſvis ſublatis impedimentis, obſerventur. Dudum ſiquidem a fel. record. Sixto Papa IV. præ-*

prædeceſſore noſtro litteræ emanarunt tenoris ſubſequentis. Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Grave nimis gerimus & moleſtum &c. uti habetur in corpore juris inter extr. tit. de reliq. & vener. Sanctorum,& nos exſcripſimus tom.14.ſub an.1482. n.12. Deinde ſubjungit. *Cum autem ſicut non ſine animi moleſtia accepimus, nonnulli diverſorum Ordinum Religioſi, effectum litterarum prædictarum forſan ignorantes, aut illas temerariis auſibus contemnentes, in ſermonibus & prædicationibus ad populum, & alias publice per diverſas Civitates & Terras varias opiniones circa contenta in ipſis eiſdem litteris, contra earum tenorem in medium proponere, & quidam unum, alii vero reliquum affirmare non erubeſcant, ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur, & ſcandala non modica generantur. Nos, ad quos ex debito Paſtoralis officii pertinet a ſancta Dei Eccleſia, quantum nobis ex alto conceditur, ſcandala removere, volentes ſcandalis hujuſmodi, ut tenemur, opportunis remediis occurrere, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus & declaramus, præinſertas litteras, ac omnia & ſingula in eis contenta perpetuis futuris temporibus, donec per Sedem Apoſtolicam aliter deciſum & ordinatum fuerit, inviolabiliter obſervari debere. Quocirca univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac aliis locorum Ordinariis, & Eccleſiarum Prælatis & Abbatibus, & perſonis aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſi & quilibet ex eis per ſe vel per alium ſeu alios, prædictas litteras, ubi & quando expedire cognoverint, & quoties ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicari faciant auctoritate noſtra & litteras ipſas, ac in eis contenta inviolabiliter obſervari: contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus vel ordinis exiſtentes, etiamſi Mendicantium Ordinum quorumcumque, etiam de Obſervantia nuncupatorum, Prælati, Miniſtri aut alii Fratres fuerint, per excommunicationis, ac alias ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: & nihilominus omnes & ſingulos, quos dictam excommunicationis ſententiam eis incurriſſe conſtiterit, & eorum quemlibet, in Eccleſiis, dum major ibi populi multitudo ad Divina convenerit, excommunicatos publice denuncient, & faciant ab aliis denunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec ad cor reverſi, & pœnitentia ducti, ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium ab eadem Sede meruerint obtinere; ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis, exemptionibus, indultis & litteris Apoſtolicis, quibuſvis perſonis ſecularibus & Regularibus, quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, & de Obſervantia nuncupatorum, profeſſoribus ipſis, & Ordinibus, tam per Mare magnum, & Bullam auream nuncupatas, quam per quaſcumque litteras alias Apoſtolicas, etiam a nobis emanatas, & iteratis vicibus approbatas, etiam ex quibuſvis urgentiſſimis & maximis cauſis, & ſub quibuſcumque formis & expreſſionibus verborum, & etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, etiam talibus, quod illis nullatenus, vel nonniſi ſub certis modo & forma inibi expreſſis, derogari poſſit, etiam motu, ſcientia & auctoritate*

ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, quibus omnibus & eorum ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de eis ipſorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam idem importantes clauſulas mentio, aut quævis alia expreſſio, vel eorumdem Ordinum alicujus ex eis perſonis intimatio habenda, aut alia exquiſita forma obſervanda foret; tenores bujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis babentes, quoad præmiſſa dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, barum ſerie, ſimilibus motu & ſcientia ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto bujuſmodi mentionem: Ceterum, quia difficile foret ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, originale deferri: volumus, & ſimilibus auctoritate, ſcientia & motu decernimus, quod earumdem præſentium litterarum tranſumpto, manu publici Notarii ſubſcripto, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici, aut illius Curiæ ſigillo munito ubique ſtetur, & eadem prorſus fides adbibeatur in judicio & extra, ac ubi fuerit exbibitum & oſtenſum, in omnibus & per omnia, prout eiſdem præſentibus ſtaretur, ſi forent exbibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat banc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, mandati, derogationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDII. X. *Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno* XI.

Anton. Amic. in illius vita. Rodul. fol 91. Cimarel. l. 9. c. 41. Marc. p. 3. l. 7. c. 18. Moritur Bernardinus a Foſſa. Ejus pueritia & adoleſcentia.

XVI. Hoc anno moritur Bernardinus a Foſſa, Aprutii oppido, ab Aquila notiſſima urbe ad quartum fere lapidem diſtante. Ejus vitam ab Antonio Amico illius conſanguineo ſcriptam, hic majori ex parte exhibeo. Amico Sciolaque parentibus ortus, atque octavum ſupra decimum annum agens, ita Latinis litteris eſt eruditus, ut vel Juriſprudentiæ, vel rei medicæ ſatis commode operam navare potuiſſet. Qui a quodam præſtantiſſimo Juriſconſulto, nec vulgaris exiſtimationis viro, Aquilano cive, *Pace* nuncupato, utri earum incumbere ſtatuiſſet? interrogatus, rei medicæ pro patris voluntate, reſpondit. Repetenti autem, cur non legibus? ſimpliciter retulit, ſe ſemper audiviſſe Juriſconſultos ac cauſidicos omnes inferorum pœnis deſtinari. Quod ſane a veritate alienum Juriſperito contendente, imo rem medicam conſcientiæ perniciofiorem aſſerente, quippe cum inſcie vel malitioſe propinatum pharmacum bona corporis lædat, longe præſtantiora humanis, quibus inſcii malique Jureconſulti ſententia officit, narrante interim medici cujuſdam inſcitiam, ceterorum, quos ipſe vocandos inſtituerat, auxilium negligentis, pulcherrimum ſibi filium, cujus caput equi pede percuſſum, tumefactum fuerat, obiiſſe, ut ira ſuccenſus impium medicum occidere conſtituiſſet. En mutata ſententia Bernardinus, hiſce verbis & exemplis commotus, Peruſiam, quo legum facultati incumberet, ſtatuit proficiſci.

XVII. Illic plures jam ſtudentem annos, ac Eremitæ cujuſdam concionem audientem, repentina invaſit cogitatio: *Quid agis*, inquit, *miſer? tui parentes vita functi ſunt, fratribus uxores ac liberi non deſunt, præclareque cum eis in rebus humanis agitur; ſorores nupſerant, ipſe ſolutus es: ſi cum hominibus verſaris, vitam inertem tranſigere non debes, ſed omni ætatis tuæ*

tuæ tempore inſudandum : id quod ſibi, ut honeſte viveret, decreverat faciendum, tametſi eum inferorum igni perinde addiceret, atque ſuum in ſcopum ſagittam arcus emittit. *Præſtat igitur*, ſecum dicebat, *Dei Opt. Max. amore laborare, qui mihi ad vitam æternam conſequendam peccata dimittet, quam hic ſemper inſudare, ac igni tamdem æterno deſtinari*. Cujus cordi admodum inhærentis ſententiæ, quæ ſæpe in ejus mentem veniebat & excidebat, poſt plurimorum dierum curriculum nihil penitus ſtatuebat, quouſque a Marco a S. Maria in Gallo, dicendi perito, in ſummo ſcalarum veteris Sapientiæ Peruſiæ, mira D. Bernardini Senenſis, qui tunc recens Aquilæ dormiverat, ac altiſſima, necdum plurimorum annorum ſerie audita miracula narrante, illud primum, quod pro quodam puero admodum claudicante vir Divinus operatus fuerat, perciperet prodigium; ob quod obſtupuit, pariterque a Spiritu ſancto cor ejus illuſtratum eſt, ut totum ſancti Viri, quem tum Aquilæ, tum Peruſiæ concionantem audiverat, precibus tribuendo, memoratam conſtituiſſet exequi cogitationem.

XVIII. Divino hoc excitus œſtro, quiſnam concionaturus in proxima Quadrageſima Peruſiam adveniret, ut ei ſuum explicaret propoſitum, percontatur: cum vero ſibi diceretur, aut Joannem a Capiſtrano, aut certe Jacobum a Marchia eſſe concionem habiturum, Deo immortales habens gratias, plurimum lætabatur. Quamobrem Jacobum, ubi advenit, allocutus, Petrutio Aquilano Sacerdoti, ſibi in legibus condiſcipulo cariſſimo, atque a pueritia cum Grammatica ſimul erudirentur, ſocio, hujuſmodi detexit arcanum: hic ei gratulatus, ut in ſententia permaneret, multis eſt cohortatus. Quadam vero die, cum ad Cœnobium ſancti Franciſci proficiſcerentur, Bernardinus ſe Jacobum alloqui precarique velle dicebat, ne ſuum Joannis nomen mutaret: quod uti pulchrum ſibi ſatis arridebat, ac quadam, cum eum ita parentes in baptiſmate vocaverint, veneratione complectebatur: id cum Petrutio optimum videretur, adjumento ſe in hoc Bernardino fore pollicetur. Cumque Cœnobii clauſtrum, quod maximum eſt, ingrederentur, Jacobus ex adverſo in extrema clauſtri parte ſtans, cum nullo pacto eos cognoſcere poſſet, quippe qui lippus imbecilliſque viſus eſſet, hiſce verbis clamavit: *Salve frater Bernardine: hoc volo dicaris nomine, atque cave ne quid repetas*. Quæ verba ei Spiritum ſanctum revelaſſe, atque uti miraculum foret putabant, quod quæcumque in via dixerant, optime ſciret, cum ſic eos præveniſſet: ut quemadmodum factum extitit, huic, quo vocaverat, nomini minime repugnarent; atque ita omnes exiſtimabant, cum is vir Peruſiæ ea tunc exiſtimatione, vita ac ſanctitate haberetur, ut eum quiſque ſanctum judicaret.

XIX. Recipitur itaque ad habitum anno MCCCCXLV. IV. Idus Martii, Bernardinus appellatur, & Eugubium ad tirocinium ſubeundum deſtinatur. Non tamen illic, ſed Stronconii ad tertium Nonas, alias Idus Martias, ſubſequentis anni profeſſionem emiſit. Annis multis vixit ſanus & vegetus contra amicorum & parentum expectationem, donec crebris flagellis, longo jejunio, aſſidua oratione, & plurima corporis afflictione in febrem aſſiduam, quæ per menſem eum obſedit, æſtu quodam levi interius, haudquaquam exterius apparente, incidit, nihil prorſus Medicis aut pharmacis proficientibus, ac totius corporis doloribus adeo affectus remanſit, ut per ſeptem alios menſes ignita veſte amictus ſibi videretur, aſſidue vociferans, nullo in tanto cruciatu ſibi exiſtente ſolatio, niſi cum more pueruli lacrymas emitteret: nocte tamen, magis quam die excruciatus, vigeſima quarta quaque diei hora parturientis more affligebatur. Ad hæc ſenſu deſtitutus, ita quod Fit Minorita.

quod interdum ſuper ſcabellum ſedens, vix ſe hominem eſſe cognoſceret, alicujus tantum carnis ſtillatione nutritus, ſæpiſſime in mortis articulo laborans, divo vovit Bernardino, per Deum orans, ut, cum tot tantaque ſalutis beneficia in plurimos contuliſſet, jugiterque conferret, ipſi quoque tot cruciatibus affecto præſidio foret, pollicitans, cum primum ita morbo levaretur,ut ſacra facere poſſet,ſe ad Dei Opt. Max. illiuſque laudem & gloriam quinquies hoſtiam oblaturum. Quodam autem die, mane poſt auroram parum quid dormienti, quidam Franciſcanus apparuit, dicens: *Uti vales Bernardine miſer?* *male*, inquit, *penituſque deficio*. Subjicienti vero, *tuum hunc noſti morbum? minime reſpondit*. Qui adjecit, *ſi ito ventum eſſe viſceribus incluſum, qui cum nullo adhuc pacto exire poſſit, hac te moleſtia afficit: cura igitur, ut ægrotorum cuſtos hoc medico referat*. Quamobrem adhibito per cuſtodem remedio, e veſtigio Bernardinus convaluit, ac primo Miſſarum votum in Dei divique Bernardini venerationem exolvit, ne illius virtute, conſilio ac meritis acceptæ ſalutis immemor eſſet.

XX. Majori vero ſtudio in Religionis obſervantia progrediens, quotieſcumque recordabatur ſuæ converſionis a ſeculo, toties in lacrymas prorumpebat, ſummum illud Dei beneficium recognoſcens, quod ad ſecuriorem vitæ ſtatum eum revocaverit. Peritiæ legum, quas egregie callebat, Theologiæ ſcientiam adjunxit, eaque prædicavit per Umbriam & extra fructus ubertate, ut mox concionator Apoſtolicus ſit renunciatus. Sui Ordinis munia prudenter obivit. A beato Joanne Capiſtranenſi Vicario Generali ad Provinciam ſancti Bernardini, in cujus diſtrictu natus eſt, amandatus, illam per annos decem optime gubernavit. In Dalmatiam & Boſnam miſſus, multa præclare fecit, utramque gentem Miniſtri titulo regebat, inde regreſſus, magno fructu ſermones habebat ad populum, vicos & caſtella circuibat, modo catechizans, modo confeſſiones excipiens, modo alia exercens opera pietatis. In Curia Romana Procuratoris Generalis munus ſuſtinuit. Multis virtutibus illuſtris, ſuaviſſimum tamquam roſæ & lilii ſpirabat odorem, colloquentibus, ſibique ipſi aliquando ægrotanti mirum advehens ſolatium. Erga omnes afflictos & pauperes ſumma ei inerat commiſeratio, & quos beneficentia non poterat ſublevare, ſuaviſſimis verbis, & ſalutaribus doctrinis refovebat. Corpus plurimis modis vehementer angebat, crebris flagellis, ciborum abſtinentia, aſpero cilicio, hiſpida veſte, duro lecto, ſomno brevi. In cubiculo aſſidue coram Chriſto crucifixo orans, ubertim flebat, eaque copia decurrebant lacrymæ, ut, ne maderet habitus, ſtrophiolum pectori ſoleret obducere. Bis ad Epiſcopatum Aquilanum a civibus poſtulatus & a Pontifice electus, humiliter oblatam dignitatem recuſavit.

Ejus munia in Religione.

Ejus virtutes.

XXI. Tantas hominis virtutes, inſignemque pietatem Dominus confirmaturus, ſignis ut micaret, effecit. Muto loquelam ſigno Crucis ori impreſſo; Paulo de Capponibus nobili Aquilano graviter languenti, omnique ſalutis repetendæ ſpe deſtituto, præmiſſa oratione, tactoque pectore, in Jeſu & ſanctiſſimæ Trinitatis nomine ſalutem reſtituit. Chriſtum Dominum in peregrini ſpecie meruit videre, dum ſocio exponeret ejuſdem apparitionem factam diſcipulis in Emmaus proficiſcentibus. Tamdem multis meritis plenus, gravi decumbens infirmitate, viſione ſancti Bernardini vehementer confortatus, in Domino obdormivit in Cœnobio ſancti Juliani extra Aquilæ Civitatem, anno ætatis LXXXIII. ejuſque animam Vincentius Aquilanus Minorita glorioſam in Cœlum efferri piorum operum præmium recepturam, conſpexit. Anno MDXV. Kalendis Decembris noctu furtim a quodam Minorita ſublatum corpus ad Cœnobium D. Angeli prope Foſſam, de quo nos alias

Miracula.

Ejus mors.

alias locuti ſumus, translatum eſt, ibique honorifice conditum. Anno inſequenti in Aſcenſionis Dominicæ vigiliâ, ejus oſſa ante Altare majus in arcula lapidea repoſita, ibidem religioſe cuſtodiuntur. In pulchra tabula ad Altaris dexteram erecta beati Viri effigies & miracula conſpiciuntur. Ejus vitam breviter ſcripſerunt Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus, diffuſius Antonius Amicus ejus ex fratre abnepos, quæ cum Bernardini opuſculis circumfertur. Quid autem ille ſcripſerit, nos in peculiari de Scriptoribus Ordinis catalogo recenſuimus.

Tom. 14. anno 1479. n. 25. Sepultura.

XXII. Hoc etiam anno mundo valedixit Ludovicus Mantuanus, quem nobiliſſimæ Gonzagæ proſapiæ fuiſſe probabiliter exiſtimat Hippolytus Doneſmundus. Habitabat in Cœnobio ſanctæ Mariæ Gratiarum Provinciæ ſancti Antonii, prope urbem Mantuanam, in quo hoc vitæ genus adoleſcentulus ſubivit, & vixit in perfectiſſima Religionis obſervantia. Abſtinentia a cibis, caritate erga proximos, contemplatione cœleſtium erat admirabilis, & extaſim frequenter paſſus; per triduum aliquando videbatur vita deſtitutus, alias in altum e terra elevatus. Inter reficiendum, dum in menſa communi Fratrum quidpiam legeretur, quod ad Chriſtianam pietatem, aut Dominicam ſpectabat Paſſionem, in lacrymas prorumpebat, neque ubertim profluentes poterat continere. Sepultum putant Conſodales in ſacello ſancti Antonii, in muro prope turrim campanariam, ubi conſpicitur effigies Minoritæ, beati Viri notis & ſignis radiorum caput illuſtrantium, obſervatione digna, magno lapidi inſculpta.

Obit Lud. Mantuanus. *Doneſm. in hiſtor. Mant. lib. 6. Marc. citat.*

XXIII. Tunc etiam ex humanis abiit in Cœnobio Mondragonii Provinciæ Terræ laboris, Paulus Siculus, ſui ſtatus & paupertatis evangelicæ obſervantiſſimus. Puerulum in cunis ſuffocatum a matre ſibi, dum Miſſæ ſacrificium abſolveret allatum, Crucis vivificæ impreſſo ſigno ad vitam revocavit. Necnon Julianus Fabrianenſis hoc anno obiit in Conventu Montis Agnani * Provinciæ Marchiæ, poſt quinquaginta annos ſanctiſſime in Religione tranſactos. Fuit genere nobilis, Deo & hominibus gratus. In oratione continuus, meruit in Eremitorio Fabrianenſi beatam Virginem Mariam & Angelum ſibi colloquentem conſpicere.

Et Paulus Siculus. *Marc. citat.* Ac Julianus Fabrianenſis.

* *Hic Montis Agnani Conventus in Provin. Marchiæ fortaſſis ille qui extra Camerinum nomine* Spetimenti *audit.*

XXIV. Moritur hoc anno Ludovica Clariſſa, Ludovici XI. Regis Gallorum cognata, & beati Amadei Ducis Sabaudiæ filia, nupta Hugoni a Cabilone, domino Caſtri Guidonis & Noſereti. Viro orbata, reliquam vitam duxit in Monaſterio Orbæ (oppidum eſt Vantuatum, ſive Vandeſium) in Provincia Burgundiæ, ſive ſancti Bonaventuræ, ſub prima Regula ſanctæ Claræ, & reformatione beatæ Coletæ. Vitam vixit religioſiſſimam, pietate & virtutibus illuſtris. De ea ſcribunt Pingonius in Arbore Gentilitia domus Sabaudiæ, & Paradinus in Affinitatibus genealogiæ Sabaudiæ ſub Amadeo III. Duce, præter auctores Franciſcanos.

Necnon Lud. Sabaudiæ. *Firm. 1. ordin. Marian. l. 5. c. 21. Foder. in Monaſt. Evinſiacen.*

XXV. Obiit hoc anno v. Kal. Julii in Conventu ſanctæ Eliſabethæ urbis Tulenſis in Lotharingia, Joannes de Sorceyo, ex Sacræ Theologiæ Baccalaureo Chriſtopolitanus Epiſcopus, Epiſcopi Tullenſis ſuffraganeus, uti diximus; ſepultuſque eſt ante Altare præcipuum. Aſſumpti ſunt ad Epiſcopatus hoc anno, Rodulphus Heyleſden ſacræ Theologiæ profeſſor, ad Aſcalonen. in Paleſtina ſub Patriarchatu Hieroſolymitano, VIII. Idus Martii. Jacobus de Petrutiis ſacræ Theologiæ profeſſor in Univerſitate Neapolitana, de quo alias locuti ſumus, frater Germanus Joannis Baptiſtæ de Petrutiis Archiepiſcopi Tarentini, qui vitam beati Jacobi Piceni a nobis editam carmine decantavit heroico, ad Alarinenſem in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano, per obitum Antonii, VIII. Kal. Maii.

Joan. Ep. Chriſtopolit.

An. 1492. n. 30.

Rodulph. Aſcalonen.

Tom. 14. ann. 1492. n. 52. & in limine vitæ B. Jacobi Piceni.

Jacobus Alarinen.

Phi-

Philipp. Archiep. Tuamen. Philippus Pinſon ſacræ Theologiæ profeſſor ad Archiepiſcopatum Tuamenſem, & Epiſcopatum Enachdunenſem unitos in Hibernia, per obitum Gulielmi, die XI. Decembris. Hujus Philippi mentionem non babet Wareus in ſuo Catalogo Archiepiſcoporum Tuamenſium. Joann. Montis Viridis. Joannes Salernitanus ad Epiſcopatum Montis viridis, in Regno Neapolitano, tunc ſub Archiepiſcopo Compſano, per mortem Bartholomæi, die XVIII. Decembris. Anton. Andrien. Antonius de Roccamora ad Andrien. in eodem regno, ſub Archiep. Tranenſi, per obitum Hieronymi de Porcariis, eodem die.

Conv. Molæ. Gonz. in Provin. S. Nicol. Conv. 31. XXVI. Non procul a Mola Apuliæ oppido, in tractu Barienſi, oppidani conſtruxerunt Cœnobium ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Paſſu pro Fratribus Regularis Obſervantiæ, annuente Alexandro Pontifice. Per M. P. Conv. S. Luciæ. Rodulph. fol. 280. diſtat ab Oppido ſanctæ Luciæ in Sicilia Cœnobium ſanctæ Mariæ Gratiarum Patribus Conventualibus hoc anno conceſſum; eodemque tempore alterum Conv. Caſtri. hi Patres acceperunt locum ad Oppidum Caſtri, ubi natus eſt vir inſignis Octavianus Præconius, de quo ſuo loco dicetur. Utrumque domicilium ſpectat ad Provinciam Siciliæ & Cuſtodiam Meſſanenſem.

Conv. S. Clementis. Gonz. in Provin. Carthag. Con. 17. XXVII. In meditullio oppidi ſancti Clementis, Conchenſis diœceſis in Hiſpania, ſub ditione Marchionis Villenæ, conſtructum eſt hoc anno Cœnobium pro Fratribus Obſervantibus, ſub titulo ſancti Franciſci, pro quo conſtruendo quidam Alphonſus a Caſtello fundum, Uuiverſitas oppidanorum ſumptus contribuit.

Conv. Vallis Entinæ. Idem in Provin. S. Andreæ. Conv. 22. XXVIII. Circa hunc annum conſtructus eſt Conventus ſancti Franciſci Vallis Entinæ in pago Luvez, non procul ab oppido & arce Hiſdinienſi, per dominum ejuſdem pagi. Conſecratum eſt templum, & anniverſarius dedicationis dies celebratur in feſto ſancti Joannis ante Portam Latinam.

Mon. Narnienſe ſanctæ Claræ. XXIX. In urbe Narnienſi Monaſterium erat Sororum Ordinis ſancti Auguſtini, ſub titulo ſanctæ Crucis, in quo degebant triginta tres Sanctimoniales; ſed cum Abbatiſſa, cum viginti ex iſtis aſpirarent ad ſtrictiorem vitæ obſervantiam, & cuperent ad Ordinem ſanctæ Claræ tranſmigrare, obtinuerunt ab Alexandro VI. ſub finem anni præcedentis facultatem ita faciendi; ſi quæ vero nollent eis aſſociari, tribuit licentiam ad alia Monaſteria Ordinis ſancti Auguſtini, vel arctioris abeundi, juſſitque, ut in Monaſterio Ordo ſancti Auguſtini & titulus ſanctæ Crucis ſuppnimeretur, & deinceps Regula & invocatio ſanctæ Claræ introduceretur. Cum vero ſuper hæc non eſſent expeditæ litteræ ab Alexandro, obitu ſuperveniente, Julius II. hoc anno omnia ſua Bulla confirmavit: *Rationi congruit*. VI. Kal. Decemb. Valde Gonz. in Provin. S. Franç. Mon. 14. aliter tranſitum hunc ad Regulam ſanctæ Claræ narrat Gonzaga. Cum vero Epiſcopus Narnienſis, & Generalis Ordinis ſancti Auguſtini, ac ex Monialibus aliquot prætenderent litteras Julii fuiſſe ſubreptitias, & apud Auditorem Cameræ Apoſtolicæ diu de hac re controverterent, tribus devictos ſententiis oportuit acquieſcere, repetitiſque litteris Julius anno MDIV. & MDVI. juſſit ut Vicarius Provinciæ ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ Monaſterii curam ſuſciperet. Litteras poſtremas ad annum MDVI. dabimus in Regeſto.

Mon. Huetanum. Idem in Provin. Carthag. Mon. 4. XXX. Ceſſerat Minoribus hoc anno Senatus inſignis urbis Huetanæ ædiculam aliquantulum a vallo Civitatis extructam, ut Monaſterium illic ædificaretur Clariſſarum, ſub titulo Miſericordiæ. Ubi conſtructum eſt, evocatæ ſunt quatuor Sorores ex Monaſterio Alcozerii, quæ reliquas admittendas virtutem & regularem obſervantiam docerent. Capax eſt domus Sororum triginta.

XXXI. Petrus Garcia & Tereſia Sancia conjuges, ſumpto Franciſcanorum

rum habitu Tertii Ordinis, convenerunt invicem, ut ſi hæc prius decederet, ille Minoritis Conventum ad Villæ novæ Archiepiſcopi oppidum, Giennenſis diœceſis; ſi illa vero marito ſupereſſet, Tertiariis Sororibus domum ædificaret. Petro prius defuncto, uxor in ædibus contiguis ædiculæ ſancti Sebaſtiani intra muros oppidi a ſe emptis, & in Monaſterii formam redactis, reliquam vitam cum aliis fœminis ſibi adhærentibus, ſub Regula Tertii Ordinis piiſſime, & ſub obedientia Miniſtri Provinciæ Carthaginenſis tranſegit. Viguit in hoc loco maxima laude Regularis obſervantia, & Sororum pietas. Domus Villæ novæ Archiep. Soror. 3. ordin. Indid. Mon. 11.

XXXII. In urbe Lorcenſi, Diœceſis Carthaginenſis, nobilis fœmina Eliſabetha Pontia fundum emit a Senatu pro conſtruenda domo Sororum Tertii Ordinis, ſub invocatione ſanctæ Annæ, ubi cum filiabus Franciſca Pontia & Maria Sancia, aſſumpta hujus Inſtituti veſte, continuo plurimarum virtutum exercitio magnam adepta ſanctitatis opinionem, plurimas virgines ad ſuum attraxit conſortium, & poſt mortem, ejus filiarumque reliquiæ miracula patrarunt, immundos expulerunt ſpiritus, languores curarunt, Michaelem laicum Minoritam ab herniæ gravedine liberarunt. Domus Lorcen. Indid. Mon. 12.

XXXIII. Extra ejuſdem urbis mœnia, alia domus eſt ejuſdem Inſtituti, ſanctæ Mariæ Magdalenæ titulo inſignita, ab honeſta matrona Lorcenſi, cujus maritus Minoriticam veſtem obduxerat in Provincia Angelorum, conſtructa. Matrona autem, adſcitis tribus Sororibus ex Monaſterio ſanctæ Eliſabethæ Lorcenſi propter domeſticas diſcordias & contentinnes elapſis, & in paternis ædibus commorantibus, additiſque duabus filiabus, religioſiſſimum huic domicilio dedit exordium, in quo hactenus magno virtutis & pietatis incremento degunt ſectatrices. Domus Lorcenſis S. Mariæ Magdalenæ. Indid. Mon. 13.

XXXIV. Hoc anno Julius II. ſuis litteris confirmavit donationem Monaſterii ſanctæ Claræ veteris urbis Segobienſis, factam Sororibus Tertii Ordinis per Clariſſas Monaſterii ſancti Antonii, quam nos opportune ſuo loco recenſuimus: *Rationi congruit*. VI. Kal. Decembris. Domus Segobiſ. Tom. 14. ann. 1486. n. 35.

XXXV. In oppido Guald', Diœceſis Nucerinæ, domum fuiſſe hoc tempore Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſub invocatione ſanctæ Margaritæ, mihi conſtat ex Brevi originali Alexandri Pontificis, quo jubet Jacobum de Porcaria, Vicarium Provinciæ ſancti Franciſci, ejuſque ſucceſſores pro tempore, ut eis, quæ eatenus confitebantur presbytero Seculari, daret ex ſuis ſubditis unum, qui illarum exciperet confeſſiones. Eidem etiam Vicario per aliud Breve præcipit, ut pro audiendis confeſſionibus Sororum duorum Monaſteriorum de Stella, & ſancti Matthæi, Spoletanæ Diœceſis, Ordinis ſancti Auguſtini, pendente lite inter eas & Epiſcopum Spoletanum, ſuper ſubjectione vel exemptione coram Joanne Archiepiſcopo Raguſino, in Romana Curia reſidente, ſui Ordinis profeſſorem, virum idoneum, provectæ ætatis deputaret. Domus Guald.

ARGUMENTUM.

Maurus Guardianus Hieroſolymitanus a Sultano Ægypti ad Pontificem, ad Reges Caſtellæ, & Luſitaniæ mittitur Legatus. Minoritæ ad regnum Congenſe in Indiis Orientalibus amandantur. Obſervantes Ciſmontani Comitia celebrant Generalia. Franciſcus Ximenius Toleti boni paſtoris complet officium, multiſque beneficiis urbem afficit Complutenſem. Iſabella Regina Catholica Minoritis addictiſſima moritur, ſuccedunt in Regno Philippus Burgundus, & Joanna Iſabellæ filia, quibus Ximenius conſilio aſſiſtit & auxilio. Diem claudit Joanna Valeſia olim Franciæ Regina, Annunciatarum Sororum fundatrix, necnon aliquot pii viri Minoritæ. Recenſentur Epiſcopi hoc anno inſtituti, & domicilia conſtructa.

Guardianus Mõtis Sion legatur ad Pontificem.

I. Venit hoc anno in Urbem Guardianus Montis Sion Hieroſolymorum, miſſus a Sultano Ægypti ad Alexaudrum expoſtulatûrus de injuriis, quas audiebat & dicebat, ſuæ gentis & fidei hominibus inferri a FerdinandoCaſtellæ,& Emmanuele Luſitaniæ Regibus. Legationem diffuſe refert Joannes Barrius Luſitanice, & Latine noſter olim amicus Henricus Spondanus, ex quo totam huc transfero narrationem. Vehemens fuit Maurorum, tam qui in India erant, quam qui in Ægypto, ad Sultanum expoſtulatio, necnon Regum Calecutii, Cambajæ, & aliorum Luſitanis adverſantium, de intercepto Luſitanorum adventu commercio cum grandi publicorum vectigalium, & privatorum ſingulorum detrimento. Qua factum eſt, ut is in ſe quaſi proprium ſuſcipiens Luſitanos Indica navigatione prohibendi negotium, imprimis divulgari curaverit, conſtituiſſe ſe Templum Hieroſolymitanum cum ſepulcro Dominico, & Monaſterio ſanctæ Catarinæ Montis Sinai, alias Sion, deſtruere, ſacraſque omnes Reliquias perdere, & Chriſtianos Europæos toto ſuo imperio (quod latiſſimum erat, cum præter Ægyptum, & non parvam ceteræ Africæ partem, poſſideret Syriam, Arabiam, & alias Provincias) ad ſupeſtitionem Mahometis compellere, niſi intra certum tempus inde abſcederent: ob duas videlicet graviſſimas, quas Mauri, quorum ipſe protector, uti Imperator, & Califa domus Mechæ erat, injurias recepiſſent a Regibus Ferdinando Hiſpaniæ, & Emanuele Luſitaniæ; ab illo in Granatæ occupatione, & Maurorum expulſione, aut ad Religionis Chriſtianæ obſervationem adactione; ab iſto in Maris Orientalis commercii interturbatione, ac Principum Indicorum vexatione.

Barr. dec. 1. l. 8. c. 2. Spond. hoc anno n. 7.

II. Qua emiſſa voce, Sultanus, quaſi tamen rogatus a quodam Religioſo Franciſcano, nomine Mauro, natione Hiſpano, Præfecto Monachorum ſanctæ Catarinæ Montis Sion Hieroſolymis, miſit eum ad Romanum Pontificem cum minis atrocibus de ſuo exequendo propoſito, niſi Pontifex pro auctoritate, qua pollebat erga Principes Chriſtianos, duos illos ab ejuſmodi injuriis avocaret: datis ad eum illa de re litteris, quarum exemplar ſe vidiſſe Barrius ait, cum ſpecioſiſſimis titulis tam ſibi, quam Pontifici attributis, quos idem recitat. Suos quidem ita: *Magnus Rex, Dominus Dominantium, nobilis, excelſus, ſapiens, juſtus, & victor: Rex Regum, gladius mundi, princeps fidei Mahometicæ, & illorum; qui ei adhærent: vivificator juſtitiæ toto orbe; ſucceſſor Regnorum; Rex Arabiæ, Gemiæ, Perſiæ, & Turciæ; Umbra Dei in terris, cunctorum bonorum operator, ſive ſint ab eo præcepta, ſive non; alter in hoc mundo Alexander, a quo multa bona procedunt; Rex eorum qui ſedent in Tribunali, & ferunt coronam; dator*

tor regionum, terrarum, Civitatum; perſecutor rebellium, & hæreticorum infidelium; conſervator duorum locorum peregrinorum, ſummus Sacerdos Templorum ſacrorum, quæ ſunt ſub ſuo imperio, & continent fidem Mahometis; ſpartor juſtitiæ, & bonitatis; ſplendor fidei, pater victoriæ, Canazzaus Algaurus, cujus imperium Deus perpetuet, ſedemque ſupra planetam Geminorum exaltet. Canazzaum hunc Sultanum, plures Campſonem vocant, & Gaurum pro Algauro, quod ei cognomen Barrius ait inditum fuiſſe, propter inſignem victoriam de quodam Rege Perſarum ad lacunam ejus nominis partam. Extat ejus elogium apud Jovium; quo intelligitur, eum in Scythia ortum, ex humili fortuna, per omnes militiæ gradus ad eam dignitatem invitum evectum eſſe, eamque ea moderatione adminiſtraſſe, ut ab Otomannis Regibus ſuſpiceretur, & ab Iſmaele Perſarum Rege coleretur, tamquam intermedius maximarum opum, ſummaque nominis auctoritate Rex ampliſſimus. Præmiſſis igitur ſuperbiſſimis, atque inaniſſimis prædictis titulis, ad Pontificem ſermonem dirigens: *Tibi*, inquit, *Papæ Romano, excellentiſſimo & ſpirituali, qui timet Deum, & bene operaris; magno in antiqua fide Chriſtianorum fidelium Jeſu, Regi Regum Nazareorum, conſervatori, & Domino marium, & finium maritimorum; Patri Patriarcharum, & Epiſcoporum; Lectori Evangeliorum, & ſapienti in ſua fide, atque in rebus licitis & illicitis; benigno Regibus, & Principibus, Regni Romani poſſeſſori; cujus gloriam Deus augeat &c.*

III. His litteris munitus veniens Maurus Romam (quod præſenti anno contigiſſe Barrius ait) ac mandata minaſque Pontifici explicans, adeo illum commovit, ut miſerit eum in Hiſpaniam cum iiſdem litteris ad Reges Ferdinandum, & Emmanuelem auctores indignationis Sultani, ut quid reſpondendum, quidve agendum eſſet, conſiderarent. Non ante proximum annum Maurus in Hiſpaniam pervenit: cum menſe Junii Emmanuelem Regem adiens, poſt mandata expoſita, reſponſum accepit, has nihil aliud, quam vanas eſſe Sultani comminationes, quæ cum non aliud fundamentum haberent, quam diminutionem vectigalium ſuorum, haud timendum eſſe, ob grandia emolumenta, quæ ex Chriſtianorum peregrinatione ad loca ſancta colligere ſoleret, ut induci poſſet ad ea diruenda. Sicque tutus redditus Maurus, & eleemoſynis in Terram ſanctam deferendis locupletatus, rediit ad Pontificem, cum litteris utriuſque Regis. Sed quid Ferdinandus reſcripſerit cum non invenerimus, Emmanuel Pontifici ſignificavit, dolere ſe, quod non majorem Sultano dediſſet expoſtulationis occaſionem; ſperare tamen, directurum ita Deum arma ſua, ut etiam ad Mechæ, & ſepulcri Mahometis everſionem pertingerent: atque ut ad tam pium opus Chriſtianos omnes Principes dimiſſis privatis ſuis diſſenſionibus, animos viresque jungere Pontifex hortaretur, rogavit. Reverſus Maurus ad Sultanum, quæ vidiſſet & audiviſſet, retulit: nec tamen propter repulſam, Sultanus quæ minatus fuerat, executus eſt, ſed tantum claſſem in Indiam per mare Rubrum adverſus Luſitanos immiſit.

IV. Refert autem Alvarus Gomeſius in vita Franciſci Ximenii, quod Guardianus hic Maurus, antequam Hieroſolymis diſcederet, cum tam longinquos terrarum tractus, totque ſibi marium & montium ſpatia emetienda eſſe conſideraret, ſupplex a Campſone Sultano petiit, ut diſcedenti Dominicum ſepulcrum adorare & conſpicere liceret, inſtar id ſibi ingentis viatici ad tam difficile iter futurum. Eſt ſacer ille locus cuſtodibus & repagulis munitus, qui niſi evidentiſſimo emolumento, maximoque operæ pretio inacceſſibilis eſſe conſuevit. Obtinuit id facile homo profeſſione Religionis inops, *Gomeſ. de rebus Ximen. lib. 4.*

inops, & qui in ſolam Sultani gratiam tam laborioſam legationem capeſſebat. Quo cum venerabundus aliquot Cœnobii ſui Sodalibus ſtipatus intraſſet, & debitam adorationem exhibuiſset, tabulam marmoream in ſepulcri fundo conſpexit, longam pedes tres, latam unum, lividis maculis aſperſam, ut e Chio marmore ſecta videri poſſet. Hanc etiam, ut liceret tollere a Sultano impetravit: quam in quinque æquales partes diviſit, & aris ſacroſanctæ Euchariſtiæ dedicavit, de more Chriſtiano conſecratas. Haſce aras ſecum adduxit, & inter Chriſtianæ Religionis ſupremos Principes, magni id muneris loco ſuſcipientes, diſtribuit. Nam Alexandro VI. Pontifici Maximo unam: Bernardino Carvajalio ſanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinali, quod eam veluti propriam poſſeſſionem titulo Hieruſalem ſibi aſſereret, alteram: Iſabellæ Reginæ tertiam: Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano quartam: ultimam vero Emanueli Regi Luſitano, heroi omnibus modis incomparabili, & qui ad Antarcticum uſque polum Crucis nomen ſtudioſe dilataverat. Fuit id donum Reginæ gratiſſimum, eoque in primis exhilarata, recreari viſa eſt. Ximenius, qui omnem animi ſui voluptatem in ſacræ Synaxis celebratione collocaverat, ubi aram illam e Dominico ſepulcro eſt nactus, vere triumphabat, & per annos duodecim, quod illi tempus vivendi fuit, numquam alibi præter quam in ea ara, Divina ſe Euchariſtia refecit, Franciſcanis Sodalibus, qui illum ſequebantur, idem faciendi facultate conceſſâ. Moriens vero (ut ex teſtamenti tabulis apparet) Eccleſiæ Toletanæ dulce amoris monumentum & pignus, inter cetera prætioſa ornamenta legavit. Quo autem in loco reperta, & per quem ad ipſum allata fuerit, ejus teſtamento, ne quid poſſet dubitari, declarari voluit.

Quinque diſtribuit aras Principibus.

V. Felicibus auſpiciis Minoritæ ante aliquot annos fidem Regno Congenſi invexerunt, atque hoc quidem tempore illius gentis Rex, ingenſque populi multitudo Religionem profitebatur Chriſtianam. Itaque anno iſto Emanuel Luſitaniæ Rex, paucis qui ſupererant, alios miſit ejuſdem Inſtituti Sacerdotes, homines ſacris litteris eruditos, & Religionis laude præſtantes. Multos præterea ludorum Magiſtros, qui ſcholas aperirent, & pueros litteris inſtruerent, & artifices etiam multarum artium eo ſimiliter mittendos exiſtimavit. Multas præterea ſacras veſtes, partim aureas, partim ſericas, multos libros Chriſtianam diſciplinam, & ſacrorum omnium rationem, & Chriſti vitam, & hominum Sanctorum exempla continentes, argenteos præterea calices ſacrificiis dedicatos, & Cruces argenteas, & thuribula, & omnia denique, quæ tam ad Chriſti diſciplinam tradendam, quam ad ſacra rite procuranda pertinebant, in naves imponi juſſit, ut facilius gentem in fide ſuſcepta confirmaret. Ad hæc, Sacerdotibus & reliquis omnibus, quibus onus luſtrandæ illius regionis impoſuit, ſtipendium & commeatum large atque munifice ſuppeditari præcepit. Cum autem homines religioſi cum muneribus ſacris a Rege miſſis, in eas oras pervenirent, magna repente hominum multitudo confluxit, ut eos humeris ſuis tolleret. Omnes qui convenerant homines Religioſos venerabundi ſuſpiciebant, & quaſi cœlo delapſos intuebantur. Rex eos valde amanter excepit, Emanuelique pro tanta benignitate felicitatem precatus eſt. Multi vero certatim ad illos undique conveniebant, ut Chriſto nomina darent, & ſacro fonte abluti, in novum vitæ genus ingrederentur. Demum ea in Guineæ regione in Capite Arſinario Cathedralis Eccleſia, inſtituto Epiſcopo, ſub Joanne III. ædificata eſt.

Oſor. l. 2. de reb. Emanuel. Monume. MSS. India Orient. Mittuntur Minoritæ ad Congenſes.

VI. Hoc anno XXIV. Maii in urbe Mantuana Obſervantes Ciſmontani coegerunt Comitia Generalia, in quibus electus eſt Vicarius Generalis, Fran-

Capitulum Generale Ciſmontanum 23.

Franciſcus Zenus Mediolanenſis. Definitores, Angelus de Soncino, Provinciæ Januæ, Damianus de Joha, provinciæ Terræ laboris, & Paulus Cancellarius Romanus. Commiſſarius in Curia Romana, Dionyſius de Leonardis Novarienſis, provinciæ Mediolanenſis. Guardianus Hieroſolymitanus Montis Sion, Aloyſius de Neapoli, provinciæ Terræ laboris. Vicarius Candiæ, Jacobus de Cervia, provinciæ Bononiæ. Deſignati ſunt plerique Viſitarores mittendi ad varias Provincias, ad quas ipſe Vicarius Generalis accedere non poſſet.

Regiſt. Ord. Doneſm. lib. 6. hiſt. Mantuan.

VII. Singulis ferme annis aliquid occurrit narrandum de magno illo viro Ximenio. Sub hunc quidem, duo mediocris conditionis humines, Hieronymus Madritus, & Petrus Zalamea in urbe Toletana partim ſuis peculiolis, partim divitum religioſorum erogationibus, ad quos ſtudiorum ſuorum rationem deferebant, aliquot ex afflictis & ægrotis pauperibus in unum locum cogere, eiſque medicorum conſilio ſalutarem opem miniſtrare, miſeris viduis præſidio eſſe, orbitati pupillorum ſubvenire, milleque alia hujuſmodi opera pietatis plena, Deo ſubinde aſpirante, perficere cœperunt. Celebre ſtatim in illa urbe horum ſtudium eſt habitum, nec latuit Ximenium vigilantem paſtorem, nam & frequenter de moribus ſuæ Civitatis interrogabat, & de actis ſingulorum inquirebat. Vocari ad ſe Hieronymum jubet: cujus pietatem poſtquam ex variis ſermonibus cum eo habitis abunde cognovit: macte animi eum eſſe hortatur, & ut tam ſalubrem occupationem non intermittat, humaniſſime monet: videat etiam quibus in rebus ipſo uſui eſſe poſset, nam in eis omnibus ſe aut conſilio aut auctoritate aut pecunia adjuturum, ſuppetiaſque laturum promittit: idque ſtatim reipſa præſtitit, aliquot nummorum millibus ad pauperum curam Hieronymo datis.

Gomes de rebus Ximen. l. 2. in fin.

Inchoatur ſodalitas operum miſericordiæ Tolet.

VIII. Mirum eſt, quantum roboris & efficaciæ ex hac Ximenii pollicitatione Hieronymus cœperit: illico enim Sodalitatem inſtituit, quæ tam publicis, quam privatis egenorum, præſertim quos *pudentes* vocant, neceſſitatibus pro virili ſuccurreret; ita enim appellantur, qui oſtiatim mendicare erubeſcunt, & domi nimis anguſte & arcte vivunt. Porro cum negotium ſuſceptum ex voluntate ſuccederet, Hieronymus ad Ximenium notitiam omnium defert, qui Complutum diſcedere volens, liberam facultatem Hieronymo & Sodalibus dat, quidquid in ea re vellent, inſtituendi. Hieronymus de Sodalitatis conſecratione, deque ejus legibus agendum ratus, convocatis Sodalibus, primum ne quid ſine Numinum tutela fieret, eam immaculatæ Dei Genitricis Conceptioni dedicarunt.

IX. Deinde communi omnium conſenſu ſancitum fuit, ut quoniam miſericors Hieronymi animus tantam rem exordiendi occaſio fuiſſet, qui de nocte ad pauperes quærendos vigilabat, poſthac ſingulis annis, a Kalend. Novembris uſque ad finem Martii, duo Sodales cum Sodalitatis viatore, ſub noctem concubiam, per omnes urbis vicos, præeunte lanterna obambularent: & quos ex vagis & egenis hominibus ſub dio alicubi pernoctantes deprehenderent, eos in ædem Sodalitatis deducerent. Quæ ſi forte præ hoſpitum turba anguſtior eſſe aliquando contingeret, in alia publica pauperum hoſpitia deferrent, diplomate regio, quod de ea cauſa eis conceſſum fuerat, gravia interminante, ſi quis præfectorum hoſpitium non recluderet. Deinde permulta alia inter ſe pepigerunt, omnia ad miſerorum opem ſpectantia.

X. Cum igitur Sodalitatem ſuam optimis & præclaris Inſtitutis inſtructam Hieronymus eſſe videret, non ſtatim ad Antiſtitem contendit: nam ut res hominum & caducæ & mutabiles ſunt, verebatur, ne ille conceptus

ſub

ſub initiis ardor, paulatim intermitteretur: ſed toto ferme triennio Sodalitii ſuæque conſtantiæ periculum facere voluit. Quod ubi proſpere ſuccedere proſpiceret, & animos omnium magis quotidie accendi, Divinam vim tamdem ineſſe ratus, ſub annum ſequentem MDV. ad Archiepiſcopum Complutum abiit, ſuæ operæ rationem redditurus. Ille hominis ſtrenuitatem demiratus, ejus diligentia non vulgaribus verbis collaudata, quantam ex ea voluptatem ſuſceperit, priuſquam Compluto Hieronymus diſcederet, opibus peramplis donatis declaravit. Nam primum, quoniam ea tempeſtate ob ſqualidum & impluvium cœlum, frugum inopia laborabatur, lectiſſimi frumenti quatuor millia & amplius modiorum Sodalitati in uſus pauperum diſtribuendos dedit: Hæc ſumma ob immane grani pretium admirationi fuit. Idcirco ſanctæ Dei Genitricis Conceptionis die, Ximenio anniverſaria ſacra quotannis fiunt, Sodalibus ad Cœnobium Franciſcanorum ſolemni pompa venientibus. Deinde, quoniam pharmacis & medicamentis ad ægrotantium curam comparandis vicena nummum millia, nongentos item frumenti modios in ſingulos annos quoad vixit, contulit; Aſcenſionis Dominicæ die, quo ille celebrem victoriam Orano capto, ex Afris hoſtibus reportavit, in eodem Cœnobio, ſolemnibus ſacris laudes Cœlitibus, & Ximenio offerunt. Rurſus, quia tria millia nummum aureorum dedit, quibus paſcua miræ ubertatis non longe a Talabrica coempta ſunt, quæ nunc maximos proventus reddunt, quotidieque novis incrementis augentur; Kalend. Novembris, ac poſtridie ejus diei, ſacris in æde propria Ximenio parentatur: deque ipſius præclaris geſtis apud Sodales frequenter concio habetur. Sed quoniam ejus auctoritate & nutu inſtitutio Sodalitatis facta eſt, & condonationes (quas Indulgentias appellant) quo majori Religione Sodalium animos devinciret, ille quoque conceſſit; in Auguſtinianorum Cœnobio, ſub Idibus Auguſti, ad aram Virginis Matris, quæ *Gratiæ* cognomen habet, in Ximenii memoriam feſtum diem celebrant, ſtipe quinquaginta pauperibus tributa. Ædiculam, quæ juxta domum Antiſtitis Toleti eſt, poſtico ad viam publicam adaperto, ſacris peragendis Ximenius tradidit, qua in diem præſentem Sodales fruuntur, nemine ex poſteris Pontificibus, aut reſcindente, aut ægre ferente.

Sodalitas frequentes quotannis gratias habet Ximenio.

XI. Procedente deinde tempore, anno poſt hæc decimo ſeptimo, cum jam Ximenius vivere deſiiſſet, ad Adrianum, qui in Hiſpania vice-Regis fungebatur, in Pontificem Maximum per id tempus aſſumptum, Tarraconam Hieronymus venit: eaque omnia, ut Sodalitati confirmaret, quæ Ximenius olim conceſſerat, deprecatus eſt. Adrianus Ximenii memor, libentiſſimo animo præſtitit. Multi horum imitatione allecti, novas ſubinde rationes ea in urbe excogitare pergunt, quibus civium indigentiæ ſubveniatur, & peregrinorum neceſſitati providetur: omnium denique difficultatibus incredibili ſtudio conſulitur; adeo ut nullibi locorum, tot calamitatum, quibus humana vita divexatur, plura aut majora remedia, quam Toleti conſpiciantur.

XII. Rex Ferdinandus & Iſabella Regina ad Methimnam Campenſem profecti, Ximenium Compluto advocarunt, quibus utriſque graviter ægrotantibus ille continuo aſſiſtebat, nullo intermiſſo die, quin utriuſque lecto aſſideret, omniaque diligenter circumſpiceret, quæ ad eorum ſalutem conducere videbantur. Tunc Hieronymus Vianellus Venetus ad ſalutandum Ximenium cum veniſſet, & anulum adamante ſelectiſſimo inſignitum, quem venalem habebat, Antiſtiti oſtendiſſet, ac quinque millia nummum ejus pretium diceret: *Quanto*, inquit Ximenius, *melius eſſet ea ſumma quinque mil-*

Ximenius ægrotis Regibus aſſiſtit.

millibus militum in Africanis oris laborantium ſuccurrere, nummo aureo in ſingulos collato, quam omnes Indicos adamantes poſſidere.

XIII. Dum Methimnæ ob Reginæ ſupradictum morbum compluſculos dies Ximenius moratur, loci vicinitate excitus, de ſacro funebri Ciſneris ſuæ familiæ proceribus, in majorum ſuorum antiquo domicilio inſtituendo in hunc modum decrevit. Annua vectigalia ex Regiis in eo municipio proventibus comparavit, quæ municipalibus Sacerdotibus ſunt tradita; ut in veſtibus lineis, ſingulis quibuſque Dominicis diebus pomeridianis horis, poſtridie vero antemeridianis, ad ſancti Petri ædem, ubi Toribius, Ximenii avus, proprio ſacello conditus eſt, majorum manes expiare teneantur, & etiam ad ſancti Laurentii, ubi antiquum Ximeniorum monumentum ſacello item pervetuſto habetur. Durant Ciſneris adhuc hæc ſacra, præterquamquod quadrageſimo ab hinc anno, Sacerdotes ad ſacra facienda veſtibus lineis indui deſierunt, & neglecto Toribii ſacello, ad aram maximam divi Petri ſacra faciunt. Sartis tectis ſacellorum curandis vectigalia etiam comparavit, Garſiæ Villaroellio, quem poſtea Caſtoriæ Præfectum creavit, adminiſtratione perpetua demandata. Sed poſtquam alio domicilium mutavit, cjus poſteri curam nonnihil remiſerunt. Certe Academia Complutenſis rei honeſtiſſimæ operam navabit, ſi quæ Ximenius multis in locis in ejus memoriam reliquit, perluſtrari, & ex teſtamento fieri curaverit. Familiæ Ciſneriæ funeralia.

XIV. Hoc anno priuſquam Methimnam Ximenius veniret, Toletum ire voluit, ubi a principio ſui Pontificatus mire concupivit Sacerdotum mores emendare, & in eorum acta & vitam inquirere. Fuerat quidem bis Toleti, ſed nullam hoc agendi occaſionem nactus fuerat. Nam primo in urbem ſuam venienti, ubi omnia gatulatione & plauſu ſtrepebant, non tam aſperiras emendationis, quam felicitas compellandi conveniebat. Secundo vero Regibus in eam urbem ad res ampliſſimas convenientibus, ac proinde diverſarum gentium turbis refertam, multo difficilior occaſio offerebatur ad vitia hominum ſacrorum inquirenda. Tunc vero cum cogitaret ad eam rem perficiendam Toletum iter facere, Reginæ mandatis id quo minus proſequeretur, prohibitus, ſtatuit quas per ſe non poterat, officii ſui functiones per Vicarios adminiſtrare. In primis igitur in vitam moreſque Sacerdotum Eccleſiæ Toletanæ quæſtionem decernit, quam viſitationem vocant, eamque doctori Villalpando Vicario ſuo Generali, una cum Fernando Fonſeca ejuſdem Eccleſiæ Canonico exequendam mandat. Reformationem ſui Cleri intentat.

XV. Incredibile dictu eſt, quam hoc decretum graviter moleſteque Eccleſia tulerit, & quam obſtinatis animis ſe illi omnes oppoſuerint, citius ſe extrema omnia paſſuros clamitantes, quam ut ab ullo, quam ab ipſo Antiſtite in ipſos inquireretur. Interpoſita eſt ad Sedem Apoſtolicam ſolemnis provocatio, cenſoreſque communi conſilio rejecti ſunt. Qui ex Canonicis ſe ſe acrius opponebant, tres potiſſimum eſſe videbantur, Sepulveda, Barzana, & Orticius, cognomento Nuncius, quod vices Pontificis Romani in Hiſpania aliquando geſſiſſet. Hos Villalpandus ex Archiepiſcopi præſcripto comprehendendos curat, & Archiepiſcopalibus municipiorum arcibus in cuſtodiam tradit. Veriti ſunt Canonici ne Ximenius Regiam majeſtatem in ipſos irritaret: quare legationem ad Reginam decernunt. Obſtant Canonici.

XVI. Miſſi legati cum in Reginæ conſpectum, quæ id temporis apud Methimnam Campenſem morabatur, admiſſi eſſent, Franciſcus Alvarius Eccleſiæ Toletanæ Scholaſticus, unus ex legatis, cui ceteri ob provectiorem ætatem, & inſignem rerum peritiam dicendi locum ſponte conceſſerunt, Reginæ primum benevolentia ex ejus ſingulari juſtitia, & rei ſacræ tuendæ ſtu-

ſtudio prudenter captata, invitos quidem & dolentes ad eam cauſam adverſus Præſulem ſuum tractandum venire, ſe dixit; cum præſertim Eccleſia Toletana adeo ſuorum Antiſtitum obſervantiſſima ſemper fuiſſet, ut apud calumniatores, & parum æquos homines in aſſentationis vitium verteretur. At quoniam inſimulatos apud ejus majeſtatem ſe eſſe cognoverant, læſæ erga ſuum Antiſtitem obedientiæ, quod cenſores quoſdam morum ab eo adverſus ipſos deſtinatos contumaciter & contemptim rejeciſſent, quaſi, ut nulla de vita actionibuſque ſuis ratio proprio Antiſtiti conſtaret, niterentur, ſe ad ejus præſentiam conveniſſe, contumaciæ crimen depulſuros. Neque enim ſibi unquam eum animum fuiſſe, cenſorium de moribus ſuis judicium deprecandi; ſed id dumtaxat, ne per Vicarios leviter & languide remiſſeque, quod alias ſolent, in ſe cenſura fieret; ſed potius ſerio & ſevero judicio, cujuſmodi a tali Antiſtite antiquæ aſperitatis homine, expectandum procul dubio erat. Nam eam eſſe Capituli Toletani auctoritatem, ut minime deceret in illius Sacerdotes ab alio, quam a ſuo Pontifice inquiri. Quare ejus majores, qui illud religioſiſſimum templum condiderunt, cenſoriam de Eccleſiæ Toletanæ Miniſtris explorationem adeo eſſe cum ipſius dignitate conjunctam ſemper exiſtimaverunt, ut ſi aliquando per alium, quam per Antiſtitem ſuum exerceretur, ſalva neutiquam conſiſtere valeret. Ergo Divinum ejus celſitudinis ingenium, ſummumque honeſtatis & virtutis ſtudium, quod in illa præcipue relucebat, obteſtari, ut etiam atque etiam conſideraret, an crimini ſibi imputandum eſſet, quod acutum ſui Antiſtitis mucronem adverſus ſe ſtringendum peterent, Miniſtrorum obtuſum declinarent. Id enim in votis Capitulo Toletano cum primus eſſe, pro certo haberet, Antiſtitis ſui fulmina, quantumvis formidanda & terribilia, utpote a vero veteris diſciplinæ rigido exactore vibrata, cum gravi potius cunctorum periculo ſubire velle, quam cum omni venia & remiſſione ad examen ab æqualibus vocari. Qui ſi nihil aliud, certe æquales & pares eſſent: & nihilominus, quod illorum pace diceretur, cenſoria ſeveritate indigerent. Veniret Paſtor in ovile ſuum, ut juxta Divini vatis oraculum, infirmum ſolidare, ægrotanti mederi, confractum alligare, errantem in caulam reducere ſtuderet: nec mercenariis functionem ſuam, Evangelio reclamante, commendaret: eos exemplo omnium primos obſequentiſſimos experturus filios, & quod æquum & religioſum eſſet, officii ſui ſtudioſos adjutores. Alioqui perſuaſum haberet, quod ipſi liceret præter ſas & jus imperare, ſibi viciſſim licere non obſequi. Quod ſi confidentius apud ejus majeſtatem viderentur loquuti, minime id confidentiam eſſe crederet, imo magis conſtantem fiduciam, quam nimirum ipſis, atque adeo feliciſſimo ſuorum temporum ſeculo æquiſſimum, pleneque Divinum ejus celſitudinis imperium per univerſam Hiſpaniam peperiſſet, in quo certiſſima ſpe, ſupremis juxta ac infimis jure ſuo uti concederetur. Ob quæ minus ab ea in præſentia tolerandum eſſet, quod ipſis itineri accinctis per Antiſtitem factum fuiſſet: qui tres optimates, & præcipuos viros ex ampliſſimo Eccleſiæ Toletanæ ordine, tamquam ſontes ad ergaſtula abduci juſſiſſet. Quare ſimilem fortunam metuentes, ad ſuſceptum iter maturandum animos alioqui dejectos excitaſſe.

XVII. Ad hæc Regina partim ſolita gravitate, partim morbi cauſa coacta, paucis reſpondit: ad aures ſuas perveniſſe detrectatum ab Eccleſia Toletana imperium Pontificium: ceterum moris ſui haudquaquam eſſe, priuſquam rem totam cognitam compertamque haberet, feſtinare ad male de quoque nedum de tam gravi ſocietate ſentiendum. Libenter ſe Capituli men-

mentem intellexiſſe, dignam illam quidem viris bonis ac religioſis: proinde bono animo eſſent, ſollicitudinemque omnem deponerent, ſperantes nihil de ea re ſtatuendum, quod non ſit e dignitate Toletanæ Eccleſiæ futurum. illis dimiſſis, cum Regina probari ſibi Capituli cauſam Ximenio ſignificaſſet, ille arrepta occaſione, quamvis Reginæ morbo, cui in omnibus adeſſe cupiebat, ad diſcedendum retardabatur, de profectione in Toletanam diœceſim agere cœpit, neceſſarium, inquiens omnino eſſe, ut quod officium per abſentem præſtare nequiret, coram ipſe exequeretur, nec poſſe animum religione exolvere, cum cogitaret tertium jam apud ſe deſtinaviſſe eam morum cenſuram facere, neque tamen id præſtitiſſet. Regina juſtam ab illo cauſam agi videns, perhumaniter veniam abeundi dedit, illud etiam adjiciens, quando ille a diœceſi ſua tam ægre abeſſet, daturam ſe operam, ut ipſa cum conjuge, totoque adeo Regio comitatu in Toletanam diœceſim quamprimum veniret. Sed mors Reginæ promiſſa diſſipavit, neque eſt amplius a Ximenio viſa. Erant id temporis qui exiſtimarent, Ximenium ſuos illos cenſores, quos a Capitulo rejectum iri non dubitaret, aſtuto conſilio deſignaſſe, ut hac arte diſcedendi facultatem, quod eventus docuit, a Regina extorqueret. Sed id veriſimile eſſe non videtur, in tanto vitæ diſcrimine Reginam ab homine illi devotiſſimo relictam, præſertim cauſis ementitis.

XVIII. Igitur non ſine gravi animi mœrore, quod optimam Reginam, tam gravi morbo affectam deſereret, poſt quatuor menſes Methimnæ actos, Toletum primo ad cenſuram faciendam, quæ tamdem juxta Capituli voluntatem facta eſt, Complutum deinde redire cogitur: ubi & ſurgentis Academiæ opus, & ſancti Juſti templi ſtructura, & Bibliorum ſacrorum editio, ejus præſentiam videbantur requirere. Nam quamvis viri diligentia præſtantes, quos rebus illis conficiendis præfecerat, omne ſtudium & operam adhiberent, multum tamen patroni præſentia urget; nam ſi qua res eſt, in qua vetus habeat proverbium locum, quod domini oculus multo nitidiorem equum reddit, quam hordeum, ea eſt certe ædificatio, in qua vere accidit, quod de Amphione fabulantur Poetæ, ad cujus vocem ſine ullo labore, lapides murorum locis dolati & expoliti ultro reponebantur. Satis hæc aliquis exiſtimaſſet, in quibus Ximenius abſolvendis occupatus, ad aliarum rerum cogitationem animum quantumvis capacem, non diverteret. Eſt enim hominis prudentis minime montes montibus imponere gigantum more, ſed ſuas potius vires metiri, animoſque captum ſuum excedentes non expectata Nemeſi coercere comprimereque. At Ximenius, cui mentem humana menſura majorem naſcenti fata benigna tribuerunt, quam paulatim virtus comes adauxit, poſt Hieronymi Vianelli adventum, qui omnes Africæ partes probe tenebat, & ad ejus expugnationem propter maritimæ oræ cognitionem aſſidue hortabatur, bellum Africanum meditari cœpit.

Toleti Capitulum viſitat.

Compluti magnis rebus intendit.

XIX. Sed interea dum Regem convenire poſſet, quo cum de hac re ageret, intellexit complures eſſe fœminas honeſtis natas parentibus, quarum pudicitia ob rerum penuriam periclitabatur. Quare religioſarum mulierum Cœnobia paſſim per ſuam Diœceſim condere neceſſarium eſſe judicavit, ubi puellæ, quæ ob rem anguſtam illocabiles eſſent, aut quæ ſponte ſua a nuptiis abhorrerent, longe a virorum congreſſibus ſemotæ, Deo Opt. Max. dicatæ virginitatem perpetuo colerent. Nam quamvis multa ejuſmodi loca, piis jam olim hominibus in re præclara ſtudioſe contendentibus, in Toletana Diœceſi ſtructa eſſent, annonæ in dies caritate ingraveſcente, mulierumque numero tripla (ut ſolet) proportione virorum ſupergreſſo, ni-

Monaſteria puellis ædificat.

nihil in hac re amplianda unquam fiet, quod nimium aut inutile dici poſſit. Ergo inter cetera ædificia, quæ Compluti fiebant, ædem etiam ſacrarum fœminarum erigendam curavit, de qua nos inferius agemus, deinde Toletum abiit, illius urbis res curaturus, & officii Mozarabam editionem, reſtitutionemque promoturus, quod ſuo loco dicemus opportune.

Hoc anno & anno 1514.

An. 1507.

XX. Illic ergo totam æſtatem dimoraturus, partim egenis ſubveniendis, partim moribus emendandis intentus, Nuncium a Rege miſſum accepit, qui Iſabellam Reginam, fœminarum decus, & Chriſtianæ religionis ornamentum, Methimnæ deceſſiſſe VI. Kalendas Decembris, ſignificabat. Quare Taurum urbem, quo ſe Rex profecturus accingebat, quam celerrime poſſet, feſtinaret, ut qui inter teſtamenti executores appellatus fuiſſet, Reginæ ſui amantiſſimæ, deque eo tam bene meritæ non deeſſet: cui jam munere vivendi caſſa, executionem poſtremæ voluntatis, tamquam fido amico commendaverat. Ut interea non commemoraret, quantum ſibi remedium, & levamen contra inſtantis doloris acerbitatem, ejus præſentia eſſet allatura. Præſcripſit etiam itineris faciendi rationem, & profectionis diem: ne imprudens qua Granatam Reginæ cadaver ex teſtamento deſerebatur, veniens, funus comitari cogeretur: quo facto omnes Regis rationes conturbarentur. Unum eſſe, quod invitus abſque ejus conſilio feciſſet, ob celeritatem, quam Reipublicæ utilitas in eo negotio conficiendo efflagitare videbatur. Nam eo, quo Regina obiit die, imo vix integræ horæ poſt ejus mortem interjecto ſpatio, erecto pro tempore in medio nundinali Methimnæ foro tabulato, Regis Caſtellæ titulum ſolemniter depoſuiſſe: & ſublatis per Fridericum Albæ Regulum, more Hiſpano vexillis, feciales præcones Philippum generum & Joannam filiam, fauſtis vocibus Reges proclamari juſſiſſe. Quod præclaro in primis & prudenti conſilio factum eſt, ad omnem calumniam affectati Regni depellendam, quam factionis adverſæ Reguli, qui Aragonio nomini infeſti, ut quamprimum ad Regnum avitum diſcederet, adoleſcentis Philippi auribus occultis criminationibus aſſidue inſtillabant.

Regina Iſabella moritur.

Ximenius executor teſtamenti.

Proclamãtur Hiſpaniæ Reges Philippus & Joanna.

XXI. Hoc ubi Ximenio nunciatum fuit, quamvis ad omnem animi ægritudinem diſſimulandam exercitatiſſimo, lacrymæ pietatis in Reginam indices obortæ ſunt, & voce præter ſolitum lamentabili Reginam eo tempore defeciſſe dixit, cujus numquam ſimilem ſol viſurus eſſet, ſive animi magnitudinem, ſive pectoris puritatem, ſive religionis Chriſtianæ cultum, ſive juſtitiæ curam, quam æque omnibus tribuebat, ſive legum priſcarum conſervationem, aut pro tempore condendarum ſtudium, ſive annonæ ubertatem diligentia ſua ubique partam, quod in primis regium & populare eſt, conſiderare quiſpiam voluiſſet. Atque in hunc modum oratione de ejus virtutibus inter familiares longiuſcule producta, animum ex triſtiſſimo nuntio afflictum non nihil remiſit, & ſine ulla mora juſta itinera facere inſtituit, quibus Taurum, quæ antiqua *Sarabis* a nonnullis creditur, juxta Regis præſcriptum perveniret.

Iſabellæ Reginæ encomium.

Taurum vadit Ximenius.

XXII. Erant ea tempeſtate hyberni imbres adeo magni & aſſidui, ut inter eos, qui Reginæ cadaver deſerebant, agitatum & initum fuerit, illud Toleti deponere, donec cœli inclementia deſæviret, viaque facilis pateret. Nam itinera multitudine aquarum exundantia (ſi Petro Martyri fides habetur, qui funus ſequebatur) maris vaſtitatem (ſic enim ille ait) referebant; majoreſque a ſe difficultates eſſe perpeſſas dicit, quam in longiſſima peregrinatione, qua per Aegeos, Jonioſque rugitus, in Africam, Aſiamque, deinde ad maximam urbium Cairum, quam *Memphim* eſſe ajunt,

Mart. epiſt. 31.

ajunt, legatus pervenit. Ximenius tamen haud propterea retardatus, iter per medias pluvias, pietate & fide laborem vincentibus, extemplo arripuit.

XXIII. Poſtridie ejus diei, quo Ximenius Taurum acceſſit, in primo illo poſt Reginæ obitum congreſſu, adeo fortem animum, vereque regium Ferdinandus oſtendit, ut obvius Ximenio ad cubiculi januam procedens, comiter & hilariter exceperit, & manifeſta ſigna exhibuerit lætitiæ, ob Ximenii præſentiam conceptæ, quod incredibili gaudio univerſos, qui aderant, affecit. Nam hactenus Rex in mœrore & lacrymis ſqualidus conſolationem nullius admiſerat. Dum ſedes Antiſtiti deferebatur, Rex nihilominus honoris cauſa ſtetit, quod ab Hiſpanis Regibus non niſi viris meritiſſimis, quorum prudentia & fides ſpectata ſit, exhiberi, & id perraro ſolet. Poterat hoc ſane blandientis Regis obſequium videri, Ximenium ea arte captantis ad novos tumulatus, & rerum mutationes, quas ex Iſabellæ Reginæ obitu propediem futuras prævidebat, niſi jam olim frequentibus exemplis quanto eum in pretio haberet, quantumque ejus dignitas ſibi curæ eſſet, in omni oblata occaſione declaraſſet. Honorifice a Rege excipitur.

XXIV. Executores teſtamenti Reginæ conſultandis rebus, regnoque Caſtellæ bene gubernando ſingulis fere diebus conveniebant. Inter hos primus erat Rex, ſecundus Ximenius, quibus adjuncti alii quinque ſelectiſſimi viri, quorum pars plurimum propendebat, ut Ferdinandus, dimiſſo Caſtellæ regimine, ad avitum regnum Aragoniæ, unde prodierat, Iſabellam ducturus uxorem, pacifice diſcederet, antequam Procerum & Magnatum ſuſtineret invidiam: Ximenius ex adverſo dicebat, Caſtellanis rebus non aliter recte proſpectum iri, quam Ferdinandi regimine, & proinde ſceptrum non abdicandum, donec Philippus gener, regni hæres, ex Belgio rediret. Obequitare itaque ſuadebat, & conſuetis remiſſionibus paulatim mœrorem deponere. At cum multi eſſent, qui adoleſcentis Philippi auribus occultis delationibus multa contra Ferdinandum inſtillarent, & nonnihil animorum & rerum mutatio infringeret, & Aragonium ſeceſſum Procerum affectibus induIturus cogitaret, Ximenius vir robuſto & incorrupto animo, omnem operam & curam pollicitus ad ejus dignitatem tuendam, nutantem Regis animum confirmat, viroſque aliquot ſpectatæ fidei ad Philippum generum confeſtim mittere, qui eum Hiſpanicarum rerum rationem edoceant, & cupidos rerum novarum Regulorum animos detegant, adhortatur. Adoleſcentem rerum imperitum, nulloſque veteratores, aut vafros homines adhuc expertum, multo tutius in ſoceri fidem, qui horum hominum multos jam annos notitiam habeat, quique ſolam ejus regiam majeſtatem conſervare & augere intendat, quam in eorum prædam venire, qui ex eorum diſcordia rerum ſuarum incrementa captant. Neque enim generum Regem eſſe abnuere, in cujus rei teſtimonium, in medio mœrore, & juſtiſſimis lacrymis, eo ipſo, quo conjux morte prærepta eſt die, regio ſe titulo ſpoliavit, nomine tantum Adminiſtratoris ſibi in Caſtellæ regnis aſſumpto. Veniret ille modo cum Joanna uxore, & experiretur, non tam cupidum regnandi ſocerum eſſe, quam peſſimi delatores dixiſſent: qui veluti furiæ facibus accenſis, utrumque curabant inflammare. Huic rei gerendæ præficiuntur Aragonenſes duo, ex quibus unus privatim mittebatur, ut quamdiu Philippus apud Belgas moraretur, Joannæ Reginæ ſemper adeſſet, & quidquid rei ſecretioris filia cum patre Ferdinando tractare vellet, eo tantum arbitro tranſigeretur. Interim Ferdinandus adminiſtrationi Reipublicæ intendere, & Caſtellani regni utilitati, in cujus ille motibus comprimendis, & finibus amplificandis tantum periculi & laboris exhauſerat, proſpicere. Et ille Regis ſuſtinet dignitaté.

Quæ vero deinceps Ximenius præſtiterit pro retinendo apud Ferdinandum regimine, annis ſequentibus referemus.

Myreus de ord. Annunciat. Cor. a Lap. in c. 3. Baruch. An. 1501. n. 28. Moritur Joanna Valeſia. Ejus vitæ Compendium.

XXV. Præter Iſabellam, Hiſpaniæ Reginam, fœminam lectiſſimam, Minoritis addictiſſimam, ſummeque beneficam, moritur hoc anno Regina altera in Gallia, Minoritis non tam addicta, quam aſcripta. Ea eſt Joanna Valeſia, quam ſuperius diximus Ludovici XI. Galliarum Regis filiam, Caroli VIII. ſororem, Ludovici XII. conſortem, cui quidem diu antequam ad Regnum perveniſſet, & Dux eſſet Aurelianenſis, matrimonio fuerat conjuncta. Atqui tunc paulo poſt nuptias cœpit male haberi, & a marito contemni: quod ægre ferens Carolus Rex ejus frater, Ludovicum in carcerem detruſit, ex quo tandem, nonniſi Joanna deprecante, dimiſſus eſt. Cum vero Carolus abſque liberis deceſſiſſet, Ludovicus in Regno ſuffectus, aulicorum Procerum pernicioſa ſuggeſtione, & ſua ambitione, ne Britanniæ Armoricæ Ducatus a corona & ſceptro Galliæ abalienaretur, Annam ejus Provinciæ hæredem, & Caroli viduam duxit uxorem anno MCCCCXCIX. Joanna dimiſſa. Cauſa divortii prætendebatur metus, & quod non ſponte eam duxiſſet; ſed compellente patre virginis Ludovico XI. quodque illius adeo corpus numquam attigiſſet. Rem totam commiſit Alexander VI. examinandam Philippo a Lucemburgo, tituli ſanctorum Petri & Marcellini presbytero Cardinali & Cenomanenſi Epiſcopo, Ludovico de Ambaſia Albinenſi Epiſcopo, & Ferrando Epiſcopo Ceptenſi. Inſtanter Ludovicus ſuas partes apud iſtos judices agebat, neque Joanna ſe oppoſuit; ſed libens ad alterius æternique Regis cultum ſe convertit, Virginis Mariæ ſe committens curæ, quam illa quinquennium vix tranſgreſſa, patronam & advocatam elegit.

XXVI. Non defuerunt quidem, cum ſacri tum profani Ordinis Proceres plurimi, qui Regis factum libere damnarent. Fuit inter alios Joannes Standonius, patria Mechlinienſis, Doctor Theologus Pariſienſis, qui magna conſtantia ac libertate Regem acriter corripuit. Quapropter exilio mulctatus, in Belgium rediit, & Standonicum Lovanii collegium, alterumque Mechliniæ in patria inſtituit. Fuit & Thomas Warnetus, Standonii diſcipulus, idemque Eccleſiaſtes egregius, qui pariter in exilium pulſus, Valentianis in Hannonia gymnaſium erudiendæ juventuti excitavit. Fuit etiam & Robertus Gaguinus multis ſcriptis operibus notiſſimus: fuerunt inſuper alii Lutetiæ Theologi, qui Joannæ cauſam fortiter tuerentur. Ipſa tamen, ut dixi, non oppoſuit, ſed læta Deo ſe totam conſecravit atque dicavit, ac mente quidem tranquilla, quod Alexandrum VI. Pont. Max. induliſſe, atque, ut loquuntur, diſpenſaſſe intellexiſſet. Ducatum porro Bituricenſem dono acceperat, cujus ſe fructibus, Bituricenſi in urbe agens, toleravit, & alia piis uſibus impendit.

XXVII. Dum illa virtuti & orationi ſe totam daret, atque exinde creſceret populi murmur in ſponſum repudiatorem, inique cogitavit ille Joannæ famam inſperſa macula minuere, occulteque proinde quærebat, quod inquinaret. Clam itaque in cubili deliteſcens, quid ageret obſervaturus, vidit ſacram virginem ſurtivæ obſervationis ignaram, fixis in cœlum obtutibus, ductis ex alto corde ſuſpiriis, acerrimis deinde verberibus copioſum undique ſanguinem educentibus, corpuſculum impetentem. Dolore protinus & pœnitentia correptus: *heu me miſerum*, inquit, *pudet pœnitetque me ſanctam a me repudiatam fœminam: vere illius conſortio me comprehendo fuiſſe indignum*.

XXVIII. His exercitiis, aliiſque piis operibus dulcia Chriſti, quem jam

jam dudum in ſponſum prælegerat, connubia ardentius cœpit ambire. Adfuit opportune jam ab adoleſcentia confeſſarius frater Gilbertus Nicolai Minorita, poſtea a Leone X. *Gabriel Mariæ* nuncupatus, qui præclare paranymphi functus officio, auribus inſtillavit & cordi ingeſſit firmiorem Chriſti amorem, nuptiaſque perſuaſit cœleſtes. Cœpit mox illa revelationibus & favoribus aſſueſcere Divinis, & a Virgine ſacratiſſima Maria arcana ſuſcipere cœleſtia: inter reliqua illud ſuggeſtum fuit, quod & in pueritia revelatum, ut Marianum inſtitueret fœminarum Sodalitium, normamque vivendi juxta virtutes Mariæ in ſacro Evangelio expreſſas præſcriberet. Illa continuo de his cogitans, curam ſcribendi Regulam commiſit prædicto Gilberto ſuo confeſſario. Ille vero in decem capita diſtinctam, excellentiſſimas totidem ſacratiſſimæ Virginis complectentem virtutes confecit, & Joanna ſuadente, Romam profectus, ab Alexandro VI. ſummo Pontifice probari, uti ſuo loco diximus, obtinuit. Ordin. fundat Annunciatar. *An.* 1501. *n.* 28.

XXIX. Sub hac Regula cœpit Regia virgo Deo ardentius famulari, accitiſque ſociis, religioſe vivere, & domicilia multiplicatis Sororibus extruere: contemplationi arcanorum cœleſtium maxime intenta, aliquando extra ſe ferebatur, & ſopitis ſenſibus, internis potentiis in Deum rapiebatur, nihilque ſentiebat, quid circa corpus contingeret. Ita ſemel abſorptam, cum aliqui deliquium animi præ corporis debilitate paſſam ſuſpicarentur, frater Gilbertus ſecretorum & vitæ conſcius, non morbo corporis, ſed Divino amore dixit languere, propriuſque accedens, interrogavit alias inſenſibilem, an aliquid inter ipſam, Deique filium conveniret? At illa juſſa reſpondere, humillime rem ita propalavit: *Mi Pater, die craſtina ad epulum quoddam invitata ſum*. Sequenti die, qui erat Sabbati, Deiparæ Virginis perpetuo ſacri, a Joanna propterea reverenter exculti, ſub Miſſæ ſacrificium tota in lacrymas reſoluta, in extaſim tamdem rapitur. Sic conſtitutam Vir ſanctus conſpicatus, eam relinquit. Aliquot horis poſt in ſe reverſam advertens, ex ea quæſiturus acceſſit: *Eccuinam epulo interfuiſti?* Illa maxima animi ſubmiſſione (ſecreta ſua alias alto ſilentio premere ſolita) reſpondit: *Mi Pater, Jeſus Salvator meus, ejuſque ſuperbenedicta Genitrix me hodie ſingulari ſuo favore, excellentiſſimo, ac prorſus ineffabili quodam convivio excipere dignati ſunt. Et quænam*, ait ille, *in eo dapes? qui miſſus? quæ fercula?* Reſpondit: *In diſco uno duo appoſita corda. Ad veſcendum dulciſſime invitabat immaculata puriſſimaque Virgo Maria. Porro filius ejus Jeſus cor meum quaſi in ſymbolum apponerem, jubebat: miſſa continuo in ſinum manu eidem obtemperatura, illud oblatum inveni, me excordem ſenſi: mirantem ſummopere me blandiuſcule aſpiciens, & veluti arridens, dulciſſimus Jeſus dimiſit.* Ita Catarina Senenſis a Chriſto cor novum, novamque mentem accepit. Ita Tereſia Hiſpana pari modo loco cordis ſibi ablati vulneratum Chriſti cor ſenſit ſubſtitui. Patitur extaſes. Cor ejus Chriſto traditum.

XXX. Porro Joanna toto vitæ curſu ſanctiſſime tranſacto, ferme quadragenaria Bituricis in Domino obdormivit in Monaſterio Annunciatarum a ſe, uti diximus, erecto, pridie Nonas Februarii anno iſto juxta veterem calculum Eccleſiæ Gallicanæ, annum a Paſchate Reſurrectionis inchoantis. At Chriſtianus Maſſæus, qui illo vivebat tempore, diſerte affirmat eam deceſſiſſe anno MDV. & multa miracula ad hujus ſanctæ mulieris ſepulcrum fieri commemorat. Et quidem ferunt, etiam hodie ad ejus tumulum (quamquam ab impiis Calvinianis, duce Montgomerio, capta urbe Bituricenſi anno MDLXII. ſacrilege ſit violatum, & corpus per annos LVIII. incorruptum, fuerit combuſtum) frequentes piorum hominum fieri concurſus, ce- Ejus mors. *An.* 1501. *n.* 28. Miraculis illuſtris.

reos

reos accendi, dona votaque offerri, & miracula non raro patrari. Merito itaque Virgines Annunciatæ, in Gallia præſertim, fundatricis ſuæ memoriam quotannis, ipſo obitus die, his verbis renovant: *Obiit inclyta, & meritis plena Joanna de Francia, Illuſtriſſima quondam Regis filia, & ſoror alterius, videlicet Caroli VIII. quæ viro ſoluta, caſte vivens, mundo orbata, & Divinis ac ſacris addicta, totius Ordinis ſacrorum beneplacitorum Evangelicorum fundatrix, & rectrix extitit pientiſſima. Cujus ſacrum pignus Biturigis honorifice ſepelitur miraculis clarens: porro nunc beata in cælis laureata perpetuo cum beatis Deo fruitur, die* IV. *Februarii defuncta, anno Domini* MDIV. Scripſerunt ejus vitam plerique; Latine Gummarus a Quercu Minorita Belga, & Aubertus Myræus peculiaribus libellis de Annunciatarum Inſtituto; Italice Bartholomæus Cimarelli, & Barezzius in quarta parte Chronicorum Ordinis Minorum; Gallice Nicolaus Gazæus libro de Joannæ vita apud Atrebates evulgato. Elogia præclariſſimæ fœminæ adhibuerunt Cornelius a Lapide in cap. 3. Baruch, Hilarion de Coſta in hiſtoria Minimorum, Ludovicus Dony Atichienſis, & alii plerique.

Vitæ ſcriptores.

Etruriæ Ducibus quando data veſtis ſancti Franciſci. *Tom. 2. an. 1224. n. 21.*

XXXI. In ſecundo Annalium volumine, cum de habitu ſub quo ſanctus Franciſcus ſtigmata recepit, ageremus, eumque Alberto Montis Acuti Comiti dono datum diceremus, promiſimus enarrare, quo tempore pervenit in poteſtatem Sereniſſimorum Etruriæ Ducum. Id itaque nunc præſtamus. Ab anno MCCXXIV. apud hæredes & poſteros prædicti Comitis ſacra illa veſtis, veluti pretioſus theſaurus, diligenter aſſervata eſt uſque in hunc annum, quo a Caſtro Montis Acuti ad Cœnobium ſancti Salvatoris Fratrum Obſervantum extra urbem Florentinam tranſlata eſt. Inde ſumpta eſt occaſio hoc ineſtimabile pignus piæ huic familiæ proripiendi, quod, cum Civitas Aretina jugum Florentinorum anno MDII. excuſſura, propinqua caſtra, & circumjacentes agros ſuo aggregare voluit dominio, immiſſo in eam exercitu, fautores illa habuit contra Florentinos, Comites Montis Acuti, quos ſibi adhæſuros putabat Senatus Florentinus. Devicta tamdem urbe, & fautoribus illato ſupplicio, deſtructum eſt caſtrum Montis Acuti, atque inde ſublata hæc ſacra veſtis, quam ſibi rogarunt tradi Obſervantes. Hoc itaque anno, die XXIX. Januarii aſportata eſt magno comitatu, ſolemnique apparatu, præmiſſa numeroſiſſima totius urbis, Cleri, ſed maxime Patrum Dominicanorum ſupplicatione, & collocata in vetuſta, ſed nobili theca, in qua Carolus Magnus Imperator inſignes condidit Reliquias, atque hæc repoſita eſt in arca ænea egregie elaborata, quæ demum poſita fuit anno MDV. ſuper Altare templi præcipuum. At cum ab hac æde Minores tranſmigrarent ad aliam intra urbem ſub eodem titulo ſancti Salvatoris, eo translatus eſt habitus, & ſub fida cuſtodia conſtitutus, obſerata arca clavibus tribus, quarum primam apud ſe retinent Sereniſſimi Duces Etruriæ, ſecundam Conſules artis Mercatoriæ, Tertiam Guardianus. Ter in anno reſeratur hic pretioſus theſaurus, in die ſancti Franciſci, & in diebus dedicationis & conſecrationis Eccleſiæ. Si quis utriuſque hujus translationis longam & diſtinctam velit narrationem, conſulat præter Nardum, Bartholomæum Cimarellum, Auguſtinum Miglium, & Franciſcum Gonzagam, ſed brevius ſecundam depoſitionem referentem.

Nardus in hiſtor. Florentina lib. 4. Cimarel. l. 8. c. 35. Miglius de monte Alvernia lib. 1. cap. 2. Gonz. in Provin. Tuſc. Conv. 9. Cimarel. lib. 8. c. 38.

Gonz. in Prov. 7. Mart. Conv. 14. & 19.

Moritur Paulus Sinopolit.

XXXII. Obiit hoc anno annis gravis, meritis plenus, Paulus Sinopolitanus Calaber, Regularis Obſervantiæ ardentiſſimus zelator. Sancti Bernardini Senenſis in juventute ſocius, a quo in Calabriam amandatus eſt, ut Fratribus illius regionis præeſſet, & domicilia conſtrueret. Ejus induſtriæ debeutur maxime Cœnobia Rhegii, Seminariæ, Terræ novæ, Medanæ,

Squi-

Squilatii: De illius ſpiritu prophetico circa conſtruendam domum Catanzarii, ſuo loco narravimus. Orationi aſſidue intentus, ſpecialem erga beatam Virginem Mariam ferebatur affectu. Obiit Medanæ, ſepultus apud ſuos in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Gratiis. Ejus corpus magna colitur veneratione ob pleraque ibidem patrata miracula. *Tom. 14. Ann. 1480. n. 22.*

XXXIII. Diximus alias nos acturos de beato Vincentio Aquilano fratre laico, quem hoc anno plurimis virtutibus inſignem ad Cœlum migraſſe, ait Gonzaga, qui hoc ejus elogium ſubjungit: *Vir*, inquit, *erat ſumma ſanctitate, abſtinentia, atque humilitate præditus, ſingulari inſuper patientia in laboribus, illatiſque injuriis perferendis, in oratione vigilantiſſimus, ita ut integras noctes propter eam duceret inſomnes: ſpiritum inſuper a Deo accepit propheticum, cujus illud inſigne eſt argumentum, quod, cum Ferdinandus Aragonius Rex Neapolitanus adverſus Innocentium VIII. bellum pararet, interrogaretque eum an vinceret? Vincentius reſponderit, nequaquam, & proinde rebus ſuis conſuleret, nec cum Pontificiis manus conſereret. Sed Rex iſta contemnens, ad pugnam deſcendit, in qua incredulitatis ſuæ pœnas luit ab hoſte fugatus. Deceſſit in Conventu ſancti Juliani prope Aquilam, ubi caſu effoſſo ſepulcro poſt annum ab obitu quartum decimum, inventum eſt ejus corpus integrum, undique incorruptum, ſuaviſſimum exhalans odorem, & decenter repoſitum in arca nucea & Chriſtallina, tranlatum eſt in locum honorificum. Inde cœpit multis clarere miraculis, quorum memoriæ conſpiciuntur in donariis & tabellis votivis ad ſepulcram appenſis.* *Tom. 9. An. 1415. n. 56.* B. Vincent. Aquilanus. *Gonz. in Provin. S. Bernard. Conv. 2.* Spiritum habuit prophetiæ. Corpus ejus incorruptum.

XXXIV. Aſperam & ſolitariam vitam ſemper traduxit, conſortium non ſolum fugiens ſecularium, ſed & Fratrum devitans colloquia. Pane vivebat & aqua, crudas aliquando manducans herbas, ſæpius abſynthium. Regi Neapolitano prædixit Caroli VIII. in Italiam adventum in illius exitium. Sulmonenſem Epiſcopum vita functum e morte revocavit, qui poſt dies duodeviginti denuo e vivis exceſſit. Multa patravit miracula: Aquilanum quemdam per menſes quatuor elinguem & mutum, ut perfecte loqueretur, effecit. In urbe Pennenſi puerulum utroque diſtortum crure rectificavit. In ſancti Angeli Civitate adoleſcentem manibus & pedibus obrepentem, alterum uno pede claudicantem, tertium pedibus ſiſtere impotentem, curavit. Per Francavillæ urbem tranſiens, oblatum ſibi juvenem claudum & mutum ſanavit. *Marc. 3. p. l. 8. c. 18.* Ejus pœnitentia. Et miracula.

XXXV. In eodem Templo jacent diſtinctis loculis alii duo piiſſimi viri, Maſius Aquilanus laicus, & Apollonius Aquilanus Sacerdos, incertis annis defuncti. De utroque agit Bernardinus a Foſſa Aquilanus in ſua deſcriptionæ provinciæ ſancti Bernardini, agens de hoc ipſo Cœnobio ſancti Juliani. Ipſius verbis profero utriuſque elogium. *In loco*, inquit, *ſancti Juliani quidam frater antiquus laicus requieſcit, qui frater Maſius Aquilanus vocabatur. Hic vir fuit miræ ſimplicitatis & humilitatis; & cum circiter* LXVIII. *annos religioſus extiterit, numquam ſimplicitatem reliquit: imo in ſenectute ſimplicior inventus eſt, & boni ſenſus, cujus vita ſemper ſancta fuit: in oratione ſiquidem viſus eſt quandoque elevatus a terra. In ætate vero jam decrepita conſtitutus, utriuſque oculi lumine privatus, ad mortem uſque in cæcitate vixit. Numquam tamen nec verbis nec factis nec nutibus impatientiam quovis modo monſtravit, ſed in ſumma humilitate atque humanitate perduravit, ita ut omnes tam Fratres, quam ſeculares in admirationem converteret; nam in vetulo, cano, patiente, & humili atque gratioſo, apertis oculis Spiritus ſanctus habitare videbatur. Demum cum placuit Divinæ Sapientiæ Servum ſuum de miſeria vitæ præſentis eripere, propter devotionem & im-* Maſius Aquilanus.

Digitized by Google

& importunitatem ſecularium populorum, per aliquot dies inſepultus retentus eſt: numquam tamen putruit, ſed facies ejus, quaſi facies Angeli intuentibus videbatur, & caro ejus & omnia membra, ſicut dum vivebat, ita poſt mortem non ſine cunctorum admiratione ducebantur. Diffuſa denique fama tranſitus ejus, magnus populorum concurſus factus fuit; & nonnulli a variis corporis doloribus ejus meritis per Divinam largitatem liberati extiterunt. Hunc virum ego per plurimos annos agnovi, tantamque in eum devotionem concepi, ut quandoque poſt tergum ipſius incedens, habitum præ nimia devotione oſcularer, putans quod etiam tunc, licet eſſet in terris, tamen eſſet a Deo canonizatus in cælis. Et licet jam eſſet decrepitus, numquam tamen calceamenta nec lanea nec pellicea portare voluit, ſed nudis pedibus, calepodiis utens, tota mente profeſſionem ſuam ſtricto modo ſervare curabat. In Divinis laudibus ſollicitus, jejunia præcepta, & Quadrageſimam de Benedictis *numquam dimiſit. Unde propter Religionem ſuam factum extitit, ut Fratribus ac ſecularibus foret carus, tantoque ipſum venerabantur affectu, quod & videre & audire delectabantur, quaſi Angelum Dei ambulantem in terris. Et corpus ejus in Altari capellæ loci ſepultum eſt, atque in pariete ſuper dictum Altare ejus depicta eſt effigies.*

Apollonius Aquilanus.

XXXVI. De Apollonio vero ita habet. *In eodem loco ſancti Juliani quidam juvenis ſepultus eſt, nomine frater Apollonius de Aquila, Sacerdos & Prædicator. Hic juvenis in provincia Tuſciæ fuit receptus ad Ordinem, ſed obedientia cogente, ad hanc Provinciam rediit. Erat enim juvenis ætate, ſed moribus canus, eratque tam dulcis converſationis, quod omnium ſecum converſantium animos in ſui amorem vertebat. Et licet parvo tempore officium prædicationis habuerit, tamen pro ſua converſatione ſancta, & prædicationis elegantia cunctis acceptiſſimus erat, ita quod ſi diu vixiſſet, nomen ſibi ſingulare feciſſet. Hujus rei teſtimonium terra Caramanici, & Guardia-Græcis, in quibus ultra omnes acceptiſſimus fuit, perhibere poſſunt. Placuit tamen Divinæ pietati, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet ſenſum illius, in ætate juvenili, de hac vita ſubtrahere. Placita enim erat Deo anima illius: in cujus morte hoc miraculum monſtravit Altiſſimus. Nam Bizochæ, quæ nunc juxta hoſpitale majus in Aquila commorantur, ſero quodam circa ſecundam horam noctis, caſu inſpexerunt verſus locum ſancti Juliani, qui de ſummitate quarumdam ſcalarum inde videri poteſt, & non ſine magna admiratione quamdam columnam luminis ſupra locum prædictum fuerunt intuitæ, quid hoc ſignificare vellet, nullatenus intelligentes. De mane vero hora competenti ſurgentes, ad Fratres in Conventu ſancti Franciſci, ad cuſtodiam corporis ſancti Bernardini degentes perrexerunt, quidnam columna illa luminis ſignificare vellet, ſubtiliter inquirentes. Qui reſponſum dederunt eiſdem, qualiter commoniti erant a Fratribus ſancti Juliani, quod hora illa ſanctus ille juvenis miſeram hanc vitam relinquens, migravit ad cælum. Hoc proinde Divinam Sapientiam feciſſe putamus ad ſui nominis gloriam, & juvenis illius honorem, ut ſicut ipſe in vita lumine ſanctitatis reſplenduit, ita in morte lumine Divino comitatus, ad vitam æternam conſcenderet. Ita enim Divina Sapientia facere conſuevit, ut qui in hac vita viam ſibi luminoſam per bonorum operum exercitationem paraverunt, per viam luminoſam cælos ingrediantur: quia* (ſicut inquit Gregorius) *qualis hinc quiſque egregitur, talis in judicio repræſentatur.*

Greg. l. 12. Moral. c. 4.

Chronic. Provin. Col. MSS.

Paulus Willenſis.

XXXVII. Obiit hoc anno Paulus Suevus Willenſis, vir doctus & religioſus, qui veritatis prædicandæ cauſa exilium & tribulationes paſſus triennio, rediens in ſuum Cœnobium deceſſit Keiſempergæ.

XXXVIII.

XXXVIII. Promotus eſt ad Archiepiſcopatum Chalcedonenſem, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, frater Franciſcus N. die XVII. Maii. Ad Epiſcopatum Dromorenſem in Hibernia, ſub Archiepiſcop. Armacano, frater Joannes Baptiſta N. per obitum Galeatii, die XII. Junii; utrumque horum Italum fuiſſe exiſtimo. Ad Piſienſem ſive Linicenſem in Apulia, ſub Archiepiſcop. Hydruntino, frater Franciſcus de Comitibus, vir nobilis, per mortem Blaſii, die XV. Julii. Obiit anno MDIX. Ad ſancti Dominici in Hiſpaniolæ Inſula, per Chriſtophorum Columbum, ante aliquot annos, ut ſuo loco retuli, detecta, & Regibus Catholicis Hiſpaniarum ſubjecta, frater Garſias de Padilla primus Indiarum Occidentalium Epiſcopus, ſicut ſuperius monui, die XX. Novembris. Obiit paulo poſt in Hiſpania.

Fr. Franciſc. Archiepiſc. Chalcedonen.
Fr. Joannes Epiſcop. Dromorenſ.
Fr. Franciſcus Linicen.
Anno 1492. n. 2.
Fr. Garſias S. Dominici.
Anno 1491. n. 8.

XXXIX. Hoc anno extructum Cœnobium Nolæ (corrupte Molæ) Patrum Conventualium, de quo alias egimus, aſſerit Rodulphus, idque indicare lapidem in clauſtro expoſitum, atque inſignia oſtendere originem habuiſſe a Familia Urſina, Nolæ tunc dominante. Suſpicor mendum eſſe in numeris, & pro 1504. ſcribendum eſſe 1304. ſub illud enim tempus Nicolaus vivebat Urſinus, cui domus tribuunt originem, & quidem ante annum MCCCC. conſtructum fuiſſe, conſtat ex Catalogo Provinciarum, & domorum a Bartholomæo Piſano conſcripto, quem ſub annos MCCCXCIX. & MCCCC. exhibuimus.

Conv. Nolæ.
Tom. 11. anno 1445. n. 11.
Rodul. fol. 275.

XL. In Apulia, & Provincia ſancti Nicolai hoc anno prope ſuam urbem Labelli, Joannes a Tuffo, primus Labellenſium Marchio, Obſervantibus domum ſuis ſumptibus extruxit, de qua nihil occurrit ampliori dignum memoria. Hoc etiam anno Pontifex confirmavit ea, quæ olim fecerat Joannes ex Comitibus Taliacotii, tituli ſanctæ Suſannæ presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Tarentinus, tunc in Regno Neapolitano Sedis Apoſtolicæ Legatus, circa ſeparationem Hoſpitalis contigui, a regimine & Cœnobio ſancti Petri in Galatina ejuſdem Provinciæ ſancti Nicolai, quod uſque ad illud tempus rexerunt ejuſdem Cœnobii Minoritæ Obſervantes: *His, quæ pro Hoſpitalium*. Kalend. Januarii. Ex his litteris Apoſtolicis clarius percipiet lector, quæ nos alias circa erectionem prædictorum Cœnobii & hoſpitalis retulimus, & qualiter Xenodochii regimen conceſſum fuit Abbati & Conventui Monaſterii beatæ Mariæ Ordinis ſancti Benedicti, Congregationis Montis Oliveti. Obtinuit inſuper hoc anno Univerſitas oppidi Montagnanæ, Patavinæ diœceſis, licentiam ædificandi Conventum pro Fratribus Obſervantibus provinciæ ſancti Antonii, quem ſtatim cœperunt conſtruere, & paulo poſt ad ſummum uſque perduxerunt, ſub nomine ſanctæ Mariæ Gratiarum: *Dum ad fructus uberes*. pridie Nonas Junii.

Conv. Labelli.
Gonz. in Provin. S. Nicolai Conv. 34.
Conv. ſancti Petri in Galatina.
Tom. 9. an. 1383. n. 5.
Conv. Montagnanæ.
Idem in Provin. S. Antonii Conv. 31.

XLI. Joannes Guadalupenſis, qui provinciæ ſancti Gabrielis prima præſtruxit fundamenta, ante hunc annum, uti diximus, aliquot Cœnobiola partim ipſe fabricavit, partim ab aliis accepit, quæ reformationis ab eo intentæ prima erant veluti incunabula. Prope oppidum Villæ-novæ de Fraxineto, diœceſis Pacenſis, unum ædificavit ſub titulo ſancti Evangelii, ex quo illius congregatio cœpit appellari. Tria alia accepit, duo a viris nobilibus, ſcilicet Montis Sion de Salva-Leone a Joanne de Figueroa, & ſanctæ Mariæ de Luce V. M. P. ab oppido Alconcelii ejuſdem diœceſis Pacen. a Joanne de Sotomajor; tertium a Duce Brigantino in Luſitania, Eborenſis diœceſis, ſub nomine ſanctæ Mariæ Pietatis. De his egimus ſuperius. Eorum rectorem, ſeu veluti cuſtodem hoc anno Joannes agebat, ſed non ſine dura, uti ſuperius diximus, Confratrum oppoſitione. Neque minorem ſuſtinuit contradictionem Petrus de Valentia Cuſtos domus Scalabitanæ, ſeu de

Anno 1500. n. 37.
Anno 1502. n. 25.
& an. 1503. n. 11.
Conv. Fraxineti.
Conv. Salva-Leonis.
Conv. Alconcelii.
Conv. S. Mariæ Pietatis.
An. 1502. n. 25.

Truxillo, quam ſibi ſubjicere Vicarius provinciæ ſancti Jacobi virtute quarumdam litterarum Alexandri VI. contendebat. Sed his per alias Julii II. *Anno 1502. n. 27.* hoc anno revocatis, uti ſuperius diximus: *Rationi congruit*. VI. Kalend. Decembris, ſubſtitit aliquantulum domus, ſed demum cedere oportuit Patribus prædictæ Provinciæ.

XLII. Petrus de Portocarrero Domicellus Hiſpalenſis diœceſis, hoc anno impetravit facultatem ædificandi domum pro Fratribus Obſervantibus *Conv. Fraxineti.* extra muros oppidi Villæ-novæ de Frexnos ſive Fraxineti, Pacen. diœceſ. *Piis petentium votis*. VI. Kalend. Auguſti. *Anno 1500. n. 38.* Jam diximus prope hanc Villam ædificatam fuiſſe domum alteram ſumptibus Joannis prædictæ Villæ Marchionis, traditamque Joanni Guadalupenſi, ſub titulo *ſancti Evangelii*, a qua ſuæ Reformationis Congregationem exorſus, nuncupatam voluit *ſancti Evangelii*. Hic autem alius exprimitur Fundator, domumque ædificandam ſubjici impetravit Cuſtodiæ Angelorum Superiori. Quare judicaverim, vel Petrum hunc aliam voluiſſe fabricare domum, vel jam inchoatam a Joanne Marchione, & a Guadalupenſe, propter exortas turbas, & contro- *Anno 1502. n. 25.* verſias a nobis ſuperius relatas derelictam, voluiſſe perficere, & Cuſtodiæ Angelorum, quæ bene apud omnes audiebat, aggregare.

XLIII. Petiit inſuper aliam facultatem ædificandi Conventum in oppi- *Conv. Mogueri.* do Mogueri, diœceſis Hiſpalenſis, cuſtodiæ Obſervantum Hiſpalenſi tradendum, locumque ædificandi Cœnobii deſignavit hoſpitale Corporis Chriſti, a ſe in eodem oppido conſtructum, quod in alium idoneum locum ſe translaturum dicebat: *Piis fidelium votis*. III. Nonas Auguſti. Et ſi vero facultatem impetraverit, nihil tamen feciſſe exiſtimo; non enim alterius ædificii Franciſcani in illo oppido veſtigium reperio præter illud, quod ante annos centum & quinquaginta ab Alphonſo Gaufredo de Tenoiro, ejuſ- *Tom. 8. an. 1350. n. 25.* que conjuge diximus conſtructum.

XLIV. Ægidius Delphinus Miniſter Generalis alias conſtituit quoad *Conv. Alferrara.* viveret Fortunium Victorienſem Guardianum, ſeu Viſitatorem domus ſancti Joannis de Alferrara, diœceſis Hiſpalenſis, & provinciæ Caſtellæ, quæ domus tunc ſub immediata obedientia prædicti Generalis exiſtebat, eique varia indulſit privilegia, quæ hoc anno Pontifex voluit confirmata: *His per quæ Chriſti fidelium*. XV. Kaleud. Junii. Quid de hac domo factum ſit, non reperio; non enim inter alias, quæ in diœceſi Hiſpalenſi recenſentur, connumeratur.

Conv. ſanctæ Euphemiæ. XLV. Nobilis vir Gondiſalvus Mexia, dominus locorum ſanctæ Euphemiæ, & de la Guardia, Corduben. diœceſis, impetravit hoc anno facultatem a Pontifice ædificandi Cœnobium pro Fratribus Regularis Obſervantiæ proqe locum ſanctæ Euphemiæ, ſub invocatione ſancti Alberti: *Sancto ac pio deſiderio*. VII. Idus Septembris. Neque hanc domum inter reliquas licet invenire, quod ſuſpicari cogit, vel non fuiſſe conſtruſtam, vel fuiſſe poſtea derelictam.

Conv. Antequeræ. Gonz. in Provin. Batica Conv. 16. XLVI. Sereniſsimus Princeps Joannes, Catholicorum Regum Ferdinandi & Iſabellæ filius, renum dolore, ex quo interiit, vehementer conflictatus, votum emiſit ſe in honorem beati Zoili, qui pro Chriſto Cordubæ glorioſum ſubivit martyrium, Eccleſiam conſtructurum. Morte præventus, quod promiſit, perficere nequiens, parentes rogavit, ut facerent. Illi prope Singiliæ, vulgo *Antequera*, urbem non ſolum Templum, ſed & contiguum Cœnobium pro Fratribus Obſervantibus protinus hoc anno conſtruxerunt. Eſt inſigne domicilium quadraginta capax Religioſorum. *Franciſcus de Villar.* Ibidem deceſſit Franciſcus de Villar, ſanguine & pietate illuſtris, de-

quo

Digitized by Google

quo ſub annum MDXLV. quo deceſſit, fuſiorem ſermonem inſtituemus.

XLVII. Joannes Piretius de Licona circa hunc annum Fratribus Obſervantibus Cœnobium conſtruxit, ſub ſancti Franciſci nomine prope Saſſiolæ pagum, inter denſiſſimas arbores, paulo ſemotum a via, quæ a munitiſſimo oppido maritimo ſancti Sebaſtiani ad mare Cantabricum ducit ad Deviæ ejuſdem Provinciæ municipium. Imminet domus limpidiſſimo rivulo, in quo aliquando Fratres piſcantur. Vixerunt & objerunt hic plurimi Fratres Religione & virtute præſtantes.

Conv. Saſſiolæ. *Idem in Provin. Cantabr. Con. 17.*

XLVIII. Georgius Hurtado vir nobilis & pius in oppido Cineſio Regni Portugalliæ, & Eborenſis diœceſis, hoc anno ædificare cœpit Conventum ſub titulo S. Antonii, altiſſimis Oceani rupibus imminentem, ubi prius extiterat ſacellum, eidem Divo ſacrum, quod illius oppidi incolæ conſtruere cœperunt (nec tamen abſolverunt) in memoriam ingentis miraculi, liberati ſcilicet a certiſſimo naufragio hominis inter criſpantes ſeri maris undas in cimbula expaveſcentis, ad ſcopulos alliſi, & in altiſſimas rupes projecti. Ut delubrum abſolveretur, & contiguum adjiceretur Cœnobium, perſuaſerunt quidam Fratres ſtrictioris diſciplinæ, illuc ex Caſtella profecti, qui in ſuis concionibus ingratitudinis vitium objicientes populo, omnes ad hoc opus a Georgio inchoatum proſequendum excitarunt.

Conv. Cineſii. *Idem in Provin. Algarb. Conv. 18.*

XLIX. Nobilis vidua Philippa, relicta quondam viri Principis Alvari, filii Ducis Brigantini in Luſitania, ædificaverat Fratribus de Obſervantia Cœnobium in honorem ſancti Franciſci prope oppidum de Oliveira*, Braccarenſis diœceſis, nulla tamen præhabita Sedis Apoſtolicæ licentia. Introducti in domicilium Fratres, & Philippa fundatrix, moniti erroris commiſſi, hoc anno rogarunt, delictum hoc ſibi condonari. Pontifex auctoritatem abſolvendi a cenſuris idcirco irretitos commiſit Epiſcopo Eborenſi: *Sedes Apoſtolica pia mater*. IV. Kalend. Octobris. Periiſſe locum hunc exiſtimem, dum nullam ejus mentionem comperio, inter Cœnobia Luſitanica.

Conv. Olivenzæ.

* *al.* Olivenza.

L. Introducti ſunt hoc anno Fratres Obſervantes in Monaſterium inſigne ſanctæ Catarinæ de Monte Sion Selli Robaudi, olim ſub annnm MCCVI. pro Monialibus Ordinis Cluniacenſis extructum per illuſtrem virum Alijonem de Villa-nova, magnum Rhodi Magiſtrum, in loco campeſtri, amœno tamen, & omni arborum ſpecie gratiſſimo, inter Forum Julium, & Draguignanum in diœceſi Foro-Julienſi. Moniales ad alium locum ſecuriorem transferri curavit Ludovicus de Villa-nova Marchio Tranſienſis ſub annum MDI, obtenta Alexandri VI. licentia. Eccleſia conſecrata eſt ſub nomine beatæ Catarinæ de Monte Sion, & beatæ Roſſolinæ quondam Abbatiſſæ dicti Monaſterii, per Elzearium de Villa-nova fratrem Alijonis fundatoris: corpus Roſſolinæ integrum & odoriferum illic aſſervatur honorifice & reverenter; licet non ſit Cœlitibus ex ritu Eccleſiæ connumerata.

Conv. Selli Robaudi. *Idem in Provin. ſancti Ludovici Conv. 20.*

LI. Sub hoc tempus reſormatum eſt Cœnobium Viennenſe, per Petrum de Brandis Vicarium Provinciæ ſancti Bonaventuræ., excommiſſione Miniſtri Generalis, valde reclamantibus Patribus Conventualibus. Et ante hoc tempus reformatum füiſſe Conventum oppidi Mindeburgenſis, Trajectenſis diœceſis, habeo ex diplomate Julii Pontificis, quo bona, quorum incapaces erant Obſervantes, & quæ prius poſſidebant Conventuales, applicavit Eccleſiis ſancti Petri, & ſancti Martini oppidi prædicti.

Reformatur Cōventus Viennenſis. *Regeſt. Julii II. lib. 3. fol. 41.* Et Conventus Mindeburgenſis. *Lib. 9. fol. 291.*

LII. Extra Mundariam Cæſarianam, Bæticæ urbem, vulgo *Xerez de la Frontera*, habitabant Fratres Obſervantes in Cœnobio, quod olim erat Patrum Conventualium, quod cum nimis eſſet anguſtum & incommodum, aliud obtinuerunt intra urbem amplum ſatis & opportunum. Ne vero

Monaſt. Xereſianum. *Gonz. in Provin. Bæticæ Monaſt. 4.*

prior locus periret, curarunt Fratres, ut ex publicis privatiſque eleemoſynis ad capaciſſimi Monaſterii formam reduceretur, in eoque congregarentur ſub Inſtituto ſanctæ Claræ pleræque Virgines, quæ in variis parviſque habitaculis ſub diverſis ritibus vivebant. Id factum hoc anno Apoſtolica auctoritate: quibus poſtea Emmanuel a ſancto Martino Superior Obſervantum modum præſcripſit vivendi, datis Clariſſis, quæ ſui Inſtituti normam edocerent. Eſt inſigne Monaſterium, ſeptuaginta & amplius Sororum capaciſſimum.

* *al.* Petri. Monaſt. Conchenſe. *Idem in Provin. Carthag. Monaſt.* 7.

LIII. Alvarum Piretium * a Monte Majori, Canonicum Toletanum, hoc anno Monaſterium extruxiſſe Clariſſarum extra Conchæ Valeriæ Civitatem ex alia fluminis parte, prope Eremitorium ſanctiſſimæ Trinitatis, primaſque Magiſtras novelli germinis evocatas tres illius Inſtituti ex Monaſterio Alcozerii; ſed poſt annos tres remiſſis Clariſſis ad ſuum, ex quo prodierunt domicilium, ex Toletano Monaſterio Ordinis Immaculatæ Conceptionis ſuperveniſſe Sorores quatuor, quæ adventantes Virgines ſuis moribus imbuerunt, aſſerit Gonzaga. Sed circa tempus fundationis, regimen Monaſterii, & numerum earum, quæ ad aliarum inſtructionem vocatæ ſunt, clarius omnia Lector percipiet ex Bulla Julii emiſſa anno ſequenti ad XIII. Kalend. Maii incipiente: *Regimini univerſalis Eccleſiæ*. quam dabimus in Regeſto.

Tom. 3. an. 1253. n. 50. Monaſt. Almazani.

LIV. Incertam diximus alias originem Monaſterii Clariſſarum oppidi Almaſani, Seguntinæ diœceſis in Hiſpania, & alibi, quam ubi nunc eſt, aliquos opinari extructum fuiſſe, ſancta Clara in humanis agente. Neque translationis etiam auctor aut tempus occurrebant, donec in diploma incidi Julii II. quo facultatem hoc anno concedit nobili viro Petro de Mendoza Comiti Montis Acuti, prædicti oppidi domino, vetuſtum & ruinoſum Monaſterium extra muros conſtructum, & bellorum injuriis expoſitum, ad ipſum oppidum transferendi, præſertim cum Bernardinus Carvajalius, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyter Cardinalis, Eccleſiæ Seguntinæ adminiſtrator, novi Monaſterii conſtructionem promiſerit adjuvare. Hoc itaque tempore facta eſt tranſlatio: *Piis fidelium votis*. VII. Idus Septembris. Ex hujus Comitis Montis Acuti proſapia duæ piiſſimæ fœminæ hic religioſiſſime curſum conſummarunt, Mariana de Mendoza, Joannis Comitis filia, anno MDLXXXII. & Catarina Antonii Comitis filia, anno MDXCVI. Hæc ab anno tertio ſuæ ætatis Chriſto conſecrata, Monaſterium prudentiſſime annis quadraginta duobus gubernavit. Utraque pœnitentiæ & paupertatis ſectandæ deſiderio mirifice flagrarunt.

Mariana de Mendoza. Catarina Mendoza.

Monaſt. Villænovæ de Scapha rupta.

LV. Vir nobilis Laurentius Xuarez de Figueroa de Mendoza, dominus oppidi de Arcos, & Iſabella de Aguilar conthoralis, impetrarunt hoc anno facultatem ædificandi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ prope Eccleſiam, ſive Eremitorium aut Oratorium beatæ Mariæ de Sorerana, oppidi Villæ-novæ Scaphæ ruptæ, vulgo *Barcarotta*, ſub viſitatione & regimine Epiſcopi Pacenſis, cum obligatione celebrandarum Miſſarum per ſacellanos a fundatoribus eorumque ſucceſſoribus deputandos, & ad nutum amovendos: *Eximiæ devotionis*. XVII. Kalend. Aprilis. Quid præter hæc dicam, non habeo; extra Ordinis etenim regimen conſtituti Monaſterii, ſi fortaſſis fuit ædificatum, ampliorem non porui adipiſci notitiam.

Mon. Deſertæ. *Lib. 4. fol. 77.*

LVI. Neque de Monaſterio ſanctæ Claræ de Deſerta in ſuburbiis Lugdunenſibus aliud reperiri potui, quam quod hoc anno relatum eſt Pontifici, nimirum fratrem Ludovicum Dublet, & alios ex commiſſione Georgii tituli ſancti Sixti presbyteri Cardinalis, in partibus Galliæ Sedis Apoſtoli-

cæ

cæ Legati, Monaſterium præſcriptis novis legibus, & arctiore modo vivendi reformaſſe, quod Abbatiſſa & pleræque Moniales ægre tulerunt. Aliunde nihil potui de hoc Monaſterio ſcire; qui enim de Monaſteriis Provinciæ ſancti Bonaventuræ, ad quam urbs ſpectat Lugdunenſis, ſcripſerunt, nullam agunt de iſto mentionem.

LVII. Sub hunc annum extructam domum Sororum Tertii Ordinis Complutenſem a Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano, ſcribit Alvarus Gomeſius Toletanus, diligentiſſimus ejuſdem Ximenii vitæ geſtorumque ſcriptor, & ad inſtar hujus Collegii poſt pleroſque annos aliud Toleti, ſub uno eodemque nomine ſancti Joannis de pœnitentia conſtituiſſe. Attamen Franciſcus Gonzaga, & ex eo Petrus Salazarius priorem volunt domum Toletanam, & ad illius exemplum conſtructam Complutenſem. Inſuper dicunt, eum domum hanc ſubjeciſſe Rectori Collegii ſancti Ildephonſi, Academiæ Complutenſis a ſe fundatæ præcipui, perſuaſumque volunt ex conjecturis, quia ſcilicet utriuſque loci ſtatuta ſunt communia, videlicet circa numerum & qualitatem recipiendorum. At Guardiano potius Complutenſi committendum judicavit, cujus conſilium voluit circa cooptandas in hanc ſocietatem prærequiri. In hoc itaque ſententiarum diſcrimine, Gomeſii narrationi adhærendum potius exiſtimem, qui pleriſque rebus a Ximenio geſtis interfuit; Toleti inſuper natus, quid circa utriuſque domus Complutenſis & Toletanæ fundationem actum ſit, certius potuit percipere. Quid itaque ille in hac re ſcripſerit, totum exſcribam. Poſtquam Ximenius Iſabellam Reginam lecto decumbentem ad Methymnam Campenſem (uti diximus) reliquerat, Complutumque multa a ſe generoſe incepta perfecturus advenerat, intellexit in ſua diœceſi complures eſſe fœminas honeſtis natas parentibus, quarum pudicitia ob rerum penuriam periclitabatur. Quare religioſarum mulierum Cœnobia paſſim condere neceſſarium judicavit, ubi puellæ quæ ob rem anguſtam illocabiles eſſent, aut quæ ſponte ſua a nuptiis abhorrerent, longe a virorum congreſſibus ſemotæ, Deo optimo maximo dicatæ virginitatem perpetuo colerent. Nam quamvis multa ejuſmodi loca, piis jam olim hominibus in re præclara ſtudioſe contendentibus, in Toletana diœceſi ſtructa eſſent, annonæ in dies penuria ingraveſcente, mulierumque numero tripla (ut ſolet) proportione virorum ſupergreſſo, nihil in hac re amplianda unquam fiet, quod nimium aut inutile dici poſſit.

Domus Sororũ Tertii Ordinis Complutenſis. Gomeſ. lib. 3.

Gonz. in Prov. Caſtellæ Mon. 14. Salaz. de ead. Prov. lib. 1. c. 11.

Hoc anno n. 17.

LVIII. Ergo inter cetera ædificia, quæ Compluti fiebant, ædem etiam ſacrarum fœminarum erigendam curavit, titulo ſancti Joannis pœnitentis: cui Collegium egenarum puellarum, novitio ac prudenti invento, ſub nomine divæ Iſabellæ adjunxit: quæ de illarum Cuſtodis voluntate (quam Matrem vocant) & Divi Franciſci in eo oppido Guardiani conſilio, juxta præſcriptas ab eo leges cooptatæ, tamdiu illic in omni diſciplina & cuſtodia degerent, donec lubricum ætatis prætergreſſæ, aut ſe Divino obſequio mancipari, aut nubere conſtituerent. Quod ſi in illam partem inclinarent, ad vota facienda citra ullius pecuniæ dotis nomine numerationem admitterentur. Si vero nuptiis indulgere mallent, viro frugi & probo collocatæ, dotem ex Cœnobii proventibus ſuſciperent, quos ille uberes & copioſos grandi ſumma æris comparavit. Nam cum olim Miniſtrum Provincialem (uti ſuperius diximus) ageret, nonnullarum virginum animos in Cœnobiis degentium gravibus furiis divexari intellexit, quod ut parum ingeniorum ſuorum conſciæ, aut cognatorum coactæ auctoritate, aut egeſtatis duriſſimo imperio ſe Sodalitatis myſteriis addixiſſent. Quamobrem humaniſſimo conſilio

Anno 1495. n. 10.

ſilio excogitavit, quo pacto ſui exploratione habita, partim dotis erogatione facta, illis incommodis ſuccurreretur. Curam hoc conficiendi Gregorio Fernando viro induſtrio, & probitate claro, in Divæ Mariæ templo, quod Compluti inſigne eſt, beneficiario commiſit: qui opere nondum abſoluto e vivis diſceſſit, ſeque illic tamquam in fundo a ſe culto, fidus colonus humari demandavit. Ejus Cœnobii inſtitutio, ob fructum in dies non mediocrem inde provenientem, adeo grata Antiſtiti fuit, ut ad illius normam aliud interlabentibus aliquot annis Toleti, uti dictum eſt, conſtruxerit. Eam porro famam & laudem hoc Complutenſe Collegium obtinuit, ut ex toto ejus regionis tractu illuc puellæ diſciplinæ gratia confluant, & Philippus II. Hiſpaniarum Rex, inter cetera humanitatis, & magnificentiæ exempla, illud etiam præſtiterit, quod aulicorum miniſtrantium filias, eorum præſertim, qui in ſecundo miniſtrantium gradu conſtituuntur, quinquaginta & plures, ſtatutis unicuique, vel pro Monachatu vel pro Matrimonio aureis quadringentis, in eo cœtu ſtudioſe & pudice educandas curaverit. Regio quidem & præclaro hoc opere, tantique Principis teſtimonio, inſigni Ximenii monumento magnum factum eſt honoris & decoris additamentum.

LIX. Ergo ne hoc Complutenſe Collegium egeſtatem ullam pateretur, ſi ſumptus faceret ante proventus perceptos, Ximenius multis tum millibus nummum ſtatim numeratis, tum frumenti modiorum, omnem ab eis ſollicitudinem abſtulit, & tranquillitatem illam induxit, quæ ab omni profana cura ſequeſtratis hominibus ad religionem, cui ſe ſemel dicarunt, tuendam neceſſaria eſt. Ut interim illa non recenſeam, calices, patinas, pretioſamque Crucem, quondam Regum Aragoniæ delicias, ex argento puriſſimo: præterea culcitras, ſtragula, tapetia & aulæa, quæ ex omni ſua opulenta ſuppellectile, huic Cœnobio Complutenſi, teſtamento, & binis item codicillis legavit.

LX. Tamdem domus hæc commiſſa eſt a Clemente VII. an. MDXXVIII. curæ & regimini Miniſtri Provinciæ Caſtellæ, quam tunc regebat frater Joannes de Olmillos, vir pius & prudens. Hic diem ſuum obiit Maria della Peñvela, quam Sixtus V. refert in Bulla canonizationis ſancti Didaci fuiſſe ab hoc divo a multis morbis ſanatam.

Tom. 13. anno 1463. n. 118.

Privilegia.

LXI. Rogantibus Ferdinando & Iſabella Regibus Catholicis, multa conceſſit Julius Pontifex privilegia hoc anno Fratribus Regularis Obſervantiæ, præſertim in Regnis Caſtellæ & Aragoniæ degentibus, quæ videri poſſunt in ejus diplomate: *In militantis Eccleſiæ*. xv. Kalendas Julii. Illis etiam deprecantibus indulſit, ut in die ſancti Bonaventuræ Divina officia celebrarentur tempore interdicti: *Exponi nobis*. die xxiv. Maii.

A R-

ARGUMENTUM.

Minoritæ in Orientalibus Indiis magnum ferunt rei Chriſtianæ ſubſidium. Franciſcus Ximenius res Hiſpanicas prudentiſſime moderatur. Obſervantes Ultramontani Generalia celebrant Comitia. Ut Ordinis ſciſſuras & turbas tolleret Pontifex, Generalem omnium Congregationum indixit pro anno ſequenti conſeſſum. Moriuntur aliquot viri pii; florent alii doctrina & virtute illuſtres. Marcus Vigerius purpura decoratus, alii ad Pontificias infulas aſſumuntur. Cœnobia conſtruuntur.

I. EMMANUEL Luſitaniæ Rex hoc anno ingentem claſſem miſit ad Orientales Indias, Præfecto Franciſco Almeida, viro inſigni virtute prædito, qui fortem fidelemque operam nuper in expeditione Bæticæ Ferdinando Regi Caſtellæ navarat. Solvit ille Ulyſſippone ad VIII. Kalendas Aprilis Annunciatione Virginea ſacrum, navibus duabus & viginti, fauſtis ominibus, Franciſcanis aliquot Fratribus, & clericis aliis rei Chriſtianæ procurandæ in eam longiſſimam navigationem aſſumptis. Et hi quidem egregiam operam Almeidæ præſtiterunt in expugnatione urbis Quiloæ, Inſulæque Mombazæ, in eaque conſtitutæ ejuſdem nominis Civitatis. Milites ante prælium noxis expiare, cœleſti pabulo recreare, ad pugnam fortiter excitare, Chriſti fidem prædicare, ejus Nomen dimicantibus inſonare, ſauciis in bello mederi, cæſos ſacramentis procurare, occiſos ſepelire, fidei vexillum explicare, Crucemque vivificam in trophæum erigere. Primi in ipſa Regia Mombazana hoc ſignum exaltarunt, animoſque addiderunt Laurentio Almeidæ, Franciſci filio, ut ad ſuperiorem urbis partem militibus viam aperiret, vireſque ſuas paternis conjungeret.

> *Bart. dec. 1. lib. 8. c. 1. & ſeqq. Maff. l. 1. Oſor. lib. 4. Goeſ. 2. p. Chron. Emmanuel. c. 1. & ſeqq.*
>
> Minoritæ navigant ad Indias Orientales.
>
> Ubi impigre laborant.

II. Interim Triſtanus Acunia, Alphonſo Albuquerquio comite, hoc ipſo anno cum valida claſſe in Indiam deſtinatur, qui poſt exploratam Madagaſcaris Inſulæ naturam ac regionem, Melindam abiit; inde devicta Brava Civitate, ad Socotoram inſulam maris Erythræi tranſmiſit, ubi Chriſtianos jam inde ab Apoſtoli Thomæ adventu incolas invenit, ſed Jacobitarum, propter vicinitatem Æthiopiæ, hæreſi infectos, a Romani Pontificis auctoritate ſejunctos, circumciſionem aliosque Indicæ ſuperſtitionis ritus uſurpantes, multa tamen Chriſtianæ fidei veſtigia retinentes. Miſere hos ſævo premebat imperio Fartacum Rex, qui Beninum portum per vim occupavit, validaque arce impoſita ab annis viginti ſex, imbecillem populum miſſis ex Arabia militibus tyrannice regebat. Ad liberandos miſellos, atque Catholicæ Eccleſiæ aggregandos animum applicuit Triſtanus, ita enim juſſerat Emmanuel Rex, & illi ſupplices rogabant. Inito itaque certamine, devictis fugatiſque Mahometanis, atque arce in poteſtatem redacta, eam Alphonſi Noroniæ cuſtodiæ, adjecta idonea militum manu, concredidit, Arabumque fano expiato, & in cultum Virginis Mariæ converſo, rei Chriſtianæ præpoſuit eximia ſanctitate virum, Antonium Laurerium Minoritam, qui tollendis vitiis, quæ in hominum mores, ac religionem irrepſerant, incoliſque ad veram pietatem ac virtutem erudiendis, aliquot annos Apoſtolico plane munere eſt perfunctus.

> Antonius Laurerius vir egregius.

III. Franciſcus Almeida, jam Proregis Indiarum titulo & auctoritate conſpicuus, Canonori poſt multas terra marique adeptas victorias, paululum requieſcebat; quando hoc ipſo anno ad eum venit Ludovicus Minorita, collegatum habens quemdam illius gentis heroem, a Narſingæ Rege potentiſ-

> *Gonz. in Procem. Prov. B. Thomæ.*
>
> Ludovicus Minorita Regis Narſingæ legat.

tiſſimo (cujus magnificentiam, potentiam & opes diffuſe explicat Damianus
Goes . p. 2. c. 6. Goes in ea, quam ſcripſit, Emmanuelis hiſtoria) deſtinatus, ut ſolemnem obiret apud Luſitanos legationem. Iverat ad Narſingæ Regnum Ludovicus templum viſurus vetuſtiſſimum, pioque populi cultu venerandum, ſancti Thomæ Apoſtoli, illius gentis Magiſtri; atque inde Regem veneraturus excurrit, a quo humaniſſime exceptus, ei Luſitanicæ gentis mores, & Almeidæ res fortiter geſtas explicuit. Hinc ſumpta legationis, ictique fœderis occaſio. Miſſis itaque binis his legatis, ſe ſuoque Regi Luſitaniæ amicos fore Narſinganus pollicetur; naves, arma, commeatum, veſtes, & militibus opportuna quæque ſponte offert; claſſium ſtationibus portus, portuum ſecuritati, ut arces extruat, libere permittit; & demum juvenculam ſororem forma decoram, ut firmiori vinculo perſtet amicitia, ſpondet ſe Emmanuelis filio ſponſam traditurum. Verbis fidem addiderunt Legati, porrecta epiſtola Regis manu exarata, biniſque donatis collariis unionum, annulis pretioſis, tapetibus, auro byſſoque intertextis, ad Emmanuelem mittendis. Gratiſſimam habuit Almeida legationem, pactiſque fœderis legibus, lætos remiſit nuncios, vaſculis aureis & argenteis, opere & cælatura nobilibus, quæ Regi perferrent, adjectis.

IV. Franciſcus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, cum religionis &
Gomeſ. lib. 3. divorum cultor eſſet eximius, ſemper aliquid ſecum verſabat, quod hunc pium affectum incenderet. In memoriam itaque revocavit, divi Ildephonſi
Xim. cupit videre corpus S. Ildefonſi. corpus Zamoræ aſſervari, inceſſitque illum mira quædam cupido viſendi & venerandi reliquias Viri ſanctiſſimi, qui & Deiparæ Virginis munere, & alloquio perilluſtris eſt, & Eccleſiæ Toletanæ Pontificatum adeo integre & vigilanter tempore duriſſimo, dum ſchiſmata & hæreſes vigebant, adminiſtravit, ut Divinos ſibi honores inter Divos relato comparaverit. Dolebat, Toletanam Eccleſiam eo eſſe theſauro ſpoliatam, & nihil magis ex illa calamitoſa Hiſpaniæ vaſtatione, quam ſub Roderico ultimo Gothorum Rege ſuſtinuit, in familiari colloquio deplorabat, quam ſanctiſſimi Ildephonſi corpus, veſtemque ſacram, per Virginem Matrem cælitus ad eum deductam, quæ in Ovetana Eccleſia eſt, a templi Toletani adytis per alienas Sedes exulare.

V. Peropportunus ad eam rem gerendam Petrus Biverus viſus eſt, tum quod equeſtris ordinis Zamoræ civis eſſet, & in ſacerdotum civiumque Senatu permultos cognatos & amicos, quorum id opera & patrocinio fieret, habebat; tum etiam quod intimus & carus Ximenio, optimam operam patrono erat navaturus, ut voti compos fieret. Ejus ergo auctoritate & cura id dumtaxat impetrari potuit, ut quam diſſimulanter id fieri poſſet, Ximenius, Franciſco Ruizio Sodale, & duobus a cubiculo miniſtris comitatus, totidemque anteambulonibus, Zamoram de nocte occultus veniret. Accipit ergo conditionem læta fronte Ximenius, gratiis pro tam ſedula cura Bi-
Nec tamen id conceditur. vero actis. Cum omnia jam apparata eſſent, ſubito Zamorenſes mutatis animis, ne ſe Tauro moveret, per eumdem Biverum renunciant: neque enim de ea re tam arcano conſilio potuiſſe tractari, quin ad notitiam multorum dimanaverit, qui tam graviter & moleſte tulerunt, ut univerſa Zamorenſis Civitas fortunarum omnium diſcrimen, ſuorumque civium internecionem ſubire parata ſit potius, quam facultatem ullam dare Ildephonſi corpus cernendi.

VI. Quæ autem tam ſubitæ mutationis occaſio fuerit, eſt incompertum, niſi quod nonnulli ridicula, & pro tempore conficta excuſatione, religione quapiam prohiberi ſe dixerunt: vocem ſcilicet humana auguſtiorem e penetrali-

tralibus, ubi Ildephonſus aſſervatur, prodeuntem audiviſſe, quæ manes ſanctiſſimos ſollicitare vetabat. Sed veriſimilius eſt, potentiſſimi hominis & intrepidi ingenium timuiſſe, ne quid de poſſeſſione quondam ſua tentaret, aut graves lites intenderet ſanctiſſimis Reliquiis conſpectis, quæ Divinum odorem undique ſpirarent, vereque illam puritatem retinerent, quam Ildephonſus olim in illo exuvio coluit. Experimento enim conſtare, eamque eſſe rerum naturam, ut quæ ſub aſpectum veniunt, acrioribus ſtimulis animos hominum commovere ſoleant. Ægre id Ximenius tulit, qui deluſus a Zamorenſibus videbatur; & illorum ſententia cognita: *quantum* (inquit) *privati hominis conditio principis fortunæ præſtat! nam ſi ego detrito, ut olim ſolebam, ſacco indutus, ad Zamorenſium Eccleſiam veniſſem, ſine ullo negotio, quod fruſtra rogavi, eſſem aſſecutus.*

VII. Neque vero ille ſoli pietati, rebuſque ſacris dumtaxat ſtudebat, verum etiam maxima quæque Regni negotia, pacemque publicam, publicorumque procurabat. Jacta erant pernicioſa ſemina diſcordiæ inter Philippum Burgundum Hiſpanici ſceptri hæredem, & Ferdinandum Aragonium, Philippi ſocerum, circa Regni adminiſtrationem. Succeſſionis jus erat Joannæ Philippi conjugis, Iſabella Caſtellæ Regina, & Ferdinando Rege Aragonio ortæ. Ultimis tabulis Iſabellæ nuper defunctæ commiſſa eſt adminiſtratio Regni Ferdinando ipſius marito, donec Joanna filia, & Philippus gener in Hiſpaniam ex Belgio remearent. Caſtellani proceres Ferdinando inviſi, Belgæ atque Burgundi, qui Philippo miniſtrabant, lucri imperiique cupidi, in ſocerum ſtimulabant, utque remiſſo in Aragoniam Ferdinando, dimiſſis Aragoniis, quos in ſua familia uxor habebat, eique Pater tradiderat in Belgium eunti, ſibi liberum imperium aſſumeret, mitteretque legatos, qui obſtacula quæque removerent, facile perſuaſerunt. Miſſi itaque Philibertus Burgundus Veranius Princeps, & Andreas Burgius Cremonenſis ad eas res, quæ non mediocriter Reipub. ſtatum perturbabant, cognoſcendas & tractandas. Detruſus interim in tetrum carcerem Lupus Conchillus a Ferdinando miſſus in Belgium, qui Joannæ perſuaſit interregnum patri juxta genitricis Iſabellæ tabulas ſupremas committere.

Componic controverſias inter Philippum & Ferdinand. Reges.

VIII. Ubi hæc reſcivit Ximenius, a Ferdinando Segobiam vocatus, citato itinere profectus, Regi ſuo optimo amico, tot difficultatibus & moleſtiis laboranti noluit deeſſe. Segobiam itaque omnibus inſciis ingreſſus, ut erat de via pulverulentus, antequam Regem ſalutaret, Legatos, qui jam epulis paratis diſcumbere volebant, ad ſe quamprimum venire jubet: res enim eſſe maximi momenti, quæ ſe feſtinabundum Segobiam venire coegiſſent: nec vulgare periculum emerſurum, niſi in tempore ſuccurreretur, omnemque moram, quæ rebus gerendis ſemper nocuit, nunc pernicioſam inſanabilemque fore. Commoti ſunt Legati Belgæ, quamvis proceribus id extenuantibus, atque ut inanes terrores contemnentibus. Gratias igitur ſe Ximenio agere pro ſuſcepto labore benigne reſpondent, & ſe a prandio ad illum venturos, & ex ejus præſcripto omnia effecturos, quæ ad Rempub. pertineant, promittunt. Inſtat Ximenius, ut relictis epulis, properent; neque enim id genus negotium eſſe, ut dilationem ullam pateretur. Parent Legati, & in Regiam, quo jam ſe ille contulerat, veniunt.

IX. Egit primo de Philippi rebus prudenter ſatis & graviter: & improbare ſe dixit, quod ſoceri probitati & candori diffidens, ſeſe vulturibus devorandum committeret, lupiſque hiantibus prædam appararet. Deinde de Conchilli carcere, & Aragoniorum amandatione, rei indignitatem verbis etiam exaggerans, quod Philippus levibus de cauſis tam gravia animi

exulcerati ſigna adverſus ſocerum, de illo multis in rebus benemeritum, dediſſet. Quare nuncios per equos diſpoſitos ad Philippum mittendos cenſet, per quos de Conchillo dimittendo, atque in priſtinam dignitatem reſtituendo, cum illo agant. Nam ſi ulterius progrederetur, videret ne ſoceri animum adverſus ſe irritaret: cui nihil aliud, quam Reipublicæ Hiſpanæ commodum curanti non defutura eſſe optimatum ſtudia, qui illum quantumvis Gallico præſidio & potentia inſtructum, donec ſanius conſilium reciperet, ab horum Regnorum acceſſu prohiberent.

X. Attoniti ad tantam dictorum libertatem Legati, & durum Ximenii ingenium cognoſcentes, ne quid novarum rerum in tam juſta indignatione, partim Rex multitudini carus, partim Antiſtes potentiſſimus moliretur, antequam dapes repeterent, nuncios cum litteris ad Philippum miſerunt de rebus per Ximenium tractatis, monentes ut omnia in melius mutaret, donec ipſe in Hiſpaniam veniens, rebus pro voluntate compoſitis, ſceptra teneret. Nunc vero Ferdinandum & Ximenium timendos eſſe, qui Reipublicæ commodis tuendis, eiſque proculdubio ſtudentes, ni eorum voluntati obtemperaretur, magno ad res gerendas impedimento futuri erant. Hæc poſtquam Philippo, intimiſque ſuis renunciata ſunt, cuncta ex Ximenii præſcripto fiunt. Conchillus vinculis liber in dignitatem ablatam reſtituitur, & de fœderibus cum ſocero agitur. Ille, ut erat perſpicaci ingenio & prudentia præditus, nihil firmum fore eorum, quæ tractarentur, prædivinans, dum hæc cum genero agit, Gallum ad amicitiam invitantem, quamvis omnia ſuperiora petentem, non abnuente Ximenio recepit. Ximenius ab hoc tempore, uſque ad Regis Philippi mortem, & Ferdinandi in Hiſpaniam reditum magna Reipublicæ utilitate, variis procellis per id tempus perturbatæ, numquam a Regio comitatu diſceſſit.

Capit. Generale Obſerv. Ultram. 23. *Reg. Ordinis.*

XI. Hoc anno in feſto Pentecoſtes habita ſunt Comitia Generalia Fratrum Obſervantum familiæ Ultramontanæ in Conventu Lavallenſi tunc Provinciæ Turoniæ magnæ, nunc Provinciæ Turoniæ Pictavienſis, diœceſis Cænomanenſis. Abſoluto triennio Martialis Boulier, electus eſt in Vicarium Generalem Joannes Silveſtris, Provinciæ Franciæ, alumnus Conventus Sagienſis, qui nunc ſpectat ad Franciæ Pariſienſis Provinciam. Inter alia ſtatutum eſt, quod feſtum beati Joachimi Genitoris beatæ Mariæ Virginis celebretur ſub ritu duplicis minoris per univerſam familiam Ultramontanam in craſtino feſti ſancti Joſephi ejuſdem Virginis ſponſi. Conceſ-

Provin. S. Crucis origo.

ſum eſt inſuper ad Dei laudem (inquit meus codex) ad Chriſtianæ religionis augmentum, & Regularis Obſervantiæ decorem, quod inſulæ Indianæ (ſcilicet Hiſpaniolæ, Cubæ, Iſabellæ, Jamaycæ) fiant & ſint una Provincia, & habeant in poſterum unum ſuffragium in Capitulo Generali, & Vicarius hujus Provinciæ habeat tantam ac talem auctoritatem in utroque foro, qualem & quantam habere ſolent reliqui Vicarii Provinciales. Hinc manifeſte liquet, in his inſulis, novaque hac colonia Hiſpanorum in Indiis nonniſi Fratres Regularis Obſervantiæ primo laboraſſe, eiſque ſub hoc tempus aliquot domicilia contigiſſe; & de aliis etiam ædificandis tunc cogitaſſe, conſtat ex aliis verbis relatis inter ſtatuta hujus capituli ſub hoc tenore: *Fratres Indiarum de licentia ſui Archiepiſcopi (urbis videlicet ſancti Dominici in Hiſpaniola) poſſint ædificare loca, cum nullus contradicit; & hoc per privilegium Maris magni Carmelitarum.* * *Interim autem providebitur eis de auctoritate per litteras Apoſtolicas.* Et in Capitulo Generali celebrato anno MDXI. invenio Provinciam hanc nominatam ſub titulo ſanctæ Crucis. Neſcio itaque unde ductus eſt Gonzaga, ut aſſereret, ſub titulo cuſtodiæ, Fratres

* *Vide hæc in Mari magno apud Lezanam tomo 2. n. 103. Gonz. in Provin. S. Crucis.*

tres & domos harum inſularum militaſſe uſque ad annum MDLV. & nonniſi anno MDLXV. ex facultate Pii IV. ad Provinciæ dignitatem perveniſſe in Comitiis Pincianis.

XII. Inde vero titulum ſortita eſt ſanctæ Crucis, quod aliqui ex primis exploratoribus in Inſulæ Hiſpaniolæ oppido ſancti Jacobi de Planitie, vulgo *de la Vega* ad Maguanæ veſtibulum, ingentem Crucem cedrinam erexerint, ut illac tranſeuntes ſcirent, aliquando ibi ſtetiſſe Chriſtianos. Indi hujuſmodi veluti trophæi in ſuis finibus erectum ſymbolum perferre nolentes, funibus & viribus ſexcentorum hominum ad terram protrahere intentarunt, ſed fruſtra; deinde adjecto igne in ſavillas redigere laborarunt, donec apparente ſpecioſa Virgine, torvoque vultu ab opere deterrente, receſſerunt, & fideles deinceps ſacrum lignum in veneratione habere cœperunt. In plures partes diſciſſa, diverſis in locis colitur, ejuſque contactu plurimi languentes curantur. Ab hac itaque miraculoſa Cruce nomen hoc adhæſiſſe, non immerito reputatur. Prima Provincia Indiarum unde dicta eſt ſanctæ Crucis.

XIII. Inſuper de Cuſtodia Burgenſi in hoc Capitulo ita conſtitutum eſt: *Conceditur, quod Cuſtodia Burgenſis efficiatur Provincia, dummodo major pars ſui capituli cuſtodialis in idipſum conſentiat, & vocetur Provincia Burgenſis, & teneat ordinem ſuum:* Hæc autem conceſſio confirmata eſt in Capitulo Generali Antuerpienſi anno MDXIV. ſub his verbis: *Cuſtodia Burgenſis auctoritate Capituli Generalis ſit Provincia, ut antea in Capitulo Generali Lavallenſi fuerat ordinatum.* Ita ut bene dixerit Gonzaga, in duobus Capitulis Generalibus, nimirum in Lavallenſi in Gallia Celtica, & in Antuerpienſi in Gallia Belgica, Cuſtodiam hanc in Provinciam fuiſſe erectam. Errat tamen in anno poſterioris Capituli, dum aſſignat annum MDXV. & dicit tenore Brevis Leonis X. anno MDXIV. in capitulo provinciali Provinciæ Caſtellæ Guadalſagiaræ celebrato, Cuſtodiam hanc Provinciæ dignitatem fuiſſe aſſecutam. OrigoProvinciæ Burgenſis. Gonz. in Proœmio Provin. Burgen.

XIV. Circa Conventuum Bethunenſis, Gandenſis, & Ypreniſs Provinciæ Franciæ translationem a Conventualibus ad Obſervantes, dixi ſuperius varios graveſque exortos fuiſſe tumultus, ſed tandem Commiſſariorum Apoſtolicorum auctoritate fuiſſe ſedatos, adjudicatis Conventibus Fratribus Obſervantinis, a quibus tamen ſubtractus eſt Conventus Bethunienſis. Circa hæc vero ita in hoc Capitulo ſtatutum eſt: *Approbat Capitulum Generale ea, quæ facta ſunt in receptione Conventuum Gandenſis, & Yprenſis, & hortatur Fratres eorumdem Conventuum, & totius Provinciæ, ut conſerventur. Verumtamen nihil agendum eſt per viam facti pro receptione Conventus Bethunienſis, ſed via juris procedatur.* Circa iſtas controverſias, & varias appellationes Sedi Apoſtolicæ interpoſitas, invenio in Julii II. Regeſto hoc anno IV. Nonas Januarii totius rei judicium commiſſum fuiſſe Abbati Monaſterii ſancti Jacobi Leodien. Decano ſancti Petri Lovanien. & Joanni Severini Canonico Pariſienſi. Ab ultimis Comitiis Generalibus uſque ad iſta mortui recenſentur Fratres mille centum ſexaginta quatuor. An. 1503. n. 7. Conventus Belgici dati Obſervantibus. Reg. lib. 49. fol. 67.

XV. Multæ erant hoc tempore turbæ in Religione propter diverſa Conſodalium ſtudia, quibuſdam ad ſtrictiorem Regulæ obſervantiam anhelantibus, aliis laxiorem, quam eatenus profeſſi erant, vitæ normam propugnantibus, domuſque ſuas, quæ integræ cum incolis ad Obſervantes deflectebant, repetentibus. Inter eos etiam, qui ſe *Reformatos* ſub Miniſtro Generali dicebant, & Fratres *de Familia*, ſive *de Obſervantia*, qui ſub Vicariis vivebant, quotidianæ erant controverſiæ, utraque parte ſe alteri præferente in Regulæ obſervatione. Volens itaque Julius Pontifex has lites Pontifex indicit Capitulum Generaliſſimum.

ſopire, & controverſias terminare, ſtatuit univerſum Ordinem ad Comitia convocare: quod ſignificatum voluit Miniſtro Generali, & utrique Vicario, Ciſmontano ſcilicet & Ultramontano Obſervantum, miſſo hoc diplomate, cujus exemplar a ſe ſubſcriptum ad omnes Provincias curavit transmitti Dominicus Cardinalis Grimanus, nuncupatus Patriarcha Aquilejenſis, Ordinis Protector. Do illud miſſum ad Vicarium Ciſmontanum.

Dilecto filio Vicario Ciſmontano Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

Ex originali.

XVI. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Reformationem Seraphici Ordinis beati Franciſci ſalubriter deſideratam pro Dei honore, & dicti Ordinis honeſtate fieri cupientes, conſiderantesque quod niſi Generale Capitulum celebretur, diſſentientium vota convenire non poterunt, proprio motu, & ex certa ſcientia (Domino auctore) ſtatuimus & juſſimus, Capitulum Generaliſſimum omnium Congregationum Ordinis antedicti in Alma Urbe noſtra Romana convocari, celebrarique debere: quo circa tibi in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis, ac privationis officii pœna præcipimus & mandamus, ut cum Vicariis, Cuſtodibus, & aliis Vocalibus Provinciarum tuæ curæ commiſſarum ad illud Capitulum convenias, quod anno Domini* MDVI. *in die Pentecoſtes in dicta Alma Urbe celebrabitur. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus ſunt, & expediens foret deferre, motu ſimili volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod illarum tranſumpto manu publici Notarii confecto & dicti Ordinis Protectoris ſigillo munito plena fides adhibeatur, & illi ſtetur in omnibus & per omnia, ſicut eiſdem præſentibus ſtaretur, ſi forent originaliter exhibitæ vel oſtenſæ. Non obſtantibus exemptionibus, conventionibus, indultiſque Apoſtolicis, præſertim fel. record. Eugenii IV. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac in generalibus, & ſynodalibus Conciliis editis conſtitutionibus, quibus, quoad hoc, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cœteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* v. *Julii* MDV. *Pontificatus noſtri anno* II.

Vicarius Generalis ſibi timet ab hoc Capitulo.

XVII. Nihil non fecit Franciſcus Zenus Vicarius Generalis, ne per has litteras indictum Capitulum celebraretur, timens in eo Familiam Obſervantum gravem aliquam jacturam paſſuram, aut unionem illius ſumme perniciosam, in eo violenter ſecuturam. Quare imploratis Vicarii Generalis Ultramontani, & Vicariorum omnium Provincialium auxiliis, ſuaſit, ut Regum & Principum litteras ad Pontificem impetrarent, & ipſe ad Hiſpanum & Gallum, atque ad Archiepiſcopum Toletanum Franciſcum Ximenium litteras dedit, ut in tanto periculo, ſuo adeſſent præſidio. Deinde anno ſequenti, convocatis Vicariis & Cuſtodibus Florentiam, cum eis conſilium inivit, quomodo in tanta preſſura cum Pontifice, & Miniſtro Generali eſſet agendum? Diſtincte hæc omnia habeo exarata ipſius Franciſci manu, & exemplar litterarum ad Reges miſſarum.

Moritur Donatus Urbinas. *Marc. 3. p. lib. 7. c. 35. Monumen. MSS. Urbin.* Ejus virtutes.

XVIII. Deſiit eſſe in humanis hoc anno Donatus Urbinas, vir pietate morum, & doctrinæ eminentia commendabilis. Cauſidico locuplete ortus, bonis litteris excultus, miſſus eſt Patavium, patris ſtudium æmulaturus. Altiora petens, & mundum contemnens, Minorum veſte ſuſcepta, animæ excolendæ totus incubuit. Eo pervenit virtutis & auctoritatis, ut quinquies electus ſit Miniſter provinciæ Picenæ. Conſodalibus Præfectus, non eſt

eſt exaltatus animo, ſed in religioſa ſe continuit humilitate. Pacificandis Fratribus, & ſedandis diſcordiis peculiare donum accepit, pacatiſſime omnia gubernans; nec tamen omiſit, quidquid ad Divinorum mandatorum, & Franciſcani Inſtituti obſervantiam ſpectabat inculcare, urgere, perficere. Erga omnes benignus, affabilis, afflictis, infirmis multam præſtabat accedendi fiduciam. Pauperibus & nudis compatiens, multoties paupere lacerna excuſſa, rigentia membra ſovebat. In inceſſu gravis, & vultu modeſtus pepigit cum oculis fœdus, ne cogitaret de muliere, nullamque per triginta trium annorum ſpatium in facie conſpexit.

XIX. In oratione erat aſſiduus, adeoque fervidus, ut ſæpiſſime in extaſim actus, immobilis remaneret. Virtutis & innocentiæ indicium erat Angelos quandoque allocutos, & ſilveſtres volucres ad ipſum evolaſſe, atque ei inſidentes dulciſonis cantibus exhilaraſſe. Obiit circa annum MDV. die incerto ad ſancti Bernardini Cœnobium extra muros Urbini, collacrymantibus Fratribus & populo, qui digna hominem proſequebantur veneratione. Conſepultus Sodalibus in cœmeterio, poſt aliquot annos propter miraculorum frequentiam, & populi pietatem exhumatus, & ligneo loculo incluſus, loco alto in Fratrum Odæo repoſitus eſt; demum conditus in Altare ſanctiſſimi Crucifixi.

XX. Sub hoc tempus plerique viri inſignes Minoritæ, vel virtute aut doctrina floruerunt, aut morte exaruerunt. Bartholomæus Fabrianenſis egregie ſuum Inſtitutum illuſtravit; cum enim in ſeculo utriuſque Juris Doctor judicaturam cum laude exerceret, & Fabriani ad fratris Petri de Moliano concionem accederet, non ut ab illo diſceret, ſed ut dicentem irrideret, ita corde compunctus eſt, ut flens domum recederet, & paulo poſt ab eodem Petro Minoribus adſcribi impetraret. Brevi potiſſimas Regularis vitæ diſciplinas aſſecutus, omnibus ſe reddidit ſpectabilem. In vigiliis & orationibus aſſiduus, poſt matutinas laudes numquam cubitum redibat: ſingulis diebus ſacrificabat magno fervore, & plurimo animarum lucro prædicabat; corpus multis affligebat modis, jejunio, flagris, laboribus, & rerum omnium inopia. Quædam ſcripſit opera a nobis in Catalogo Scriptorum nuper relata. Deceſſit in Civitate Theatina in Cœnobio ſancti Andreæ, provinciæ ſancti Bernardini, illuc miſſus, ut ſacram prælegeret Theologiam. Neſcio an hic ille Bartholomæus, quem Carolus Sigonius refert hoc anno magnam ſibi peperiſſe laudem, quod accommodata ad tempus oratione, perſuaſerit populo Bononienſi, ut collata ſtipe Montem Pietatis, ad pecunias pauperibus concedendas, erexerit, & locum ei ſub ſcholis ad ſanctum Petronium ſtatuerit.

Marc. cit. c. 39. & ſeq.

Floret Bartholomæus Fabrianen.

Sigon. de Epiſc. Bonon. lib. 4. ad hunc annum.

XXI. In eodem Cœnobio Theatino deceſſit Damianus a Ripa Laicus, Valetudinarii præfectus, miſſus a Superiore ad ſancti Angeli Civitatem, ut peſte laborantibus mederetur. Proficiſcenti apparuit ſanctus Franciſcus, & comitem ſe dedit itineris, exhortans, ut hilariter præcepto pareret obedientiæ, injunctumque munus etſi periculoſum, ſumme tamen meritorium, ſincera caritate perageret. Nihil ille prætermiſit, quod huic miniſterio judicaret neceſſarium, omnibus ſerviens ingenti caritatis ardore. Demum plenus bonorum operum, extenſis in Crucis formam brachiis, erectiſque in cœlum oculis, feliciter migravit ad Dominum.

Damianus a Ripa.

XXII. Alibi alii deceſſerunt laici viri piiſſimi, Bernardus de Hungaria, vir adeo contemplativus & extaticus, ut vix quinquies orationem Dominicam repetere poſſet, quin extra ſe raperetur, qua de cauſa Marcus Bononienſis, de quo ſuo loco diffuſius diximus, dum Vicarium Generalem ageret

Bernardus Hungarus.

Tom. 14. anno 1478. n. 14. & ſeq.

ret Ciſmontanum Obſervantum, impetravit a Pontifice, ut abſolveretur a penſo precum, quas ex præcepto Regulæ tenentur Fratres Laici recitare. Sæpe viſus inter nemorum arbores e terra elevatus, iiſque in locis commorari placebat per triduum, ſolis fruſtulis panis contentus. Ad Montem Alvernæ aliquot annis Oſtiarii functus munere, advenientes pauperes pie reficiebat; inde miſſus eſt in patriam, rogantibus Patribus provinciæ Hungariæ, ubi ſancto fine quievit.

Nicolaus Firmanus.

XXIII. Nicolaus Firmanus Vir perpetui ſilentii, rigidæ pœnitentiæ, ſingulis noctibus ſe flagellans, diebus omnibus ſemel pane & aqua contentus. Singula Cœnobii officia, ea præſertim, quæ erant humiliora, promptiſſime ſubidat. In oratione aſſidue vim lacrymarum profundebat. Multas inſerebat dæmon inſidias & moleſtias, nec tamen ab oratione poterat retrahere. In Conventu Firmano beatæ Mariæ deceſſit; ibique honorifico conditus eſt ſepulcro. Fuit familiaris beato Jacobo Piceno.

Gaſpar de Barga.

XXIV. Gaſpar de Barga, Vir ſimplex, ſummæ paupertatis ardentiſſimus zelator, meditationi & contemplationi Verbi Incarnati totus intentus, Hieroſolymas abiit, locum ſacrum viſurus, in quo hæc naturarum unio peracta eſt. Ibi tantam aſſecutus eſt hujus ſacratiſſimi myſterii notitiam, ut altiſſima aliis explicaret arcana, abſque tædio, etſi abunde diceret, audientium. In monte Alvernæ de his & de gloria Paradiſi ſermocinatus cum fratre Bartholomæo pio adoleſcentulo, ita uterque extra ſe raptus eſt in nemore, ut integro die & tota nocte, nihil exterum, aut temporis fluxum ſentirent, donec die ſequenti a Fratribus requiſiti, inventi ſunt ſub ulmo ſedentes, de his inceſſanter loquentes. Gaſpar aliqua patravit in vita miracula, & nos obviam alias de eo locuti ſumus, dum de Cœnobio ſancti Salvatoris Florentiæ, in quo requieſcit, ageremus.

Tom. 10. anno 1419. n. 13.

Ladiſlaus Gielnovius moritur. *Chron. MSS. Pro-vin. Polon. Morav. in ejus vita.* Ejus virtutes.

XXV. Ladiſlaus Polonus natus in oppido Gielnovii in Palatinatu Sandomirienſi, in territorio Apocinenſi, diœceſis Gneſnenſis, hoc etiam anno deceſſit. In Academia Cracovienſi bonis artibus inſtructus, adoleſcens Minoribus nomen dedit, brevique omni virtutum genere Sodalibus præfulſit: Chriſti amore inardeſcens, frequentes & aliquando publicas patiebatur extaſes; ita ut quadam ſexta feria Paraſceves, cum numeroſo populo de Chriſti paſſione prædicaſſet, in ſe & in auditorum mentibus compaſſionem Crucifixi vehementer expreſſerit, cunctiſque videntibus raptus, & ſupra ambonem elevatus fuerit. Tam aſſiduo ſtudio ferebatur erga Chriſti dolores, ut nullo unquam tempore ex illius animo noſtræ Redemptionis beneficium effluxerit. Ad hoc omnia ſua facta dictaque videbatur referre, omneſque ſuas conciones ab illis ordiebatur verbis: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Hoc glorioſo Chriſti in Cruce pendentis titulo tam apte tamque concine omnes ſuos per totum annum tam de tempore, quam de Sanctis inſigniebat ſermones, ut nihil fieri potuerit elegantius.

XXVI. Jam ſenio confectus, cum anno MDIV. Comitiis provinciæ Cracoviæ intereſſet, Patres Capitulares, habita ratione dignitatis & ſanctimoniæ, voluerunt illi indulgere, ne Religionis amplius gravaretur officiis, ſed in quo vellet loco dies ſuos in pace compleret, indignum arbitrati, ſi tantus Pater, bis Provincialis Vicarii functus officio, in extrema ſenectute conſtitutus, cogeretur novas curas ſubire, aut religioſæ quietis ſolatio privaretur. Miſerunt itaque ad eum Stanislaum Slapenſem nuper Vicarium Provinciæ, ut diceret ſibi integrum eſſe, ut locum ubicumque vellet morari, deligeret, ſibique gratum ſocium adjungeret. Ad hæc ille religioſa & ſonora, qua pollebat voce reſpondit: *Quid, quæſo, dicis Pater Stanislae?*

Obediens uſque ad mortem.

Ego

Ego promiſi obedientiam uſque ad mortem: quare ergo deſideratis, ut morti propinquus faciam voluntatem meam, locum & ſocium eligendo? Volo in obedientia mori; faciant de me Patres quidquid libuerit, paratus ſum injuncta exequi: ſentio adhuc in me vires ad obſequendum, omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſtus.

XXVII. Erga glorioſiſſimam Dei Matrem mira devotione affectus, in eam cogitationes omnes, vota, ſuſpiria, ſupplicationes dirigere videbatur, eique ſe totum, negotia omnia, ſtatum, profectum Provinciæ, plena fiducia veluti patronæ ſuæ clementiſſimæ recommendabat, nihilque arduum aggrediebatur, quod non ab ope Dei Genitricis ordiretur. Felices autem negotiorum ſucceſſus ſanctiſſimæ auxiliatricis patrocinio acceptos referebat; ideoque in tot tantorumque beneficiorum memoriam cultum beatiſſimæ Virginis in cordibus fidelium ſtudebat promovere, certamque recitandæ coronæ in honorem ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis normam, cum meditationibus Dominicæ Paſſionis, dolores & gaudia Matris Dei commiſcens, ultra illam, quam illius Provinciæ Fratribus beatum Joannem Capiſtranum reliquiſſe narravimus, conſcripſit & auxit. Continet illa octo orationes Dominicas, & ſeptuaginta duas Salutationes angelicas, tertiamque pro ſummo Pontifice. Septem vero meditationum capita conjunxit per precum ſeptenaria diſtribuenda; primum, ſeptem effuſiones ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Secundum, ſeptem gaudia Virginis Mariæ. Tertium, ſeptem ſtatus triumphantium in cœlis. Quartum, odium ſeptem peccatorum mortalium. Quintum, proſecutionem ſeptem virtutum, quæ peccatis illis contrariantur. Sextum, ſeptem dona Spiritus ſancti. Septimum & ultimum ſeptem militantium in terra, Eccleſiæ ſcilicet, Religionis, Regni, parentum, benefactorum vivorum & mortuorum, omnium in neceſſitatibus quibuſvis conſtitutorum, ac denique fidelium omnium defunctorum recommendationem. Cui devotioni deputata eſt ſingulis diebus hora poſt decantatas veſperas, quam Stanislaus ad nomen Mariæ caput humillime inclinando, & ad nomen Jeſu profunde genuflectendo, id ipſum Fratres edocens, abſolvebat, qui mos etiam ad ſeculares pertranſiit.

Dei matri devotus.

Ejus coronâ docet recitare.

Tom. 12. anno 1455. n. 81.

XXVIII. Talibus devotionis exercitiis feſſam ſenectutem ad ſtationem quietis perpetuæ deducens, anno hoc, ut dictum eſt, omnibus ſacramentis inſtructus, IV. Nonas Maii Varſaviæ deceſſit, magna populi frequentia, & honorifica ſepultura nobilitatus. Extat de eo talis Epilogiſmus ab ipſo, uti fertur, conſcriptus.

Anno milleno, quadrin, ſexinque ſecundo
Petri ad vincla almi ſuſcepi vincula clauſtri.
Me Petrus genuit Glelnovin, Petrus & almus
Clauſtro me clauſit, ſolus non vincula ſolvit.
Grates reddo Deo cantando tum Cithariſta,
O Deus en dirupiſti mea vincula cuncta.
Gratia ſit miſero, perſolvam ſic mea vota,
Ut bene perficiam, gratia ſit miſero.

XXIX. Gonzaga, & alii confundunt hunc cum Ladislao Hungaro, quem diximus primum a beato Joanne Capiſtrano conſtitutum Cracoviæ Guardianum. Sed valde diverſi ſunt, patria, tempore, religionis officiis diſcreti. Ille extra, hic intra Poloniam Minoritis connumeratus eſt: ille ante adventum Capiſtrani in Poloniam veteranus miles Guardianum egerat in Conventibus Cosleo & Bitono in Sileſia; hic ſub illud tempus ſtudebat in

Gonz. in Prov. Polon. Conv. 2. Tom. 12. anno 1451. n. 4.

in Academia Cracoviæ: De illo nulla referuntur apud Polonos, de iſto plurima recenſentur miracula. Sixtus V. In quodam ſuo diplomate dato anno MDLXXXVI. Varſaviæ oppidum a depoſito illic Ladislai corpore commendat, dum ita de Ladislao interloquitur: *Præterea cum oppidum Varſaviæ, Poſnanien. diœceſis, in quo Generalia totius Regni Poloniæ Comitia haberi ſolent, venerandumque corpus beati Ladislai in Eccleſia domus ejuſdem ſanctæ Annæ ipſius oppidi dicti Ordinis reconditum eſt, celeberrimum ſit, & inſigne*. Idipſum commendandi oppidi argumentum antea anno MDLXXXI. ſuſceperat Joannes Andreas Epiſcopus Britonorienſis, Sedis Apoſtolicæ Nuncius: *quod* (inquit) *Dominus tam glorioſi confeſſoris ſui Ladislai ſancto corpore nobilitavit*. Auctoritate Cardinalis Commendoni, ad Sigiſmundum Regem Legati Apoſtolici, Stanislaus Carnecovius, tunc Epiſcopus Wladislavienſis & Pomeraniæ, poſtea Archiepiſcopus Gneſnenſis, devotione confluentis populi, & miraculorum multitudine commotus, oſſa ſancti Viri e terra ſublevavit, & in alium locum decentiorem prope Altare majus reverenter collocavit, admoto magno lapide, cui inſculpta eſt illius effigies, caput habens radiis circularibus redimitum. Hæc facta ſunt anno MDLXXII. Dominica in Albis, in præſentia Principum & Procerum Regni ſub Comitiis Generalibus. Lapidi hæc inciſa ſunt carmina.

Varia ejus elogia.

Oſſa Ladislai tumulus tegit iſte Beati,
Qui minime favit mundi nequam iniquitati,
Corregnat ſanctis, ſuccurrit debilitatis.

XXX. Andreas Cricius vir celeberrimus, primum Cancellarius regni Poloniæ, deinde Epiſcopus Præmyslicenſis, demum Archiepiſcopus Gneſnenſis, mortuus anno MDXXXVII. talem reliquit de Ladislao, quem cognoverat, narrationem: *Frater Ladislaus de Gielnovo, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, mira ſanctimonia vitæ præditus, doctrina & vitæ moribus clarus, puritate & innocentia adhuc a pueritia integer, jejuniis & prædicationibus, ſupra quam dici poteſt invictus, in Obſervantia Religionis & cultu Dei, maxime Virginis Deiparæ ſedulus, in cujus laudem rhythmos & cantilenas complures edidit: in colloquio benignus & mitis, in reprehenſione rigidus, in præfecturis Religionis diligens, & cunctis exemplo fuit. In ſacro Paraſceves die ad populum concionem prædicans, cum ad flagellationem Chriſti venturus erat, viſus ab omnibus publice ultra ſuggeſtum nullo adminiculo humano elevari, denique ſenſim deficere, & veluti animo raptus, loqui ulterius non potuiſſe. Unde mox languore correptus, ac menſe uno lectulo decumbens, cum ſumma devotione & alacritate, in mœrentium Fratrum manibus, deſiderium ſui omnibus reliquit, & ſancte mortuus, hoc in loco conditus eſt anno ſalutis* MDV. Poſtremo id Ladislai commendationi accedit, quod Franciſcus Simonetta Epiſcopus Fulginatenſis, Nuncius Apoſtolicus ad Sigiſmundum III. Regem, Varſaviæ, anno MDCXII. animam agens, locum ſepulturæ delegerit prope ſepulcrum beati Ladislai. Multa ad ejus tumulum appenſa ſunt donaria & tabellæ votivæ, varia beneficia ejus meritis accepta teſtificantes. Illius vitam ſcripſit Vincentius Maxawski Polonus ſacræ Theologiæ profeſſor ex proceſſibus auctoritate Ordinarii factis, ex confeſſionibus conteſtatis, aliiſque publicis monumentis, eamque edidit Cracoviæ anno MDCXII. Ladislao Poloniæ & Svetiæ Principi inſcriptam.

Joannes de Argamanes. Joan. Bruſthemius.

XXXI. Floruerunt doctrina hoc tempore Joannes de Argamanes Hiſpanus Provinciæ ſancti Jacobi, & Joannes Bruſthemius Trudonopolitanus, qui monumenta aliquot a nobis in Catalogo Scriptorum Ordinis Minorum re-

recenſita, ad poſteros tranſmiſerunt. Divini verbi prædicatione celebres fuerunt Bartholomæus a Mediolano, a Pontifice hoc anno miſſus, ut prædicaret Narnienſibus, & diſſidentes pacificaret; ac Franciſcus Perera Majoricenſis ſacræ Theologiæ profeſſor, qui per triginta quinque annos in multis Europæ regionibus cum laude concionatus, ſexagenarius hoc anno a Pontifice obtinuit facultatem a laboribus feriandi, & vitæ ſolitariæ indulgendi: necnon Alexius de Corregia, Annæ Francorum Reginæ, & Britanniæ Duciſſæ ſacellanus & eleemoſynarius.

Barthol. a Mediolano.
Franciſcus Perera.
Lib. 58. Regeſti fol. 9.
Alexius de Corregia.

XXXII. Sub hujus anni initium menſe Februario, ſecunda Cardinalium creatione, Julius Pontifex novem ad hanc dignitatem aſſumpſit, & omnium primum Marcum Vigerium Minoritam, Romanæ Arci ſancti Angeli Præfectum, quem alias diximus a Sixto IV. evectnm ad Epiſcopatum Senogallienſem. Vir fuit doctiſſimus, filius Urbani & Nicolettæ Groſſæ Sixti IV. pronepiis, nepos alterius Marci Vigerii, qui Sixti fuit præceptor, de quo alias diximus, & Epiſcopum indicavimus fuiſſe Nolanum, alii dicunt Naulenſem. Cum hic poſterior Marcus, & prioris nepos, Sixto in minoribus, ſeu Generalatum Ordinis miniſtranti adhæreret, eique in baptiſmate nomen eſſet Emmanuel, in reverentiam Marci patrui, ejuſque memoriæ conſervandæ, Franciſcus Generalis voluit, ut deinceps Marcus vocaretur. Miſſus Patavium, ut Conſodalium ſcholas regeret, egregie ſuum munus exercuit, Conſodale, ſive laboris conſocio Antonio Tubeta Patavino. Aſſumpto ad ſummum Pontificatum Franciſco, allatæ ſunt querelæ contra Marcum, quaſi otio difflueret, oleumque & operam in eo Sixtus deperderet. Homine in Urbe conſtituto, rei periculo coram Sixto facto, & æmulorum fraude comperta, Pontifex eum amplius diligere perrexit, magiſtrali gradu donavit, & in Romanæ Sapientiæ gymnaſio Lectorem inſtituit. Paulo poſt Senogallienſi Eccleſiæ præfecit, atque Urbis Præfectum loco Joannis de Ruvere conſtituit. A Julio II. Bononiæ Suffraganeus factus, inde arcis ſancti Angeli cuſtos ſive Præfectus, mox Cardinalis, deinde in expeditione contra Alphonſum Ferrariæ ducem Legatus, demum Concilii Lateranenſis a ſe indicti negotiis & difficultatibus explicandis præpoſitus, contra Piſanum conciliabulum in odium Julii indictum, luculentam & elegantem inchoavit Apologiam, aliis inſuper ſcriptis libris, quos in Catalogo Scriptorum Ordinis recenſemus. Obiit Romæ anno MDXVI. die XVIII. Julii, ætatis anno LXX. relicta majori doctrinæ ſingularis, quam vitæ exemplaris memoria. Sepultus eſt ad ſuum ſanctæ Mariæ Tranſtyberinæ, ſive ſancti Caliſti titulum, a quo tamen ad Epiſcopatum Præneſtinum aſcenderat. In pluribus locis vicinarum ædium & viridariorum ſuum nomen reliquit inſcriptum. In Epiſcopatu Senogallienſi cenſus Pontificios adauxit, in Arcecontratæ palatium Epiſcopale conſtruxit, templum ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſuis Conſodalibus addixit. In ejus funere docte peroravit Camillus Porcarius; & Ubertus Folieta inter claros Ligures eum recenſuit, ac pulchro coheneſtavit elogio, additque, in gratiam illius Julium Pontificem Nicolettam Roboream fratris filiam, Marci fratri ſponſam tradidiſſe.

Marcus Vigerius fit Cardinalis.
Tom. 14. anno 1476. n. 53.
Tom. 14. anno 1479. n. 15.

XXXIII. Hoc anno Julianus de Maffæis Volaterranus, (quem alias diximus ad Epiſcopatum * Britonorienſem, ſeu Foropompilienſem a Sixto IV. aſſumptum) electus eſt Archiepiſcopus Raguſinus. Vir fuit in Philoſophia & Theologia clariſſimus, Beſſarioni Cardinali Nicæno adjutor ſtudiorum, ſummis Pontificibus Paulo II. & Sixto IV. ob præclaras virtutes cariſſimus. Annis multis rexit Pœnitentiariam Apoſtolicam. Romæ defuncto,

Fr. Julian. Epiſc. Britonorien.
* *al.* Bertinorien.
Tom. 14. anno 1477. n. 22.
Idem Archiep. Raguſinus.

cto, & ad ſancti Perri in Janiculo honorifice ſepulto, Marcus ſupradictus Cardinalis Vigerius tumulum poſuit, hac adjuncta inſcriptione.

D. O. M.
IVLIANO MVNICIPI VOLATERRANO
ARCHIEPISCOPO RAGVSINO
EX ORDINE MINORVM ASSVMPTO
PHILOSOPHO THEOLOGOQVE
CLARISSIMO.
BESARIONI CARDINALI NICAENO
STVDIORVM ADIVTORI
A SIXTO IV. ET PAVLO II. PONT. MAX.
QVIBVSCVM CONIVNCTISSIMVS VIXIT
DIGNITATIBVS HONESTATO
POENITENTIARIAE APOSTOLICAE
ANNOS XXV. REGENTI.
VIXIT ANNOS
SEPTVAGINTA QVINQVE
MENSES SEPT.

Marcvs Vigerivs Savonen. Cardinalis Senogallien.
amico, fratri, et contvbernali ivcvndissimo
Sacello commvnicato posvit.
anno M. D. X.

Fr. Joannes Vicenus. *Joan. Epiſc. Leodien. Minoritis addictiſſimus.* *Bzovius de Epiſc. Leodien.* *Tom. 12. anno 1453. n. 36.*

XXXIV. Inſtitutus eſt hoc anno Epiſcopus Vicenſis in Regno Neapolitano, ſub Archiep. Beneventano frater Joannes Eſguerra, per obitum Joannis de Peralta, die xix. Decembris. Deceſſit hoc anno, xvi. Kalendas Februarii, anno ſui regiminis xxv. clariſſimus Antiſtes, & generoſiſſimus Princeps Joannes Comes Hornenſis, Epiſcopus Leodienſis, Minoritis addictiſſimus, quibus in ſua urbe domum ædificaſſe, ſuo loco narravimus. Sepultus eſt in veſte Franciſcana, in promontorio Civitatis Trajectenſis in Wert, in Conventu Fratrum Minorum de Obſervantia.

Joan. Rodriguez moritur. *An. 1507.* *Marc. 3. p. l. 8. c. 17.* *Gonz. in Provin. Caſtellæ Mon. 1.* *Salazar. de eadem Prov. l. 5. c. 28.* *Ejus virtutes.*

XXXV. Moritur hoc anno in Monaſterio ſanctæ Eliſabethæ Toletano Joanna Rodriguez, ſocia & diſcipula religioſiſſimæ & nobiliſſimæ ſororis Mariæ a Toleto, de qua ſuo loco dicemus. Parentes eam precibus emiſſoque voto a Deo obtinuerunt. Cum enim diu prole carerent, promiſerunt ſe ſolemniter quotannis celebraturos feſtum Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, & Confraternitatem ſive Collegium inſtituturos, in quo alerentur duodecim egenæ puellæ, ſi quod tantopere cupiebant, impetrarent. A Deo conceſſa parentibus, dona protinus accepit cœleſtia multarum virtutum, & Divinarum revelationum. Ab ipſa pueritia iſtis aſſueta, ſeptimo ætatis anno, cum die Sabbati Miſſarum ſacris intereſſet, vidit ex conſecrata Hoſtia prodeuntem manum, quæ ſibi Crucem porrexerat, ubi vero admiſit, remanſit exanimis. Paulo poſt vidit aliam Crucem, cujus cacumen ad cœlos pertingebat, ſtipes abyſſos penetrabat; atque exinde mira teneritudine ferebatur in Chriſti paſſionem, in cujus meditatione frequentes extaſes patiebatur.

XXXVI. Viro nupta, nihil ex ſuæ devotionis fervore remiſit; quæ Dei erant, in ſtatu conjugali diligenter obſervans. Conjuge poſt paucos annos defuncto, prædictam Mariam Toletanam adſcivit ſibi magiſtram, eique adhæ-

adhæſit, donec utraque ingreſſa eſt prænominatum Monaſterium. Erga pauperes miſericors, dum illorum calamitates pro voto ſublevare non poterat, vim lacrymarum profundebat. Orationi & contemplationi dedita, cœleſtes ſæpe experta eſt favores. Humilitatem & paupertatem ſuæ magiſtræ ſemper æmulata, cuncta propter Chriſtum deſpiciebat. Erga ſanctum Joannem Evangeliſtam magno ferebatur affectu, quem etiam aliquoties meruit videre, & audire loquentem arcana quædam, a ſe mire ſcripta, cum nihil alias unquam ſcripſerit, nec aliquando ſcribere didicerit. Servantur hæc ejus commentariola in ſupradicto Monaſterio, & habentur in veneratione. Sub vitæ exitum apparuit ei beata Virgo Maria, & a Dœmone multa peccata objiciente defendit. Multis demum repleta conſolationibus, vitam ſanctiſſime terminavit in die Epiphaniæ, circa horam diei undecimam.

XXXVII. Coneliani, quod Inſubrum oppidum eſt non ignobile, viri nobiles ex Malvoltorum & Montalbanorum familiis hoc anno, aſſentiente Julio Pontifice per ſuas litteras datas xxviii. Julii, Cœnobium erexerunt Obſervantum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Gratiarum. *Conv. Coneliani. Gonz. in Provin. S. Anton. Con. 33.*

XXXVIII. Ut Conventui beatæ Mariæ de Jeſu Alcani tunc oppidi, nunc Civitatis, Mazarien. diœceſis in Sicilia, Eccleſia ſancti Antonii ferme contigua, ruinæ proxima, uniretur accedente conſenſu Petri de Roda, illius Rectoris, idem Julius hoc anno iv. Kalendas Februarii conceſſit: ex quo habetur, Cœnobium ante hoc tempus fuiſſe fabricatum, præſertim cum in litteris Pontificiis dicatur, Fratres, dum domum ſuam conſtrui faciebant, in eadem Eccleſia Divina officia celebraſſe. Hic itaque opportune duximus reponendum, dum apud Gonzagam nullum ædificationi præſcriptum tempus habeatur. Extra Civitatem ad p. cccx. extructum ſumptibus Friderici Henriquez Admirantis, & Mohacenſium Comitis, adhibito etiam ex parte ære publico, Rochus Pyrrus affirmat. Locus eſt opportunus tironibus educandis, & pietati ſectandæ. Illic jacet ſepultus Archangelus Placentia a Calataſſimo, vir pietate & doctrina commendabilis, olim Provinciæ Siculæ Vicarius, qui crebris ante & poſt mortem claruit miraculis. Corpus Alcamenſium precibus, e communi ſepulcro ad honeſtiorem loculum marmoreum ſub Altari ſanctæ Roſaliæ translatum eſt. *Conv. Alcani. Ex lib. 58. Reg. fol. 127. Gonz. in Prov. Sicil. Conv. 26. Pyrrus in auctar. Eccleſ. Mazaren. Archang. a Calataſſimo.*

XXXIX. Pleroſque Conventus in Regno Luſitaniæ hoc anno fundatos invenio. Habebant Patres Hieronymiani Eremitorium prope oppidum Gollegani ſancto Onuphrio dicatum, quod vel pretio, vel libere Fratribus Minoribus Provinciæ Portugalliæ ceſſerunt. His itaque eo in loco commodum extruxit Cœnobium pius quidam vir Thomas, Regi Emmanueli carus, qui anno mdxx. ibidem ſepultus eſt, cujus etiam poſteros illius Cœnobii Fratres patronos agnoſcunt. *Conv. Gollegani. Gonz. in Prov. Portug. Conv. 17.*

XL. Hoc anno inhabitare cœperunt aliquot Fratres ejuſdem Provinciæ Portugalliæ in exiguo templo ſub nomine *Boni Jeſu*, prope oppidum Ballelhas, Guardien. Diœceſis, conſtructo ab illuſtri viro Roderico de Caſtro, & ab ejus nepote Didaco eiſdem Fratribus tradito ſub finem anni præcedentis. Inde originem habuit hæc domuncula, quod Paſtor quidam in antro nemoris, ad præfatum Rodericum ſpectantis, imaginem Chriſti ſemicubitalem brachiis extenſis, non tamen Cruci affixam, ſed ſuper lapidem repoſitam, quæ paſtorem ex nomine vocavit, anno mdii. offenderit, & ille extra nemus progreſſus, duobus Minoritis, quos obvios habuit, oſtenderit, atque ex illorum conſilio prædicti oppidi Præpoſito tradiderit, qui ſanctam effigiem in honorifico loco ſuæ Eccleſiæ collocavit, donec quid agendum foret, aut quo loco reponenda eſſet, decerneretur. Cum autem magnus fieret populi *Conv. Boni Jeſu. Indid. Conv. 22. Mon. MSS. ejuſdem Prov.*

puli concurſus ad imaginis venerationem, prædictus Rodericus, ut perpetua & majori haberetur veneratione, eam argenteæ Cruci affixit, & peculiari cuſtodiæ Fratrum Minorum ex Cœnobio Guardienſi accitorum, conſtructo eis hoc templo, aſſignavit. Illi vero ex elemoſynis undique concurrentium ad ſanctam effigiem, Cœnobiolum addiderunt, in quo octo vel decem Fratres commorantur. Vidi ipſe devotum & ſolitarium locum, devotiſſimam imaginem, & frequentiam vicinorum populorum eo confluentium.

Conv. Borbæ. Idem in Prov. Pietat. Conv. 7.

XLI. Tanta fuit Joannis Brigantini Ducis erga Minores Obſervantes propenſio, ut eorum vitam æmulari, & Sodalitium inire ſtatuerit; ſed ab Emmanuele Luſitanorum Rege, ſuo patruo prohibitus non potuit. Fecit tamen quæcumque licebant in eorum commodum, & beneficiis multis eos proſecutus, domum extruxit circa hunc annum, prope Borbæ oppidum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de conſolatione. Jacent hic Petrus Melgarius Valentinus, magnus ſtrictioris Obſervantiæ promotor, & Franciſcus de Gatta laicus Luſitanus, viri piiſſimi, quorum geſta ſuis locis enarrabimus.

Petrus Melgarius. Franciſc. de Gatta.

Conv. Clavium. Indid. Conv. 23.

XLII. Conventus ſanctæ Mariæ prope oppidum Clavium, Luſitanice *Chaves*, non tam fuit hoc anno erectus, quam a Patribus Conventualibus ad Obſervantes translatus, ita curante Jacobo Duce Brigantino. Oppidanorum facultatibus ante aliquot annos erectum, poſſederunt prædicti Patres, quorum opinione imminuta circa Regularem diſciplinam, ad alias ædes oportuit recedere. Hic ſepultus eſt Alphonſus, primus Brigantinorum Dux, Joannis primi Luſitaniæ Regis filius pulchro mauſoleo. Inſigne apparuit Jacobi Feixerii pietatis facinus; cum enim anno MDL. Jamacus fluvius, qui inter oppidum & Cœnobium iſtud dilabitur, adeo excreviſſet, ut & altiſſimum pontem, per quem ab oppido ad Cœnobium proceditur, operiret, & Fratres ſumma laborarent inedia, vir ille collectum oſtiatim panem robuſto imponens equo, rapidiſſimum pertranſiit flumen, & famelicos Fratres refecit. Beneficium hoc ſuis ſervis præſtitum, Deus alio majori compenſavit; nocte enim ſequenti dum dormiret, a moleſta utriuſque femoris hernia liberatus eſt.

Pietatis facinus a Deo compenſatur.

Conv. Barcelorum. Indid. Conv. 23.

XLIII. Idem Dux Jacobus, cujus opera præcedens Conventus tranſivit ad Obſervantes, curavit eiſdem extrui domum alteram, ſub titulo Boni Jeſu prope oppidum Barcelorum in editi montis clivo, ſatis amœno, & quæ mihi illac tranſeunti vehementer arriſit. Capax eſt & commodum duodecim religioſorum habitaculum.

Conv. S. Mariæ de Laureto. Idem in Provin. Algarbior. Conv. 19.

XLIV. Circa hunc annum prope oppidum D. Jacobi, diœceſis Eborenſis, communibus incolarum ſumptibus extructum eſt Cœnobium Fratribus Obſervantibus, ſub invocatione Dominæ noſtræ de Laureto, ſexdecim religioſorum capaciſſimum, quod ſpectat ad Provinciam Algarbiorum.

Hoc an. n. 11.

Conv. Cubanus. Idem in Provin. S. Crucis Conv. 2.

XLV. Ea quæ ſupra retulimus de nova erectione Vicariæ in inſulis Indiarum, probant, præter illum, quem deſcripſimus in urbe ſancti Dominici Conventum apud Hiſpaniolam, alios accreviſſe. Primus fuit Cubanæ inſulæ, ſub invocatione ſancti Jacobi, quem Franciſcus Chaves, Provinciæ Caſtellæ alumnus, curavit ædificari intra Cubarum oppidi mœnia per ipſos inſulares recens ad fidem converſos. Aluntur Fratres Regis Hiſpaniarum ſtipendiis, ut minori ſint populis diſpendio, & commodius poſſint ſacramenta miniſtrare, eumdemque populum inſtruere.

Conv. Jaguanæ. Indid. Conv. 3.

XLVI. In altera inſula intra Jaguanæ mœnia, Hiſpani oppugnatores extruxerunt pulchrum & commodum Cœnobium Fratribus Obſervantibus, ſub nomine ſancti Jacobi Legionenſis. Sed cum ingenti terræ motu totus conci-

concidiſſet, piorum liberalitate reſtitutus eſt, non tamen ad prioris dignitatem aut capacitatem pertingit.

XLVII. Anno præterito Ægidius Miniſter Generalis, Petrus Grandis Miniſter Provinciæ Burgundiæ, & Guillemus Bovent Guardianus Conventus Divionenſis, diœceſis Lingonienſis, de quo ſuperius dictum eſt, vocatis quibuſdam ex Obſervantibus, & aliis ex Reformatis, dimiſſis prioribus incolis Conventualibus ad alia Provinciæ domicilia, domum reformarunt. Hoc anno appellarunt ad Pontificem Conventuales, nihilque intentatum reliquerunt, ut ſedibus ſuis reſtituerentur. Poſt varias tamen cauſæ agitationes, domus adjudicata eſt Obſervantibus.

Ann. 1492. n. 50. & 1497. n. 24. Conv. Divionen. reform. *Ex Reg. l. 49. fol. 75.*

XLVIII. Idem Ægidius Miniſter Generalis procedens in illa, quam diximus reformatione, quam intentabat, Conventuum & Provinciarum, ut facilius poſſet unionem totius Religionis aſſequi, & præcavere ſciſſioni quam proxime imminere judicabat, magna facilitate, & nimis feſtinanter domus Fratrum, & Monaſteria Monialium a Conventualibus ad Obſervantes transferebat, non adeo mature præjactis ſolidis diſciplinæ Regularis & Obſervantiæ fundamentis. Unde factum eſt, ut ingentes turbæ in Provinciis orirentur, & illud reformationis genus commixtio potius fuerit hominum diſſimiliter viventium, quam reſtauratæ diſciplinæ ſtabilimentum, & confuſio magis quam diſcretio ſpirituum. Atque hinc pullularunt ſtatim tot aliæ reformatiunculæ, & miræ Congregationum ſpecies, illam prætexentes cauſam, ampliſſimum & numeroſiſſimum illud Regularis Obſervantiæ Inſtitutum, nimis celeriter in tantam multitudinem excreviſſe, admiſſis abſque delectu, ſive prævio examine, & ſingulorum ſeria probatione, adventantibus turmatim Conventualibus, quibus non adeo facile erat veterem hominem exuere, arreptiſque illorum Conventibus, a quibus non ita licebat eradicare germina proprietatis, id impedientibus vel illorum fundatoribus, ſeu patronis, vel urbium aut locorum Magiſtratu.

An. 1501. n. 4. & ſeqq. Præpropera Cōventuum reformatio. Multas excitat controverſias.

XLIX. Inter alia iſtius generis reperio ab Ægidio tranſlata a Provincia Provinciæ, ſeu ſancti Ludovici ad Obſervantes Provinciæ Aragoniæ, Cœnobia Perpiniani, Villæ-francæ, Podii Ceritani, & aliqua Monaſteria Monialium, ab aliis Conventibus ejectos incolas, & introductos Reformatos, remanentibus tamen ex Conventualibus, qui reformationis ſtudium præferebant. Petrum Guichardum Provinciæ Miniſtrum propter hæc tumultuantem ab officio remotum, & inſtitutos in Romana Curia Procuratores Ludovicum Bardot Burgundum, & Chriſtophorum Quiros Aragonium, qui Ægidii Generalis, & Bernardi Veduniæ Provinciæ Valentinæ Miniſtrorum nomine, tranſlationes ſupradictas, aliaque per Ægidium facta defenderent. Variis itaque appellationibus ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſis, inſtituti ſunt judices controverſiæ Abbas Monaſterii ſancti Tyberii Agathen. Prior Prioratus ſanctæ Enimiæ Mimaten. & Præpoſitus præpoſituræ ſanctorum Benedicti & Germani, Montis Peſſulanæ, Magalonenſis diœceſum. Neque tamen hi rem adeo facile expedire potuerunt, donec anno ſequenti propter has aliaſque innumeras turbas Julius decrevit, uti diximus, omnes ad Generalia convocare Comitia.

Reformātur Cōven. Prov. S. Ludovici. *Ibid. lib. 45. fol. 25.* *Sup. n. 15.*

L. In urbe Malacenſi in Hiſpania hoc anno Monaſterium Clariſſarum ſub titulo Conceptionis B. V. Mariæ conſtructum eſt a Ferdinando Talabricenſi, Archiepiſcopo Granatenſi, hærede facultatum Petri a Toleto Epiſcopi Malacenſis, & Guttieri a Cardenis magni Legionenſis Commendatarii, qui collatis in medium neceſſariis ſumptibus, decreverant illud ædificare, ſed morte præventi non potuerunt, ut tamen fieret, hæredi injunxerunt.

Mon. Malacen. *Gonz. in Provin. Bætica Mon. 4.*

Futu-

Futurarum Clariſſarum magiſtræ evocatæ ſunt ex Granatenſi Monaſterio, quæ adventantes puellas optimis moribus imbuerunt. Sub hoc tempus ad ſeptuaginta & ultra ſacræ virgines hujus loci accreverunt.

Mon. vallis.

LI. Ante plures annos conſtructa fuit domus Vallis ſanctæ Eliſabethæ Tertii Ordinis, Leodien. diœceſis, in qua regulariter vivebant multæ Sorores ſub cura & regimine Vicarii Provincialis de Obſervantia Provinciæ Colonienſis: ſed perfectius Deo inſervire cupientes, hoc anno obtinuerunt facultatem tranſeundi ad Inſtitutum Clariſſarum Urbaniſtarum: *Votis Domino ſub regulari*. v. Kalend. Februarii.

Mon. Clavari.

LII. Brevem aliquorum Monaſteriorum Clariſſarum hoc anno invenio mentionem: ſancti Euſtachii de Clavaro in Liguria, ſatis vetuſti, & ab initio fundationis dicti Ordinis ſancti Damiani, quod ſub hoc tempus ruinæ proximum, valde defecit in Obſervantia regulari. Papienſis ſanctæ Mariæ Annunciatæ, a Blanca Maria, Duciſſa Mediolanenſi olim conſtructi, uti alias narravimus, & ad anguſtias redacti propter multitudinem Sororum, quantumvis ab ipſa inſtitutrice, & a ſuperioribus non ſemel præſcriptus ſit numerus recipiendarum, quem deinceps tranſgredi, rigoroſe hoc anno Pontifex prohibuit. Valliſoletani ſanctæ Claræ, cui Antonius Velaſco de Zunniga, & Franciſca de Zunniga, Comites de Urenna ſolvere ſpoponderunt ſexcenta & viginti novem millia Morapetinorum monetæ illarum partium, quia conſobrinæ duæ, illius Monaſterii Sorores, renunciarunt juri ſucceſſionis hæreditariæ parentum ſuorum circa bona quædam legitime ad ipſas ſpectantia, quæ ad prædictos Comites devolvebantur. Necnon Petrus Ninno eidem Monaſterio aſſignavit cenſum annuum octo millium Morapetinorum, quia Soror ipſius Mencia Sanctimonialis renunciavit legato ſibi relicto ab Alphonſo genitore. Toletani, ſanctæ Claræ, cui pacta & conventiones circa multos reditus initas cum quibuſdam civibus Toletanis, a Paulo II. confirmatas, Julius hoc anno revalidavit; eujus litteras: *Ex injuncto nobis*, datas IX. Kal. Martii, damus in Regeſto, quia aliquando putamus eidem Monaſterio fore proficuas, ut ex illis, ſi fortaſſis autographum periret, notitiam accipiant bonorum, quæ poſſederant. Abbiatæ Graſſi, Mediolanen. diœc. cui conceſſum eſt, quod bona quædam ad certum tempus in emphyteuſim locare poſſent pro canone annuo uſque ad ſummam certam aureorum ſive ducatorum. Sancti Andreæ de Fucecchio, alias de Poggio, Lucanæ diœceſis * Ordinis ſanctæ Claræ, cui hoſpitale ſancti Joannis Baptiſtæ, etiam de Fucecchio, hoc anno Pontifex incorporavit.

Mon. Papien. *Tom. 9. an. 1392. n. 26.*

Mon. Valliſoleti.

Mon. Toleti.

Mon. Abbiatæ Graſſi.

Mon. de Fucecchio. * *Nunc vero S. Miniati.*

LIII. Binis præcepit litteris Pontifex, ne Parochi aut Rectores Eccleſiarum impedirent Fratres Provinciæ Hungariæ, quin libere poſſent eleemoſynas colligere; & Abbatibus Ciſtercienſis ac Præmonſtratenſis Ordinum, in eodem Regno Hungariæ, ne Minores ad ſuos habitus admitterent. Alio diplomate præcepit, ut Fratres Cruciferi reſtituerent Minoritis domum Fratrum Tertii Ordinis, in Duysberch oppido, Leodienſis diœceſis, quam illis abſque ſufficienti auctoritate prædicti Tertiarii tradiderunt. Quarto communicavit Fratribus Ultramontanis Regularis Obſervantiæ omnia & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, atque alia hujuſmodi, per ſuos Prædeceſſores Fratribus Ciſmontanis conceſſa: *Exponi nobis*. die XV. Aprilis.

Domus Duysberchi Fratrum Tertii Ordinis.

AR-

ARGUMENTUM.

Indorum converſionem, & Chriſtianorum reformationem urgent Minoritæ in Indiis Occidentalibus. Celebratur Capitulum Generaliſſimum totius Ordinis, nec tamen ſecuta eſt unio Congregationum, quam Pontifex intentabat. Referuntur Vicariæ, Cuſtodiæ, & Conventus, qui tunc erant ſub Obſervantum regimine. Ximenii virtus, & animi robur in præveniendis Hiſpaniæ turbis, & componendis Magnatum tumultibus maxime probatur. Plerique pietate clari decedunt. Inſtituuntur Epiſcopi, multiplicantur Cœnobia.

I. IN Hiſpaniolæ inſula, illarum, quæ in Occidentalibus Indiis hactenus in Hiſpanorum redactæ erant poteſtatem, potiſſima, licentioſe nimis vivebant Caſtellani, primi illi exploratores, qui cum Chriſtophoro Columbo inſulam ſubegerunt, ſpecioſas quaſque & nobiles fœminas habentes pro amaſiis, publice cum eiſdem commorantes, abſque ullo vinculo matrimonii, omni poſtpoſito honeſti & pudoris reſpectu. Id increpare, redarguere, ſevere interdicere non ceſſabant Franciſcani, præcipui tunc animarum curatores; ſed præ reliquis in hac eliminanda turpitudine ardentiſſimus, frater Antonius a Martyribus Nicolai de Ovando Alcantarenſis militiæ Commendatarii, qui inſulæ præerat, aures pulſare non ceſſabat, ut ſi rebus Catholicorum Regum proſpectum vellet, majoreſque cuperet in Indiis Chriſtianorum fieri progreſſus, tantam vitiorum licentiam coerceret. Publico itaque edicto, & ſevera lege cautum eſt, ut Hiſpani omnes ad præſcriptum tempus, vel fœminas illas dimitterent, aut rite per matrimonium facerent uxores. Etſi vero grave & durum hoc eis videretur præceptum, præcipui tamen, qui locupletum & pulchrarum nolebant relinquere conſortium, eas ſibi ſacroſancto matrimonii fœdere conjunxerunt, atque ab illo tempore ſolidiori & cariori cœperunt nexu Indici populi advenis Hiſpanis copulari.

Herrera de Ind. Occid. dec. 1. lib. 6. cap. 18.

Minoritæ licentiam Hiſpanorũ in Indiis coercent.

II. Interim in Hiſpania optimæ præſcriptæ ſunt leges circa Eccleſiarum inſtitutionem, delectis auctoritate Sedis Apoſtolicæ Archiepiſcopo uno, binis Epiſcopis, animarumque Rectoribus; atque, ut felicius res Chriſtiana procederet, cautum eſt, ne deeſſent tantæ meſſi neceſſarii operarii, ut Hiſpali neceſſaria quæque ex Regio ærario miniſtrarentur Religioſis ad illas partes conſcenſuris, ut inſularum Præfectus benigne & honorifice appellentes admitteret, Cœnobiis ædificandis loca commoda tribueret, Franciſcanas ædes juſto intervallo terminaret, ad fidem accedentes paterne protegeret, & infidelium filios parvulos, juxta Pontificis determinationem, ſacri baptiſmatis aquis intingerent.

Indid. c. 20. Bonis legibus rebus Indicis proſpicitur.

III. Diximus anno præcedenti, miſſas fuiſſe litteras convocatorias a Julio Pontifice, ut omnes Fartres tam Conventuales, quam Obſervantes convenirent ad Comitia Generalia hoc anno celebranda ad Aracœli Cœnobium. Magnam indidit Ægidius Delphinus Miniſter Generalis ſpem Pontifici ſtabiliendæ unionis inter utramque Religionis partem, eodemque temperamento ita ſe res moderaſſe affirmavit, ut neque Conventuales Obſervantum, neque viciſſim Obſervantes Conventualium conſortium abhorrerent. Sed cum ex ſua domo ſanctorum Apoſtolorum Conventuales, & Obſervantes ex Aracœli ad palatium Dominici Cardinalis Grimani, Ordinis Protectoris convenirent, ibique Magiſter Catarinoctus provinciæ ſancti Bona-

Num. 25. Marc. 3. p. l. 8. c. 20. & ſeqq. Cimar. l. 8. c. 44. & ſeqq. Regiſt. Ordin. Primum Capitulum Generaliſſimum.

Omnes ab unione intentanda alieni.

naventuræ Miniſter, in favorem Obſervantum peroraſſet, ipſorumque ſeparationem a Conventualibus probaſſet, & utraque pars propoſitam ſibi unionem non ſolum difficilem, ſed & impoſſibilem eſſe affirmaret, idque ipſum conſtantiſſime repeteret, in ſacrario Aracœli die Veneris ante Pentecoſten, ſub veſperum illius diei, quo peragendum erat munus præcipuum Capituli, videlicet confirmationis Ægidii, aut electionis alterius, Domicus Protector, & Marcus Cardinalis Vigerius deſtinatus Aſſeſſor, acriter reprehenderunt Ægidium, quod vel Pontificem deceperit, vel nimis leviter Religionem turbaverit, & unionem ſibi temerarie perſuaſerit.

Deponitur Ægidius Generalis.

IV. Opportune hoc ceſſit Ægidii æmulis vel inimicis, præſertim Mauritio de Portu, Hiberniæ Miniſtro, publico in gymnaſio Patavino profeſſori, qui tot hominem oneravit accuſationibus, ut vere uterque Cardinalis judicaret quieti Fratrum, & bono regimini Ordinis expedire, illum a Generalatu abſolvere. Ut vero id honorificentius fieret, miſerunt qui ſuggererent, ut ipſe potius miſſionem peteret, quam depoſitionem expectaret. Conſilio acquieſcens Ægidius, ne gravius ſibi adveheret malum, Sabbato ſummo mane cauſatus ſe tota nocte præcedente valde male habuiſſe, amandavit ſocium ſuum Magiſtrum Philippum de Bagnacaballo, qui plenis Comitiis, coram Cardinalibus in aula Capitulari Præſidentibus, ejus nomine liberam & ſpontaneam Generalatus ceſſionem faceret, atque Ordinis ſigillum, potiſſimum Præfecturæ inſtrumentum, Protectori exhiberet. Redactis his in publicas Notarii tabulas, dum ad ſucceſſoris electionem procederetur, Ægidii honori caventes Cardinales declararunt, non fuiſſe hominem ab officio deturbatum, ſed ipſum tanto muneri ſponte ceſſiſſe, liberumque proinde electoribus eſſe illum ſuis ſuffragiis ad priſtinum gradum revocare.

Obſervantes e Comitiis recedunt. Fit Generalis Raynaldus a Cottiniola.

V. Obſervantes ad lævam ſedentes, conſtitutis a dextris Patribus Conventualibus, rogarunt Cardinales ne cogerentur ad ſuffragia ferenda, ſed permitterentur e Conclavi recedere; id enim ſibi conceſſum in Bulla Eugeniana referebant, ne convenirent in electionibus Miniſtrorum Generalium. Dimiſſis benigne, elegerunt Conventuales Raynaldum Gratianum e Cottiniola, Romandiolæ oppido, provinciæ Bononiæ Miniſtrum, qui litteras, quas Pariſiis didicit, Bononiæ & Venetiis docuit, ea ſui nominis fama, ut eum in pretio habuerit Julius Pontifex dum Protectoris munere fungeretur, & poſt adeptum Pontificatum legatum miſerit in Hiſpaniam. Rexit aliquando laudabiliter annos quatuor, demum aſſumptus ad Archiepiſcopatum Raguſinum, factus eſt ſuffraganeus Achillis Cardinalis de Graſſis, Epiſcopi Bononienſis, ut ſuo loco dicemus. Provincias inviſit Hiſpanas & Gallicas, multaſque domos Conventualibus reſtitui curavit. Porro Ægidius ab omnibus ferme derelictus, infeſtos habens Conventuales, propter tot erepta Monaſteria, parumque propenſos Obſervantes propter tumultuariam noxiamque commixtionem cum Conventualibus, & unionem immature tentatam, ſtatuit a turbis declinare, & ſeceſſum cogitare. Fuerunt tamen, qui ſuaderent, ut veluti invite depoſitum, Generalatum repeteret, idque eum facile aſſecuturum dicebant, ſi Neapolim pergeret, & patrocinium imploraret Gondiſalvi Fernandez de Corduba, Magni Ducis antonomaſtice nuncupati, Hiſpani exercitus imperatoris. Horum conſilis abductus, nocte proxima poſt electionem, frequenti comitatu Neapolim abiit, ubi fautores habuit Joannem Verum, Valentinum Cardinalem, Archiepiſcopum Salernitanum, Magnumque Gondiſalvum. Hinc oriri cœpit quorumdam fluctuatio, magnaque ſuſpicio futuri ſchiſmatis in Religione. Sed ille

Ex Generalis conſilium, & mora.

ille infirmitate correptus, ad Obſervantes Cœnobii ſanctæ Mariæ Novæ declinavit, a quibus benigne receptus, & amice habitus, miniſtratis abunde rebus neceſſariis, religioſe & humiliter reatuum, ac tranſgreſſionum ſuæ Regulæ veniam deprecatus, ſacramentis procuratus, poſt paucos dies deceſſit: ſunt qui laudent, ſunt qui hominem vituperent. Graviter in eum invehitur Petrus Rodulphus Conventualis; laudat ſummopere Bartholomæus Cimarella Obſervantinus. Ita unumquemque ſuus trahit affectus: *Ut nautæ ventis, ita plerique ſe animi paſſionibus accommodant*. Equidem: *Amor & odium & proprium commodum in ferendis judiciis valde præponderant*. *Rodul. fol. 149. Cimar. l.8. c.14. Stobæus ſer. 1. de prudentia. Ariſt. 1. Rhetor.*

VI. Inſigne fuit hoc Capitulum, tum varietate Congregationum, Conventualium, Obſervantum, Amadeorum, Clarenorum, Coletaneorum, illorum, qui *de Caputio*, ſive *de ſancto Evangelio* dicebantur, tum immenſo numero ex tot Congregationibus conflato, ex ſola Obſervantia numeratis mille, qui ad Aramcœli; ex reliquis vero ter mille, qui ad ſanctos Apoſtolos, ædeſque vicinas coiverunt: tum ex ſumma pace, qua inter tot Inſtitutorum varietates, res inchoata & abſoluta eſt; tum inſuper duorum Cardinalium Præſidentium majeſtate. Pauca vel nulla in eo edita ſunt ſtatuta, præter ea, quæ concordiam & pacem inter Conventuales, & Obſervantes firmandam concernebant, quæ propter Cœnobiorum translationem, aut Fratrum alternos tranſitus paſſim turbabatur. Ut huic malo mederetur Julius, binas has litteras promulgavit. Magnitudo hujus Capituli.

Dilectis filiis Generalibus & Provincialibus Miniſtris, ac Vicariis, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum, tam Conventualium, quam de Obſervantia nuncupatis.

VII. D*ilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Religio ſancta Minorum, quæ Eccleſiam Dei multiplicibus ſplendoribus illuſtravit, & cujus nos multo tempore, dum Cardinalatus fungeremur honore, Protectores fuimus, a nobis & Sede Apoſtolica promeretur, ut illius quieti & tranquillitati vigili cura intendamus, & quæ propterea a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus provide ordinata ſunt, ut in ſua integritate perſiſtant, diligenter curemus, & alia circa hæc opportuna juxta exigentiam temporum ſtatuamus. Dudum ſiquidem, poſtquam non abſque cordis noſtri amaritudine acceperamus, quod inter dilectos filios tam de Obſervantia, quam Conventuales nuncupatos Fratres veſtri Ordinis nonnullæ altercationes & ſcandala ſuper aliquibus domibus & Conventibus, locis & Fratribus dicti Ordinis occupatis vel receptis, fuerant exorta, in magnam ipſius Ordinis jacturam & confuſionem: Nos tunc cupientes controverſias omnes propterea ſecutas, & quæ inde ſequi formidabantur, prorſus evellere, Generaliſſimum Capitulum Fratrum veſtri Ordinis in alma Urbe noſtra celebrari juſſimus, ad quod plures Religioſi & docti Viri veſtri Ordinis profeſſores tam Conventuales, quam de Familia & Obſervantia nuncupati de diverſis mundi partibus acceſſerunt; & in quo, Spiritus ſancti gratia aſſiſtente, & directione dilectorum filiorum noſtrorum Dominici ſancti Marci Patriarchæ Aquilejen. & totius veſtri Ordinis Protectoris, ac Marci ſanctæ Mariæ in Tranſtiberim, Senogallien. nuncupati, tituli presbyterorum Cardinalium, in dicto Capitulo, noſtro & Apoſtolicæ Sedis nomine præſidentium, omnes fere differentiæ & contentiones prædictæ terminatæ & compoſitæ fuerunt, & inter alia ibidem concluſa & concordata, fuit præcipuum, ut litteræ fel. record. Eugenii IV. Pauli II. & Sixti IV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum* Jubetur ne deinceps Conventualium domus accipiant Obſervãtes.

rum noſtrorum ſuper concordia & privilegiis Fratrum Conventualium, & de Obſervantia nuncupatorum, firmiter & inviolabiliter obſerventur, eaque Nos, quatenus opus eſſet, confirmaremus, & de novo illa ſtatueremus & ordinaremus. Nos igitur quieti & tranquillitati dicti Ordinis conſulentes, ac reformationi ejuſdem Ordinis, quantum cum Deo poſſumus, intendentes, motu proprio, non ad veſtram, vel alicujus alterius pro vobis deſuper nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate & deliberatione, ac noſtra certa ſcientia, tam prædictas Eugenii, Pauli, & Sixti, quam aliorum prædeceſſorum noſtrorum litteras ſuper dicta concordia, & tam prædictis, quam ſanctæ Claræ Ordinibus, illorumque domibus & Monaſteriis, ac ipſarum domorum & Monaſteriorum Fratribus & Monialibus, ſub quacumque verborum forma conceſſas, & quas, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſertæ forent, haberi volumus pro expreſſis, & omnia & ſingula in eis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus; ac pro potiori cautela, omnia & ſingula per Eugenium, Paulum & Sixtum, alioſque Prædeceſſores noſtros in eiſdem litteris pro dictis cauſis, & in favorem Minorum, & ſanctæ Claræ Ordinum prædictorum, quomodolibet ordinata, ſtatuta, decreta, conceſſa & indulta, fieri & ſervari debere, illaque domibus & profeſſoribus prædictis de novo concedimus & indulgemus; dummodo ſtatuto & ordinationi nuper per nos ſuper tempore, per quod tam tu Miniſter prædictus, quam Vicarii Generales dicti Ordinis durare debent, a quibus Provinciis ſunt aſſumendi, in dicto Capitulo Generaliſſimo per alias noſtras in forma Brevis editas, ſuper hujuſmodi confirmatione litterarum prædeceſſorum hujuſmodi nullum præjudicium generetur. Et inſuper reformationem dicti Ordinis ampliantes, ac omnes & ſingulas cauſas, lites & proceſſus inter Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos prædictos pendentes, ad nos avocantes, ac penitus & omnino extinguentes, motu & ſcientia ſimilibus volumus, ſtatuimus & mandamus,

Ut domus Hiſpaniæ reformatæ remaneant Obſervantibus.

quod domus, Conventus, Monaſteria Minorum, & ſanctæ Claræ Ordinum prædictorum in provinciis Caſtellæ, Legionis, & Aragonum Regibus ſubjectorum, hactenus ad Regularem Obſervantiam ſub obedientia Vicariorum de Familia, Apoſtolica vel quacumque auctoritate reducta & reformata, de cetero ſint reformata, & in dicta Obſervantia, & obedientia Vicariorum maneant. Ceterum, quia, ſicut accepimus, ſuperioribus diebus Fratres domorum de Obſervantia provinciæ Aragoniæ pro ſuccidendis nonnullis quæſtionibus & altercationibus inter eos, & Fratres Conventuales exortis, ſub ſpe, quod in celebratione Capituli Generaliſſimi, tam de Obſervantia, quam Conventualium Fratrum prædictorum unio ſaltem in capite reformato fieri deberet, dilecto filio Ægidio Delphino dicti Ordinis profeſſori, tum Miniſtro Generali, ſub hujuſmodi conditione, ſi unio prædicta infra certum tempus non fieret, ab hujuſmodi obedientia, prout ante præſtationem illius exiſtebant, liberi remaneant, præſtiterunt, ipſiuſque Ægidii tunc Miniſtri correctioni ſe ſubmiſerunt: & pro eo quod unio prædicta, aliquibus cauſis in dicto Capitulo pertractatis, facta non fuit; pari motu decernimus & declaramus, quod Fratres domorum de Obſervantia prædictæ Provinciæ Aragoniæ, ab Obedientia dicti Miniſtri Generalis illiaſque ſuperioritate, prout ante exiſtebant, liberi

Præſertim in Aragonia.

remaneant, & ſub obedientia Vicarii Generalis Ultramontani, prout prius cum Conventibus tunc reformatis, & Monaſteriis Monialium, & cum nomine Vicarii Provincialis inviolabiliter perſiſtant, ſive ſub uno Vicario Provinciali Aragoniæ, ſive ſub tribus, videlicet Aragoniæ, Valentiæ & Cataloniæ, prout Vicario Ultramontano, & Fratribus Vocalibus dictorum Regnorum, & Prin-

& Principatus Cataloniæ magis expedire videbitur; ita quod remaneant in pacifica poſſeſſione omnium Conventuum, quos reformaverunt, & modo poſſident, & omnium Monaſteriorum, quæ poſſident. Et nihilominus venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, in quorum Provinciis domus & Monaſteria prædicta conſiſtunt, motu ſimili mandamus, quod ipſi aut unus eorum ſi & poſtquam præſentes litteræ, & aliæ Eugenii, Pauli & Sixti, & aliorum Prædeceſſorum, ſeu earum tranſumpta ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ac alicujus Notarii publici manu ſubſcripta, quibus, ſicut ipſis originalibus litteris plenam fidem adhiberi volumus, præſentatæ fuerint, & pro parte veſtra, ac pro tempore exiſtentium Generalis, & Provincialium Miniſtrorum, Vicariorum, vel Commiſſariorum, aut Fratrum per vos vel eos deputatorum, fuerint requiſiti, per ſe vel alium ſeu alios præſentes & dictas litteras ubi, quando & quoties opus fuerit, publicantes, faciant illas juxta illarum & præſentium tenorem, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna firmiter obſervari; at legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos iteratis vicibus aggravare procurent: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, donec abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, auctoritate noſtra compeſcendo. Non obſtantibus præmiſſis, ac litteris prædictis, Conſtitutionibuſque & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis prædicti, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis eiſdem Minorum, & ſanctæ Claræ Ordinibus, & illorum domibus, Monaſteriis & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus conceſſis: quibus, quatenus præſentibus in aliquo obſtent, illorum tenores pro expreſſis habentes, motu & auctoritate prædictis, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. *Junii* MDVI. *Pontificatus noſtri anno* III.

Ad futuram rei memoriam.

VIII. *CUm multæ & graves ad Nos & Apoſtolicam Sedem per Fratres Ordinis Minorum Conventuales, ac de Obſervantia nuncupatos aſſidue deferrentur querelæ, multæque lites inter eos ſuſcitatæ fuiſſent occaſione domorum ſive locorum ſuorum, ac Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ, & Pœnitentum Tertii Ordinis beati Franciſci, utriuſque ſexus, ac Fratrum hinc inde ablatorum reſpective, & receptorum contra conſtitutiones felicis record. Eugenii IV. Pauli II. & Sixti IV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, Ordoque ipſe in plura quaſi capita & nomina eſſet diviſus, emergentibus in dies novis Congregationibus & Vocabulis, quæ confuſionem quamdam videbantur afferre: Nos, qui Ordinem antedictum, e quo ſanctæ memoriæ Sixtus IV. prædeceſſor noſter præfatus, & noſter ſecundum carnem patruus, Divina providentia ad apicem ſummi Apoſtolatus pervenit, & cujus Nos, dum Cardinalatus officio fungeremur, fuimus Protectores, in viſceribus gerimus caritatis, cupientes litibus diſcordiiſque hujuſmodi finem imponi, & ea decerni ac ordinari, per quæ Viri religioſi in eodem Ordine Altiſſimo famulantes, cum animi & mentis tranquillitate, ſemotis litibus & con-* Ex originali. Sixtus IV. patruus Julii II. Julius olim Ordinis Protector.

tentionibus vivere poſſint, Capitulum Generaliſſimum omnium Congregationum præfati Ordinis Romæ indiximus, quod in feſtivitate Pentecoſtes proxime præterita a tanto numero Fratrum, quantus numquam alibi dicitur conveniſſe, ſumma concordia, Deo favente, eſt celebratum. Ut igitur lites hujuſmodi ceſſent, & unuſquiſque ſciat, quid retinere, quid ſequi aut facere debeat, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, non ad alicujus petitionis inſtantiam, præſentium tenore decernimus ac declaramus, quod Fratres Minores Clauſtrales, ſive Conventuales nuncupati omnes domos, Conventus & loca habitationum ſuarum, omnia item Monialium Monaſteria Ordinis ſanctæ Claræ, & omnes Congregationes Tertii Ordinis Pœnitentum Regularum beati Franciſci, quæ tenent & poſſident, regunt & gubernant, vel in quibus celebrant, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrant de præſenti, tenere, poſſidere & gubernare, ut præfertur, perpetuo debeant in futuro. Et quod Fratres, de Obſervantia ſive de Familia nuncupati retinere libere & licite poſſint, ac retineant & poſſideant ac gubernent omnes domos, Conventus & loca eorum habitationis, & Monialium Monaſteria, ac domos Congregationum Pœnitentum utriuſque ſexus, Tertii Ordinis beati Franciſci, quæ nunc tenent & poſſident, & in quibus Divina celebrant indulto Sedis Apoſtolicæ, vel auctoritate ſive conſenſu Generalis & Provincialium Miniſtrorum, aut voluntate ipſorum Fratrum Conventualium, vel aliarum quarumcumque Congregationum, qui prius dictas domos vel Monaſteria poſſidebant, etiamſi illa de obedientia Conventualium ſive Clauſtralium prius fuiſſent; ita tamen, quod deinceps nullas domos, nullave loca & Monaſteria Monialium, nullas etiam Congregationes Pœnitentum Tertii Ordinis beati Franciſci dictorum Clauſtralium ſive Conventualium, nec de eorum obedientia, & per eos regi ſolitarum, quovis quæſito colore recipere poſſint. Et nihilominus omnes & ſingulas lites & cauſas ſuper hujuſmodi domibus ſive locis Monaſteriiſque Monialium, & Congregationis Pœnitentum ubicumque conſiſtentium, & coram quibuſcumque judicibus, ac in quacumque inſtantia pendentes ad nos advocantes, pœnitus extinguimus, & perpetuum ſilentium imponimus dictas cauſas proſequentibus, aut ſua quomodolibet intereſſe putantibus. Decernimus inſuper, quod Fratres de Obſervantia, ſive Familia nuncupati ad Clauſtrales, ſive Conventuales, & de eorum obedientia tranſire volentes, non poſſint neque debeant recipi, niſi petita & obtenta licentia Vicarii, ſub quo fuerint; quam licentiam etiam in ſcriptis oſtendere teneantur: Fratres vero Clauſtrales ſive Conventuales, vel de eorum obedientia ab Obſervantibus, ſive de Familia non recipiantur nec recipi debeant, niſi ſaltem petita ſuorum Superiorum licentia, et iam non obtenta. Et inſuper, ut tot Congregationum & denominationum tollatur varietas, omneſque Fratres Ordinis Minorum ad eam integritatem & unitatem, in qua fuerunt tempore Eugenii, Pauli & Sixti prædeceſſorum noſtrorum præfatorum, quorum conſtitutiones, ſtatuta dictorum Fratrum tangentes, tenore præſentium confirmamus, & inviolabiliter obſervari perinde, ac ſi illis numquam derogatum fuiſſet, ab omnibus, ad quos ſpectat, volumus & decernimus, reducantur: omnibus & ſingulis Fratribus Congregationum de Clareno, fratris Amadei, de Coletaneis, & de Caputio, ſive ſancto Evangelio, *& quorumcumque aliorum, quocumque nomine nuncupentur, qui ſub Regula & habitu reliquorum Fratrum dicti Ordinis incedunt, diſtricte præcipiendo mandamus, ut infra terminum unius anni, a data præſentium computandi, Clauſtralibus ſive Conventualibus, aut Obſervantibus ſive de Familia Ordinis antedicti, in ea reformatione, in qua nunc ſunt, adhærere & unire ſe debeant, locaque eorum Conventualibus,*

Jubetur, ut Conventuales retineāt domos ſuas.

Similiter & Obſervantes.

Non poſſint tamen alias a Cōvent. auferre.

Quod non poſſint ad eos tranſire Obſervantes.

Neque Conventuales ad Obſervantes.

Confirmātur ordinationes aliorum Pontificum.

Jubetur omnes Congregat. uniri, vel Conventualibus, vel Obſervantibus.

bus, vel de Obſervantia Fratribus unita eſſe cenſeantur, quibus major & ſanior pars Fratrum illa incolentium una cum ſuo Guardiano ſe unire capitulariter elegerint, & ſe univerint: ita tamen, quod qui Conventualibus ſive Clauſtralibus unientur, reformatam vivendi rationem per omnia retineant, ut prius, & eorum domus & loca per reformatos regantur juxta declarationem felicis recordationis Sixti IV. prædeceſſoris noſtri de Amadeis editam. Quæ omnia & ſingula ab omnibus, ad quos ſpectat ſeu ſpectare poterit quomodolibet in futurum, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ inviolabiliter obſervari volumus & mandamus. Non obſtantibus quibuſcumque litteris Apoſtolicis & indultis, dictis Congregationibus & Ordinibus, aut alicui eorum, ſive illarum auctoribus & inſtitutoribus, ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis fortioribus & inſolitis conceſſis, etiamſi tales eſſent, quod de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio eſſet habenda, quibus motu proprio & ex certa ſcientia derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret has litteras noſtras ad omnia loca deferri, volumus quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſignatis, & alicujus prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus fides in judicio & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes exhibitæ vel oſtenſæ forent. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Junii MDVI. Pontificatus noſtri anno III.

Vide Tom. 14. an. 1482. n. 42.

IX. Etſi vero ita ſerio præceperit Pontifex, ut minores illæ Congregationes Amadeorum, Clarenorum, & aliorum alteri ex duobus dignioribus Inſtitutis Conventualium aut Obſervantum adhærerent, nihilominus diu reſtiterunt: & licet ſæpius ab his fuerint moniti, & juridice requiſiti, ut accederent, nihil ſolidum aut ſtabile circa integram unionem obtineri potuit, donec ad Comitia Generaliſſima univerſorum Franciſcanorum ſub Leone X. perventum eſt.

Series, & numerus Provinciarum & locorum Regularis Obſervantiæ.

X. Quantum autem creverit Regularis Obſervantia, & quam longe lateque per omnes Provincias & Regna ſe diffuderit, ex hac ſubjecta ſerie Provinciarum & Vicariatuum, quam tunc exhiberi juſſit Vicarius Generalis, licet dignoſcere. Ab aliquo Italo compactam conjicere licet, rerum enim Italicarum clariorem, amplioremque adhibuit notitiam: in Ultramontanis diminutam, obſcuramque ſe collegiſſe rerum memoriam oſtendit.

PROVINCIÆ ET VICARIATUS FAMILIÆ CISMONTANÆ.

Vicarius Generalis Ciſmontanus ſub ſuo habebat regimine Provincias viginti quinque, & Cuſtodiam Terræ ſanctæ, Cœnobia ultra ſeptingenta. Sigillo ejus inſculptus erat Chriſtus Dominus Crucem humeris bajulans, & ſanctus Franciſcus ad pedes ejus junctis manibus genuflexus.

PRIMA PROVINCIA S. FRANCISCI IN UMBRIA

Iſtos numerabat Conventus.

1 S. Mariæ Angelorum in planitie ſuburbicaria Aſſiſii, in quo S. Franciſcus ſtabilivit Ordinis primordia, & ipſe ſanctiſſime deceſſit. Illic præter antiquos Ordinis Patres ex Obſervantibus requieſcunt Joan-

Joannes Bonviſius Lucenſis, & Cherubinus Spoletanus.

2 S. Damiani in collis declivio, non longe a prædicta urbe, & via Romana, in quo S. Clara annis quadraginta duobus ſanctiſſimam vitam traduxit. Illic ſepulti ſunt Antonius e Stronconio laicus, miraculis illuſtris, & Savinus de Campello, ſuæ profeſſionis zelator acerrimus.

3 Carcerum in Monte Subaſio, qui Aſſiſio ſupereminet, cujus Eccleſia, procurante S. Franciſco, conſecrata eſt, ibique in ſacello B. Mariæ Magdalenæ jacet Barnabas Interamnenſis.

4 S. Franciſci de Monte apud Peruſium, ubi annis multis habitavit B. Ægidius. Illic requieſcunt præter antiquos Patres, Marcus Bergomenſis, Doctor laureatus antequam ad Ordinem accederet, qui Joannem Capiſtranum Religionis habitu donavit. Benedictus a Camerino, Gabriel de Spoleto, Franciſcus Florentinus, Antonius Tudertinus, Bartholomæus de Yano S. Theologiæ Magiſter, qui per univerſam Italiam cumulatiſſimo fructu prædicavit, & ad Græcos ab Eugenio IV. miſſus, eos ad Concilium Florentinum perduxit. Ludovicus Teutonicus, qui propter inſignes virtutes, *Speculum ſanctitatis, & forma vitæ ſpiritualis* dicebatur, a Franciſco Papienſi in Cœnobio Carcerum prope Aſſiſium viſus in cœlum magna claritate aſcendere. Joannes Peruſinus, de cujus gloria idem Franciſcus certior effectus eſt.

Tom. 5. anno 1291. n. 59.
Tom. 1. an. 1212. n. 43.

5 S. Hieronymi juxtam portam Peruſii.

6 Montis Colognoliæ de Peruſio.

Tom. 1. an. 1215. n. 7.

7 Farneti, ubi aliquandiu moram traxit ſanctus Franciſcus.

8 S. Hieronymi apud Eugubium.

9 S. Joannis prope Civitatem Caſtelli.

10 S. Mariæ de Nivibus apud Burgum S. Sepulchri; ubi jacent tres Fratres laici, undequaque optimi, Chriſtophorus Papienſis, Petrus Peruſinus & Jacobus de Coronis.

11 S. Crucifixi apud Citernam, in quo degebant Fratres Clareni.

12 Bonæ quietis, ſive *Buon-ripoſo*, apud Civitatem Caſtelli, in quo jacet Paulus de Aſſiſio laicus, in omni virtute perfectus, cui cum mors revelata fuiſſet, in dormitorium profectus, valetudinarii præfectum vocavit, ut morienti aſſiſteret, in lectoque compoſitis membris paulo poſt placide animam emiſit.

13 S. Mariæ Pietatis apud Frattam.

14 S. Franciſci in inſula lacus Peruſini.

15 S. Antonii inter Paccianum & Panicalem.

16 S. Bartholomæi apud Cibatolium, ubi S. Franciſcus aliquando commoratus, amygdalum plantavit, & S. Ludovicus Epiſcopus multa miracula patravit. Ex hoc loco colligi poteſt major antiquitas iſtius Conventus, quam alibi retulimus ex Gonzaga. Tom. 5. an. 1291. n. 53.

17 Scarzolæ inter nemora conditus, locus valde devotus & ſolitarius, ubi B. Franciſcus Papienſis miram poteſtatem ſuper dæmonia recepit. Tomo 11. ann 1454. n. 46.

18 Spineti, pietati exercendæ valde opportunus.

19 Montis Sancti juxta Tudertum, quem Martinus IV. Clariſſis conſtruxerat. Illic in cubiculo Confeſſarii B. Jacoponus Tudertinus deceſſit. Demum domus iſta tranſivit ad Minoritas. Tom. 6. an. 1306. n. 9.

20 S. Jacobi apud Tudertum.

21 Pantanellarum.

22 S. Franciſci de Lugnano.

23 Eremitæ apud Porcariam & ſanctum Geminum, cujus Eccleſiam S. Franciſcus conſtrui fecit ad inſtar S. Mariæ Angelorum Aſſiſii.

In

In eo multa conſpiciuntur ejuſdem ſancti Viri veſtigia.

24 S. Joannis Baptiſtæ apud Ameliam.

25 S. Mariæ Annunciatæ ibidem.

26 S. Mariæ de Plano apud Narniam.

27 S. Mariæ de Silva. Ibidem.

28 S. Joannis. Ibidem.

29 S. Hieronymi. Ibidem.

30 S. Franciſci, ſive de ſpecu, apud Caſtrum S. Urbani, ubi S. Franciſcus aquam in vinum convertit, & Petrus Reatinus laicus, vita & ſanctitate clarus requieſcit.

Tom. 1. an. 1213. n. 16.

31 S. Franciſci apud Stronconium.

32 S. Mariæ Gratiarum apud Interamnum.

33 S. Mariæ Aureæ ſive de Oro. Ibidem.

34 S. Leonardi apud Montem.

35 S. Bernardi de Pede-luci.

36 S. Pauli prope mœnia Spoleti, qui prius erat Monaſterium Clariſſarum, ubi Joſephus Eugubinus B. Franciſci Papienſis Confeſſarius, & primus Guardianus dicti Cœnobii requieſcit. Ad ejus imperium in Eccleſia S. Bartholomæi prope Fulgineum Diabolus protinus reliquit mulierem poſſeſſam. Ibidem etiam jacet Demetrius Albanus, Tertii Ordinis profeſſor.

To. 13. an. 1461. n. 13.

37 S. Catarinæ in ſummitate Montis lucii ſupra Spoletum, in quo ſunt multi Eremitæ in diverſis cellulis habitantes, in eoque annis multis commoratus eſt Iſaac Abbas, virtutibus illuſtris. In Cœnobiolo requieſcunt Franciſcus de Beccaria Ticinenſis, Antonius Ariminenſis, & Gregorius Peruſinus, de quorum gloria certior effectus eſt Franciſcus Papienſis ſupradictus.

38 S. Antonii in radice montis prædicti.

39 S. Andreæ de Caſſia Noceriæ.

40 Montis Sancti de Nurſia.

41 S. Mariæ Gratiarum apud Caſſiam.

42 S. Mariæ Annunciatæ apud Nurſiam, ubi Onuphrius de Seggiano Provinciæ Tuſciæ, & præceptor B. Joannis de Capiſtrano, ac Joannes de Valterreno laici, miraculis clari requieſcunt.

43 S. Bartholomæi de Brulliano, in montibus inter Camerinum & Fulgineum, ſitus apud Caſtrum-Floridum & Serravalle, unde ampliſſima Obſervantum familia originem accepit.

44 S. Martini apud Trebium.

45 S. Bartholomæi apud Fulgineum.

46 S. Feliciani. Ibidem.

47 S. Hieronymi apud Hiſpellum.

48 S. Catarinæ. Ibidem.

49 S. Mariæ apud Bevanium.

50 S. Antonii apud Bettonium.

51 S. Antonii de Piſignano.

52 S. Fortunati apud Montem-falcum. Sigillum hujus Provinciæ habet S. Franciſci dextra parvam Crucem ferentis imaginem, & ad latera hos duos characteres S. F.

SECUNDA PROVINCIA ROMANA

Iſtos recenſebat Conventus.

1 S. Mariæ de Aracœli in vertice Capitolii Romani. Habentur illic in veneratione reliquiæ B. Juniperi. Ibidem requieſcunt Nicolaus Auximanus, Baptiſta Talliacarne de Levanto, bis officio Vicarii Generalis perfunctus, Gabriel Veronenſis Cardinalis, B. Joannis de Capiſtrano ſocius, Nicolaus de Orbellis, Antonius de Monte-Falcone, Dominicus de Ponzo, inſignis prædicator, Ludovicus de Turre Veronenſis, olim Vicarius Generalis, & alii viri clariſſimi.

Vide Tom. 3. an. 1451. n. 56.

2 S. Fran-

2 S. Franciſci Trans-Tyberim.
3 S. Hieronymi prope Campum-Florum, ubi habitant Clareni.
4 S. Petri in Monte aureo, ubi S. Petrus fuit ordine inverſo crucifixus.
5 S. Mariæ de Campaniano, in quo requieſcit Stephanus de Civitate Caſtellana laicus, virtutibus & ſanctitate inſignis.
6 S. Jacobi apud Sutrium.
7 S. Mariæ Paradiſi apud Viterbium.
8 S. Jacobi in inſula lacus Vulſini.
9 S. Trinitatis apud Urbem veterem, ubi jacet Antonius Vercellenſis, qui diu maximo fructu, & urbis a ſe non ſemel pacificatæ ingenti beneficio in ea prædicavit Civitate, & honorifico conditus eſt ſepulcro.
10 S. Franciſci apud Pitilianum.
11 S. Petri apud Scanzanum.
12 S. Franciſci apud Cornetum.
13 S. Mariæ Majoris in Urbe Tiburtina.
14 S. Franciſci apud Palumbariam.
15 S. Antonii de Padua apud Rupem antiquam.
16 S. Pauli apud Podium nativum.
17 S. Antonii apud urbem Reatinam.
18 S. Franciſci de Fonte Palumbi, diſtans a prædicta urbe per M. P. in cacumine montis, ubi S. Franciſcus Regulam accepit. *Tom. 1. an. 1217. n. 19.*
19 S. Franciſci apud Grætium in Valle Reatina, ubi multa operatus eſt Vir ſanctus mirabilia, ibique requieſcit fr. Antonius laicus de Burgo Reatino, qui mirabiliter Fratribus multa nive circumdatis, panem miniſtravit. *Tom. 1. an. 1217. nu. 12. ſeq.*
20 S. Franciſci apud Podium Buſconis, in eadem valle, ubi Vir ſanctus ſuorum peccatorum a Domino remiſſionem impetravit. *Vide Tom. 1. an. 1209. n. 21.*
21 S. Mariæ de Nemore ſive de Foreſta in eadem inſuper valle, a Reatinis ob inſigne miraculum a S. Franciſco perpetratum extructum. Templum conſecravit Gregorius IX. *Vide Tom. 1. an. 1217. n. 18.*
22 S. Bernardini apud Ortam.
23 S. Suſannæ apud........
24 S. Martini apud Verulas.
25 S. Franciſci extra oppidum Sublacenſe.
26 S. Laurentii in ſummitate urbis Veliternæ.
27 S. Franciſci apud Caninum.
28 S. Franciſci apud Nazanum.
29 S. Franciſci apud Civitellam.
30 S. Angeli apud Vallem Montonis.
31 S. Franciſci apud urbem Præneſtinam.
32 S. Franciſci extra urbem Corenſem.
33 S. Mariæ apud Palatiolum.
34 S. Franciſci apud Sermonetam.

Hujus Provinciæ ſigillum exprimit Papam dantem S. Franciſco crucem in monticulo.

TERTIA PROVINCIA MARCHIÆ

Iſtos habebat Conventus.

1 S. Mariæ Annunciatæ in Civitate Aſculana, in quo ſepulti ſunt Paulus Francigena, & Petrus Florentinus, qui poſtquam annis quinque in ſepultura jacuit, ſanguinem recentem e tibia læſa copioſe emiſit; necnon Lucas Aſculanus, vir miræ puritatis & innocentiæ. Suis precibus Dom. Maximinæ Algeani de Meleto ſterili filiam impetravit, & dæmones e variis obſeſſis ejecit. Huc tranſlata ſunt oſſa multorum piorum virorum, qui ſepulti erant in alio antiqniori cœnobio S. Nicolai extra mœnia a Fratribus derelicto propter aeris intemperiem, quæ, comitante Clero cum Epiſcopo, in decenti loco

loco prope Altare majus reverenter ſunt collocata.

2 S. Sabini prope Aſculum.

3 S. Franciſci in urbe Camerini, ubi requieſcunt Joan. Parmenſis & Petrus de Molliano, viri optimi; & in Eccleſia ſancti Petri extra urbis portam intra fortalitium, ubi olim erat Obſervantum cœnobium, ſepulti ſunt Bernardus & Petrus Fabrianenſes, ac Petrus de Calderola, quorum memoria in benedictione eſt.

4 Montis Sancti, ſeu Montis Agnani extra Camerinum, in quo fr.Julianus Fabrianen. requieſcit.

5 S. Severini, in quo miraculis claret Petrus a S. Severino, vir miræ pœnitentiæ, egregius juvenum inſtructor, quorum plurimi fuerunt præſtantiſſimi, Divinis viſionibus aſſuetus, necnon Santes Fabrianenſis, qui annis quinquaginta & ultra in Religione ſanctiſſime converſatus eſt, & fr. Hieronymus Callienſis.

6 S. Crucis apud Maceratam, ubi requieſcit Jacobus de Scanzano Provinciæ Romanæ, ſui Inſtituti per annos ſeptuaginta tres perfectiſſimus obſervator. Genibus flexis, junctis manibus, oculis in cœlum erectis, inventus eſt in cubiculo defunctus; & Nicolaus Maceratenſis, laicus, Divino monitu ad Religionem allectus, in qua ſanctiſſime perſeveravit in pœnitentia, & vitæ auſteritate admirabili, cui montanis nivibus obſito, juvenis pulcherrimus panem attulit, & protinus diſparuit.

7 Annunciationis ſanctæ Mariæ, apud Fabrianum, ubi requieſcit Raynaldus Fabrianenſis.

8 Eremitæ ſeu ſanctæ Mariæ in valle ſaxea ſupra Fabrianum, in quo ſepulti ſunt Franciſcus Fabrianenſis, ſocius Pauli Fulginatis, primus Vicarius Obſervantum Provinciæ Marchiæ, & Antonius Purus, ita a ſumma puritate nominatus. Raynaldus Fabrianenſis hic ſanctiſſime vixit, ſed morti appropinquans ductus eſt ad Conventum Fabriani, ubi, uti nunc dictum eſt, deceſſit.

9 S. Joannis de Maſſaccio.

10 S. Mariæ de Pace, de Saxoferrato.

11 S. Jacobi apud Cingulum, ubi requieſcit Franciſcus de Caldarola, miraculis illuſtris.

12 S. Georgii in Monte Rubeo.

13 S. Mariæ Annunciatæ apud Foriſempronium, ubi jacent ...... Foriſempronienſis, & Paulutius laicus, qui etſi maxime idoneus eſſet ſacerdotio, voluit in ſtatu humili Deo ferventer inſervire.

14 S. Donati, ſeu ſancti Bernardini extra Urbinum, in quo requieſcunt Petrus Camers, laicus, Donatus Urbinas provinciæ Vicarius, Jacobus Mediolanenſis, Gaſpar Urbinas, gratia ſanitatum admirabilis, & Antonius de Monte Milone laicus, miraculis famoſus.

15 S. Joan. Baptiſtæ apud Caſtrum Durantis.

16 S. Franciſci de Monte Florentino.

17 S. Mariæ de Monte Baroccio, alias Scotoneti.

18 S. Joannis Baptiſtæ apud Piſaurum, ubi requieſcit Anaſtaſius Mediolanenſis laicus, miraculis illuſtris.

19 S. Mariæ Novæ apud Fanum, ubi requieſcit Joannes laicus de Traculia, Provinciæ Calabriæ, defunctus tamen in Conventu veteri S. Mariæ de Metro, quem Fratres propter noxium aerem deſeruerunt.

20 S. Mariæ gratiarum apud Senogalliam, ubi requieſcit Ambroſius a Ripa Tranſona, vita & miraculis illuſtris.

21 S. Franciſci apud Caſtrum Milonis, ubi requieſcit Jacobus laicus Tudertinus, provinciæ S. Franciſci.

22 S. Marci apud Æſium.
23 S. Mariæ Annunciatæ apud Auximum.
24 S. Franciſci ad Altum Anconæ, ubi miraculis claret Gabriel Anconitanus, & jacet Stephanus ab eadem etiam urbe cognominatus, qui mortem maluit ſubire, quam caſtitatem amittere.
25 S. Franciſci apud Sirolum in Monte Anconæ.
26 S. Mariæ de Varano apud Recinetum.
27 S. Franciſci apud Murum, ubi Gerardus Florentinus laicus, & Georgius Albanenſis requieſcunt.
28 S. Mariæ de Jeſu apud S. Lupidium.
29 ...... apud Ceſſa Palumbas.
30 S. Franciſci apud Maſſam.
31 S. Joan. de Saxo apud Montem-Falconem.
32 S. Franciſci apud Foranum, ubi Franciſcus de Caſtro Milio....
33 S. Mariæ Annunciatæ apud urbem Firmanam, ubi Ambroſius Lombardus, inſigni flagrans caritate, pro Fratribus ſuis epidemia infectis animam poſuit, juſſus a Superiore illis inſervire; & Nicolaus Firmanus, vir perpetui ſilentii, miræ auſteritatis, & continuæ orationis, a qua multis modis & moleſtis artibus eum deturbare ſæpe conatus eſt humani generis inimicus.
34 S. Mariæ Magdalenæ apud Ripam Tranſonam.
35 S. Mariæ gratiarum apud Montem Prandonis, ubi diu vixit B. Jacobus de Marchia.

Sigillum hujus Provinciæ habet imaginem beatæ Mariæ Virginis cum filio in ulnis, inſidentis ædi ſacræ Lauretanæ, & inferius effigiem S. Franciſci genuflexi, manus habentis conjunctas.

QUARTA PROVINCIA TUSCIÆ

Iſtos habet Conventus.

1 Sacri Montis Alvernæ Conventum, in quo S. Franciſcus recepit ſacra ſtigmata, & requieſcunt Laurentius Fabrianenſis, qui & Zachæus, diſcipulus Pauli Fulginatis, Obſervantum Inſtitutoris, qui annis quadraginta continuis in hoc monte in ſumma vitæ auſteritate converſatus eſt, & anno centeſimo decimo ætatis ibidem ſanctiſſime deceſſit. Bernardus de Mandello Lombardus, Marianus de Luco laici, & alii viri præſtantiſſimi.
2 S. Laurentii in oppido Bibiennæ.
3 S. Franciſci de Monte Carulo in valle Arni.
4 S. Salvatoris juxta mœnia Florentiæ, ubi ſepulti ſunt Nicolaus de Uxano, Hieronymus de Stupha, Bernardus Scarlatus, Cherubinus de Capponibus, Angelus de Bonſis, quorum duo poſtremi erant Clerici. Ægidius, Balthaſar, Gaſpar Florentini, laici. Andreas de Colle ſacerdos, vir utique ſanctus & annoſus, paupertate extrema, promptiſſima obedientia, & caſtitate illibata decorus. Fuit primus Guardianus Montis Alvernæ, poſtqnam translatus eſt ad Obſervantes. Joannes Franciſcus de Caſali Provinciæ Januæ, qui poſtquam annis 30. vixit inter Canonicos Regulares, Obſervantibus Minoritis adnumerari voluit in Conventu Feſulano, atque inter illos converſatus annis viginti, ſanctiſſime iſtic deceſſit.
5 S. Mariæ de Flore, & S. Franciſci de Feſulis prope Florentiam, Conventus valde religioſus, devotus, & primus, qui in Provincia Tuſciæ in poteſtatem Obſer-

van-

vantum pervenit. Illic requieſcunt Fr. Sebaſtianus Clericus, propter fidem caſtitatis interfectus. Petrus Paulus Florentinus, vir Deo devotus, & Clemens de Capponibus nobili natus familia, qui licet eſſet vir doctus, elegit in ſtatu humili laicorum Deo inſervire in arctiſſima paupertate, & ſumma erga omnes caritate. Neglectis parentibus, quos numquam, neque Fratres germanos inviſebat, totum ſe orationi & contemplationi dedicavit, & tamdem virtutibus illuſtris ſanctiſſime in ſenectute bona requievit.

6 S. Michaelis de Duccia in monte prope Feſulas.

7 S. Franciſci apud ſanctum Caſſianum.

8 S. Franciſci de Nemore in Mugello, ubi ſanctus Bonaventura Cardinalatus inſigne ſuſcepit; ibique jacet frater Meus ſacerdos Florentinus, puritate, ſimplicitate, paupertate, orationis ſtudio inſignis, qui ad innocentiæ ſtatum reductus videbatur, ita ut aviculæ & animalia quæque ferocia ei abſque ullo timore colluderent.

9 S. Franciſci de Palco apud Pratum, ubi jacet Leonardus Gheſius Pratenſis, vir pius, manſuetus, juſtus, & devotus, qui poſt Matutinum uſque ad auroram ſemper orabat in ſacello ſancti Euſtachii, qui ei frequenter apparuit. Virtutibus & ſanctis operibus plenus obdormivit in Domino, anno ætatis nonageſimo quarto.

10 S. Franciſci in monte Lunenſe, alias Ciacherini, apud Piſtorium, ubi requieſcunt Alexander Veronenſis, & Georgius Græcus laicus.

11 S. Ludovici Epiſcopi alias Collis-Vitulæ apud Piſciam, ubi ſepulti ſunt Vincentius Burgundus Guardianus de Orvien, Thomas Lucenſis, & Franciſcus Bargenſis ſacerdotes, Jacobus Feſulanus, Joannes Sardus, Julianus de Barga, Auguſtinus de Salaria laici, Stephanus de Luca Novitius, de quorum ſingulis multa recenſentur pietatis argumenta.

12 S. Franciſci apud Caſtrum novum de Carferoniana, ubi jacet Herculanus de Piagale, & Jacobus Papienſis laicus.

13 S. Franciſci apud Fivizanum.

14 S. Franciſci apud Villam-francam.

15 S. Franciſci apud Serezanam.

16 S. Franciſci apud Spediam.

17 S. Franciſci apud Maſſam Marchionis.

18 S. Mariæ Gratiarum apud Petram ſanctam.

19 S. Mariæ Magdalenæ, & ſancti Franciſci in Civitate Lucana.

20 S. Cerbonii apud Lucam, ubi jacet Chriſtophorus Crivellus Mediolanenſis, laicus.

21 S. Crucis apud Piſas, ubi Antonius de S. Joanne requieſcit.

22 S. Mariæ de Angelis, & S. Franciſci apud Emporium, ubi Bartholomæus de Anglario ſepultus eſt.

23 S. Mariæ & ſancti Franciſci Nemoris rotundi, alias ſancti Vivaldi, in loco devoto & amœno conſtructus, ad inſtar Sepulcri Domini in Jeruſalem, cum variis ſacellis & ædiculis in ſimilitudinem locorum ſacrorum, quæ extructa ſunt in ſacro Monte Sion, & Monte Oliveti; etenim colles & valles hujus loci valde ſimiles ſunt illis Hieroſolymitanis.

24 S. Hieronymi apud Vulterras.

25 S. Franciſci apud Podium Bonitium, ubi requieſcunt beatus Lucheſius, Franciſcus de Plebe ſancti Stephani, & Melchior de Cortonia laicus.

26 S. Bernardini, alias *Capriolæ* apud Senas, in quo ſepulti ſunt Vincentius Senenſis, ſocius ſancti Bernardini, Ludovicus Senenſis Vicarius Provinciæ, Paulus Teutonicus, & Petruccius de Senis ſocius etiam ſancti Bernardini, ve-

verus ipſius imitator, qui in Religione annis ſeptuaginta quinque ſanctiſſime vixit.

27 S. Franciſci apud Radicondolum.

28 S. Bernardini Vetrete apud Maſſam Maritimæ, in qua natus eſt & educatus uſque ad annum undecimum ſuæ ætatis ſanctus Bernardinus Senenſis.

29 S. Franciſci apud Scarlinum. Locus eſt valde devotus & ſolitarius, in delitiis habitus a B. Thoma Florentino, in quo etiam aliquot ejus diſcipuli requieſcunt, Lanceslaus Hungarus regio procreatus ſanguine, Polidorus Romanus laicus, vir nobilis, Gaſpar Florentinus, Antonius Senenſis laicus, Michael laicus de Maſſa Maritimæ, admirabilis prædicti Thomæ ſectator, qui ſenio confectus, ſanctiſſime obdormivit in Domino, & Fr. Marcus Maſſainus ſacerdos Senenſis, omni virtutum genere & ſanctitate refulgens, prophetiæ dono illuſtris, hic per omnem ferme vitam commoratus.

30 S. Mariæ Montis Caroli apud Craſſetum.

31 S. Benedicti de Nave, nemoribus & ſilvis circumſeptus, devotus & ſolitarius, ubi requieſcit Andreas de Craſſeto laicus, Deo & hominibus dilectus, obedientiæ exemplar, ſpeculum honeſtatis, humilitatis & caritatis magiſter, in oratione ferventiſſimus & immobilis. Multis annis in hoc loco vixit, obiitque in vigilia ſancti Laurentii, viſa ante obitum ſacratiſſima Virgine Maria.

32 S. Mariæ Annunciatæ, & S. Franciſci, alias Columbarii, apud Seggianum. Hic S. Bernardinus initiatus eſt, primum ſacrum celebravit, & primam habuit concionem ad populum.

33 S. Trinitatis apud S. Floram.

34 S. Proceſſi, licet nunc Fratrum cœtum non habeat; tamen quia fuit de primis locis Obſervantum in Provincia Tuſciæ, & quia in ipſo deceſſit Angelus de Monte-Leone, ſocius B. Pauli de Fulgineo, quia inſtitutum hoc primus vel præcipuus in Tuſciam introduxit, proinde inter reliquos Conventus numeratur.

35 S. Mariæ Paradiſi apud Montem Ilcinum.

36 S. Mariæ apud Aſinam longam.

37 S. Franciſci apud Floranum.

38 S. Mariæ de Fonte Caſtelli apud Montem Politianum.

39 Franciſci de Sartiano.

40 S. Franciſci apud Cetonium, ubi requieſcunt Petrus de Travanda, & Petrus Francigena laicus.

41 S. Mariæ de Belviridis Eremitorium quinque Fratrum apud Cetonium.

42 S. Hieronymi apud Caſtrum plebis.

43 S. Baſilii, ſive B. Margaritæ intra Civitatem Cortonenſem, ubi Jacobus de Cortonio ſepultus eſt.

44 S. Chriſtophori apud Caſtilionem Aretinum, ubi Franciſcus de Caſtro Durantis, Franciſcus Laudenſis, Franciſcus de Herbalio laicus requieſcunt.

45 S. Mariæ de Sergiano extra Aretium, ubi Angelus de Civitella Aretii, & Joannes Riccius de Florentia, uterque laicus, & Provinciæ Tuſciæ Vicarius.

46 S. Joannis infra mœnia Aretii.

Sigillum hujus Provinciæ exprimit S. Franciſcum ſtigmata recipientem, & ſocium ad pedes genuflexum.

QUIN-

QVINTA PROVINCIA BONONIÆ

Iſtos recenſebat Conventus.

1 S. Pauli in Monte extra Bononiam qui fuit primus locus Obſervantiæ hujus Provinciæ, ubi requieſcunt Jacobus Primatitius Bononienſis, olim Vicarius Generalis Obſervantum, vir doctrina & religione clarus, miraculis illuſtris, & Joannes Pratenſis Provinciæ Tuſciæ celeberrimus Prædicator, & virtutibus inſignis.

2 S. Mariæ Annunciatæ prope Bononiam.

3 S. Spiritus apud Ferrariam, qui cum extra urbem eſſet, dirutus eſt, cum Julius II. Ferrariam obſedit, & translatus eſt intra Civitatem.

4 S. Franciſci apud Centum.

5 S. Franciſci apud Mirandulam, ubi requieſcunt Raphael Teutonicus & Gabriel Mediolanenſis, qui in vita & poſt mortem multis fulſerunt virtutibus & miraculis.

6 S. Nicolai apud Carpum, ubi Stephanus Gallus pius Sacerdos, ad cujus ſepulcrum multæ appenſæ ſunt tabellæ votivæ & donaria.

7 S. Cæciliæ apud Mutinam.

8 S. Mariæ Gratiarum apud Ariminum.

9 S. Mariæ Annuntiatæ apud Cœſenam.

10 S. Hieronymi intra Forolivium.

11 S. Hieronymi apud Faventiam, ubi diu habitavit Matthæus Faventinus, vir pius, ferventiſſimus & fructuoſus prædicator.

12 S. Mariæ apud Imolam.

13 S. Mariæ apud Cotiniolam, ubi jacet Antonius Ferrarienſis, miraculis illuſtris.

14 S. Apollinaris apud Ravennam.

15 S. Spiritus apud Regium.

16 S. Mariæ Annuntiatæ apud Parmam.

17 S. Mariæ apud Caſtrum Arcuatum.

18 S. Mariæ Nazareth, apud Placentiam, ubi ſepultus eſt Marcus Bononienſis tertium Vicarius Generalis Obſervantum, miraculis clarus.

19 S. Franciſci apud Bobium.

20 S. Mariæ Gratiarum apud Buſſetum.

21 S. Angeli apud Cremonam, ubi requieſcunt Damianus prædicator, & Joannes Rubeus laicus Cremonenſes, qui multa patrarunt miracula.

22 S. Franciſci apud Vitellianum.

23 S. Franciſci apud Caſtrum Liurum.

24 S. Bernardini apud Burgum novum.

Sigillum hujus Provinciæ habet imaginem S. Mariæ pietatis, & Minoritæ coram genuflexi.

SEXTA PROVINCIA S. ANTONII

Iſtos numerabat Conventus.

1 S. Franciſci Vineæ Venetiis.

2 SS. Job & Bernardini. Ibid.

3 S. Franciſci de Stigmatibus, alias de Deſerto.

4 S. Franciſci de Chioza.

5 S. Franciſci apud Utinam.

6 S. Georgii de Civitate Auſtriæ.

7 S. Agnetis Portus Gruarii.

8 S. Spiritus Montis Feltri.

9 S. Mariæ de Jeſu apud Tarviſium.

10 S. Franciſci in urbe Patavina.

11 S. Aliminari, apud......

12 S. Joannis alias campi ſancti Petri,

tri, ubi ſanctus Antonius Patavinus infirmatus eſt ad mortem.
13 S. Crucis Citadellæ, ſive Civitatulæ.
14 S. Mariæ Gratiarum apud Glæmonam.
15 S. Blaſii apud Vincentiam, ubi miraculis coruſcat Marcus de ſancta Maria in Gallo Provinciæ Marchiæ.
16 S. Franciſci apud Soledum.
17 S. Danielis apud Leoniſium.
18 S. Mariæ de Gratiis apud Azignanum.
19 S. Sebaſtiani apud Maroſticam.
20 S. Bernardini alias le Caroie, apud Veronam.
21 S. Franciſci Arcæ ruptæ.
22 S. Mariæ Gratiarum Inſulæ.
23 S. Spiritus ad Arcum.
24 S. Mariæ vallis Agni.
25 S. Petri in Viminario.
26 S. Bernardini apud Tridentum. In quo jacet Bartholomæus Tridentinus, clarus miraculis.
27 S. Franciſci in urbe Mantuana, ubi ex antiquis Fratribus jacet in ſepulcro marmoreo Benvendeus: ex Obſervantibus veio SixtusMediolanenſis, & Seraphinns Martinellus.
28 S. Spiritus. Ibidem.
29 S. Mariæ Gratiarum prope Mantuam.
30 S. Ludovici de Riperio.
31 S. Mariæ Plebis.
32 S. Mariæ Ateſtæ.
33 S. Mariæ apud Montagnanam.
34 S. Mariæ apud Coneglianum.

Sigillum hujus Provinciæ habet imaginem beatæ Virginis puerulum ſiniſtra tenentis, & in parte inferiori ſanctum Franciſcnm Stigmata recipientem.

SEPTIMA PROVINCIA JANUÆ

Iſtos enumerabat Conventus.

1 S. Jacobi apud Papiam, ubi requieſcit Bernardinus Feltrenſis,& locum inchoavit ſanctus Bernardinus Senenſis.
2 S. Mariæ de Campo apud Binaſcum, ubi requieſcit Balthaſar a Clavario ſanctitate vitæ ſpectabilis.
3 S. Mariæ de Gratiis apud Claſtigium.
4 S. Franciſci in ripa Nazani.
5 S. Franciſci apud Novas.
6 S. Mariæ apud Vogheram.
7 S. Bernardini apud Sale.
8 S. Bernardini apud Alexandriam Statiellorum, ſive della Paglia.
9 S. Bernardini apud Aſtem.
10 S. Mariæ de Gratiis apud Montem Barutium.
11 S. Franciſci de Aquis, ubi jacet Petrus de Neapoli, olim Vicarius Generalis Obſervantum.
12 S. Mariæ de Gratiis apud ſanctum Mauritium.
13 S. Mariæ de Angelis apud Caſalem, ubi requieſcunt Joanninus de Tortona, Franciſcus de Sonzino & Jacobus de S. Salvatore, egregii Prædicatores, ſcientia & pietate illuſtres.
14 S. Mariæ apud Creſcentinum.
15 Sancti Bernardini apud Clavaſium.
16 S. Mariæ de Gratiis apud Taurinum, ubi requieſcit Franciſcus de Placentia ſenior, laicus.
17 S. Matiæ de Angelis apud Cherum.
18 S. Mariæ de Angelis apud Pinarolum.
19 S. Bernardini apud Salutias.
20 S. Mariæ apud Buſcam.
21 S. Franciſci apud Savianum.
22 S. Antonii de Cuneo, ubi jacet Angelus de Clavaſio, repetitis vicibus Vicarius Generalis Obſervantum.
23 S. Mariæ de Angelis. ibidem.

24 S. Ma-

24 S. Mariæ de Angelis apud Montem Regalem.
25 S. Franciſci de Cherio.
26 S. Mariæ de Monte, prope Januam, habetur in magna veneratione apud Januenſem.
27 S. Mariæ Annunciatæ intra urbem Januenſem, ubi requieſcunt Pacificus Novarienſis, ſed caput ejus Soranæ conſervatur, & Pacificus de Azarano, cujus caput in patriam translatum. Uterque erat famoſus. Prædicator Provinciæ Mediolanenſis.
28 S. Franciſci de Clavaro.
29 S. Mariæ de Monelia.
30 S. Mariæ Annunciatæ apud Levantum.
31 S. Mariæ Gratiarum de Vulturio.
32 S. Jacobi apud Savonam.
33 S. Bernardini. de Albenga.
34 S. Mariæ de Araſio.
35 S. Mariæ Annunciatæ in Portu ſancti Mauritii.
36 S. Mariæ apud ſanctum Romulum.
37 S. Mariæ de Vintimilio.
38 S. Franciſci de Suſpitello.
39 S. Mariæ apud Rechum.
40 S. Mariæ in Pedemonte apud Ceraſium.
41 S. Mariæ apud Poſinum.
42 S. Mariæ de Vigono.
43 S. Mariæ de Carmaniola.
44 S. Mariæ de Gratiis apud Villam-novam.
45 S. Mariæ apud Baſſinianum.
46 S. Mariæ de Angelis apud Tortonam.
47 S. Bernardini apud Triolinum.
48 S. Mariæ Belgioſi.
49 S. Mariæ Gratiarum apud Adurnum.
50 S. Mariæ de Angelis apud Claſtilium.
51 S. Bernardini apud Albam.
52 S. Mariæ Annunciatæ apud Foſſanum.
53 S. Bernardini de Bene.
54 S. Franciſci de Scio, in inſula ſcilicet Scienſi prope Conſtantinopolim, ſubjecta Januenſibus.

Sigillum hujus Provinciæ habet imaginem ſancti Franciſci coram Templo Stigmata recipientis, ducta circumcirca chorda, ſeu fune nodoſo, & in parte inferiori inciſi ſunt hi characteres. V. P. I.

OCTAVA PROVINCIA MEDIOLANI

Habet ſequentes Conventus.

1 S. Mariæ de Angelis apud Mediolanum, ubi requieſcunt vir ille inſignis virtute & doctrina Albertus Sartianenſis, illique ſimimilis Antonius de Arzeno, necnon Chriſtophorus de Modoetia, omni virtute & ſanctitate ornatus, & Seraphinus Caſtilioneus vir doctiſſimus, angelicæ puritatis & converſationis, miraculis clarus, qui jacet in Sacello ſancti Bernardini. In ſacello vero ſancti Antonii jacet Beatrix Comitiſſa de Ruſconibus Tertii Ordinis, inſigni erga pauperes caritate, vitæ ſanctimonia & miraculis illuſtris.

2 S. Crucis apud urbem Comenſem, ubi requieſcit Vincentius de Comite, virtute decorus, ſuper cujus tumulum, multis inſpectantibus, roſa vernans tempore hyemali mirabiliter apparuit.

3 S. Nazarii apud Novariam.

4 S. Mariæ apud Vercellas, ubi Antonius de Cremona inſignis Prædicator requieſcit.

5 S. Joannis de Lauda, ubi ſepultus eſt Michael de Arcagnano Mediolanenſis, vere Apoſtolicus Prædicator, qui auditores mira virtute ad planctum, & pœnitentiam flectebat: necnon Antonius

a Lauda, vitæ ſanctitate præclarus.
6 S. Maria de Gratiis apud Viglevanum.
7 S. Bernardini apud Yporegiam.
8 S. Mariæ Gratiarum apud ſanctum Georgium.
9 S. Mariæ Gratiarum apud Belinzonam.
10 S. Bernardini apud Mortariam.
11 S. Mariæ de Angelis apud Lignanum.
12 S. Mariæ Gratiarum apud Varallum.
13 S. Mariæ Miſericordiæ apud Melignanum.
14 S. Mariæ Annunciatæ apud Sonzinum.
15 Sancti Bernardini apud Caravagium.
16 S. Mariæ Annunciatæ apud Trivillium.
17 S. Mariæ Angelorum apud ſanctam Agatham.
18 S. Mariæ de Gratiis apud Modoetiam.
19 S. Mariæ Miſericordiæ apud Coeram.
20 S. Jacobi apud Leucum.
21 S. Mariæ Angelorum apud Luganum.
22 S. Mariæ Annunciatæ apud Variſium, in quo requieſcit Paulus de Brixia, egregius Prædicator.
23 S. Mariæ de Gratiis in Campeſtribus.
24 S. Angeli Herbæ.
25 S. Mariæ Annunciatæ apud Abbiatem.
26 S. Mariæ Gratiarum apud Malettum.
27 Oratorium, ſeu Eremitorium Montis Barri.
28 Oratorium, ſeu locus Sepulcri apud Varallum.
Sigillum habet effigiem beatæ Virginis Mariæ in cœlum aſſumptæ, circulo Seraphinorum adornatæ.

NONA PROVINCIA TERRÆ LABORIS, alias LEPORIS;

Cui iſti ſuberant Conventus.

1 S. Franciſci urbis Fundanæ.
2 SS. Franciſci, & Ludovici Caetæ.
3 Sanctæ Agathæ in cuſpide Montis Caetæ.
4 Sancti Franciſci apud Trajectum.
5 S. Franciſci de Seſſa.
6 S. Franciſci apud Carinulam.
7 S. Mariæ Annunciatæ apud Rupem Montis-Dragonis, ubi requieſcit Paulus de Sicilia.
8 S. Antonii de Padua apud Tianum.
9 S. Mariæ de Lateribus ad Rupem Monſinam.
10 S. Franciſci de Prata.
11 S. Mariæ de Gratiis apud Aliffam.
12 Viſitationis beatæ Mariæ Virginis apud Cajazzam.
13 S. Catarinæ apud Capuam, ubi requieſcit Leo Capuanus.
14 S. Mariæ Magdalenæ apud Averſam.
15 S. Joannis Baptiſtæ apud Puteolos.
16 S. Mariæ Novæ Neapolis, ubi honorifice conditus eſt beatus Jacobus Picenus, ibique jacent Jacobi ſocius Venantius a Fabriano, & Franciſcus Francigena laici, pietate conſpicui.
17 S. Crucis ibidem, ubi pulchro marmoreo tumulo jacet ſoror Clara Majoricenſis, olim Sancia Regina, Regis Roberti conjux, quæ Monaſterium iſtud & aliud inſigne pro Clariſſis extruxit.
18 S. Trinitatis ibidem, ubi requieſcit Bernardinus Peruſinus, qui Puteolis mortuus, propter famam ſanctitatis, & ingentem populi concurſum, juſſus eſt Regia auctoritate Neapolim aſportari, & hoc loco ſepeliri.
19 S. Franciſci de Caſtro Maris.

20 S. Fran-

20 S. Franciſci apud Sorientum.
21 S. Salvatoris de Cuſpide, in cuſpide Montis.
22 S. Franciſci de Majore.
23 S. Mariæ de Angelis inter Montes.
24 S. Nicolai apud Salernum.
25 S. Viti apud Marilianum.
26 S. Angeli apud Nolam, ubi requieſcit Raynaldus ab Orſaria laicus, vir miræ caritatis, & ſimplicitatis columbinæ.
27 S. Mariæ de puteo prope Sommam.
28 S. Joannis Evangeliſtæ apud Lauram, ubi jacet Petrus de Anterula, Vicarius Provinciæ, vir pietate illuſtris.
29 S. Trinitatis apud ſanctum Severinum, ubi requieſcunt Paulus de Levano laicus, qui Superiorum aſſenſu per villas & caſtra indefeſſe prædicabat fructu admirabili,& gloria miraculorum; & Bernardus de Capaccio, vir ſanctus, prophetiæ dono illuſtris. Uterque in eodem loculo jacet incorruptus.
30 S. Franciſci apud Cavam.
31. S. Franciſci apud Arianum.
32 S. Laurentii apud Beneventum.
33 S. Mariæ Pietatis, & ſancti Franciſci apud Montem-ſarculum.
34 S. Mariæ apud Arpajam.
35 S. Trinitatis de Ebulo.
36 S. Mariæ de Paradiſo apud Olivetum.
37 S. Mariæ de Aviliano in Campania.
38 S. Mauri apud Pulanum.
39 S. Mariæ de Gratiis de Bovino.
40 S. Mariæ de Padula, ſive Paludii.
41 S. Mariæ Pietatis apud Dianum, ubi ſepultus eſt Antonius de ſancto Angelo Falſanella, vir miræ perfectionis & ſanctitatis.
42 S. Joannis Baptiſtæ de Johia.
43 S. Franciſci apud Cilentum.
44 S. Franciſci de Altavilla.
45 S. Franciſci de Caſtellutia.

Sigillum hujus Provinciæ habet inſculptam imaginem ſancti Franciſci, crucem ſiniſtra geſtantis, ſtellis undique circumdati.

DECIMA PROVINCIA CALABRIÆ

Habet Conventus infraſcriptos.

1 S. Franciſci apud urbem Coſentinam, ubi requieſcit Joannes de Caſtro-Vineto Diaconus, vir ſanctitate præclarus.
2 S. Mariæ Annunciatæ apud Rhegium.
3 S. Mariæ de Angelis apud Seminariam.
4 S. Franciſci apud Terram novam.
5 S. Philippi apud quinque hirundines.
6 S. Mariæ de Gratiis apud Nicoterum, ubi Paulus de Sinopolis egregius concionator, vir bonus, purus & ſimplex, ignitæ caritatis, miraculis clarus requieſcit.
7 S. Sergii apud Tropiam.
8 S. Antonii de Padua apud Squillaccium.
9 S. Franciſci apud Neocaſtrum.
10 S. Mariæ de Gratiis apud Catanzarum,
11 S. Mariæ apud Menſuracam, ubi Franciſcus de Cropina.
12 S. Mariæ de Philicaſtro.
13 S. Franciſci de Ciriaco.
14 S. Bernardini apud Roſſianum.
15 S. Bernardini de Biſignano.
16 S. Bernardini apud Muranum.
17 S. Mariæ de Gratiis apud Citranum.
18 S. Mariæ Annunciatæ apud ſanctum Lucidum.
19 S. Franciſci de Flumine frigido.
20 S. Bernardini apud Materam.
21 S. Mariæ de Gratiis apud Agellum.
22 S. Petri de Stiliano.

23 S. Mariæ Annunciatæ apud Dipinianum.
24 S. Bartholomæi in inſula Liparis, ubi requieſcit Lucianus de ſancto Mauro miraculis clarus.
25 S. . . . . . apud Cotronam.
26 S. Mariæ Annunciatæ apud Tropeam.
27 S. Mariæ de Jeſu apud Boſalinum.
28 S. Franciſci . . . apud Sinopolim.
29 . . . . . apud Soritum.
30 S. Mariæ de Jeſu apud Montem Leonis.
31 S. . . . . apud Caſam Novam.
32 S. . . . . apud . . . . .
33 S. . . . . apud . . . . .
34 S. . . . . apud . . . . .
35 S. . . . . apud . . . . .

Sigillum hujus Provinciæ habet columnam cum flagello ab eo pendenti, in parte ſuperiori litteram I. in dextera N. in læva R. in parte inferiori I.

UNDECIMA PROVINCIA SICILIÆ

Habebat hos Conventus, & omnes ferme ſub invocatione ſanctæ MARIÆ de JESU, primos enim fundavit ſub hac appellatione Matthæus Agrigentinus, qui Regularem Obſervantiam potiſſime in illam Inſulam introduxit.

1 S. Mariæ de Jeſu extra Panormum, in quo prædictus Matthæus requieſcit.
2 S. Mariæ Novæ, ſive de Angelis intra Panormum.
3 S. Mariæ de Jeſu apud Meſſanam.
4 Alter ibidem ſub eadem invocatione.
5 S. Viti apud Agrigentum, ubi jacet Joannes de Aragona, ſanctitate præclarus.
6 S. Nicolai ibidem.
7 S. Mariæ de Jeſu Plateæ.
8 S. Petri ibidem.
9 S. Petri apud Taurominum.
10 S. Mariæ de Jeſu Cataniæ.
11 S. Mariæ Siracuſarum.
12 S. Franciſci de Sacca.
13 S. Mariæ de Jeſu Laontini.
14 S. Mariæ de Jeſu Bizzini.
15 S. Mariæ de Jeſu Calatagironis.
16 S. Mariæ de Jeſu Termis.
17 S. Mariæ de Jeſu Politii.
18 S. Mariæ de Jeſu Nicoſiæ.
19 S. Mariæ de Jeſu Randatii.
20 S. Mariæ de Jeſu oppidi ſancti Petri.
21 S. Mariæ de Jeſu Alcami, ubi requieſcit Archangelus Alcamenſis, hujus Provinciæ olim Vicarius, Vir utique ſanctus, qui gratiam & poteſtatem accepit ſuper omnes languores, & ſpiritus immundos. Ad ejus ſepulturam ſpeciali privilegio hernioſi ſanantur.
22 S. Mariæ de Jeſu Drepani.
23 S. Mariæ de Jeſu Mazariæ Civitatis Reginæ Joannæ III.
24 S. Mariæ de Jeſu Corleonis.
25 S. Mariæ de Jeſu Adernionis.
26 S. Mariæ de Jeſu Cameratæ, ubi requieſcit Andreas de Faventia, Provinciæ ſancti Franciſci, fervens & devotus Prædicator, ſignis & virtutibus illuſtris.
27 S. Mariæ de Jeſu Naſi.
28 S. Mariæ de Jeſu Pactarum.
29 S. Mariæ de Jeſu Modicæ.
30 S. Mariæ de Jeſu Næti.
31 S. Mariæ de Jeſu Ferulæ.
32 S. Mariæ de Jeſu Biſbonæ.
33 S. Mariæ de Jeſu Taurominii.
34 S. Mariæ de Jeſu in inſula Melitenſi.

Sigillum hujus Provinciæ exprimit nomen Jeſu.

DUO-

DUODECIMA PROVINCIA APULIÆ

Habebat hos Conventus.

1 S. Andreæ de Barulo.
2 S. Mariæ de Conceptione apud Andriam, in quo jacet Laurentius a ſancto Martino laicus, vita contemplativa, & dono prædicationis admirabilis, qui circa annum MCCCCLXXX. ab hoc ſeculo migrans, miraculis claruit.
3 S. Mariæ de Columna.
4 S. Cataldi prope Coraltum.
5 S. Angeli apud Rubum.
6 S. Mariæ Novæ, ſive *de Gratiis* apud Terlitium.
7 S. Laurentii apud Vigiliam, ſive Biſſelliam.
8 S. Bernardini apud Mulſettam, ſive Mulfretum.
9 S. Mariæ Annunciatæ apud Bitontum.
10 S. Franciſci de Bitecto, ubi requieſcit Jacobus Solanus laicus, ſpiritu prophetiæ & miraculis clarus. Annis circiter viginti poſt obitum inventus integer & illæſus, ad honorificum translatus eſt ſepulcrum.
11 S. Franciſci, ſive ſancti *Petri* Barii.
12 S. Mariæ de Inſula Converſanæ.
13 S. Mariæ Monopolis.
14 S. Mariæ Annunciatæ apud Hoſtunium.
15 S. Stephani Martinæ.
16 S. Mariæ de Templo Litii.
17 S. Joannis Baptiſtæ apud Hydruntum, ubi poſt devaſtationem a Turcis, frater Seraphinus a Calabria factus eſt Archiepiſcopus.
18 S. Mariæ Novæ apud Raclam.
19 S. Mariæ apud Uſentem.
20 S. Franciſci apud Gallipolas.
21 S. Catarinæ prope oppidum ſancti Petri Galatini, ubi Antonius de Tricarico laicus, piis moribus, vitæ ſanctimonia clarus, in ſenectute bona per dies ſeptemdecim multa oratione & pœnitentia ſe ſe ad mortem cœlitus prævifam præparavit; viſuſque eſt in ſtellæ ſpecie in cœlum conſcendere.
22 S. Antonii de Padua apud Neritonam.
23 S. Franciſci de Caſtro novo.
24 S. Antonii de Padua apud Tarentum.
25 S. Franciſci apud Caſtellanetum.
26 S. Franciſci de Caſſano.
27 S. Petri apud Varum.
28 S. Franciſci de Altomuro.
29 S. Mariæ de Gravina.
30 S. Franciſci ad Spinam auream, ſive Spinatiolam.
31 S. Catarinæ Forentiæ.
32 S. Franciſci apud Minerbinum.
33 S. Mariæ de Pace apud Venuſium, ubi jacet Joannes de Converſano laicus.
34 S. Mariæ de Angelis Atellæ, qui alias dicitur locus Vitelbæ, in quo requieſcit Antonius Bitontinus egregius Prædicator, vitæ ſanctimonia præclarus. Sed Fratres propter aerem nocivum alio tranſtulerunt Conventum, & Atellenſes coegerunt; ut illic relinqueretur corpus Antonii, & nunc illic habitant Eremitæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci.
35 Omnium Sanctorum Melfiæ.

Sigillum hujus Provinciæ imprimit imaginem Pietatis ſub quadam domo cum duabus figuris Minorum hinc inde in parte inferiori genuflexorum.

XIII. PROVINCIA S. BERNARDINI

Habet iſtos Conventus.

1 S. Bernardini in civitate Aquilæ, ubi nobili Templo, & magnifico ſacello jacet ſanctus Bernardinus Senenſis. Illic etiam requieſcunt Julianus Theutonicus, olim illius Provinciæ Vicarius, vitæ ſanctitate præclarus, & Baptiſta Theutonicus converſationis ſanctimonia perſimilis; necnon Innocentius de Civitate ſancti Angeli inſignis Prædicator, tantæ virtutis & ſanctitatis, ut aves ei applauderent, & inſiderent cantantes, nec ab eo recederent, donec ille benediceret. Ludovicus de Jencha Aquilanus, qui bis electus eſt hujus Provinciæ Vicarius, & in Civitate Pennæ obſeſſam a dæmone liberavit, vir venerabilis & ſanctus. Liberatus & Ambroſius de Aquila laici, magnæ caritatis & orationis, Bernardinus de Foſſa Aquilanus, Vicarius Provinciæ, virtutibus & ſignis coruſcans.

2 S. Juliani extra Civitatem Aquilæ: primus hic fuit iſtius Provinciæ Conventus, in quo jacent Maſſius, alias Thomas, Martinus, Archangelus, & Vincentius, omnes laici Aquilani, virtutibus & pietate inſignes.

3 S. Angeli apud Ocram, prope Aquilam, ubi Thimotheus de Aquila requieſcit.

4 S. Franciſci apud Capiſtranum a beato Joanne de Capiſtrano fundatus, ubi Thomas de Tocco laicus, cui beata Virgo apparuit, & ſacrum viaticum Divinitus ſub mortem fuit miniſtratum.

5 S. Mariæ de Paradiſo apud Toccum.

6 S. Joannis de Monte Plano, ubi jacet Joannes Lombardus laicus.

7 S. Angeli de Pace apud Anſanum.

8 S. Mariæ Annunciatæ apud Podium Urſuniæ, ubi jacet Petrus de Civitate Pennæ primus laicus hujus Provinciæ, vir magnæ ſanctitatis.

9 S. Mariæ de Gratiis de Ortona; ubi requieſcit Petrus de Populis, vir Deo & hominibus acceptus, cui longe antequam obiret, revelatum eſt præfixum eſſe diem mortis in ſancti Petri feſtivitate, quod ille Fratribus prædixit, aſſerens ſe natum, baptizatum, initiatum, profeſſum, primum ſacrum celebraſſe in die ſancti Petri, & in eodem ſe ab hoc ſeculo diſceſſurum, uti contigit viro ſenectute venerando, & pietate admirando.

10 S. Mariæ de Gratiis apud Francavillam.

11 S. Andreæ apud Theatim, ubi ſepultus eſt Baptiſta de Cagnano Aquilanus, vir nobilis in ſeculo, a beata Virgine ad Religionem vocatus, in qua mira corporis maceratione, humilitate, mundi contemptu, annis multis laudabiliter vixit; cui etiam B. Virgo ſub mortem apparuit; necnon Bartholomæus Fabrianenſis Provinciæ Marchiæ Lector, & Damianus de Ripis laicus ibidem requieſcunt.

12 S. Chriſtophori in Civitate Pennæ, ubi Ægidius laicus, unus de primis ſociis Pauli Trincii Fulginatis.

13 S. Bernardini apud urbem ſancti Angeli.

14 S. Leonardi apud Adriam.

15 S. Mariæ de Gratiis apud Teramum, ubi Pacificus de Teramis, qui poſtquam die Lunæ ſacrum fecerat, inquit Fratribus: *hodie celebravi ultimam Miſſam, & feria quarta proxima, vitæ curſum conſum-*

ſummabo; atque ita factum eſt. Vir erat venerabilis, & ſuæ profeſſionis ardentiſſimus zelator.

16 S. Bernardini apud Camplum, ubi Baptiſta de Florentia, Provinciæ Tuſciæ fraterna incenſus caritate, & Divino abſorptus amore, miro cordis affectu Divinæ Incarnationis myſterium perpetuo meditabatur, & ad illa verba, *Verbum caro factum eſt*, totus liquefiebat, atque ad illa conſecratoria. *Hoc eſt Corpus meum*, totus tremebat. Illic etiam jacet Joannes de Camplo laicus, humilitate excelſus.

17 S. Mariæ de Luminibus apud Civitellam, ubi Liberatus de Civitella infirmarius, mira caritate prædítus.

18 S. Nicolai apud Sulmonam, ubi Philippns de Aquila, Ambroſius olim in ſeculo, Archipresbyter Aquilanus, necnon Antonius Sulmonenſis, vir profundæ humilitatis, qui parum ante mortem e lectulo proſilivit, & in terra genuflexus ſpiritum exhalavit.

19 S. Franciſci apud Caramanicam.

20 S. Mariæ de Valle viridi apud Celanum.

21 S. Nicolai apud Pepulum, alias Corropolim.

Sigillum hujus Provinciæ imprimit imaginem S. Bernardini, dextra Jeſu nomen, & læva librum tenentis.

PROVINCIA XIV. S. ANGELI

Hos habebat Conventus.

1 S. Mariæ de Campo-baſſo.

2 S. Joannis prope Campum-baſſum, qui fuit primus Conveutus hujus Provinciæ. In eo requieſcunt Archangelus a Campo-baſſo Vicarius hujus Provinciæ, caſtitatis vigilantiſſimus cuſtos, qui ſæpe dixit, ſe malle mori, quam fœdari. Obiit magna ſanctitatis opinione, & incorrupto corpore multis diebus remanſit inſepultus. Cherubinus Bergomenſis, Provinciæ Bononiæ, qui pro filio Proregis Apuliæ mori delegit, & poteſtatem magnam habebat ſuper ſpiritus immundos., & Ludovicus Placentinus, vir bonus ac rectus ac timens Deum.

3 S. Mariæ apud Iſerniam.

4 S. Bernardini apud Anglonam, ubi requieſcit Thomas Theutonicus, Vicarius iſtius Provinciæ, miraculis clarus.

5 S. Mariæ de Valle Aſpera, ubi Beſſamius Theutonicus.

6 S. Bernardini de Monte Odoriſco, ubi Antonius de Leoniſſa, vir doctus in ſeculo, & pius in Religione qui hanc Provinciam gubernavit, & domum iſtam refecit, miraculis illuſtris.

7 S. Mariæ de Atiſſa, ubi jacet Vitalis laicus Albanenſis, egregiis pollens virtutibus, vir extaticus, & ferventiſſimæ orationis. Hic habitabat Paſchalis de Iſchitellis, qui ſola oratione aeris noxias tempeſtates depellebat, & in caſtro Sanguinis ſancte deceſſit, dum tempore hyemali conciones habebat ad populum, ſepultuſque eſt in Eccleſia illius oppidi.

8 S. Honufrii apud Hiſtonium ſeu Vaſtum Amonis, ubi Franciſcus de Campobaſſo, Vicarius Provinciæ, & Joannes de Monte Ilcino Provinciæ Tuſciæ, ſancti Bernardini ſocius, & hujus Provinciæ pluries Vicarius; necnon Dominicus Caſtilionius nobilis Florentinus, vir valde religioſus.

9 S. Joannis, ſive *S. Eraſmi* apud Gulioniſium, in quo providentiæ Divinæ erga Fratres eſurientes mirabile apparuit argumentum tempore hyemali.

10 S. Ber-

10 S. Bernardini apud ſanctum Severum, ubi Bernardus de Luceria Sarracenorum, Provinciæ Vicarius, qui prædixit tres tantum dies vitæ ſibi ſupereſſe, & Sabbatho ſancto e ſeculo ſe migraturum, quod exitus comprobavit. Bernardinus de Pretina, inſignis prædicator, qui toto vitæ ſuæ tempore ſemel & parce in die manducabat, ſed ter quotidie prædicabat, ſpiritualibus canticis artifices, ruſticos, pauperes ad verbum Dei audiendum invitans. Joannes Baptiſta, in ſeculo Archipresb. Eccleſiæ caſtri ſancti Juliani, a ſancto Joanne Baptiſta, cui addictiſſimus erat, ſibi apparente monitus,ut Deo ſub Inſtituto Minorum inſerviret, prompte obſecutus eſt, quem etiam ſub mortem meruit conſpicere.

11 S. Angeli apud Serram Comitis.

12 S. Mariæ Gratiarum apud Manfredoniam juxta Montem Garganum.

13 S. Salvatoris apud Luceriam Sarracenorum, ubi Joannes de Stronconio, Provinciæ S. Franciſci, qui poſt Paulum Fulginatem præfuit familiæ Obſervantum, & Angelus de Peſcariis de Sergne laicus.

14 S. Petri apud Licarum.

15 S. Bernardini apud Trojam.

16 S. Petri apud Rupem.

17 S. Franciſci de Iſchitellis.

18 S. Mariæ Gratiarum de Veſta.

19 S. Honufrii de Caſa Calena, ſive Calenda.

20 S. Nazarii de Marrone, ubi in magna punuria Deus mirabiliter Fratribus providit.

21 S.Antonii apud ſanctum Bonum.

22 S. Sebaſtiani apud Calerium. In hac Provincia Fratres ad Eremitarum modum in locis deſertis, & per nemora habitant, nihil curantes de rebus ſecularium, quorum confeſſiones non audiunt, neque defunctos ſepeliunt, neque ad ſupplicationes publicas accedunt.

Sigillum imaginem habet ſancti Michaelis Diabolum in ſpecie draconis conterentis.

PROVINCIA XV. DALMATIÆ

Habebat iſtos Conventus.

1 S. Franciſci apud Jaderam, ubi deceſſit frater Simon......... virtute & ſanctitate illuſtris, cujus corpus quædam Hungariæ Regina inde tranſportavit.

2 S. Hieronymi Inſulæ Oclani prope Jaderam.

3 S. Catarinæ apud Jaderam.

4 S. Dumni, ſive *Doimi* Paſmanii.

5 Sanctæ Mariæ de Angelis Juſtinopoli.

6 S. Bernardini apud Piranum.

7 S. Andreæ apud Rubinum.

8 S. Franciſci apud Abſoram.

9 S.Bernardini apud Alteſium vel Aſcrivium.

10 S.Mariæ de Caſtilione in ſcopulo apud Vegliam.

11 S. Mariæ de Palude apud Spalatrum.

12 S. Mariæ de Gratiis apud Leſinam.

13 S. Crucis in Scopulo apud Sebinicum.

14 S. Mariæ de Gratiis apud Corzulam.

15 S. Bernardini apud Citatum.

16 S. Mariæ apud Antibarum.

17 S.Mariæ in Scopulo de Arbanis.

18 S. Mariæ de Gratiis apud Piſſinum.

19 S. Mariæ in Scopulo apud Alexium.

20 S....... Cathari.

21 S...... apud Dubignum.

Sigillum hujus Provinciæ imprimit effi-

Anno Christi 1506.	Julii II. an. 3. & 4.	Maximiliani Imp. an. 13. & 14.	Religionis Minorum anno 299.

effigiem ſancti Hieronymi Dalmatæ, in ſpelunca pectus. coram Chriſto Crucifixo percutientis.

PROVINCIA XVI. CANDIÆ

Iſtos habebat Conventus.

1 Sancti Franciſci intra Civitatem Candiæ.
2 S. Joannis extra Civitatem.
3 S. Franciſci in Civitate Caneæ, ubi requieſcunt Franciſcus Modeſtus Venetus, Provinciæ ſancti Antonii, Prædicator optimus. Thomas de Bibiena Provinciæ Tuſciæ, inſignis concionator, & Robertus Apulus, qui in iſta Provincia annis quadraginta habitavit; omnes vitæ ſanctimonia illuſtres.
4 S. Salvatoris extra Civitatem Caneæ.
5 S. Athanaſii in urbe Rettimi.
6 S. Antonii de Padua in territorio Chareſarum.
7 Sanctæ Mariæ de Angelis in villa Gnoſſi.
8 S. Mariæ de Victoria in Inſula, & urbe Rhodiorum.

Sigillum hujus Provinciæ imprimit imaginem ſancti Joannis Baptiſtæ Crucem altam & exilem ſiniſtra tenentis.

PROVINCIÆ XVII. AUSTRIÆ

Iſti ſuberant Conventus.

1 S. Theobaldi & S. Bernardini Viennæ.
2 S. Joannis Baptiſtæ Idumburgæ.
3 S. Leonardi Grætiæ.
4 S. Jacobi Noviburgi, qui erat Sanctimonialium.
5 S. Mariæ Magdalenæ apud Enziſſert.
6 Sanctæ Radegundis in nova Civitate.
7 S. Mariæ in Feliſpotk.
8 Sanctæ Mariæ de Paradiſo in Nemore.
9 Sanctæ Mariæ de Candelariis Egemburgæ.
10 S. Jacobi Nurimbergæ, ſeu Unilergæ.
11 S. Bernardini apud Leus.
12 S. Trinitatis apud ſanctum Hippolytum.
13 S. Maximiani . . . . .
14 S. Volfangi apud Puppinger.
15 S. Eraſmi Loibici.
16 S. Michaelis apud Veſpergum.
17 S. Mariæ de Conceptione apud Fridau.
18 S. Mariæ de Aſſumptione . . . . .
19 SS. Primi & Feliciani apud Staim.
20 S. Mariæ apud Lanchovium.
21 . . . . apud Sboz noviter receptus.

Sigillum habet figuram ſancti Bernardini Crucem dextera, & librum ſiniſtra geſtantis, & ſuper caput nomen Jeſu cum radiis.

PROVINCIÆ XVIII. BOEMIÆ

Subjecti erant infraſcripti Conventus.

1 S. Bernardini Uratislaviæ.
2 S. Bernardini Brunæ.
3 Conceptionis Virginis Mariæ Olomutii.
4 Nativitatis Virg. Mariæ Pilznæ.
5 S. Mariæ, ſive SS. Petri & Pauli Glogaviæ.

6 S. Bar-

6 S. Barbaræ Optaviæ, ſive Oppaviæ.
7 S. Franciſci Znoimæ ſive Zinoimæ.
8 S. Trinitatis Liginis.
9 S. Crucis Niſſæ.
10 S. Barbaræ Oppoliæ.
11 S. Nicolai Bithi, ubi requieſcunt Alexius ſacerdos de Zigiſt regni Hungariæ, miraculis glorioſus, Joannes de Miſnia primus Vicarius hujus Provinciæ, ſuæ profeſſionis magnus zelotes, qui puerum defunctum a mortuis revocavit, & Joannes diaconus de Nenudor, propter fidem catholicam ab hæreticis in nemore interfectus.
12 S. Mariæ de Angelis Rozelii.
13 SS. Viti & Modeſti Gemnizii.
14 SS. Mariæ Magdalenæ, & Eliſabethæ Tacchoviæ ſeu Tavoniæ.
15 SS. XIV. Auxiliatorum Cadani.
16 Omnium Sanctorum Geuphiæ, ſeu Gruppiæ.
17 S. Georgii Glocſii.
18 S. Trinitatis Teſthenii.
19 S. Catarinæ Novæ domus.
20 S. Mariæ, & S. Andreæ Javorii.
21 S. Mariæ de Deſerto Kazadorf, ſeu Recſedorfii.
22 S. Geltrudis Katibariæ.
23 S. Ægidii Lupeſcoyen.
24 Aſſumptionis B. Mariæ Bechinæ.
25 Sanctæ Mariæ Raedichii, ſive Raduyſch.
26 S. Michaelis Horaſdii ſive Horaeſdiovicſii.
27 S. Annæ Camecſii.

Sigillum hujus Provinciæ exprimit figuram B. Joannis de Capiſtrano, vexillum crucis in dextra, & pietatis in ſiniſtra geſtantis, & mundum pedibus calcantis.

PROVINCIA XIX. POLONIÆ

Hos habebat Conventus.

1 S. Bernardini Cracoviæ, ubi jacet Simon a Lypnicza multis miraculis coruſcans.
2 S. Franciſci Poſnaviæ.
3 S. Franciſci Vilnæ.
4 S. Andreæ Leopoli, ubi jacet Joannes de Ducla, ſignis & prodigiis admirabilis, ad cujus ſepulchrum non ſolum Catholici, verum & Armeni, & alii ſchiſmatici vota ſolventes pro gratiis receptis, quotidie concurrunt.
5 S. Andreæ Varſaviæ, ubi Nicolaus a Coſtikio laicus miraculorum patrator.
6 Aſſumptionis B. Mariæ Coſtemii.
7 . . . . Frauſtatii.
8 S. Mariæ ad præſepe Cobilini.
9 S. Annæ Caliſii.
10 Nativitatis B. Mariæ Varthæ.
11 Diviſionis Apoſtolorum Coli.
12 S. Bartholomæi Lovitii.
13 S. . . . Bidgoſtiæ.
14 S. Catarinæ in Eremo.
15 S. Mariæ ad Nives Tarnoviæ.
16 S. Catarinæ Samborii.
17 S. . . . . Opatonii.
18 S. Bernardini Lublini.
19 S. Barbaræ Pizevorſcii.
20 S. Annæ Marſaviæ, ubi Ladislaus vita & miraculis illuſtris.
21 S. . . . . apud urbem Potociæ.
22 S. Mariæ Annunciatæ apud oppidum Scapenſe.
23 B. Mariæ Virginis Caunæ.

Sigillum habet effigiem B. Mariæ Virginis coronatæ, puerum dextro brachio geſtantis.

PRO-

PROVINCIA XX. BOSNÆ

Habebat hos Conventus per ſeptem Cuſtodias diſtinctos.

CUSTODIA S. NICOLAI DE MILI

Habebat ſequentes.

1 S. Joannis Baptiſtæ Sutiſchæ.
2 S. Mariæ Viſcotti ſeu Viſochii.
3 S. Mariæ Argentinæ.
4 S. . . . Quoiniræ, ubi requieſcit Angelus de Verboſa Vicarius Provinciæ, & primus qui in ea habitum ſuſcepit.
5 S. Catarinæ Creſcentinæ ſeu Creſcevii.
6 S. Spiritus apud Zonicum.
7 S. . . . . Monſtari.

SECUNDA CUSTODIA

S. Mariæ de Sodonico.

8 S. . . . . Lubuſchæ.
9 S. . . . . Zaſtrochi.
10 S. . . . . Scilium.
11 S. Mariæ Plumbi.
12 S. . . . . Oizæ.
13 S. . . . . . Mili.

TERTIA CUSTODIA

Nanduralbæ.

14 S. . . . . de Belgrado, ubi B. Joannes de Capiſtrano inſignem illam habuit victoriam contra Turcas.
15 S. . . . . Bermede.
16 S. . . . .

QUARTA CUSTODIA

Jayzæ.

17 S. . . . . . Liviſcik.
18 S. . . . Zuechay.
19 S. . . . . Creben.
20 S. . . . . Jayxæ.
21 S. . . . . Zeizeri.

QUINTA CUSTODIA

Croatiæ.

22 S. . . . . . Croatiæ ſive Corbatiæ.
23 S. Joannis de Monte.
24 S. . . . . . . Bykyz.
25 S. . . . . . Othok.
26 S. . . . . Zrini.
27 S. . . . . Haraſtolicæ.

SEXTA CUSTODIA

Cethinæ.

28 S. . . . . Cethinæ.
29 S. . . . . Claſſajæ.
30 S. . . . . Cardonæ.
31 S. . . . . Biſſonachi.
32 S. . . . . Veochonici.
33 S. . . . . Tinii.
34 S. . . . . Karray.

SEPTIMA CUSTODIA

Terſeti.

35 S. Mariæ Terſeti, ubi olim erat Eccleſia ſanctæ Mariæ de Laureto, quæ poſtea Angelorum miniſterio in Picenum tranſlata eſt.
36 S. Franciſci Segniæ.
37 S. . . . Cetini.
38 S. . . . Stenyczmiak.
39 S. . . . . .
40 S. . . . . .
41 S. . . . . . In his, aliiſque locis habitabant Fratres magno animarum lucro, & fidei incremento; ſed proh dolor! per Turcas omnia ferme ſunt occupata & diruta.

Sigillum hujus Provinciæ imprimit ſignum Crucis cum ſpinea intertexta corona in parte ſuperiori & inferius cum ſemiarcu quorumdam characterum.

PROVINCIA XXI. CORSICÆ

Iſtos numerabat Conventus.

1 S. Franciſci Boniſacii.
2 S. Franciſci Calvi ſeu Calieulæ.
3 S. Franciſci Biguliæ.
4 S. Franciſci Tivanni ſeu Tovani.
5 S. Franciſci Nebii.
6 S. Franciſci apud S. Florentium.
7 S. Franciſci Nunciæ.
8 S. Franciſci Cannaris ſeu Chanerii.
9 S. Franciſci Pini.
10 S. Franciſci Brandi, ubi deceſſit Angelus de Soncino Provinciæ Januæ, Definitor Generalis, vir venerabilis & pius, inſignis Prædicator, & zelator præcipuus ſuæ profeſſionis, mira corporis maceratione a cibis abſtinens, ſolo pane & aqua & fructibus contentus. Miſſus hujus Provinciæ viſitator, laboribus,& pœnitentiæ exercitiis attritus,vitam ſancto fine quievit.
11 S. Franciſci Bevagliæ, ubi Petrus de Brieta, & Leo de Petra de Bagno, laici, viri ſanctiſſimi requieſcunt.
12 S. . . . . . Galenſium.
13 S. Franciſci Marianæ.
14 S. Franciſci Venzilaſchæ.
15 S. Franciſci Orezzæ.
16 S. Franciſci Alexiani.
17 S. Franciſci Curthis.
18 S. Franciſci Vici.
19 S. Franciſci Ornani.
20 S. Franciſci Tallæ.
21 S. Franciſci Cacciæ.
22 S. Franciſci Campilauri.

Sigillum hujus Provinciæ habet inſculptam litteram Thau, cum his verbis (JESUS CHRISTUS) circum inciſis.

PROVINCIA XXII. BRIXIÆ

Habebat iſtos Conventus.

1 S. Apollonii apud Brixiam, ubi jacent Franciſcus de Aragonia, inſignis Theologus, illuſtris proſapiæ,qui obiit anno MCCCCXCIII. & Fauſtinus de Chiari, vir virtute & ſanctimonia inſignis; necnon Michael Aquenſis Provinciæ Januæ, celebris per omnem Italiam Prædicator.
2 S. Rochi. Ibidem.
3 S. Mariæ de Gratiis Bergomi, ubi requieſcit Daniel Bergomenſis, Prædicator, doctrina, vitæ ſanctitate & miraculis inſignis.
4 S. Bernardini apud Cremam.
5 S. Mariæ Incoronatæ apud Martinengum, ubi Robertus de Aſula vir beatus vitæ puritate.
6 S. Bernardini apud Chiarum ſeu Clararum.
7 S. Pauli Inſulæ Iſtri.
8 S. Mauritii prope Iſchium.
9 S. Mariæ Gratiarum Gandini.
10 S. Bernardini Inſulæ Dovarienſium.
11 S. Franciſci de Aſula.
12 S. Mariæ de Jeſu inſulæ de Cardo, alias de Garda.
13 S. Bernardini de Salodio.
14 S. Mariæ de Laguzana Lurſi.
15 S. Franciſci etiam Lurſi.
16 S. Mariæ Annuntiatæ Lunali.
17 S. Mariæ de Planengo.
18 S. Mariæ de Gratiis apud Gaidum.
19 S. Mariæ de Gratiis apud Pratalbui-

buinum, alias Petralboynum.
20 S. . . . . Zogni.
21 S. Martini de Valle.
Sigillum habebat effigiem Epiſcopi, Pontificalibus induti, benedictionem impertientis duabus perſonis genuflexis.

PROVINCIA XXIII. RAGUSII

Habebat loca infraſcripta.

1 S. Franciſci Raguſii, ubi jacet Evangeliſta de Peruſio Vicarius Generalis Obſervantiæ, qui cum fama ſanctitatis deceſſit, & ad ejus ſepulcrum multa vota ſolvuntur.
2 S. Nicolai apud Stagnum ſive Stannum.
3 S. Sabini, in inſula ſeu Scopulo Daſſæ, in cujus ſilva ſunt multa oratoria, quæ loca & myſteria noſtræ fidei in Terra ſancta conſtituta repræſentant.
4 S. Mariæ de Umbla.
5 S. Blaſii de Canali.
6 S. Mariæ ad Nives Epidauri in Raguſia antiqua.
7 S. Mariæ in Inſula de Medio.
8 S. Hieronymi apud Selanum.
9 S. Mariæ de Punta.
Sigillum hujus Provinciæ habebat imaginem Chriſti, & ſuper caput ejus columbam cum duobus Angelis in monticulo, & ſub Chriſti pedibus effigiem S. Franciſci.

PROVINCIA XXIV. BASILICATÆ

Iſtos habebat Conventus.

1 S. Mariæ de Sepulcro apud Potentiam.
2 S. Antonii de Padua Tricarici.
3 S. Franciſci Melionici.
4 S. Mariæ de Gratiis Vigiani.
5 Sanctæ Mariæ de Jeſu apud oppidum.
6 S. Franciſci Petræ Pertuſæ, ſive Pretiatæ.
7 S. Mariæ ad Nives apud Laurentianam.
8 S. Franciſci apud Terſium.
9 S. Mariæ de Urſuleo.
10 S. Franciſci apud ſanctum Martinum.
11 S. Franciſci apud Policaſtrum.
12 S. Franciſci Piſticii.
13 S. Antonii de Padua apud Stilianum.
14 S. Bernardini Laureæ.
15 S. Antonii de Padua Rivelli.
16 S. Antonii de Padua Titi.
Sigillum hujus Provinciæ habebat effigiem beatæ Virginis, brachio ſiniſtro infantulum Jeſum geſtantis, obducto tecto domunculæ vel ſacelli, & ſubtus Angeli exprimit imaginem.

PROVINCIA XXV. HUNGARIÆ

In decem diſtincta Cuſtodias, iſtos enumerabat Conventus.

1 S. Joannis de Buda.
2 S. Mariæ de Strigonio.
3 S. Petri Poſthenii.
4 S. . . . . de Zetha.
5 S. . . . . apud Wiſſegradinum.
6 S. . . . . de Beren.
7 S. . . . . de Gyengyes.

SECUNDA CUSTODIA

B. Joannis de Capiſtrano. *

* *Mirum quod tam cito Beati agnomen obtinuerit apud gentem hanc & Cuſtodiam ſub ejus nomine fundaverint.*

8 Beati Joannis deCapiſtrano apud Wilak.
9 S. . . . . de Finthag.
10 S. . . . . de Rabolis.
11 S. . . . . de Athya.
12 S. . . . . de Alſan.
13 S. . . . . de Dyako.
14 S. . . . . de Perch.
15 S. . . . . de Kylnus.

TERTIA CUSTODIA

Tranſilvaniæ.

16 S. . . . . de Coleſmar.
17 S. . . . . Foriſiculorum.
18 S. . . . . Felfalu.
19 S. . . . . de Themiis.
20 S. . . . . de Huniade.
21 S. . . . . de Meggies.
22 S. . . . . de Albena.
23 S. . . . . Braſſoniæ.
24 S. . . . . de Chyk.
25 S. . . . . Moldaviæ.
26 S. . . . . Tergaviſtiæ in Tranſalpinis.

QUARTA CUSTODIA

Teneulenſis.

27 S. . . . . Varadienſis.
28 S. . . . . Zegedienſis.
29 S. . . . . Canadienſis.
30 S. . . . . de Givula.
31 S. . . . . de Zalard.
32 S. . . . . de Yencuvia.
33 S. . . . . de Sebes.

QUINTA CUSTODIA

Baniæ.

34 S. . . . . de Bania.
35 S. . . . . de Balhor.
36 S. . . . . de Ruuſal.
37 S. . . . . de Maggieſallia.
38 S. . . . . de Zevules.

SEXTA CUSTODIA

Ozoræ.

39 S. . . . . Ozoræ.
40 S. . . . . de Pakos.
41 S. . . . . de Syergii.
42 S. . . . . de Hederhel.
43 S. . . . . de Syllic.
44 S. . . . . de Charan.
45 S. . . . . Rawereshegii.

SEPTIMA CUSTODIA

Pathaki.

46 S. . . . . de Pathak.
47 S. . . . . de Zaneo.
48 S. . . . . de Chek.
49 S. . . . . de Homonuk.
50 S. . . . . de Suvar.
51 S. . . . . de Lyptovuç.

OCTAVA CUSTODIA

Sclavoniæ.

52 S. . . . . de Athina.
53 S. . . . . de Polyjenu.
54 S. . . . . S. Ladislai.
55 S. . . . . de Warallia.
56 S. . . . . de Yujanch.
57 S. . . . . de Petrojo.
58 S. . . . . de Yemethino.

CUSTODIA NONA

S. Spiritus.

59 S. . . . . de Papa.
60 S. . . . . Palotha.

61 S...

ANNO CHRISTI 1506.	JULII II. AN. 3. & 4.	MAXIMILIANI IMP. AN. 13. & 14.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 299.

61 S. . . . . de Zalad.
62 S. . . . . de S. Spiritu.
63 S. . . . . de Zentgroth.
64 S. . . . . de Thuurnok.
65 S. . . . . de Egewara.

CUSTODIA DECIMA

De Zechen.

66 S. . . . . de Zechen.
67 S. . . . . de Wamos.
68 S. . . . . de Sylex.
69 S. . . . . de Salgen.
70 S. . . . . de Zacholcha.

Hæc ſunt loca Provinciæ Hungariæ, in quibus tempore unionis nuper factæ morabantur Fratres circiter mille ſeptingenti.

Sigillum hujus Provinciæ habebat inſculptam Crucem cum corona ſpinea & clavis, cum columna etiam & flagello ſurſum verſo.

Ceterum, quia nonnullæ ortæ erant differentiæ inter Fratres Argentinenſes & Boſnenſes, ex aliquibus Conventibus, qui extabant in terminis, ſeu limitibus Argentinæ & Boſnæ, facta eſt nova Provincia ſub Vicario Generali Ciſmontano. Conventus autem ſunt iſti.

1 S. Mariæ Argentinæ.
2 S. . . . . . Campaniæ.
3 S. Mariæ Salium, ſive Salinarium.
4 S. Mariæ Plumbi.
5 S. . . . . Sutiſchæ.
6 S. Nicolai Viſochii.
7 S. Spiritus Huoynizæ ſive Fonizæ.
8 S. Catarinæ Creſcevi.
9 S. Petri Ramæ.
10 S. . . . . Coniz.
11 S. . . . . Moſtar.
12 S. . . . . Glubuſcæ.
13 S. . . . . Saſtrug.
14 S. . . . . Macarſchi.
15 S. . . . . Branizæ.

CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ

Iſtos recenſebat Conventus.

1 S. Sepulchri Chriſti Domini in Civitate ſancta Hieruſalem.
2 Sacri Montis Sion prope Civitatem.
3 Sepulcri Virginis Mariæ in valle Joſaphat.
4 S. Præſepis Chriſti Bethlehem.
5 S. Salvatoris in Civitate Baruthi.
6 S. Franciſci de Famaguſta in inſula Cypri, ubi requieſcunt Bertinus laicus, miraculis clarus, & Griffon Flander, qui Maronitas reduxit ad obedientiam ſummi Pontificis.
7 S. . . . . in dicta inſula.

Sigillum Guardiani Montis Sion qui eſt locorum Terræ Sanctæ principalis Prælatus, imprimit in parte ſuperiori Chriſtum coram Apoſtolis in cœlum aſcendentem, & in parte inferiori eumdem Apoſtolorum pedes lavantem.

Hæ ſunt Provinciæ & Cœnobia, quæ tunc in iſto Capitulo dicebantur eſſe ſub Vicario Generali Ciſmontano, quorum ſeriem Collegi ex ſcripturis & relationibus ad Capitulum adductis. Inſerui Catalogis Conventuum nomina, & memoriam brevem Fratrum pietate & vitæ ſanctimonia illuſtrium, qui in Conventibus hujus familiæ requieſcunt. Novi plures eſſe omiſſos, omnium enim notitiam colligere non potui. Paucos etiam ſcire potui e tot viris illuſtribus, qui in familia Ultramontana deceſſerunt.

PRO-

PROVINCIÆ, SIVE VICARIATUS PROVINCIARUM FAMILIÆ ULTRAMONTANÆ.

Vide tamen infra. Non concordat numerus Provinciarum & Cuſtodiarum.

Vicarius Generalis Ultramontanus ſub ſe habet Provincias viginti, Cuſtodias tres. Ejus ſigillum habet imaginem S. P. N. Franciſci, undique ſtellis circumdati, utriuſque palmi manus ſtigmata oſtendentis, & ſub pedibus lilium habentis.

PRIMA PROVINCIA FRANCIÆ

Habebat iſtos Conventus.

1 S. Leonardi Sagienſis.
2 SS. Petri & Pauli ad ſanctum Audomarum.
3 S. Joannis Baptiſtæ de Varennis.
4 S. Clementis Rhotomagi.
5 S. Mariæ Brugis.
6 SS. Petri & Pauli, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ Gandavi.
7 S. Crucis Ipris.
8 S. Jacobi Apoſtoli Pontiſaræ.
9 SS. Petri & Pauli Namurci.
10 S. Eliſabethæ Tullenſis.
11 S. Mariæ, & ſancti Antonii de Padua Novicaſtri.
12 S. Joannis Baptiſtæ de Vico.
13 S. Mariæ Miracuriæ.
14 S. Mariæ Ægyptiacæ Dunkerkæ.
15 S. Mariæ de Sluſis.
16 S. Laurentii Boloniæ.
17 SS. Petri & Pauli Athis.
18 S. . . . . Metruſis.
19 S. . . . . . Ramberticuriæ.
20 S. Mariæ Dixmudæ.
21 S. Joannis Baptiſtæ Hulſti.
22 S. Bernardini de Aveſnis.
23 S. Antonii de Padua de Biezo.
24 S. . . . . . de Dauno.
25 S. Franciſci ſuper Sambram.
26 S. Ludovici Epiſcopi Ligneii.
27 Anuunciationis B. Mariæ Nancei.
28 S. Mariæ & Barbaræ Leodii.
29 S. Mariæ de Angelis Pontis-Audomari.
30 S. Joannis, Sanctorumque omnium de Maſſeriis.
31 Sancti Antonii de Padua Caſtri Theodorici.
32 S. Mariæ de Pietate Malarum Herbarum.
33 S. Michaelis Archangeli Viriæ.
34 S. Ludovici Regis Valloniarum.
35 Eremitorium de Trinitate.
36 . . . . . . de Conſolatione.
37 . . . . . de Cherp.
38 . . . . . de Chanſejo.
39 . . . . . de Guarneſio.

Sigillum hujus Provinciæ habebat in ſuperiori parte effigiem Chriſti flagellati, manibus ligatis, aſſiſtente utrimque uno Angelo, & inſculpto ſuper Chriſti caput lilio, in parte inferiori effigiem ſancti Franciſci ſub arcuato ſacello genuflexi, ſtigmata recipientis.

PROVINCIA SECUNDA CASTELLÆ

Hos numerabat Conventus per quinque Cuſtodias diſtinctos.

PRIMA CUSTODIA TOLETANA

Iſtos habebat.

1 S. Joannis Regum Toleti.
2 S. Franciſci Guadalſagiaræ.
3 S. Mariæ de Jeſu Alcalæ, ſive Compluti.

4 S. Fran-

4 S. Franciſci Madriti.
5 Dominæ noſtræ de Spe Occaniæ, ubi requieſcit vir beatus Alphonſus de Borox ſacræ Theologiæ Magiſter.
6 S. Franciſci Turrigii.
7 S. Franciſci Talabricæ.
8 S. Franciſci Civitatis Regiæ.
9 S. Mariæ de Caſtaneto.
10 Dominæ noſtræ de Oliva.
11 S. Franciſci Pinti.
12 Sanctiſſimæ Matris Dei Turris Lacunæ.
13 S. . . . . . . locum alterum ibidem.
14 S. Franciſci de Cruce de Centum fontibus.
15 S. Mariæ de Gratia Paternianæ.
16 Dominæ noſtræ de Saliceto.
17 Dominæ noſtræ excalceatorum de Scalona.

SECUNDA CUSTODIA

Burgenſis.

18 S. Franciſci urbis Burgenſis.
19 S. Stephani ibidem.
20 S. Mariæ de Campo Cornagi.
21 S. Andreæ Baſtidæ.
22 S. Bernardini Pozzæ.
23 S. Mariæ Virvieſcæ.
24 S. Mariæ de Jeſu Navarrete.
25 S. Franciſci Logronii.
26 Dominæ noſtræ de Vico.
27 S. Franciſci Mirandæ de Ebro.
28 S. Franciſci de Frias.
29 S. Franciſci Victoriæ.
30 S. Franciſci Saſſiolæ.
31 S. Franciſci Bermei.
32 S. Sebaſtiani prope oppidum Anæ.
33 S. Bartholomæi ad ſanctum Gadeam.
34 S. Mammetis de Ardama.
35 S. Mariæ Pietatis, ſive ſancti Franciſci de Elgoibar.
36 S. Franciſci Vilvas.
37 S. Franciſci Caſtri de Ordiales.
38 S. Franciſci Nageræ.
39 S. Mariæ Adamonis.
40 S. Mariæ Magdalenæ Laredi.
41 S. Franciſci Santanderii.
42 S. Franciſci Villaretis.

TERTIA CUSTODIA

Murcienſis.

43 S. Franciſci Murciæ.
44 S. Franciſci Belmontis.
45 S. Angeli Alcozerii.
46 S. Franciſci Conchæ Valeriæ.
47 S. Franciſci Huetæ.
48 S. Franciſci Villæ-Novæ Infantium.
49 S. Franciſci Alcazarii, ſive Alcarazii.
50 S. Franciſci apud ſanctum Clementem.
51 S. Franciſci Albazeti.
52 S. Franciſci apud Veas.
53 Dominæ noſtræ de Corpore Chriſti Villæ viridis.
54 S. Catarinæ in Monte Murciano.
55 S. Franciſci Lorcæ.
56 S. Annæ Oriolæ.
57 S. Ginefii de Xara.

QUARTA CUSTODIA

Angelorum.

58 SS. Berardi, & ſociorum Martyrum Belalcazaris.
59 S. Hieronymi Caſfalliæ.
60 S. Dominici Xarandillæ.
61 S. Mariæ de Angelis apud Fornulos.
62 S. Mariæ de Bethlehem, ſive ſancti Ludovici apud Palmam.
63 S. Alberti apud ſanctam Euphemiam.
64 S. Mariæ de Pietate Guadalcanalis.
65 S. Franciſci Conſtantinæ.
66 S. Franciſci de Monte.
67 S. Mariæ de Succurſu Petrochii.
68 S. Antonii Chillonii.

QUIN-

QUINTA CUSTODIA

De Tribulo, ſive del Abrojo.

69 S. Mariæ de Abrojo.
70 S. Franciſci Soriæ.
71 S. Franciſci Almaſani.
72 S. Franciſci Arandæ Durianæ.
73 Domus Dei de Aquilaria.
74 Corporis Chriſti Montis Lievani.
75 S. Dominici de Silos.
76 S. Franciſci Atienſis.
77 S. . . . . Erreræ de Piſverga.
78 Dominæ noſtræ de Viginti, ſive de Alveinte.
79 S. Ludoviſii Gormaſii.
80 S. Stephani a Gormaſio.

In iſta Provincia claruerunt Lupus a Salazar, & Petrus a Regalada, & hic multis eluxit miraculis.

Sigillum hujus Provinciæ habet effigiem ſancti Franciſci a Seraphino Stigmata recipientis, & ſocii prope orantis: ſubtus vero inſignia Regnorum Caſtellæ & Legionis.

TERTIA PROVINCIA SAXONIÆ

Habet iſtos.

1 S. . . . . Brandeburgenſis, in quo primo tempore ſancti Bernardini * reformatio incepit.

* *In originali legitur informatio.*

2 S. . . . . . Eyſenatenſis.
3 S. Eliſabethæ in Monte extra portam Civitatis, ubi aliquot Fratres morantur in memoriam ſanctæ Eliſabethæ Hungariæ, quæ ibidem hoſpitale habuit.
4 S. . . . . Angermundenſis.
5 S. . . . . Arniſtedenſis.
6 S. . . . . Zeitpzenſis.
7 S. . . . . Wimarenſis.
8 S. . . . . Galyſenſis.
9 S. . . . . Incellenſis.
10 S. . . . . Vallenſis.
11 S. . . . . Magdeburgenſis.
12 S. . . . . Gottmigenſis.
13 S. . . . . Egrenſis.
14 S. . . . . Guinſenſis.
15 S. . . . . Butterbalzenſis.
16 S. . . . . Chemniezenſis.
17 S. . . . . Steynlenſugzcenſis.
18 S. . . . . Anneburgenſis.
19 S. . . . . Stadhagenenſis.
20 S. . . . . Banderſcheymenſis.
21 S. . . . . Montis ſanctæ Annæ.
22 S. . . . . Glimſingenſis.
23 S. . . . . Bonſtrawenſis.
24 S. . . . . Oſterrodenſis.
25 S. . . . . Eyſslebenſis.

Sigillum hujus Provinciæ habet imaginem Chriſti Crucifixi cum Sole ad dexteram, & Luna ad ſiniſtram, & ad pedem Crucis, effigiem ſancti Franciſci.

QUARTA PROVINCIA TURONIÆ.

Habebat iſtos.

1 S. . . . . Mirabellis.
2 S. . . . . Lavallenſis.
3 S. . . . . Caſtri Rodulphi.
4 S. . . . . Bercorii.
5 S. . . . . Fontiniaci Comitis.
6 S. . . . . Chelleti.
7 S. . . . . Olenæ.
8 S. . . . . Cloſſii.
9 S. . . . . Ambaſiæ.
10 S. . . . . Savenaji.
11 S. . . . . Argentonii.
12 S. . . . . Auceniſii, ſive Enſeniſii.
13 S. . . . . Magduaii.
14 S. . . . . Fontis.
15 S. . . . . Vertolii.
16 S. . . . . Fulgerii.
17 S. . . . . Crollaii.
18 S. . . . . Robincenarum.
19 S. . . . . Balmettæ.

20 S. . . .

20 S. . . . . Fixæ.
21 S. Martini de Thelie.
22 S. Thomæ de Bedelio.
23 S. . . . . de Cloſſis.
24 S. Mariæ de Angelis.
Sigillum hujus Provinciæ exprimit effigiem Chriſti Crucifixi ſub domuncula, vel ſacello cum Virgine Maria, & ſancto Joanne hinc & inde ſtantibus, & inferius ſancto Franciſco genuflexo.

PROVINCIA QUINTA ARAGONIÆ.

Iſtos recenſebat Conventus, per quatuor Cuſtodias diſtinctos.

PRIMA CUSTODIA ARAGONIÆ.

1 S. Mariæ de Jeſu Cæſarauguſtæ.
2 S. Franciſci Pampilonis.
3 S. Franciſci Calataubii.
4 S. Franciſci Turiaſonis.
5 S. Franciſci Barbaſtriæ.
6 S. Franciſci Borgiæ.
7 S. Franciſci Darocæ.
8 S. Catarinæ de Cariniena.
9 S. Franciſci de Sanguoſſa.
10 S. Mariæ de Miſericordia Taſſaliæ.
11 S. Chriſtophori Alpartilii.
12 Dominæ noſtræ de Monſora.

SECUNDA CUSTODIA *Valentiæ*.

13 S. Franciſci Valentiæ.
14 S. Franciſci Muri veteris.
15 S. Franciſci Setabis.
16 Dominæ noſtræ de Angelis Segobricæ.
17 S. Mariæ de Gratia Alicantis.
18 S. Franciſci Chelvarum.
19 S. Spiritus prope Saguntum.
20 Vallis Jeſu ad hortos Valentinos.
21 S. Catarinæ Pondæ.

TERTIA CUSTODIA *Majoricenſis*.

22 S. Franciſci Majoricæ.
23 S. Franciſci Incæ.
24 S. Mariæ de Jeſu Mahonis.
25 S. Mariæ de Jeſu Sollaris.
26 S. Franciſci Civitatulæ.

QUARTA CUSTODIA *Cataloniæ*.

27 S. Mariæ de Jeſu Barcinone, ubi requieſcunt Bimeth de Valentia, & Franciſcus a Cæſarauguſta, inſignes prædicatores, & vitæ ſanctimonia præclari.
28 S. Franciſci Perpiniani.
29 S. Mariæ de Jeſu Ilerdæ.
30 S. Mariæ de Jeſu Dertoſæ.
31 S. Mariæ de Jeſu Figueriarum.
32 S. Mariæ de Jeſu Redis.
33 S. Franciſci Caſtilionis.
34 S. Bartholomæi Pulchri-Podii.
Sigillum iſtius Provinciæ exprimit confirmationem Regulæ, cum columbæ ſpecie ſuper caput Pontificis, duos Cardinales ex utroque latere, & ſanctum Franciſcum ad Pontificis pedes genuflexum: ſubtus vero inſignia Regni Aragoniæ.

SEXTA PROVINCIA ARGENTINÆ

Iſtos numerabat.

1 S. Mariæ Heidelbergenſis, ubi Comes Palatinus primus Fratres Obſervantes in has partes adduxit.
2 S. . . . . Baſileæ.
3 S. . . . . Moguntinæ.
4 S. . . . . Norimbergæ.
5 S. . . . . Bambergæ.
6 S. Franciſci Monaci.
7 S. . . . . Ingolſtadii.
8 S. . . . . Ulmi.
9 S. . . . . Sailprunæ.
10 S. . . . . Tubingæ.
11 S. . . . . Cautieleti.
12 S. . . . . Ambergæ.
13 S. . . . . Kelonenſis.
14 S. . . . . Engelbergi.
15 S. . . . . Civitatis Novæ.
16 S. . . . . Rubiaci.
17 S. . . . . Kaiſercibergæ.
18 S. . . . . ad S. Udalricum.
19 S. . . . . Zauberniæ.
20 S. . . . . Wiſſemburgæ.
21 S. . . . . Oppenheimenſis.
22 S. . . . . Pforienſis.
23 S. . . . . Ceombergæ.
24 S. . . . . Crutiençici.
25 S. . . . . Campudinæ.
26 S. . . . . Franciſbergæ.
27 S. . . . . Mogmimenſis.
28 S. . . . . Landshutenſis.

Sigillum habet figuram Chriſti purpura induti, manibus ligati, a nebulonibus illuſi.

SEPTIMA PROVINCIA S. BONAVENTURÆ, SEU BURGUNDIÆ.

1 B. Mariæ Cheriaci.
2 S. Mariæ Montis-Lucii.
3 S. . . . . Caſtri novi.
4 S. . . . . Donionenſis.
5 S. . . . . Caſtri Landonis.
6 S. Marthæ Vicecomitis.
7 S. . . . . Burgi ſancti Andioli.
8 S. . . . . Turnotenſis.
9 S. . . . .
10 Eremitorium de Promereriis.

Sigillum habet Crucis Chriſti ſignum, affixo deſuper titulo, infixaque corona ſpinea, & ad latus dextrum Crucis, ſancti Bonaventuræ, ad ſiniſtrum vero, galeri effigiem.

OCTAVA PROVINCIA S. JACOBI.

1 S. Franciſci Salamanticæ.
2 S. Franciſci Tauri.
3 S. Franciſci Zamorræ.
4 S. Franciſci Villalpandi.
5 S. Franciſci Benaventi, in quo dicunt Hiſpani jacere beatum Leonem ſocium ſancti Franciſci, & Confeſſorem; ſed eſt alius iſte Leo, nam ſancti Franciſci Confeſſor jacet Aſſiſii. Hic eſt fortaſſis ex illis primis Fratribus miſſis in Hiſpaniam cum beato Joanne Parente, primo Miniſtro Hiſpaniæ.
6 S. Franciſci Villæ-Francæ.
7 S. Mariæ prope Albam.
8 S. Mariæ de Capite Albæ.
9 S. Laurentii apud ſanctum Jacobum in Compoſtella.
10 S. Franciſci ibidem, & hunc locum accepit ſanctus Franciſcus.
11 S. Franciſci Corunniæ.
12 S. Franciſci apud urbem Orenſem.
13 S. Franciſci Caſſaris, ſive Caçeres.
14 S. Franciſci Securæ.

15 S.Fran-

15 S. Franciſci Majoricæ.
16 S. Franciſci de Benavides.
17 S. Franciſci Legionenſis.
18 S. Antonii de Padua Monfortii.
19 S. Antonii Padroni.
20 S. Franciſci Murorum.
21 S. Antonii de Padua Populæ.
22 S. Franciſci Bejarii.
23 S. Marinæ de Supradillo.
24 S. Marinæ de Manzaneda, ſive de Manzanares.
25 S. Mariæ de Gratia prope ſanctum Martinum de Caſtaneto.
26 S. Franciſci Civitatis Roderici.
27 SS. Angelorum prope Robledillo.
28 S. Spiritus Fovearum.
29 S. Martini de Trebejo.
30 S. Antonii Carrobilliarum.
31 S. Franciſci Alcantaræ.
32 S. Franciſci Truxilli.
33 S. Franciſci Metelini.
34 S. Benedicti Safræ.
35 S. Franciſci Erenæ.
36 S. Franciſci de Maniaretibus.
37 S. Franciſci Badejocii.

In iſta Provincia ſunt infraſcripta loca, nuncupata Eremitoria ſive Oratoria.

38 Oratorium Angelorum.
39 de Monte Celio.
40 Murorum.
41 de Noya.
42 Salvæ Terræ.
43 Lugi.
44 S. Marci.
45 de Albuquerque.
46 de Rupe Amatoris.

Sigillum habet effigiem ſancti Jacobi Apoſtoli cum baculo in ſiniſtra, & galerum magnum in capite, & e regione ſtantem ſanctum Franciſcum.

NONA PROVINCIA COLONIÆ.

1 S. Franciſci Coloniæ.
2 S. . . . . Marburgi.
3 S. . . . . Zeghenenſis.
4 S. . . . . Lemogondenſis.
5 S. . . . . Groenemburgenſis.
6 S. . . . . Lympurgenſis.
7 S. . . . . Billeveldenſis.
8 S. . . . . Hammorenſis.
9 S. Mariæ de Angelis Brulenſis.
10 S. Mariæ Magdalenæ Durenſis.
11 S. Nicolai Aquiſgranenſis.
12 S. . . . . Treverenſis.
13 S. . . . . Vertenſis.
14 S. . . . . Deſtenſis.
15 S. . . . . Lovanienſis.
16 S. . . . . Mechlinienſis.
17 S. . . . . Botendalenſis.
18 S. . . . . Bergenſis.
19 S. . . . . Antuerpienſis.
20 S. . . . . Herentalenſis.
21 S. . . . . Gonden.
22 S. . . . . Middelburgen.
23 S. . . . . Gorcomien.
24 S. . . . . Delphen.
25 S. . . . . Alckmarien.
26 S. . . . . Leiden.
27 S. . . . . Harlemen.
28 S. . . . . Anſterdamen.
29 S. . . . . Amerſorden.
30 S. . . . . Campen.
31 S. . . . . Groningen.
32 S. . . . . Bolſuarden.
33 S. . . . . Levarden.
34 S. . . . . Erniden.
35 S. . . . . Noviomagen.
36 S. . . . . Zuitphanien.
37 S. . . . . Arrhemen.
38 S. . . . . Embricen.
39 S. . . . . Derſten.
40 S. . . . . Dordracen.
41 S. . . . . Corbicen.
42 Montis-gratiæ prope Trajectum.
43 S. . . . . Trajectenſis ſuperior.
44 S. . . . . Buſcoducenſis.
45 S. . . . . S. Trudonis.
46 S. . . . . Zierexienſis.
47 S. . . . . Bruxellenſis.

Sigillum habet Crucem in monticulo cum corde infixo in medio, & quatuor litteras in circuitu.

DECIMA PROVINCIA AQUITANIÆ.

1 S. . . . . Mirapicenſis.
2 S. . . . . Caſtrenſis.
3 S. . . . . Ruthenenſis.
4 S. . . . . Albiæ.
5 S. . . . . Montis Albani.
6 S. . . . . Rapiſtanenſis.
7 S. . . . . Ortenſienſis.
8 S. . . . . Baſtidæ.
9 S. . . . . Toloſæ.
10 S. . . . . Burdigalæ.
11 S. . . . . Muratenſis.
12 S. . . . . Entellæ.
13 S. . . . . Montis Regalis.
14 S. . . . . Villæ Novæ.
15 S. N. . . . Montis Giſcardi.
16 S. . . . . Bellimontis.

Sigillum habet effigiem Virginis Mariæ ſole veſtitæ, lunamque ſub pedibus ejus, & filium in brachio dextro.

UNDECIMA PROVINCIA PORTUGALLIÆ.

Nomina Conventuum hujus Provinciæ, ſive Vicariatus Obſervantiæ habere non potui. Sigillum autem habebat in parte ſuperiori nomen Jeſus radiatum, in inferiori vero inſignia Regni Portugalliæ.

DUODECIMA PROVINCIA S. LUDOVICI SIVE PROVINCIÆ.

1 S. Crucis Niciæ.
2 SS. Joſeph & Franciſci Draguiniani.
3 S. Catarinæ de Monte Sinai Selli Robaudi.
4 S. Mariæ de Conſolatione de Pignatio.
5 S. Franciſci de Marſilia.
6 SS. Annuntiationis beatæ Mariæ Aquis.
7 S. Petri de Canono, devotum valde.
8 S. Crucis apud Avenionem.
9 S. . . . . Montis Peſſulani.
10 S. . . . . Florenſiaci.
11 Dominæ noſtræ de Pietate Pedenacii.
12 B. Mariæ de Pulchro viſu Terraſconis.
13 S. . . . . Arelatenſis.
14 Dominæ noſtræ de Angelis Antipolis.
15 Eremitorium ſanctæ Mariæ de Pulchro reſpectu.
16 Eremitorium ſancti Hieronymi.

REFORMATI

Habent in hac Provincia.

17 Conventum ſanctæ Claræ Carcaſſonis.
18 S. Franciſci Aſſiliæ, ſive Auxiliani.
19 S. . . . . Montilionis.
20 S. . . . . Monaſræ.
21 S. . . . . Ralchianæ.
22 Eremitorium B. Mariæ de Laureto.

Sigillum habet effigiem Chriſti, Crucem ſuam bajulantis.

TERTIADECIMA PROVINCIA HIBERNIÆ.

1 S. . . . . Yogheliæ.
2 S. . . . . Mayn.
3 S. Molagii apud.
4 S. . . . . Kilconaill.
5 S. . . . . Montis Fernandi.
6 S. . . . . Athdaris.

7 S...

7 S. . . . . Haymiſtore.
8 S. . . . . Inſulæ.
9 S. . . . . Roſreliæ.
10 S. . . . . Dunagalliæ.
11 S. . . . . Kilcree.
12 S. . . . . Lislachtin.
13 S. . . . . De Ponte.
14 S. . . . . Petræ.
15 S. . . . . Cavani.
16 S. . . . . Eryni.
17 S. . . . . Pueri S. Patricii.
Sigillum habet imaginem S. Franciſci, manus ſtigmatizatas oſtendentis, apparente inter pedes lilio.

QUARTADECIMA PROVINCIA SCOTIÆ.

1 S. . . . . Edimburgenſis.
2 S. . . . . apud urbem S. Andreæ.
3 S. . . . . Abirdonenſis.
4 S. . . . . Glaſguenſis.
5 S. . . . . apud S. Joannem.
6 S. . . . . Alrenſis.
7 S. . . . . Elgenſis.
8 S. . . . . Strevelingenſis.
Sigillum habet effigiem ſancti Bernardini, dextera geſtantis nomen Jeſu, ſiniſtra librum, & ad pedes tres mitras Pontificias habentis.

PROVINCIA DECIMAQUINTA DE SANTOJO.

1 S. Franciſci de Caſtro Cæſaris.
2 S. Franciſci de Palentia.
3 S. Franciſci de Palentiola.
4 S. Franciſci de Carrione.
5 S. Franciſci de Medina de Campo.
6 S. Franciſci de Arevalo.
7 S. Mariæ de Falce.
8 S. Franciſci de Segovia.
9 S. Mariæ de Miſericordia.
10 S. Franciſci de Ayllon.
11 S. Franciſci Abulenſis.
12 S. Franciſci de Medina de Rivo Sicco.
13 S. Franciſci apud ſanctum Facundum.
14 S. Franciſci de Ulmeto.
15 S. Franciſci de Cuellar.
16 S. Franciſci Rupis fidelis.
17 S. Mariæ de Valle Scopeſi.
18 S. Mariæ de Gratiis de Villaſilos.
19 S. Franciſci Valliſoleti, in quo requieſcit Petrus de Santojo vir venerabilis, vitæ ſanctimonia illuſtris.
20 S. Ludovici apud ſanctum Vincentium de la Barquera.
21 S. Mariæ de Conſolatione apud urbem Calaguritanam.
22 S. Joannis Fontis Dominæ.
Sigillum habet effigiem beatæ Mariæ Virginis ſedentis, & filium inſidentem genu ſiniſtro.

PROVINCIA DECIMASEXTA DACIÆ.

1 S. . . . . Ottonienſis.
2 S. . . . . Swimburgen.
3 S. . . . . Nyſtaden.
4 S. . . . . Haffuen.
5 S. . . . . Rogens.
6 S. . . . . Roſſuildens.
7 S. . . . . Sflemburgen.
8 S. . . . . Huſzemen.
9 S. . . . . Helſzingeren.
10 S. . . . . Nicopenſis.
11 S. . . . . Randruſienſis.
12 S. . . . . Eylonenſis.
13 S. . . . . Tynderenſis.
14 S. . . . . Horſnenſis.
15 S. . . . . Rypenſis.
16 S. . . . . Neſtuedenſis.
17 S. . . . . Halmſtadenſis.
18 S. . . . . Sleſrovenſis.
19 S. . . . . Pruſemenſis.
20 S. . . . . Eſylonenſis.
21 S. . . . . Sleſmicenſis.
22 S. . . . . Huuſemenſis.

Si-

Sigillum præfert Chriſtum ſuam Crucem bajulantem, & in parte inferiori inſignia Regni Danici.

PROVINCIA DECIMASEPTIMA ANGLIÆ.

1 S. . . . . Grenvicen.
2 S. . . . . Cantuarien.
3 S. . . . . Novi-Caſtri.
4 S. . . . . Hampforen.
5 S. . . . . Richmonten.
6 S. . . . . Novi operis.

Sigillum habet effigiem B. Mariæ Virginis cum filio in brachio dextero, & luna ſub pedibus, & ſubtus lunam inſignia Regni Anglici.

PROVINCIA DECIMAOCTAVA BETICÆ, SIVE GRANATÆ.

1 S. Franciſci Granatæ.
2 S. Franciſci Sibiliæ.
3 S. Franciſci Cordubæ.
4 S. Franciſci de Monte extra Cordubam.
5 S. Franciſci Carmonæ.
6 S. Mariæ prope Utreram.
7 S. Franciſci, ſive ſancti Ludovici Malacæ.
8 S. Franciſci prope Baezam.

Sigillum habet effigiem Chriſti ad columnam ligati, & hinc inde pendentia flagella, & circumductum cingulum nodoſum S. Franciſci.

PROVINCIA DECIMANONA INSULARUM INDICARUM,

Quam de Cruce appellant, ad quam Fratres quotidie navigant, ubi fidem & religionem non ceſſant propagare.

Hujus Provinciæ Conventus non potui habere.

PROVINCIA VIGESIMA BRITANNIA. IN REGNO FRANCIÆ.

Erant duæ Cuſtodia, una Britanniæ, altera Livoniæ: ſed nuper auctoritate Apoſtolica factæ ſunt una Provincia; cujus Conventus ſcire non potui.

PROVINCIA VIGESIMAPRIMA SARDINIÆ.

1 S. Petri apud Saſſarum.
2 S. Michaelis apud Pilignum.
3 S. Mariæ de Angelis apud Luſurgum.
4 S. Mariæ Magdalenæ apud Oriſtanum.
5 S. Mariæ de Jeſu apud Calarim.
6 S. Mariæ de Pietate apud Algerium.
7 S. Franciſci apud Caſtrum Ulſeri.

Non potui habere Sigillum.

CU-

CUSTODIA PIETATIS IN REGNO PORTUGALLIÆ.

1 S. Mariæ de Pietate prope Villam Vitioſam.
2 S. Franciſci de Clavibus .
3 S. Mariæ de conſolatione Borbæ.
4 S. Franciſci de Yelvas noviter ædificatum,
5 S. Vincentii ſacri Promontorii ,
6 Eremitorium boni Jeſus de Barcellis .
7 Eremitorium de Lagos .

XI. Hoc anno confirmavit Julius Pontifex omnia quæ ſui prædeceſſores , præſertim Innocentius VIII. & Alexander VI. ſtatuerunt circa Religionem Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, & translationem Sanctimonialium , quam fecit Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus a Monaſterio ſancti Petri Dominarum ad Cœnobium ſancti Franciſci . Bullam , quæ mutationes & progreſſus omnes hujus Religionis enarrat , exhibeo . Confirmat Pontifex Ordinem Concept. Vide ann. 1501. num.42.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam .

Paſtoralis officii debitum , quo Eccleſiis & Monaſteriis , piiſque locis quibuslibet , ac in eis ſub Religionis jugo Domino famulantibus perſonis utriuſque ſexus aſtringimur, Nos admonet & inducit , ut ea , quæ pro eorum feliciori ſucceſſu , ac ejuſdem Religionis incremento & conſervatione , etiam Apoſtolica auctoritate facta dicuntur , cum a nobis petitur , noſtræ approbationis munimine roboremus ; ut eo firmius perſiſtant , quo Sedis Apoſtolicæ protectione ſæpius fuerint communita . Dudum ſiquidem, poſtquam felicis rec. Innocentio Papæ VIII. prædeceſſori noſtro , pro parte quondam Beatricis de Silva mulieris Toletanæ expoſitum fuerat , quod olim claræ memoriæ Eliſabetha Caſtellæ & Legionis Regina , ob ſingularem quem ad Conceptionem beatæ Mariæ Virginis gerebat devotionis affectum , unam domum , Palacios de Galiena *nuncupatam , in Civitate Toletana conſiſtentem , & ad prædictam Reginam legitime pertinentem , in qua una antiqua Eccleſia ſive capella ſub invocatione* Sanctæ Fidis *erat conſtituta , præfatæ Beatrici cupienti vitam ducere regularem , ad effectum ut inibi unum Monaſterium alicujus Ordinis approbati ad honorem ejuſdem Conceptionis erigeretur , in quo dicta Beatrix , & aliæ devotæ mulieres ejus ſodales ſub regulari obſervantia viverent , ac Altiſſimo , & eidem beatæ Mariæ famularentur , liberaliter & gratioſe conceſſerat & donaverat : ipſaque Beatrix & mulieres , conceſſionis & donatiotionis hujuſmodi vigore dictam domum receperunt , & illam ex tunc in communi viventes, eidem Altiſſimo , ac beatæ Mariæ famulantes inhabitaverant, prout tunc inhabitabant , ea tamen intentione , quod dictum Monaſterium inibi erigeretur : & dictus Prædeceſſor ejuſdem Beatricis ſupplicationibus in ea parte tunc inclinatus , Caurien. & Cathanien. Epiſcopis , ac officiali Toletano , eorum propriis nominibus non expreſſis , ſuis litteris dederat in mandatis , ut ipſi vel duo aut unus eorum in dicta domo unum Monaſterium Ciſtercien. Ordinis ſub invocatione Conceptionis hujuſmodi, cum dignitate Abbatiſſali , campanili , campana , dormitorio , clauſtro , hortis , hortalitiis , & aliis neceſſariis officinis pro una Abbatiſſa , quæ aliis præeſſet , ac Moniali-* Ex originali.

libus dicti Ordinis, & Beatrici & mulieribus inibi tunc ſecum degentibus, ſi profiteri vellent, & in communi, ac ſub regulari obſervantia, ac perpetua clauſura viverent, & quæ, ac Monaſterium hujuſmodi prout ſancti Dominici Toletani dicti Ordinis, el Viejo *nuncupatum, ac nonnulla alia ejuſdem Ordinis Monaſteria locorum Ordinariis erant ſubjecta, Archiepiſcopo Toletano pro tempore exiſtenti ſubjicerentur, alias ſine alicujus præjudicio, & jure parochialis Eccleſiæ, ac cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica erigerent, dictamque Eccleſiam ſive capellam illi pro Eccleſia perpetuo aſſignarent: ac Abbatiſſæ dicti Monaſterii pro tempore exiſtenti, & illius Conventui, quod aliqua ſtatuta & ordinationes laudabilia & honeſta, ſacris canonibus non contraria, quæ Moniales in dicto Monaſterio pro tempore degentes perpetuo obſervare tenerentur, etiam circa electionem Abbatiſſæ, tam ea prima vice, quam deinceps perpetuis futuris temporibus faciendam condere poſſent, licentiam concederent, & nonnulla tunc expreſſa ſtatuerent & ordinarent: Piæ memoriæ Alexandro PP. VI. etiam prædeceſſori noſtro pro parte præfatæ Eliſabethæ Reginæ expoſito, quod ipſa ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Moniales Ordinis ſanctæ Claræ, ob earum bonos & exemplares mores gerebat, ſummopere deſiderabat, prout etiam tunc Abbatiſſa, & dilectæ in Chriſto filiæ Conventus dicti Monaſterii exoptabant, quod in dicto Monaſterio dictus Ordo Ciſtercien. ibi inſtitutus ſupprimeretur & extingueretur, ac dictus Ordo ſanctæ Claræ inſtitueretur & plantaretur: dictus Alexander prædeceſſor Eliſabethæ Reginæ, ac Abbatiſſæ & Conventus prædictarum in ea parte ſupplicationibus tunc inclinatus, etiam tunc Caurien. & Cathanien. Epiſcopis, ac officiali Toletano, eorum propriis nominibus non expreſſis, ſuis litteris etiam dedit in mandatis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum in dicto Monaſterio Conceptionis beatæ Mariæ Ordinem Ciſtercien. hujuſmodi, de conſenſu tamen Abbatiſſæ & Conventus prædictarum, auctoritate Apoſtolica penitus ſupprimerent & extinguerent, dictumque Ordinem ſanctæ Claræ inibi inſtituerent & plantarent, ac præfatæ Abbatiſſæ, necnon Monialibus in dicto Monaſterio Conceptionis beatæ Mariæ degentibus, de Ciſtercien. Ordine ad Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi tranſeundi, & in eo perpetuo remanendi, retento tamen habitu eis in erectione dicti Monaſterii per Sedem Apoſtolicam tunc aſſignato, & etiam ſervato more in horis canonicis dicendis, quem eatenus etiam ex ordinatione ejuſdem Sedis in dicta erectione facta, obſervare conſueverant, & firmis remanentibus omnibus gratiis & privilegiis & indulgentiis, indultis & diſpenſationibus eis Apoſtolica auctoritate conceſſis, ſuperioris ſui, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, licentiam dicta auctoritate concederent: Et ſucceſſive eidem Alexandro prædeceſſori pro parte præfatæ Eliſabethæ Reginæ ſimiliter expoſito, quod fructus, reditus & proventus dicti Monaſterii Conceptionis beatæ Mariæ adeo tenues & exiles fore noſcebantur, ut Abbatiſſa & Moniales illius pro tempore exiſtentes, ſe ex illis ſuſtentare, & onera eis incumbentia perferre commode non poſſent; & ſi Monaſterium Monialium ſancti Petri,* de la Duennas *nuncupatum, etiam Toletan. Ordinis ſancti Benedicti, quod dicto Monaſterio Conceptionis quaſi contiguum exiſtebat, illiuſque Ordo penitus ſupprimerentur & extinguerentur, ac ſtructuræ & ædificia, bonaque omnia dicti Monaſterii ſancti Petri eidem Monaſterio Conceptionis perpetuo applicarentur, appropiarentur & aſſignarentur, ex hoc profecto commoditatibus Abbatiſſæ & Monialium prædictarum plurimum conſuleretur; idem Prædeceſſor dictæ Reginæ ſupplicationibus etiam tunc inclinatus, Capellano majori, & Archidiacono de Alcaraz Eccleſiæ Toletanæ, ac Officia-*

li

li Toletano, eorum propriis nominibus ſimiliter non expreſſis, aliis ſuis litteris dedit in mandatis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum Monaſterium ſancti Petri, & Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi, de expreſſo conſenſu tunc Abbatiſſæ ejuſdem Monaſterii ſancti Petri, auctoritate Apoſtolica penitus ſupprimerent & extinguerent, ac ſtructuras & ædificia ipſius Monaſterii ſancti Petri, omniaque illius bona hujuſmodi cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis dicto Monaſterio Conceptionis perpetuo aſſignarent, appropriarent & applicarent; ita quod cedente vel decedente tunc dicti Monaſterii ſancti Petri Abbatiſſa, ſeu regimen & adminiſtrationem illius alias quomodolibet dimittente, liceret Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Conceptionis hujuſmodi per ſe vel alium ſeu alios corporalem ſtructurarum, ædificiorum & bonorum prædictorum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus & proventus in ſuos & dicti Monaſterii Conceptionis uſus & utilitatem convertere, diœceſanorum loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernæ Abbatiſſæ & Conventus dicti Monaſterii Conceptionis petitio continebat, etiam poſtquam tunc Capellanus major, & Archidiaconus præfati ad earum litterarum poſteriorum executionem, illarum forma ſervata, in dicto Monaſterio ſancti Petri dignitatem Abbatiſſalem, ac Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi ſuppreſſerant & extinſerant, illiuſque ſtructuras, ædificia & bona dicto Monaſterio Conceptionis applicaverant & appropriaverant, venerabilis frater noſter Franciſcus Archiepiſcopus Toletanus provide conſiderans, quod dictum Monaſterium beatæ Mariæ in loco minus decenti pro quieta & convenienti habitatione illius Abbatiſſæ & Monialium exiſtebat, habens ad hoc, ut aſſerebat, a Sede Apoſtolica per illius litteras ſpeciales facultatem & auctoritatem, quamdam domum ſancti Franciſci etiam Toletan. Ordinis Fratrum Minorum, tranſlatis illius Fratribus ad alias domos ejuſdem Ordinis Minorum, eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii Conceptionis hujuſmodi cum illius Eccleſia, & omnibus officinis conceſſit & donavit, ac in dicta domo ſancti Franciſci dictum Ordinem Fratrum Minorum ſuppreſſit & extinxit, dictiſque Abbatiſſæ & Monialibus, ut de dicto Monaſterio Conceptionis ad dictam domum ſancti Franciſci ſe tranſferre valerent, licentiam & facultatem conceſſit, prout in ſingulis litteris prædictis Prædeceſſorum præfatorum continetur, ac dicti Archiepiſcopi deſuper confectis litteris & proceſſibus, ſeu inſtrumentis publicis ſuper ſuppreſſione, extinctione, applicatione & appropriatione prædictis habitis, & factis, plenius contineri dicitur: quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictorum, aſſerentium ipſas Abbatiſſam & Moniales vigore facultatis & litterarum prædictarum per dictum Franciſcum Archiepiſcopum eis conceſſarum, ad dictam domum ſancti Franciſci ſe tranſtuliſſe, & ex tunc ibidem permanſiſſe, & de præſenti permanere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, donationi, ſuppreſſioni, extinctioni, applicationi, appropriationi & conceſſioni prædictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac pro potiori cautela, quod in habitu eis in erectione dicti Monaſterii Conceptionis aſſignato, & etiam more ſervato in horis canonicis dicendis, quem hactenus ex ordinatione Sedis dictæ in erectione prædicta obſervare conſueverunt, remanere poſſint, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingularum ſub Religionis jugo Domino famulantium perſonarum honeſtis votis libenter facilem præbemus aſſenſum, modernam Abbatiſſam & Conventum præfatos, ac Conventus hujuſmodi ſin-

Digitized by Google

gulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet inntdatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujaſmodi ſupplicationibus inclinati, erectionem, inſtitutionem, ſuppreſſionem, extinctionem, aggregationem, applicationem, appropriationem & conceſſionem prædictas, ac, prout illas concernunt, omnia & ſingula in dictis litteris, ſeu proceſſibus & inſtrumentis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplemuſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; & nihilominus pro potiori cautela, in dicta domo ſancti Franciſci præfatum Ordinem Fratrum Minorum eiſdem auctoritate & tenore ſupprimimus & extinguimus, & inibi dictum Ordinem ſanctæ Claræ, retento tamen habitu, & more in horis dicendis hujuſmodi ſemper in poſterum obſervato, erigimus & inſtituimus, ac quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus Abbatiſſa & Moniales præfatæ in eadem domo ſancti Franciſci ſub cura, regimine & gubernatione Prælatorum ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum permanere debeant & teneantur, dictaque domus ſancti Franciſci ex nunc de cetero Monaſterium Conceptionis beatæ Mariæ nuncupetur & ſit, eadem auctoritate ſtatuimus & ordinamus: & inſuper eidem Monaſterio Conceptionis, ſancti Franciſci, ſancti Petri & Conceptionis, olim ſanctæ Fidis nuncupatorum Monaſteriorum prædictorum ſtructuras & ædificia, ac bona cam omnibus juribus & pertinentiis ſuis perpetuo applicamus & appropriamus; ita quod liceat eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem ſancti Petri & Conceptionis, olim ſanctæ Fidis nuncupat. Monaſteriorum, bonorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum alias juxta tenorem litterarum Alexandri prædeceſſoris hujuſmodi, propria auctoritate libere continuare, ſeu de novo apprehendere, & perpetuo retinere, ac illorum fructus, reditus & proventus in ſuos & Monaſterii Conceptionis hujuſmodi uſus & utilitatem convertere, diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, ſuppletionis, ſuppreſſionis, extinctionis, erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, applicationis & appropriationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDV. XI. *Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno* III.

Gomez. de reb. Ximen. l. 2. in ſine.
Ximenius inſtituit Sodalitatem Conceptionis.

XII. Prædicti etiam Ximenii auſpiciis ſub finem hujus anni, Kal. Novembris in urbe Toletana Sodalitas Conceptionis Deiparæ promulgata eſt, quæ deinde feliciter multis evecta eſt incrementis. In hujus inſtitutionis monumentum IV. Non. Octobris ſancto Franciſco, tamquam Ximenii tutelari, Sodales ſacra faciunt: quinquaginta ſportulas totidem egenis diſtribuunt: & anniverſario funebribuſque hoſtiis Ximenii animam, & cognatorum expiare non ceſſant. Porro ædiculæ Pontificiæ traditæ gratia, ſacra per tria Paſchata pro Pontificibus Toletanis religioſiſſimo apparatu peragun-

guntur; & ſingulis quibuſque hebdomadum Sabbatis, pro eorum ſalute ſub veſperam preces ad Virginem funduntur.

XIII. Multa, eaque gravia occurrunt hoc anno de Ximenio dicenda, cujus virtute & dignitate nutantes res Hiſpanæ confirmatæ ſunt, cui inſuper tantum tribuerunt proceres Hiſpani, ut ſummam rerum omnium poteſtatem apud eum collocarint. At quæ ante hæc facta ſunt, libet enarrare. Cum hoc anno Philippus I. Hiſpaniarum Rex e Belgio in Hiſpaniam cum Joanna conſorte trajiceret, obviam proceſſit Ximenius, qua potuit celeritate, ut Regis animum præoccuparet, ne Reguli Ferdinando Regi, Philippi ſocero infeſti, amplius odium accenderent, & ſimultates acuerent, ut Ferdinandus Caſtellæ regno, quod per quadraginta ferme annos, magno imperii incremento miniſtraverat, pelleretur. Ubi Villumbralæ, ſuæ ditionis oppidum, pervenit, poſtridie publice ſacris in templo interfuit; & quoniam agrorum ſqualore, & pluviarum aquarum inopia eo anno univerſa Hiſpania laboraverat, hominum animi afflicti erant, placuit religioſiſſimo præſuli poſt peracta ſacra, vetuſtum quod eſt extra oppidum ſacellum adire, quem omnes ſupplicantes ſecuti ſunt, Crucis vexillo (ut ſolet) præeunte, & ſacerdotibus in veſtibus lineis utrimque procedentibus, pluviæ eliciendæ cauſa. Ea ingens & copioſiſſima, antequam in oppidum rediretur, effuſa, & per plures dies continuata, non ſolum circum circa regionem, ſed ceteras omnes Hiſpaniæ partes admirabili fœcunditate affecit. Hoc tantum beneficium Ximenii ſanctitati a Numine conceſſum plerique dixerunt.

Idem lib. 3.

Pluviam ſumme neceſſariã a Deo impetrat.

XIV. Hinc profectus ad Molinam oppidum, collatis rebus cum Ferdinando, ſibi ſemper cariſſimo, ad Philippum magnis itineribus contendit, ut primo quoque tempore ſuaderet, omnem malevolentiam ex Regulorum rumoribus conceptam deponeret, animumque erga optimum prudentiſſimumque ſocerum leniret, & gliſcentem ſimultatem coerceret. Iter per montes facienti vicus occurrit, in cujus pervetuſto, & male ſarto templo D. Euphemiæ corpus aſſervabatur: cujus præſens patrocinium, innumeris per eam regionem editis miraculis, cum alii finitimi populi, tum præſertim agricolæ Giguri, in quorum tractu urbs Orienſis, & vicus ille eſt, frequenter ſenſerunt. Ad eam viſendam continuo Antiſtes venit: quam quoniam ob vici inopiam parum pro dignitate contineri comperit, ære ſuo ædiculam Divæ exedificari juſſit, ubi ornatiori apparatu coleretur, quæ poſtea in Orienſem urbem translata eſt.

D. Euphem. templum ædificat.

XV. Hac in Civitate, Calæcorum olim oppido, Philippus Ximenium omni honoris & comitatis genere, in aulicorum conſpectu recepit. Nam præter Primatis Pontificiam dignitatem, cui Reges Hiſpani honorem omnem conferre conſueverunt, noverat jam olim Philippus, quanta eſſet in eo amplitudo, quanta gravitas, & morum ſanctimonia. Per duarum & amplius horarum ſpatium, ſine arbitris collocuti, iterum atque iterum in idipſum convenientes, tandem obtinuit, ut ſocer & gener in mutuos conſpectus venirent. Id factum in vaſta planitie, quatuor millia paſſuum a Sanabria diſtanti, in omni ferme Hiſpanorum Regulorum conſpectu; ubi per duas horas protracto colloquio, poſtquam Ferdinandus expoſtularet, quod ſibi tam fideliter ejus & reipublicæ utilitatem procuranti, ſine ulla ratione diffidiſſet, & potius fidem iis habuiſſet, qui privatis commodis proſpicientes inter utrumque diſcordias ſerebant, rogavit, ut quandoquidem jam res eo deducta eſſet, ut ſibi neceſſario e Caſtellæ Regnis diſcedendum foret, videret quibus ſe hominibus committeret. Atque ſimul Regulorum ſigillatim mentione habita, uniuſcujuſcumque ingenium patefecit: quantum cuique

Honorifice recipitur a Philippo Rege.

Ferdinandus Rex illum apud Philippum multis extollit.

que fidendum, quibuſve artibus eſſent tractandi, Rex prudentiſſimus, & earum rerum ob diuturnum uſum probe callens, magna animi ſolertia probe declaravit. Sed in primis hortatus eſt, ut Ximenium, quem digito monſtrabat, reverentia & caritate, quæ Patri debetur, proſequeretur. Unum eum eſſe, cujus incorruptis conſiliis tuto poſſet credere, & omnes intimos animi ſenſus apud eum deponere. Quare ab ejus ſententia numquam diſſentiret, etiamſi quæ mente ipſe concepiſſet, potiora ſibi viderentur: multa enim eſſe, quæ prima ſpecie inexpertis fugienda cenſerentur, altius tamen, ut homines experientes facere conſueverunt, introſpecta, longe alia videbantur, aliamque protinus faciem oſtentabant. Eam autem rerum cognitionem, ſacrumque per ſapientiam vaticinium, nonniſi poſt longum uſum, quem acris & attenta conſideratio comitaretur, mortalibus contingere. Se jam diu Ximenii ſanctimoniam, atque in rebus gerendis dexteritatem multis experimentis cognitam habere.

Philippo fidus conſiliarius ſemper aſſiſtit.

XVI. Ita ſe facturum Philippus verbo promiſit, & opere complevit, uſus ſemper & ubique Ximenii ſalutari conſilio. Poſtquam autem Ferdinandus poſt alterum cum genero colloquium in Aragoniam abiit, Ximenius piaculum judicavit, juvenem Regem in tam lubrica ætate, & dura rerum occaſione fidi conſilii egentem relinquere: decrevit itaque in illis rerum initiis ab ejus comitatu numquam diſcedere. Proinde vigilantiſſimis Vicariis gregis ſui cura demandata, quoad vixit Philippus, ei aſſiduus fuit. Si quid vero in ſua diœceſi gravioris cenſuræ aut animadverſionis dignum emergebat, ut ad ſe deferretur, juſſerat, & cum Rege Pintiam abiit, ubi graviſſimas ſimultates, jurgia & turbas in multorum pernicies prorupturas inter Regulos compoſuit.

Graviora negotia ei Rex committit.

XVII. Probata in gravioribus rebus Ximenii fide & prudentia, Philippus in urbe Burgenſi eum rogavit, ut negotia ſecretioris conſilii, quæ ſingulis diebus Veneris cum Rege de more tractabantur, pridie ejus diei cum eo communicarentur, & ſuam ſententiam interponeret, quæ multum momenti omni in re eſſet habitura. Ingentes gratias Ximenius habuit ob conceptam de ſe opinionem; ſed deprecabatur Provinciam, ut quæ invidiæ cum primis eſſet expoſita, & immenſi laboris plena. At cum Rex in propoſito perſiſteret, & Ximenio nihil antiquius eſſet, quam publicis commodis quacumque data occcaſione conſulere, tamdem expugnari libenter tulit: atque ita deinceps uſque ad Philippi mortem, non ſine magno ſuæ virtutis teſtimonio, Regii Senatus præfectus, ceterique proceres, qui ab arcanis erant, die Jovis ad eum veniebant: nihilque Philippus decernebat, Ximenio inconſulto.

Et Regii Senatus præfectum inſtituit.

Moriente Rege committitur ei Caroli pueri tutela, & ſupremum regimen.

XVIII. Paulo poſt, cum adverſo rerum Hiſpanarum fato, Philippus ex lenta febre, & affecto latere IX. Kalend. Octobris ad ultimum vitæ diſcrimen perveniſſet, convenientes univerſi Principes, qui in Regis erant comitatu, in domum Ximenii, de tranquillitate Reipublicæ ſervanda acturi, demum omnium ſententia decretum eſt, ut quoniam nemo erat, qui magis morum ſanctimonia & auctoritate, quam Ximenius, apud plebem univerſam polleret, aut cunctis proceribus carior, ut qui nullis propinquitatum cognationibus cuique eorum obnoxius eſſet, is unus ex omni Optimatum & Regulorum numero, Reginæ cuſtos, Carolique pueri protector deſignaretur; Velaſco Comite ſtabuli, & Manrico Najarenſium Duce, quadam plane Triumviratus ſpecie, in communicationem conſiliorum aſſumptis: donec poſt Philippi Regis mortem, procerum conſilio iterum coacto, quid eſſet deinceps faciendum decerneretur.

XIX. Po-

XIX. Poſtridie defuncto Philippo, proceribus placuit, ut Ximenius in Regia maneret, data illi ea ædium parte nobiliore, qua in viam publicam proſpectus eſt. Sed cum novi tumultus in Regno timerentur, & priſcarum ſimultatum ſtatim germina pullularent, e re omnium fore judicarunt proceres, ut unus tamdem de Reginæ auctoritate, rebus gerendis, & Regio Senatui præficeretur, cujus dictis omnes obaudirent, alioquin nihil bene adminiſtratum iri, ſed omnia in perniciem ruitura. In Ximenii ſententiam omnes abierunt, unum præficiendum eſſe proclamantes, qui de ampliſſimæ Curiæ conſilio, ubi duodecim viri litteris & auctoritate inſignes majora ſubſellia tenent, reipublicæ provideat, cui omnes ſine provocatione obtemperent. Ximenium autem ſine controverſia eligendum eſſe cenſent, quo nemo eſſet ad eam rem aptior. Nam quamvis illi laborioſa Provincia eſſe videretur, qua tamen in rempublicam caritate erat, non dubitabant, quin id oneris eſſet ſubiturus. Quo vero id commodius gereret, mille aurei annui ex Regio ærario numerarentur, quibus impenſæ publicæ fierent, & ipſe ſacrs reditibus parceret, quos egenis ſubveniendis, & multis aliis caritatis operibus tam ſtudioſe erogabat.

XX. Difficile id eſſe Ximenio videbatur, præſertim in tam diverſis Regulorum ſtudiis: tamen cum intelligeret, bonam eorum partem ad Maximilianum Philippi patrem e Germania vocandum animari, cui Hiſpaniæ Regna, donec Carolus nepos adoleſceret, gubernanda traderentur, veritus ne hac ratione Ferdinando Regi, cujus præſentiam neceſſariam eſſe videbat, reditus in Caſtellam interciperetur, non duxit id muneris, quamvis moleſti, recuſandum. Quare libenter ſe in illorum & Reipublicæ gratiam onus illud ſubiturum dixit. Nam quamvis ætate erat imbecilla, tamen Dei optimi Maximi auxilio, & eorum conſiliis adjutus, ſperabat ſe bonorum votis ſatisfacturum. Ceterum oblatam nummorum ſummam Regio ſe Fiſco libenter concedere dixit; eos enim proventus Divino beneficio ſibi contigiſſe cognoſcebat, qui perample tam egenorum ſubventioni, quam Reipublicæ adjuvandæ pares eſſent, cujus egeſtati & anguſtiæ viri boni ſuccurrere tenentur, ſed in primis Pontifices; nam Reges ſemper ſe exceperunt. Unum id tamen viderent, ne quid a ſe quiſpiam iniquum peteret, aut per vim tentaret: illud enim nunquam conceſſurum, in violentiæ autem crimen ſeveriſſime animadverſurum. Nam ut tunc ne ipſe ad id munus aſſumeretur, in eorum voce & poteſtate erat, ita ſi ſemel optaretur, nemini amplius jam liberum fore ejus voluntati præſertim honeſta conanti repugnare. Proinde iterum atque iterum ſecum conſiderarent quid expediret; ſe enim nulla tanta neceſſitudine aut amicitia cuiquam hominum obſtringi, ut veri & æqui rationem non ſit ſemper potiorem habiturus. Gravior nonnullis Ximenii Oratio videbatur, quam pro ipſorum voluntate. Ceterum juſta dicenti omnes aſſenſerunt, ſeque ea omnia præſtituros promiſerunt.

XXI. Abrogatum fuit ab ea die Triumvirale, de quo diximus, imperium, & omnia unius Ximenii arbitrio tradita: qui partim Regii Senatus cura ſuſcepta, ejuſque numero, qui eo tempore imminutus habebatur, virorum præſtantium delectu ſuffecto, partim communicatione de rebus omnibus, quæ ſerii aliquid continerent, cum proceribus habita, facile omnes ad opinionem ſuam traxit, remque publicam mirum in modum adjuvit. Sed quoniam pauciſſimos quoſque eſſe intelligebat, qui honeſti ratione ducti, meliora ſequerentur & tuerentur, inſtructam aliquam armatorum manum, quæ ad omnem motum præſto eſſet, comparandam exiſtimavit. Proinde Viannellum Venetum, de quo ſupra diximus, cujus fidem, prudentiam & bel- Milites conſcribit ſtationarios. *Anno* 1504. n. 12. & 18.

bellicam virtutem egregie probabat, accerſivit, & re diligenter cum eo communicata, ſtipendium annuum illi conſtituit, ob rei bellicæ curam, auri libram cum ſemiſſe. Ille vero quingentos levis armaturæ milites magna celeritate conſcribit, quos armis inſtructos, extra urbem in loca ſpatioſiora quotidie educebat, ubi exercerentur, & ad quamlibet belli occaſionem promptiores fierent. ic novarum rerum avidi a propoſito deterriti, in officio retinebantur, quamquam qui Ximenium minus amabant, ſeditionis id eſſe ſeminarium dicebant.

XXII. Per totum ſeptennium & amplius fuerant Hiſpani, poſt Granatæ expugnationem alta pace uſi, & omne armorum genus rubigine ob incuriam perierat. Quamobrem Ximenius, qui Reipublicæ quietem in unico armorum præſidio collocabat, Gonzalvum Reinoſum, nobilem e familia ſua virum, ad Aſturum ferrarias officinas, quæ non longe aberant, in Cantabriam mittit, ut mille e chalybe thoraces, haſtas bis mille, & tormenta leviora, quibus pilæ ferreæ contorquerentur, quingenta ad ſe, quanta poſſet celeritate adduceret. Interim Reginæ & Palatii cuſtodiæ prætorianam cohortem præfecit, qua & ipſe, quoties neceſſitas expoſcere videbatur, ſtipatus progrediebatur. Hujus cohortis curam Granatenſis Provinciæ Præfecto demandavit, quem *Adelantatum* Hiſpani vocant. Is erat Alphonſi Cardenæ major natu filius, qui cordatus, & manu ſtrenuus eſſe videbatur; patre, qui maximus erat Ordinis ſancti Jacobi Commendatarius, ea de re gratias Ximenio non vulgares agente.

Et prætorianam cohortem.

XXIII. Erant vero ex proceribus, qui cum nondum Ximenii virtutem, & robur noſſent, ejus conſiliis & actis detraherent, omnia vana quædam terriculamenta eſſe dictitantes. Hominis enim plane ſtolidi eſſe, ea tironum manu quemquam magnatum poſſe compeſci credere, ſi quid novæ rei conaretur. At ille Dei Optimi Maximi auxilio fretus, quem ſanctiſſime ſemper coluit, & proprio animi vigore adjutus, quo ab omni ignavia & oſcitantia erat alieniſſimus, adeo integre & magnanime ſe geſſit, ut ſimultates Regulorum admirabili prudentia conſopiverit, & externos motus, qui per Sidoniæ Ducem apud Gibraltarum, acciderant, diligentia inſigni coercuerit. Nam diplomata a Regina, quæ ob mœrorem mente aliquantulum læſa eſſe credebatur, & ſubſcribere recuſabat, extorſit: per quæ finitimis circum circa regionibus, ut Gibraltaro laboranti ſuccurrant, & Sidoniana obſidione liberent, Ducemque ipſum capiendum quamprimum curent, edicebatur, præmiis etiam capienti non vulgaribus propoſitis.

Compeſcit Regni tumultus.

XXIV. Omnia hæc probavit Joanna Regina, quæ ſecum ſtatuerat regni occupationibus liberam, viduali ſeceſſu vitam tranſigere, & Ferdinandum patrem ad regimen revocare, utpote qui Caſtellana Regna multis modis labefactata, maximis laboribus reſtituerat & adauxerat, ſoluſque poſſet in tanto rerum diſcrimine, ne iterum ruerent, ſuſtinere: ut vero interim Regni habenas ſolus moderaretur Ximenius, Regia auctoritate conſtituit.

Regina Joanna totum regimen ſoli Ximenio committit.

XXV. Etſi vero Ximenius tota hac mole Regnorum Hiſpaniæ premeretur, etiam de reſtauranda in longinquis regionibus Religione Chriſtiana impenſe cogitabat. Quare Ferdinandum Hiſpanum, Emanuelem Luſitanum, & Henricum Anglum ad fœdera provocare non ceſſabat, ut conjunctis viribus, & mutuis animis Hieroſolymitanam expeditionem ſubirent, Dominicum Sepulcrum, & reliqua noſtræ Redemptionis incunabula recuperaturi. Quanta in eam rem animi contentione Ximenius intenderet, abunde Emanuelis Regis litteræ declarant, quas ſuis ferme verbis e Luſitano ſermo-

Convocat ille Reges ad fœdera pro expeditione Hieroſolymitana.

mone tranſumptis hic lector ex Complutenſis Academiæ ſcriniis excipiet; quoniam nihil potuit honorificentius aut præſtantius in alicujus commendationem a Rege, geſtarum rerum gloria inclyto, conſcribi.

XXVI. *Ferdinandi*, inquit, *mei ſoceri prudentia, cam excellenti animi magnitudine conjuncta, noſterque, item & Henrici Leviri ad hanc rem ardor & propenſio, concorſque animorum affectus, Divino in primis favore adjuvante, ſine quo numquam aliquid in terris præclare geritur, facile me in ſpem ingentem erigunt, vota tua ſuum finem habitura. Quæ quantum ex litteris tuis intelleximus, ſemper eo tendant, ut Mahumetana ſecta deleatur, & omnes, qui extra cœtum Chriſtianorum ſunt, Dominico gregi tamdem conjungantur, fiatque unum ovile & unus Paſtor. Id autem fauſta hac ac felici expeditione ita cumulate eventurum ſperamus, ut propediem victoriis exultantes, ſanctiſſimum Chriſti Corpus, te ad Sepulcram dominicum ſacra faciente, e tuis manibus ſocer, & duo generi magna lætitia & voluptate perfuſi genibus flexis ſumpturi ſimus. Crede enim mihi, quod poſt Ferdinandi Regis ad hanc rem paratam voluntatem, cujus auſpiciis mirifice confidimus, nihil meum animum magis confirmavit, nec confirmavit modo, ſed altero tanto etiam adauxit, quam tuum ad hanc rem fervorem, diligentiam curamque intueri, ſine quibus nihil eorum, quæ a te prudenter ſingulis in rebus animadvertuntur, potuiſſent ad me perſcribi: quæ mihi maximo argumento ſant, Deo annuente, Provinciam hanc aſſumi. Quare id tibi unum perſuadeas velim, multo magis mihi preſioſum & carum eſſe, te nobiſcum hujus expeditionis participem venire, quam ſi Rex quiſpiam potentiſſimus ſeſe nobis ſocium adjungeret: neque enim ſolum opibus tuis & auctoritate, quæ neutiquam contemnenda ſunt, præſidio nobis & uſui eris, ſed augurii fortunatiſſimi ſpem præſentia tua ſemper ſuggeret. Nam id ex tua pietate, & quam perpetuo colis, morum ſanctimonia pro certo habemus, nihil unquam adverſum aut triſte eis, quibus cum verſeris, accidere poſſe: ſiquidem a viris ſapientiſſimis accepimus, idque oraculis noſtris teſtatum retinemus, Deum immortalem benevolentiorem in eos eſſe, a quibus pure & religioſe, qaemadmodum tu facis, colitur. Sæpe etiam ob unius viri dignitatem & merita, univerſorum noxas condonari: quemadmodum e diverſo, ob unius flagitium & ſcelus totam aliquando Rempublicam everti. In his vero, quæ ex longa conſideratione, quam in legendis hiſtoriis adhibuiſti, ubi de ſimili expeditione agitur, prudentiſſime diſſeris, permulta ſane exempla recenſentur, quæ parum alioqui animatos deterrent, & promptos & paratos commonefaciunt, & cautiores reddunt. Ea etſi nos quoque jam proſpexeramus, abs te tamen admoneri, grato & lubenti animo ſuſcepimus. Nam & ſententia noſtra tuo calculo confirmata fuit, & ampliorem de ea re cogitandi materiam nobis obtuliſti: ut quando coram de eis agendum ſit, ea, quæ nobis uſui ſunt futura, accurate expendere valeamus. Eſſet enim omni culpa dignus, qui ex aliorum periculis non ſaperet. At tu Antiſtes optime, plane curam non vulgarem præ te fers, ingentiſque tuæ ſollicitudinis non mediocre mihi teſtimonium præſtas, tum eorum omnium, quæ ad hanc rem efficiendam conducunt, tanta ſis cognitione inſtructus. Nec enim oræ maritimæ ſinus, navium ſtationes, & abditos in ipſo pelago ſcopulos, quiſquam eſt in Oriente nauclerus, qui diſtinctius poſſet expiicare. Jam quæ de belli gerendi forma a te dicuntur, ita apte & convenienter, ita fortiter & robuſte diſponuntur, ut nihil aliad tractaſſe videaris. Idcirco quamvis hoc ultimum eſſe videamus, neque de eo prius diſputandum, quam ceteris omnibus (ut oportet) compoſitis, quid nos quoque de eo ſentiamus, a te tam luculenter provocati, brevi ſermone aperuimus.*

Regis Luſitani ad Ximeniũ epiſtola.

XXVII.

XXVII. Hæc ex Emanuelis litteris decerpta, ſatis demonſtrant ſollicitum in primis Ximenii animum, de Mahumetana gente extirpanda, qui tanta diligentia & ſedulitate trium potentiſſimorum Regum concordiam ad eam rem perficiendam curaret. Qua tamen de cauſa ea expeditio non ſit facta, nihil certi poteſt produci, niſi quod ex Philippi Burgundi in Hiſpaniam adventu, Ferdinandi ſit imminuta poteſtas, Julii itidem Pontificis cum Gallo diſſidia, ſed & Ferdinandi cum eodem circa Regnum Neapolitanum contentiones & bella, domeſticam tranquillitatem interturbarunt, & cunctam de bellis externis curam abſtulerunt.

XXVIII. Pii aliquot viri religione & ſanctimonia clari hoc anno moriuntur. Joannes Guadalupenſis, de quo ſupra egimus, dum cauſam proſecuturus novæ reformationis a ſe inchoatæ, poſt multas in Hiſpania perpeſſas moleſtias, Romam jam tertio proficiſcitur ad Comitia Generalia a Julio Pontifice, uti diximus, indicta, moritur in itinere. Ejus Congegatio tribus audiebat nominibus: *ſancti Evangelii*, quia ſanctum Evangelium juxta Regulæ formam adamuſſim ſervare contendebant; *Diſcalceatorum*, quia abſque omni pedum operimento & præſidio incedebant; *de Caputio*, quia caputium portabant quadratum ad modum Capucinorum, non tamen adeo acuminatum.

An. 1502. n. 25. & an. 1503. n. 11.
Moritur Joann. Guadalupenſis.
An. 1503. n. 15.

XXIX. Sub tempus celebrationis prædictorum Comitiorum deceſſiſſe Guillelmum e Speluncato, natum in caſtro Tovano inſulę Corſicę (quem diximus invitum ad Epiſcopatum Sagonenſem aſſumptum) ſcribunt aliqui, etſi ex aliis dixerimus anno MCCCCXC. obiiſſe, & ad ſancti Hieronymi in Urbe, non ad Aram-cœli ſepultum. Cum Canonicos & Clerum ad Eccleſiaſticas regulas coercere non poſſet, ceſſit Epiſcopatui, & officium prædicationis, quod per inſignes quaſque Italiæ urbes laudabiliter exercuit, reaſſumpſit. Erat vir valde venerabilis, grata canitie, corpore procero, voce potenti & ſonora, aſpectu devoto, inceſſu gravi, habitu pauper & humilis, atramentarium & thecam calamariam ex cingulo ſuſpendens, vitiorum rigidiſſimus objurgator: quæ omnia octogenarium Epiſcopum, impigre ſemper proximorum ſaluti conſulentem, amabilem & reverendum præbebant univerſis. Viterbienſibus in factiones diviſis prædicans, multa mala, & ultionem Divinam ſingillatim prænunciavit, & rerum eventus vere prophetaſſe monſtravit.

Tom. 14. anno 1482. n. 58.
Et Guillelmus e Speluncato. *al.* Spronєato.
Tom. 14. anno 1490. n. 6.
Marian. lib. 5. c. 42.
Marc. lib. 6. c. 40.
Monum. MSS. Prov. Corſicæ.

XXX. Joannes a Popula, Luſitanis *da Pavoa*, de quo ſuperius diximus, reliqua in hunc locum referentes, vir pius, prudens, & ſui Inſtituti ferventiſſimus zelator, unde ſeptimum Provinciæ Portugalliæ Obſervantes ſe illius regimini commiſerunt. Novem Comitiis aut Congregationibus Generalibus interfuit, ad quas nudis ibat pedibus abſque calceis aut ſcandaliis. Sacras confeſſiones excipiebat Joannis II. Regis Portugalliæ; in aula tamen eo dumtaxat manebat tempore, quo munus iſtud obibat. Dum apud Clariſſas Viſitatoris exerceret officium, noluit quidquam, neque ipſum cibum ab eis accipere, ut liberius oberrantes poſſet corrigere. Ubi licebat, ad ſeceſſum Cœnobii inſulæ ſanctæ Mariæ, quod diximus, recedebat. Defunctus hoc anno, jacet in clauſtro Cœnobii Conceptionis de Matozinhos in Luſitania, prope oſtium aulæ capitularis, ubi memini me ſæpe legiſſe in marmore nigro inciſam honorificam illius memoriam.

An. 1495. n. 4. & alibi.
Joan. a Popula.
Marc. cit. l. 8. c. 44.

XXXI. Gaſpar Urbinas, ita cognominatus, quia in ea urbe educatus, ſed in propinquo pago ſanctæ Euphemiæ natus, hoc etiam anno deceſſit. Stirps ei opulenta ex familia Dondia, & ab ipſa pueritia pietas tanta, ut in juvenili ætate mundi fugerit oblectamenta, & in Religione in ſtatu laico-

Gaſpar Urbinas.

rum

rum religioſam ſummo ſtudio ſectatus ſit humilitatem. Orationis ſtudio, & mira pœnitentia dignum ſe exhibuit, cui Dominus curationum donum conferret, & poteſtatem ut languores omnes curaret. Quapropter undique occurrebant populi, & in viis ſequebantur, ut vel fimbriæ vel manus attactu ſanarentur. Urbis Camerini dominus plaga inſanabili in tibia a longo tempore decumbens, audiens ſigna & prodigia quæ patrabat, miſit qui accerſeret. Venit, ulcus tetigit, repente ſanavit. In eadem Civitate Doctoris Petri Camertis, Medici celeberrimi uxor mammillis graviter dolebat, neque aliud jam ſupererat marito remedium, quam ut Gaſparem ex relato miraculo clariorem, rogaret, languenti mederetur. Acceſſit, conſpexit, tetigit mammillas baculo, quas manu, licet octogenarius, noluit, & Cruce impreſſa malum pepulit & dolorem.

Marian. cit. l.5. cap.21. Marc. cit. c. 31. Rodul. fol.103.

XXXII. Cecidit ipſe in ultima ſenecta, & ex caſu rupta ſpatula, intenſos ſentiebat dolores. Domus tutelarem ſanctum Bernardinum noctu invocavit,& ad auroram ſe ſenſit priſtinæ ſanitati reſtitutum. Ad rei novitatem obſtupeſcentibus Religioſis, ædis præfectus Dominicus Leoneſſanus, cujus geſta jam ſcripſimus, præcepit ut repentinæ ſoſpitatis auctorem manifeſtaret. Non alium dixit ille, quam ſanctum Bernardinum a ſe devote invocatum. Æquum profecto erat, ut qui aliis ſalutem imperti ebat, ſibi impetraret. Multa paſſus a dæmonibus ludibria & ſpectra horribilia, aliquando fera, aliquando fœda, ſemper victoriam reportabat. Tamdem plenus meritis & diebus, obdormivit in Domino ad ſanctum Bernardinum extra urbem, cum beato Donato, de quo diximus, ſepultus ſub aram Crucifixi. Vita & miraculis claruiſſe, virumque fuiſſe miræ puritatis & ſanctitatis aſſerunt Marianus Florentinus & Marcus Ulyſſipponenſis.

An.1497. n.1. & ſeqq.

Tom. 10. anno 1425. n.19.

XXXIII. Venantius Nagnes a Fabriano ad ſanctæ Mariæ Novæ in urbe Neapolitana hoc anno naturæ debitum perſolvit. Socius fuit cariſſimus beati Jacobi Piceni, quod alias diximus, ejus geſta notavit, & morti interfuit. Numquam potuit ab ejus corpore divelli; quare per annos ferme triginta eo in loco commoratus, cuſtodem egit ſacri Cadaveris. Rex populuſque Neapolitanus eum habuit in pretio, & fratrem Abundantium vocabant, quia vere celeſtibus donis abundabat. Languentes omnes ad ſe accedentes Reliquiis tangebat D. Jacobi, piis verbis conſolabatur, & iis, qui egeni erant, pharmaca morbiſque neceſſaria procurabat. Multis proficiebat virtus Reliquiarum, invocatumque ſuper eos nomen Jeſus, cui addictiſſimus erat Venantius. Obiit anno ſeptuageſimo ſecundo ſuæ ætatis, poſtquam quinquaginta duos in Religione ſanctiſſime tranſegit. Ejus corpus venerati ſunt populi, & veſtes in reliquias diſcerpſerunt.

Venantius a Fabriano. *Marc. cit. c. 26. Cimarel. l.8.c.52. Tom. 14. anno 1476. n.48.*

XXXIV. Gerardus Florentinus laicus ſive converſus, e manu ſancti Bernardini Ordinis habitum ſuſcepit, cujus fuit deinceps diſcipulus & ſocius. Poſt ejus mortem adhæſit beato Jacobo Piceno, dum per ætatem & vires licuit; ſed tamdem gravi oppreſſus ſenectute, ab eo miſſus eſt in Provinciam Marchiæ a laboribus ceſſaturus. Vitæ ſolitariæ, & religioſæ quietis cupidiſſimus, omnium fugiebat conſortium. Superioribus obſequentiſſimum, & erga proximos ſingulari ferventem caritate omnes diligebant. Oſtiarii officium ſuſtinuit annis viginti in Cœnobio Muri, eximia diſcretione & pietate erga pauperes, eaque ſenſuum cuſtodia, ut mulierem nullam in facie conſpexerit, neque ullius ſecularis nomen ſciverit, niſi ſolius Syndici aut Procuratoris Cœnobii. Semel interrogatus, quotannis erat frater Minor? Reſpondit: neque uno quidem momento. Ad hæc hæſitans, qui interrogaverat, rogavit, ut quod dixerat, explicaret: *Ita eſt*, inquit Ge-

Gerardus Florentin. *Marc. cit.c.27. Cimarel.cit.c.53.*

Gerardus; *ſeptuaginta quinque elapſi ſunt anni, ex quo ego Minorum habitum ſuſcepi, ſed quanto tempore veri Fratris partes egerim, ignoro*. Alias Vicario Provinciæ percontanti, quotannis in Ordine vixerit? *una dumtaxat nocte*, reſpondit. Obſcurum loquendi modum dum non perciperet Vicarius, inquit: *Quando in ipſa ferme Regularis Obſervantiæ infantia, tenellam plantulam ſupplantare cogitabant Patres Conventuales, convenientes in unum ſanctus Bernardinus Senenſis, & ſanctiſſimi viri Joannes Capiſtranenſis, ac Jacobus Picenus, mutuis precibus* a Deo *ſubſidium petebant, deſcendenteſque noctu in templum me vocaverunt, ut ſimul etiam cum ipſis ararem. Integram duximus noctem inſomnem in oratione & petitione Dei, invicem conferentes de remedio tanti, quod imminebat, periculi, & colloquentes de rebus ſpiritualibus, quæ in Dei obſequium, & proximorum tendebant ſalutem. Sola itaque hac nocte me verum Fratrem Minorem fuiſſe reputarim.*

XXXV. Annos triginta vehementes paſſus dolores podagræ, & iliacos, in hymnis & canticis ſpiritualibus pœnas ſuas Deo exponebat, quando acrius affligebant. Vitæ finem ſibi a Deo revelatum Fratribus prænunciavit; unde factum eſt, ut cum ultima decumberet infirmitate, populus undique ex vicinis pagis & oppidis concurrerent, antequam moreretur viſuri. Ubi propius accedebant, genuflexi procedebant ad ejus cubiculum, tamquam ſanctum veneraturi, quod ille impatienter ferebat, indignum ſe dicens, cui tales deferrentur honores. Duo cæci lumen, aliique infirmi ſanitatem illius meritis tunc receperunt. Vocatis Fratribus, e lectulo proſiliens, genuflexus, humiliato capite, ab omnibus veniam petiit erratorum. Die ſequenti Julii XV. ſub horam nonæ, quam prædixit, ſacroſanctis munitus Sacramentis, hoc anno pie deceſſit, ætatis ſuæ centeſimo quinto, a ſuſcepta veſte Minorum ſeptuageſimo ſexto.

Stanislaus Slappus. Cimar. lib. 7. cap. 52. Chron. MSS. Provin. Polon.

XXXVI. Stanislaus Slappus Polonus, Vicarius Obſervantum Provinciæ Poloniæ electus anno MDII. vir prudens & doctus, in Religionis muniis & rebus gravioribus valde expertus, & propterea ſæpe miſſus, ut de eiſdem ageret cum viris nobilibus, cum Principibus, cum Epiſcopis, cum Generalibus Miniſtris, & in Comitiis Ordinis, unde non ſemel venit in Italiam. Regularis Obſervantiæ ſervidus zelator, eamdem in cunctis actibus præ ſe ferebat, & aliis perſuadebat. Duobus annis variis morbis vehementer afflictatus, hoc anno pridie Kalendas Aprilis pie deceſſit Bidgoſtiæ, prope Altare præcipuum ſepultus.

Hieronym. Anconit. Marc. cit. l. 8. cap. 26.

XXXVII. Hieronymus, nobilis adoleſcens, ætatis anno XVI. ſuſcepto habitu Tertii Inſtituti ſancti Franciſci, cacumen aſcendit altiſſimi montis prope Anconam, ubi vitam egit eremiticam annis viginti quatuor, variis modis abſtinentiæ & pœnitentiæ corpus ſuum affligens, conſortium fugiens hominum, totus cœleſtibus meditationibus intentus. Illic defunctus, cœpit clarere miraculis, quæ Anconitanos commoverunt, ut, univerſo populo obviam procedente, in urbem duceretur, & in Eccleſia cathedrali ſepeliretur, ubi magna colitur veneratione.

Fr. Franc. Epiſc. Hortan.

XXXVIII. Hortanæ & Caſtellanæ Eccleſiis unitis, Pontifici Romano immediate ſubjectis, præfectus eſt hoc anno die XVIII. Maii Franciſcus de Franciſchinis, Pœnitentiarius Vaticanus, & Julio Pontifici a ſacris conſeſſionibus, per obitum Joannis Brochardi. Interfuit Concilio Lateranenſi ſub Julio, ejuſque partes conſtanter juvit contra Piſanos Novatores. Illas rexit Eccleſias uſque ad annum MDXXV. Eccleſiæ Callienſi, ſub Archiepiſcopo Urbinate, Antonius de Caſtrianis Sentinas, ſive e Saxo ferrato, Philoſophus & Theologus inſignis, Franciſci Cardinalis Alidoſii aulæ præfe-

fectus, Franciſci Roborei, conſanguinei Julii Pontificis Præceptor, Senogalliæ Gubernator, per obitum Bernardini de Leis die xxx. Januarii præpoſitus eſt; inde anno ſequenti ad Epiſcopatum Ferretranum, ſive Leopolitanum in eadem Provincia translatus. Ad Archiepiſcopatum Coloſſenſem, ſive Rhodium promotus eſt Leonardus de Baleſtrinis, die vii. Septembris. Lucas Capellus ex Procuratore Generali Ordinis (quod munus ſubivit anno MD.) hoc anno inſtitutus eſt Miniſter Provinciæ Tuſciæ, mox Nuncius Apoſtolicus & Commiſſarius amandatus eſt a Julio Pontifice in Luſitaniam, unde regreſſus obiit Senis ætatis anno LXXVIII.

Leonardus Archiep. Coloſſen. Lucas Capellus Nuncius Apoſtolicus.

XXXIX. Aliquantulum diſtat a muris Ateſtini oppidi in Marchia Tarviſina, a Patavio xv. M. P. diſtantis, Cœnobium ſanctæ Mariæ de Conſolatione, quod hoc anno cœperant Obſervantes ædificare, habita facultate Julii Pontificis, & collectis eleemoſynis diverſorum fidelium, accepto etiam ſubſidio ab ipſa Communitate Ateſtinorum. Prope Coratum Apuliæ oppidum Obſervantum Cœnobium inde ſumpſit exordium, quod graſſante ſæva contagione, revelatum ſit Quirico Frambotto, ſimplici viro Coratino, ſi liberari vellent a ſæviente lue oppidani, conſtruerent Eccleſiam D. Cataldo ſacram, in loco ſibi deſignando. Ut tantum malum propellerent Coratini, ſtatim manus operi admoverunt, templumque perfectum Obſervantibus tradiderunt, ut contiguum conſtruerent habitaculum.

Conv. Ateſtinus. *Gonz. in Provin. S. Anton. Conv. 34.*
Conv. Corati. *Idem in Provin. S. Nicolai Conv. 27.*

XL. In pulcherrimi collis clivo prope Civitatem Iſernienſem in Samnitibus, cives Eccleſiam vetuſtam ſanctæ Catarinæ, quæ ad quoſdam Confratres ſpectabat, data eis altera meliori, reſtaurarunt & ampliarunt ſub nomine ſanctæ Mariæ de Gratiis, dederuntque Fratribus Obſervantibus, adjecto inſuper Cœnobio ſatis commodo, in quo primum ſtudium vigebat Philoſophiæ, nunc eſt valetudinarium. Jacent hic Bernardinus a Rivo nigro, humilitate, caritate, aſſidua oratione commendabilis; & Angelus Storrens vir nobilis, Caſtri petroſi dominus, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, cui pridie ante obitum ſanctus Franciſcus apparuit, eique remiſſa fuiſſe peccata revelavit, ob eximiam quam erga Chriſti pauperes exercebat caritatem. Prope Canaris oppidum in Inſula Corſicæ, communi ære ædificatum eſt Cœnobium pro octo Fratribus, ſub invocatione ſancti Franciſci.

Conv. Iſerniæ. *Idem in Provin. S. Angeli Conv. 19. Clarlanti de rebus Samnitum libro 5. cap. 3.*
Conv. Canaris. *Idem in Provin. Corſicæ Conv. 21. Tom. 1. an. 1220. n. 79.*

XLI. Dixi alias vetuſtum Conventum Conymbricenſem, ruinis propter adlabentis fluvii Mondæ injurias obnoxium, alio fuiſſe translatum. Etſi vero poſt annum MDC. Fratres ſedem mutarint, ea tamen fuit Cœnobii hoc anno calamitoſa conditio, ut Emmanuel Luſitaniæ Rex a Julio Pontifice petierit facultatem, ut ad commodiorem locum poſſet transferri, quam etiam impetravit pro Cœnobio Prædicatorum: *Cum inter mentis noſtræ.* XVI. Kalendas Aprilis.

Conceditur licentia trãsferendi Cœnobiũ Conymbriæ.

XLII. Religioſiſſimis Patribus Provinciæ ſancti Gabrielis ſolitudinem, & ſeculi fugam amantibus, hoc anno Alburquerquii frequentis nobiliſque oppidi, diœceſis Pacenſis populum Cœnobium conſtruxiſſe III. M. P. ſemotum, ſcribit Gonzaga; ſed in Regeſto Pontificio invenio anno ſequenti datam a Julio II. facultatem Joanni Borraga, eo oppido oriundo, ut Fratribus Cuſtodiæ ſancti Evangelii ſuis ſumptibus illud ædificaret, ſub invocatione Matris Dei. Ædificaſſe puto in diſtrictu illius oppidi; ſed cum doleret populum longe abeſſe Fratres, aliud, defuncto forte Joanne, eis ædificarunt ad M. D. P. ſub beatæ Mariæ Virginis invocatione. Locus eſt amœniſſimus, pulcherrimis hortis, irriguis aquis, quercea ſilva gratiſſimus, a ſecularium moleſtiis alienus. Multi hic floruerunt viri pietate illuſtres, præſertim Joannes a Bovadilla, Anaſtaſius & Didacus de Monte, Franciſcus Moneus, quo-

Conv. Alburquerquii. *Gonz. in Prov. S. Gabriel. Con. 5. Lib. 111. fol. 165.*

quorum eſt celebris inter Fratres memoria. Anno MCXXX. graſſante in Alburquerquios gravi lue, quidam hujus Cœnobii alumnus, dum oraret, ut Deus iram averteret, vidit Angelos in ſubjectum populum ignitas ſagittas immittentes. Sed dum inſtantius profuſiſque lacrymis oraret, exauditum ſe ſenſit, ſtatimque lues eſt profligata.

Conv. Salvæterræ. *Indid. Conv. 6.*

XLIII. Conventum ſanctæ Mariæ de Jeſu M. P. ab oppido Salvæterræ ad Ferianum Ducem ſpectante, Petrus Melgarius Roma regreſſus, obtentaque Julii facultate fabricavit, ad hoc conferentibus ſuas facultates Ferdinando Gomeſio de Solis, & Beatrice Emanuele conſorte. Ea quidem regio calidiſſima eſt, ſed Conventus ſaluberrima gaudet aeris temperie, duobuſque ſolitariis ſacellis, in quibus ſtatutis temporibus, alterniſque vicibus Fratres jejuniis, vigiliis & orationibus incumbunt. Hic vixerunt Damianus Valentinus ſacerdos, & Alexander Italus laicus, quorum uterque pro Chriſti fide occubuit, uti ſuo tempore dicemus. Jacet hic Michael Cordubenſis, vir religioſiſſimus, cui hæc Provincia magnam ſui incrementi partem debet.

Anno 1533.

Conv. Neguapanti. *Idem in Provin. S. Thomæ Conv. 7. & 2.* Conv. Canonori. Chriſtianitates ſeu Parochiæ Vaccanæ.

XLIV. In India Orientali duo ſub hunc annum erecti ſunt Conventus, unus in commodiſſimo portu inſulæ Neguapanti ab ipſis incolis ad Chriſti fidem converſis; alius apud Canonorum urbem, juſſu & ære Regis Emanuelis, qui poſt devictam urbem, munitionem, qua devictos in officio contineret, conſtruxit, & Cœnobium ſancto Antonio ſacrum adjungi curavit, in quo Philoſophiæ ſtudium inſtitutum eſt. Patres Neguapantani in Vaccarum inſula, quæ ad meridiem vergit, duas extruxerunt Eccleſias, quas Chriſtianitates appellant, in quibus Parochorum & Cathechiſtarum munia exercent, ad fidem converſos baptizantes, Sacramenta miniſtrantes, Evangelium prædicantes, & reliqua peragentes, quæ ad Neophytorum ſpectant Magiſtros.

Conv. Aræ-Sanctorum. *Ex Reg. lib. 78. fol. 273.*

XLV. Conceſſit hoc anno Pontifex, ut pro Fratribus Minoribus ædificaretur Cœnobium, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum in inſula *Aræ Sanctorum* Hiberniæ, circuitus viginti quatuor milliarium, in qua mira vigebat rei Eccleſiaſticæ negligentia, & Chriſtianæ doctrinæ ignorantia. Et quia in dicta Inſula, neque vinum, neque oleum, neque cerviſia, neque ſicera inveniebantur, indultum eſt Fratribus vaccas habere, uſque ad numerum quadraginta, quarum lacticiniis veſci liceret. Quid vero actum ſit circa hæc, non comperio; nullum enim occurrit conſtructi in hac inſula Cœnobii veſtigium. Joannes Herck Guardianus & Fratres Conventus Dieſten, Leodien. diœceſis, Provinciæ Germaniæ inferioris, qui erant Congregationis ſeu reformationis Coletaneorum, ſponte iſto anno anno dimiſſo hoc nomine, ſe univerunt familiæ Obſervantum, ut obedirent litteris Apoſtolicis, datis & a nobis ſuperius hoc anno relatis.

Conv. Dieſten. *Sup. n. 5.*

Monaſt. Interamnæ. *Ex lib. 87. fol. 74.*

XLVI. Plerique viri & mulieres in urbe Interamnenſi varias reliquerunt domos, & bona inſuper mobilia ac immobilia pro uſu, habitatione & victu Sororum Tertii Ordinis, quarum pleræque in ea vivebant Civitate. Sed cum multæ ex his eſſent conjugatæ, paucæque viverent in collegio aut communitate, Pontifex ad harum preces ſtatuit, ut collectis illis bonis, venditiſque domibus, una ſtabiliretur pro Clariſſis, ad quas liceret Tertiariis tranſire, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Virginibus, regenda per Fratres Obſervantiæ provinciæ ſancti Franciſci. Quid actum ſit, non reperio; apud Gonzagam enim lego unum dumtaxat illius urbis Monaſterium ſub titulo ſancti Proculi anno MDXVIII. fundatum.

Gonz. in Provin. ſancti Franciſci Conv. 13.

XLVII. Quædam piæ feminæ Mencia de ſancta Maria, Leonora de An-

Angelis, & Conſtantia a ſancto Franciſco recluſæ in Eccleſia ſancti Michaelis Hiſpalenſi, impetrarunt hoc anno facultatem ædificandi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia in oppido Utreræ, diœceſis Hiſpalenſis, in domibus & Eccleſia antiqua ſibi propter earumdem exemplarem vitam per quemdam Rodericum Alvari Chamorro, dum viveret, donatis: *Votis fidelium perſonarum*. v. Kalend. Januarii. Neſcio an hoc ſit illud Monaſterium, quod Gonzaga recenſet ædificaſſe poſtea Joannem Pontium Legionenſem, ſive *de Leon*, Comitem Arcuenſem, anno MDXII. ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratia, & tradidiſſe quibuſdam fœminis inhabitandum; quæ cum poſt triennium habitum ſanctæ Claræ, & Regulam ſub regimine Fratrum Minorum ſubire nollent, anno MDXV. Clariſſas introduxit, conſtituta eis ſufficienti alimonia. Crevit Monialium numerus ad ſeptuageſimum.

Monaſt. Utreræ.

Gonz. in Provin. Bætica Monaſt. 7.

XLVIII. Occurrit memoria Monaſterii vetuſtiſſimi, & per triginta annos Abbatiſſa & Sororibus carentis, ſancti Joannis de Varri, oppidi Talliacotii, Marſicanæ diœceſis, & propterea hoc anno a Pontifice uniti Conventui ſancti Franciſci oppidi prædicti. Tropienſis prope ripas maris, cujus Abbatiſſa petebat, dum viveret in regimine conſervari. Uratiſlavienſis, cui confirmatum eſt jus patronatus Eccleſiæ Parochialis ſanctorum Staniſlai & Wenceſlai, oppidi ſive urbis Surdenitzen, ſibi per Henricum Sileſiæ Ducem collatum. Londonienſis ſanctæ Agathæ, quod ut ingredi poſſet Eliſabetha vidua relicta Joannis, Ducis Norfolciæ, Pontifex indulſit.

Monaſt. Talliacotii. *Ex Reg. lib. 79. fo. 297.* Monaſt. Tropienſe. Monaſt. Uratiſlavienſe. Monaſt. Londonienſe. *Ex lib. 103. fol. 232.*

XLIX. Domus beatæ Mariæ Matris Dei extra muros Cordubenſes Fratrum Tertii Ordinis, cujus viſitator perpetuus deputatur Sancius Miniſter Provinciæ Caſtellæ Ordinis Minorum. Domus de Melllis, Curien. diœceſis, Sororum Tertii Ordinis petentium ſibi quædam bona injuſte ablata reſtitui. Domus ſeu recluſorii ſancti Iſidori prope oppidum Bonnæ, in quo dum paucula viverent Sorores, ſcripſit Pontifex ad Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem, ut traderetur Fratribus Eremitis ſancti Auguſtini de Obſervantia. An ita factum, neſcio: non enim in recenſu alphabetico ſuorum Cœnobiorum invenio hujus mentionem apud Thomam Herreram ejuſdem Inſtituti virum doctum, noſtrum amicum. Et Conventus Minorum de Corbus, Miſnenſis diœceſis, occaſione inſtitutæ illic cujuſdam Confraternitatis.

Domus Cordub. Fratrum Tertii Ordinis. Domus de Meillis Sororum Tertii Ordinis. Domus Bonnæ earumdem.

Conv. de Corbus.

ARGUMENTUM.

Ferdinandus Rex Hiſpaniarum moderator, in Hiſpaniolam Indiarum Occidentalium inſulam præcipuam mittit Minoritas. Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus officii Miſtarabum ritus reſtituit. Eum Pontifex Cardinalem & ſupremum Hiſpaniæ Inquiſitorem inſtituit. Sanctus Franciſcus Paulanus moritur, & quo jure ſibi eum vendicant Minoritæ, declaratur. Ex humanis abeunt viri pii, & præclariſſima fœmina Maria Toletana. Obſervantes Ciſmontani celebrant Comitia Generalia. Frater Joannes olim Epiſcopus Varadienſis graviſſima fungitur legatione ad Cæſarem, & Hungariæ ac Poloniæ Reges. Protectoris auctoritatem in Ordinem Pontifex declarat. Creantur Epiſcopi. Ædificantur Cœnobia.

I. FERDINANDUS Aragonius Rex Caſtellæ & Legionis, imperio pro Joanna filia, mentis impote, ſuſcepto, hoc anno e Regno Neapolitano in Hiſpaniam reverſus, multa prudenter pro Indicarum rerum feliciori pro-

Herrer. dec. 1. l. 7. c. 2. Ferdinandus Rex reaſſumit Hiſpaniæ regimen.

progreſſu ſancitis legibus, conſtituit. Pro cultus vero Chriſtiani incremento miſit in Hiſpaniolæ inſulam, primam omnium, quæ in Hiſpanorum poteſtatem devenit, fratrem Antonium Joachimum, & Sodalem alterum Franciſcanos, adjunctis ſervulo in ſacrorum obſequium, ſacris vaſis, cera, rebuſque omnibus ad ſacra miniſteria neceſſariis, & conſodalium Monaſterio peropportunis.

Binos mittit in Hiſpaniolam Minoritas.

II. Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus Mozarabum ſacris inſtituendis hoc anno initium dedit. Cum enim in ſui Templi Toletani vetuſta bibliotheca ſingulos libros diligenter excuteret, de omnibuſque certior fieri vellet, ut ſi quando uſus expoſceret, haud eorum Codicum inopia laboraret, forte ad quædam vetuſta volumina in membranis Gotthicis characteribus ſcripta pervenit. Ut vero exactius dignoſcatur, quid in hac re Ximenius præſtiterit, de iſtorum ſacrorum, & officii Mozarabum origine, quædam ſunt præmittenda. Gens Viſigothica (Occidentales ſcilicet Gothi) cum Hiſpaniam univerſam occupaſſet, & Ariana impietate eſſet infecta, tantam Catholicis Eccleſiis perturbationem invexit, ut cultus Divini in varios ritus, ceremoniaſque diviſæ fuerint: & neque inter Orthodoxos quidem ipſos, una vel ſacrificandi, vel horarias preces (quæ Canonicæ dicuntur) pſallendi conſuetudo eſſet. Sed poſtquam univerſa Gotthorum gens Leandri & Fulgentii ſtudio, poſt annum centeſimum circiter quadrageſimum, ex quo in Hiſpaniam venerat, antiqua impietate abdicata, orthodoxam fidem una cum ſuo Rege Recaredo cupidiſſime accepiſſet: pace Eccleſiis reſtituta, de ſacris communi conſilio conſtituendis agitari cœptum eſt: idque potiſſimum in urbe Regia. Sic enim Toletum poſt adventum Gotthorum, qui Sedem Regni illuc tranſtulerunt, cognominabant; cum antea (ut Rodericus Toletanus Pontif. rerum Gotthicarum diligens ſcriptor tradit) a Vandalis, & Selingis Germaniæ gentibus, qui una in Hiſpaniam commigrarunt, Hiſpalis urbs regia & vocata & habita fuerit.

Gomeſ. de geſtis Ximenii lib. 2. Eugen. de Robles in vita Ximenii c. 19. & ſeqq.

Officii Miſtarabici origo.

Roder. Toletan. hiſt. Vandalor. c. 12.

III. Toleti igitur conventu Epiſcoporum indicto (quod Concilium IV. Toletanum fuiſſe ferunt) Patrum decreto ſancitum eſt, ut in univerſis Hiſpaniæ Eccleſiis preces privatæ, Miſſarum oblationes, & omnes publicæ pſalmodiæ, unico & eodem exemplo a Sacerdotibus celebrarentur. Cura hunc Ordinem inſtituendi Iſidoro Pontifici Hiſpalenſi, ſumma tunc ſanctimonia & doctrina claro, demandata fuit: quamquam in hoc auctores variant: nonnulli enim Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ antiquiorem Antiſtitem ei muneri præfectum afferunt, cui Iſidorus comes datus fuerit. Sed illud conſtat, ab Iſidoro eum ritum *Iſidorianum* officium fuiſſe nuncupatum. Perſeveravit in Hiſpanis Eccleſiis hæc ſacrorum religio, quamdiu res Gotthorum in ea floruerunt: hoc eſt centum viginti circiter annos, uſque ad miſerandam illam calamitatem, cum per Mauros Arabeſque univerſa pene regio cæde incendiiſque vaſtata, fuſis fugatiſque Hiſpanorum copiis, in barbarorum ditionem pervenit.

Conc. IV. Tolet. cap. 2.

IV. Cum autem in publica clade, urbs quoque ipſa regia in hoſtium poteſtatem, idque ea conditione veniſſet, ut oppidanis liceret Chriſtiano ritu, legibus, moribuſque in ea vivere: quamvis pleraque civium multitudo ſpontaneum exilium Arabicæ prætulerit ſervituti, nonnulli tamen, quibus patrii domeſticique lares cariores libertate fuerunt, conditione accepta, ſub Arabum & Maurorum imperio, ſacris ſuis retentis, in urbe manſerunt. Ergo ejuſmodi homines, quod Arabibus permiſti viverent, *Miſtarabes* appellati ſunt, & illorum Eccleſiaſticus ritus, officium *Miſtarabum*. Quæ vox cum temporis diuturnitate, tum barbarorum lingua, eſt corrupta, & in

& in *Mozarabum* degeneravit, qua nunc vulgus utitur. Igitur iis, qui ſic inter Arabes Toleti manſerunt, ſex Eccleſiæ, in quibus rem Divinam facerent, a Mauris permiſſæ ſunt, divorum Marci, Lucæ, Sebaſtiani, Torquati, Eulaliæ, & Juſtæ Numinibus dedicatæ: in quibus ritum Iſidorianum, qui incolumi florentique Civitate in templis omnibus canebatur, captivæ etiam quadringentos ferme annos conſervaverunt, quod *Toletanum* officium appellabatur.

V. At vero urbe illa Divina tandem benignitate, Alfonſique Regis, Ferdinandi Magni filii auſpiciis recuperata, cum de ſacris in ea inſtaurandis reſtituendiſque ageretur, Rex Richardi Maſſilienſis Abbatis ſuaſu, & Conſtantiæ Reginæ uxoris aſſidua inſtigatione, ritum ſacrorum a Divo Gregorio olim inſtitutum, Toletano prætulit, quamvis populis clamantibus, uſum ſuorum ſacrorum tot ſeculis inter medios barbaros conſervatum, per ſummam injuriam aboleri. Quæ vero de ſingulari militum certamine, altero pro Gotthicis ſacris, altero pro Gregorianis dimicantium, deque pyra in medio Toleti foro incenſa dicuntur, in quam ſacri utriuſque officii codices conjecti ſunt, apud alios auctores, qui de ea re ſcripſerunt, explicatius & uberius legi poterunt. Sed tamen ut Rex animos turbarum leniret, adhuc ſacra ſua auferri frementium, cum in urbe nuper recuperata inter varias baſilicarum, fanorum, ædiumque ſacrarum dedicationes, parœciales in primis (quas vulgo *Parrochiales* vocant) Eccleſiæ regionatim conſtituerentur, ad quas populus rei Divinæ cauſa conveniret, ſuique limites per vicos domoſque ſingulis definirentur, ſolis illis ſex Eccleſiis, in quibus Iſidorianus ritus, vel inter hoſtes per tot annos duraverat, fines nulli præſcripti ſunt; ſed ſui cuique Mozarabes, illorumque poſteri, ubi illos intra extrave urbem in agro Toletano morari contingeret, immunitatibus & privilegiis non vulgaribus pro parrochianis, & tribulibus aſſignati fuerunt.

VI. Quamdiu ergo illi Mozarabes, illorumque poſteri floruerunt, ſuam quiſque Eccleſiam, ſacraque gentilia frequentarunt. Sed paulatim familiis deficientibus, ritus etiam ille deficere, & Gregorianus ſenſim in ſex illas Eccleſias introduci cœpit. Tandem ergo factum eſt, ut nonniſi paucis quibuſdam ſtatis feſtiſque diebus, eo ritu in illis ſacrificaretur. Litterarum vero Gotthicarum characteres Latinis noſtris non multum ſunt abſimiles: nonnulli enim eadem ſunt forma, alii vero diſſimili: quos per Gudillam quemdam Epiſcopum, una cum fidei noſtræ rudimentis, genti Gotthorum traditos ferunt: qui primum Gotthici, deinde Toletani, poſtremo Mozarabum appellati ſunt. Ferunt etiam veteris ac novi teſtamenti libros in vulgarem Gotthorum linguam per hunc Gudillam translatos fuiſſe. *Cœpit interire.*

VII. Igitur cum ad ea volumina Ximenius veniſſet, de re tota (ut ſupra narratum eſt) edoctus, indignum eſſe & grave judicavit, ſanctiſſimas priſcorum Hiſpanorum ceremonias a viris præclaris inſtitutas, & miraculorum teſtimoniis comprobatas, in tantam deſuetudinem veniſſe, ut jam interituræ eſſe viderentur. Cœpit rem altius conſiderare; & ut erat priſcarum cœremoniarum ſtudioſiſſimus, Mozarabum ritus inſtaurandi curam ſuſcepit, adhibitiſque viris quotquot extabant ejus rei peritis, primum libros omnes, quibus ſacra illa continerentur, Gotthicis characteribus conſcriptos, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impreſſoriiſque formis excudendos curavit. Quibus non ſine magna impenſa in exempla innumera typis Melchioris Giorizii Genuenſis impreſſoris vulgatis, ad extremam templi partem Occidentem verſus in ædicula, quæ *Corporis Chriſti* dicebatur, ſacellum eleganti forma ædificavit, in quo tredecim Sacerdotum *Illud Ximenius reſtituit.*

tum Collegium, adjunctis tribus miniſtris, inſtituit, quos Mozarabes Sodales appellavit, opuſque ſub annum MDXII. abſolvit.

VIII. Hoc Collegium idoneis proventibus annuis inſtructum, ſub Capituli Toletani patrocinio conſtituit. Ipſis porro ſacerdotibus perpetuam horum ſacrorum curationem demandavit: ut eo ritu ſingulis diebus ſacrificare, horariaſque preces concinere ſolemne eſſet. Ad quos & ſex Mozarabum Eccleſiarum ſacerdotia pertinere voluit: quæ quoties vacua eſſe contingeret, ipſi optare poſſent ſacerdotes, quibus illa Archiepiſcopus conferret: aliaſque leges addidit, quas non eſt operæ pretium referre. Sic ergo ſacra illa per Ximenium reſtituta, & ab interitu vindicata ſunt: in cujus reſtitutionis memoriam, cœnotaphium reparatori in medio ſacello honorifice erectum cernitur, impendente deſuper coccineo galero, Cardinalitii honoris inſigni. De hac Collegii auctoritate, ritibus & varietate officii, videri poterunt Robles citatus, Joannes Marieta, Franciſcus Piſanus, Alfonſus Villegas, & alii.

Marieta de SS. Hipſan. l. 3. cap. 96. Piſa. de hiſtor. Toleti lib. 3. cap. 32. Villeg. 3. par. de vitis Sanctor. vita 206. Gomeſ. l. 4.

IX. Pauci nunc hujuſmodi ſacrorum codices ea regione ſuperſunt; ab omnibus etenim doctis & piis hominibus, quibus hujus officii aderat notitia, tam Miſſale, quam Breviarium certatim expetebatur, ipſeque adeo Paulus III. Pontifex Max. miſſis Toletum Legatis, ab ea Eccleſia officium hoc petierit, & Gothicæ pietatis monumentum in Bibliotheca Vaticana aſſervari juſſerit. Opus profecto utrumque, ſive ſacrarum precationum gravitatem, ſive hymnorum elegantiam, ſive rerum geſtarum per antiquos Patres & Martyres non vulgares hiſtorias quiſpiam conſideret, magno in pretio & veneratione habendum.

X. Præter hoc, viros quoſque doctos, atque inter hos Aſtunigam, Nebriſſenſem, Pintianum, Coronellum, reliquoſque ſacrorum Bibliorum curatores ad ſe Toletum advocavit. Volebat enim, quoties ſibi per otium facultas daretur, eorum ſtudiis intereſſe, & ſacrarum rerum difficultatibus enucleandis totum id temporis, quod a negotiis ſuccidere liceret, impendere. Porro cum crebro ad illum tam Hebræa, quam Græca exemplaria ex diverſis locis per conductos miniſtros, non ſine magna impenſa, mitterentur, gaudebat viros earum linguarum peritos apud ſe habere, qui de certa librorum æſtimatione & fide edocerent. Volebat etiam in re tam gravi, quæ propter illius temporis ignorantiam, apud pleroſque male audiverat, ſua præſentia & auctoritate honeſtare, & a calumniantium criminationibus aſſerere.

Graves Ximenii curæ.

XI. Hæ curæ animum magis liberum, quam Ximenii potuit eſſe, requirebant. Tota enim rerum Hiſpanicarum, Regnique curandi moles ab ejus humeris, mortuo Philippo Rege, uti diximus, pendebat. Reginæ Joannæ, ſibi parum compotis, aſſidua cura, civilium motuum ingens periculum, Regulorum diſcordiæ, antiquæ quarumdam urbium reſuſcitatæ ſimultates, privata etiam in diœceſi ſua ſacerdotiorum negotia, ita animum diſtrahebant, ut neque litterarum ſolatiis, neque gratiſſimo doctorum virorum conſortio mentem recreare liceret. Id ſuper omnia magnanimum virum afflixit, quod Petro Cordubæ, juvenum regiorum Præfecto in Africa acciderat. Nam cum ejus opera Portus magnus, qui Maurorum lingua, *Merſalcabir* dicitur, Carthagini novæ in Hiſpania oppoſitus, in Chriſtianorum poteſtatem veniſſet, eumque præſidio militari tueretur, aliquid egregium patrandi cupidine incenſus, in interiorem Africam, cum tribus peditum millibus, aliquotque item cataphractis equitibus penetravit. Sed inauſpicato prælio cum Mauris dimicans, pene omnes, hoſtium innumera multitudi-

tudine undique confluente, ſunt peremti. Quod magis ac magis Ximenii animum confirmavit ad expeditionem Africanam, quam jam diu ſecum meditabatur, ſuſcipiendam.

XII. Dum his curis Ximenius diſtringitur, Ferdinandus Rex Aragonius, Joannæ Reginæ genitor, compoſitis cum Ludovico Gallorum Rege de Regno Neapolitano diſceptationibus, in Hiſpaniam venit, Regnum pro filia moderaturus, ſecumque duxit inſignia Cardinalitiæ dignitatis, a Julio Pontifice, dum Neapoli in Hiſpaniam proficiſceretur, pro Ximenio obtentæ, quod amoris in eum haud vulgaris magnum fuit indicium. Voluit porro Rex, ut primo quoque tempore magno apparatu & celebritate Ximenius hoc honore potiretur, & purpureo inſigniretur galero. Itaque ad Mahamudi oppidum omnes ferme proceres cum Rege convenerunt, & Joanne Ruffo Nuncio Apoſtolico ſacra procurante, purpura Ximenius decoratur, lectis publice his litteris a Julio per ipſum Regem tranſmiſſis. Creatur Cardinalis.

Venerabili fratri noſtro Franciſco S. R. E. Presbytero Cardinali.

XIII. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inducti præclaris meritis & virtutibus tuis, contemplatione etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Aragonum & Siciliæ Regis Catholici, qui hoc a nobis per litteras & Oratores inſtantiſſime petiit, hodie in Conſiſtorio noſtro ſecreto, S. R. E. Cardinalium conſortio & Collegio te aggregavimus, ſperantes quod eidem S. R. E. cujus jam honorabile membrum es, utilis eris & honorificus, illiuſque auctoritatem pro viribus conſervabis & augebis. Datis Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XVII. *Maii* MDVII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

XIV. Huic dignitati alteram ferme æqualem Ximenio conferri curavit Ferdinandus, ut ſcilicet cauſis Religionis examinandis ſupremi Judicis partes ſuſtineret (Inquiſitorem vocant generalem) quod munus Didacus Deza Epiſcopus Hiſpalenſis, propter ingentes motus Cordubæ exortos, paulo antea abdicaverat. Cum enim Petrus Corduba, Plegii Marchio cauſam quorumdam hominum, de violata religione accuſatorum, non ſine magno tumultu protegeret, & Ferdinandus Rex multum referre judicaverit, virum aliquem, qui auctoritate, prudentia, & vitæ integritate polleret, ad tribunal graviſſimum moderandum aſſumi; nemo autem occurreret, qui omnibus numeris abſolutior eſſet & aptior ad tantum munus digniſſime exequendum, quam Ximenius; Idcirco ſimul cum Cardinalitio honore hujus Magiſtratus moderationem ad eum deferri a Pont. Max. poſtulavit. Hæc ſimul atque impetrata ſunt, illico Ferdinandus eum per hanc epiſtolam de utraque re certiorem fecit. Et inquiſitor generalis.

Ferdinandus Rex Reverendiſſimo Domino Patri Cardinali Hiſpaniarum, Archiepiſcopo Toletano. S.

XV. *Cum tuam ingentem virtutem, cum inſigni pietate conjunctam ex experimento exploratam habeam, & quanto in pretio & honore habendus ſis cognoſcam, teque ipſum, quanto ampliorem dignitatem obtinueris, tanto majori tum religioni, tum publicæ tranquillitati non modo iſtorum regnorum, ſed & aliorum præſidio futurum eſſe, mihi perſuadeam, ſimul etiam, dum quantum tibi debeam frequenter memini, dedi operam, ut, me id ſupplicante, a Beatiſſimo Patre noſtro in S. R. E. Cardinalium numerum*

heſterno ſenatu cooptareris. Id tu, obſecro, beneficium ſuſcipe eo amore, qualis in me ad impetrandum fuit. Ad hæc cum Archiepiſcopus Hiſpalenſis ſe ſe Inquiſitoris Generalis præfectura, quam in Caſtellæ regnis exercebat, per litteras ad me datas abdicaverit, curavi etiam ut Pont. Max. ad ſanctum hoc munus moderandum Reverendiſſimam Paternitatem tuam deſignaret. Porro duo ſunt, quæ mihi a te in præſentia petuntur; unum, ut pietati & religioni conſulas, optimis quibuſque viris, qui omnibus affectibus potiſſimum ſint liberi, ad tanti muneris partes aſſumptis; alteram, ut omni ratione & diligentia, ne quid Archiepiſcopi Hiſpalenſis auctoritati detrahatur, caveas. De quo etiamſi te admoneri ſupervacaneum eſſe videam, mihi tamen de ejus dignitate ſollicito, ut ita faciam mens ſuadet. Utriuſque rei teſtimonia ad te ut propediem mittantur, curabo. Hactenus ad te non ſcripſi, quoniam a remis ad velum (at ajunt) in procinctu ſemper fui: at Deo, ut ſpero, juvante, ultimo inſtantis ſancti Spiritus celebritatis die, vela faciam: nam me huc uſque cupientem, maxima negotia retardaverunt. Vale, manu propria, Neapoli, Kalendis Junii anno MDVII.

XVI. Ximenius ſtatim ut huic graviſſimo præfectus eſt muneri, tabulas publicas, quarum exemplum in Complutenſibus ſcriniis habetur, per univerſas Hiſpaniæ Eccleſias dedit, quibus id potiſſimum agebatur, quo pacto recens ad fidem converſi, liberique eorum, & familia univerſa in religionis rebus ſeſe gererent, & qualiter ſacris deberent intereſſe: & quibus item rudimentis & exordiis paulatim ad Chriſtianam fidem inſtruerentur. Rurſus, a quibus rebus cavendum eſſet, utpote Judaicis & Mahometicis cæremoniis, maleficis ritibus, & magicis incantationibus, ceteriſque omnibus ſuperſtitioſis actibus, qui a dæmonibus ſunt inducti. Nam de blaſphemiis & nefariis vocibus, quibus homines impii divos omnes, imo & Deum ipſum impetunt, quoniam legibus regiis ſevere vindicatur, id unum additum fuit in his tabulis, ſuam quoque illos experturos indignationem. Hæc vero comminatio mirum eſt quantum momenti apud Hiſpanos ſemper habuerit.

Moritur S. Franciſcus de Paula.

Quo jure illum ſibi vendicāt Minoritæ.

XVII. Hoc anno ſanctus Franciſcus Paulanus mortalitatis exutus ſpolio, in cœlum conſcendit, de quo noſtrarum rerum ſcriptores agendum eſſe judicarunt, inde ſuum ſtatuentes, quod religioſæ vitæ tirocinium apud ipſos in domo ſancti Franciſci Marcopolis, ſive urbis ſancti Marci in Calabria compleverit. Atqui Patrum Minimorum profeſſores, præſertim hiſtorici, id ægre ferentes, ſummo ſtudio probare conantur, non Inſtituti probationem illo anno ſubiiſſe, ſed *Oblati* cultum exhibuiſſe. Id longiori diſceptatione, & acerbiori ſermone Lucas Montoyanus exagitat; breviori, ſed non mitiori Franciſcus Lanovius, vir alioquin doctus, ſtylo gravis, noſter amicus, perſtringit.

Montoya in Chron. Minim. l. 1. cap. 2. §. 1. Lanov. in Chron. ro rund an. 1528.

Cur ab ejus vita ſcribenda hic abſtinetur.

Paulanus prænūciatur a S. Franciſco Aſſiſiate.

XVIII. Ego porro a ſanctiſſimi Viri vita geſtiſque ſcribendis eo lubentius abſtineo, quo diligentius ſtudeo religioſorum Ordinum offenſas, & amicorum declinare querelas. Meo labore aliorum conflare invidiam operæ pretium non reputarim; dum itaque ad nos ſpectare Virum iſtum pernegant, & injuriæ loco reponunt, quod tamquam noſtrum veneremur, noſtriſque inferamus Annalibus, ad ipſorum hiſtorias lectorem remittimus, in quibus ſatis ſuperque quæ ad ſancti Viri laudes attinent, poterit invenire. Attamen ſi quod ſine offenſione eſt, præſtiterim, & ex ipſis Minimorum Scriptoribus exſcripſerim, quæ arctiſſimum ſancti Franciſci Paulani cum Aſſiſiate vinculum demonſtrent, & cognationem illius Inſtituti cum Minoritano conficiant, nullam me querelæ anſam miniſtraturum exiſtimabo.

Lanov. in Apparatu n. 5.

XIX. Nicolaus Roillartus Minimus ait, ſanctum Franciſcum de Paula

ſancti

ſancti Franciſci Aſſiſiatis præſagio venturum, & Minimorum Ordinem inſtituturum, fuiſſe prænunciatum. *Paulani parentes cum diu prole caruiſſent, voto facto, Franciſci Aſſiſiatis precibus eum ſuſceperunt; oblata in primis conditione nominis ſui puero qui naſceretur, imponendi. Hinc igitur Franciſci nomen inditum eſt, Paulani cognomen a loco nativitatis. Puerulo periculum ex maligno ad oculum tubere mater deprehenderat, ſed poſtquam nulla Chirurgorum remedia profecerant, & prope erat, ut per illam noxam lumine privaretur, vovet genitrix puerum, ſi convaluiſſet, ſancti Franciſci veſte dum per ætatem liceret, indutum iri, & per annum in proximiori Ordinis Conventu operam ſuam religioſis miniſteriis, & rebus Divinis impenſurum.* Hieronymus Roman ex aliorum relatione ſcribit, votum fuiſſe de ſubeundo Inſtituto ſancti Franciſci: *Auditæ matris preces explendi per tempus voti neceſſitatem induxerant. Puer in ſomnis admonitus ab ipſo ſancto Franciſco ſibi apparente, tempeſtivum eſſe, ut fierent, quæ mater promiſerat, parentibus perſuadet, ut quod circa ſe promiſerant, efficiant. Illum itaque annum circiter decimum tertium agentem, juxta votum per eos emiſſum, domui ſancti Franciſci Civitatis ſancti Marci obtulerunt, in qua puer in ſortem Domini electus, anno per eum exacto, nullaque profeſſione emiſſa, vocatis parentibus, eos ut ſe ad Eccleſiam ſancti Franciſci de Aſſiſio, & ſanctæ Mariæ de Angelis devotionis cauſa ducere vellent, enixe rogavit. Qui pio ejus deſiderio annuentes, ſe ſe itineris comites præbuerunt.* Proſper Stellarius in proemio ad Regulam Minimorum ita hæc compendioſe recenſet: *Juxta parentum ſacrum votum Ordinem Minorum cum amplexus eſſet, deſiderio viſitandi corpus ſancti Franciſci exæſtuans, eo proficiſcendi licentiam obtinuit, adhuc novitius. At non eſt poſtmodum ad novitiatum reverſus; qua de cauſa, adhuc incertum eſt.*

Roillart. in paradigm num. 1. Hujus precibus generatur. *Brev. Rom. Montoya c. 1. §. 2. Lan. cit. Mont. §. 4. Lanov. an. 1428.* A periculo liberatur. Ex voto offertur S. Franciſco Aſſiſiati. *Roman. lib. 6. Reipubl. Chriſt. cap. 24.* *Bulla canon. §. 9.* In urbe S. Marci. Vadit Aſſiſium. An fuerit Novitius apud Minor.

XX. Hæc illa prima neceſſitudinis argumenta, prout ab ipſis potiſſimum Patribus Minimis referuntur, hæc ſacri nexus pia vincula, quibus ad ſe partim ſpectare ſanctum Franciſcum Paulanum contendunt Minoritæ, inde arctiora reputantes, quo non tam devotionis aut educationis, quam probationis, aut tirocinii gratia adoleſcentulum ſibi commiſſum eſſe dijudicant. Præter Minoritas Hieronymus Roman Eremita Auguſtinianus ab aliis dictum narrat, votum vel a parentibus, vel ab ipſo Paulano emiſſum de ſubeundo Inſtituto Minorum, ab illis in hunc finem receptum, novitium fuiſſe, & novitiatus tempus compleviſſe. Et quidem ipſa habitus forma, quam geſtavit, novitiorum erat, uti ipſe Montoyanus reliquis diſertius tradit, eamdemque ipſos Minimos adhuc geſtare confirmat. Illud ipſum capitii genus, quod Minimi præferunt, tironum Franciſcanorum eſt, in Regula a ſancto Franciſco *caparonis* nomine expreſſum, in quibuſdam Provinciis adhuc retentum. Humilia Cœnobii miniſteria, & in culina obſequium, quibus eum Cœnobiarcha, teſte Montoya, deputaverat, adminicula ſunt hujus opinionis; neque enim tam facile vilibus obſequiis addiceret adoleſcentulum Guardianus, quem civiliter potius educandum, quam arduis experimentis probandum a parentibus excepiſſet.

Rom. cit.

XXI. Ea vero ſola difficultas, quam Lanovius ex adverſo objicit, ſcilicet duodennem puerum emittendæ profeſſioni non fuiſſe maturum, facile diluitur Leonis X. teſtimonio in Apotheoſis inſtrumento aſſerentis, annum circiter decimum tertium egiſſe, quando Cœnobio ſancti Marci oblatus eſt: ex quo conficitur, ſub curriculum alterius anni, quo illic permanſit, annum circicer quartum decimum eſſe cenſendum. Nulla vero tunc lege cautum erat, ne ſub hanc ætatem quis poſſet ſe Deo religioſis votis devincire; ne-

que adeo immatura erat hæc annorum menſura, quin ſub ea potuerit, ſi vellet, jugum Domini portare: ſed & alii præclariſſimi Viri ſub minori dierum numero generoſis auſibus ſe Deo conſecrarunt.

Quinam nexus inter Ordin. Minorum & Minimor.

XXII. Hæc de pueri oblatione, ſive tirocinio abſque offenſione dicta ſunto: de Religione poſtea ab eo inſtituta mihi liceat etiam ex eiſdem Minimorum auctoribus adjicere, quæ inter utramque Sodalitatem, Paulani ſcilicet & Aſſiſiatis connexionem aut ſucceſſionem aliquam videntur indicare. Ab illo itaque anno religioſe & pie inter Minoritas tranſacto, & ab illa peregrinatione, quam Aſſiſium inſtituerat (uti Lanovius ait, ex quo potiſſimum argumenta iſta conſcribo) hi fructus prodierunt. Oratorium ſive Eccleſiam ſui Ordinis primam, in fundo paterno apud Paulam ſub titulo ſancti Franciſci fabricavit, uti præter Minimorum hiſtorias Pyrrhus Archiepiſcopus Coſentinus, & Sixtus IV. ſuis litteris, quas Lanovius in ſuo Bullario excripſit, aperte teſtantur. Ædem hanc idem ſanctus Franciſcus Aſſiſias, cui eam conſecraverat Paulanus, voluit ampliorem. Cum enim prima fundamenta delineaſſet extruendi Oratorii, eaque pro modulo facultatum ſtricta & anguſta conſtituiſſet, adfuit humana quidem ſpecie, ſed revera Divus ipſe Franciſcus Aſſiſias, qui dirui hæc, quæ cœperant, imperavit, longeque ampliora & auguſtiora parari; non defuturum operi ſubſidium neceſſarium, ſi modo in Deum confideret, promittens. Verbo nec fiducia, nec fides defuit; nam ex tempore præſto fuit nobilis Eques Baro Belmontii, qui multa in impenſas contulit, nec prolixiorem largitatem deſideratum iri ſpopondit.

Lanov. an. 1456. n. 2.

Lanov. citat.

Ibid. n. 1. Primum Templum Minimorũ delineavit Aſſiſias.

Idem ann. 1515. n. 1.

Spondan. anno 1473. n. 15.

Utriuſque Franciſci diſcipuli duodecim.

Lavon. cit.

Minimi appellati Eremitæ ſancti Franciſci Aſſiſiatis.

* *Al.* Gambacurta.

XXIII. Diſcipulos duodecim, & deinde tertium decimum ad inſtar ſancti Franciſci admiſit Paulanus, quos etiam uti & reliquos ſui ſectatores, *Eremitas ſancti Franciſci* appellavit, ut haberent quem ſibi proponerent in exemplum vitæ & religioſæ converſationis; utque ejus vitam imitarentur aſſidue, ita admonuit ex nomine. His inſuper Sixtus IV. ſancti Franciſci alumnus, qui ſummorum Pontificum primus probavit hoc Inſtitutum, ea conceſſit privilegia, indulgentias & gratias, quibus frater Petrus de Piſis * nuncupatus, ceterique illius Eremitæ potiebantur & gaudebant. Petrum autem hunc ejuſque ſocios Eremitas, fuiſſe conſocios fratris Angeli a Corſica Tertii Ordinis ſancti Franciſci Aſſiſiatis, docet Bulla producta ſub annum 1432. tom. 10. n. 47. eoſque tandem in Congregationem ſancti Hieronymi coaluiſſe ſcribit Joſephus Siguntinus in ſuis Chronicis. Ordinem autem ſancti Hieronymi, tam illum qui eſt in Italia, quam illum qui floret in Hiſpania, propaginem fuiſſe ſancti Franciſci Aſſiſiatis, oſtendi ſuis locis opportune, & documentis confirmavi Vaticanis. Patres Capucini non aliter quam ſub eremitica vita incœperunt, & *Eremitæ ſancti Franciſci* dicti ſunt, ſicut & diſcipuli Cæſarei Spirenſis, necnon alii poſteriores alumni beati Angeli de Cingulo, *Eremitæ ſancti Franciſci* appellati ſunt, licet veri & genuini ſancti Franciſci filii ſint habiti, & debeant nuncupari.

Sigunt. lib. 3. cap. 7.

Tom. 9. an. 1405. n. 20.

Tom. 13. anno 1450. n. 43.

Bulla Clem. VII. an. 1528.

Habitus & Regula utriuſque Ordin. maxime cõveniunt.

XXIV. Sed & habitum, & Regulam ſancti Franciſci Aſſiſiatis præcipua ex parte Paulanum ſuis præſcripſiſſe, qui quatuor unius Regulæ formulas, quas variis temporibus dictaverat, percurrere voluerit, clare perſpiciet. Habitus forma eadem eſt ac Minoritarum novitiorum; niſi quod caputium Minimorum pertingat ad femora, Minorum autem tironum caputium uſque ad cingulum dumtaxat protendatur; quod etiam in ſuis novitiis obſervari Paulanus inſtituit. Hieronymus Roman ita obſervavit: *Habitus Minimorum forma eadem eſt, ac novitiorum Ordinis Minorum, quia ipſe fuit hujus Ordinis novitius; differentia tantum eſt in colore, veſtis enim Minimorum* co-

Regul. Minim. c. 3.

Regul. Minorum c. 2.

color ſubniger nativi velleris, & cinguli materia a Franciſcana diſcrepant, ceterum conveniunt. Nudipedes juſſit Paulanus ſuos incedere in zoccolis ſive calepodiis, aut ſoleis ſive ſandaliis, aut calceis deſuper apertis, uti incedunt Minoritæ, quibus uti ſuus Inſtitutor, dum neceſſitate coguntur, indulſit portare calceamenta; ita Minimis ſanctus Franciſcus Paulanus permiſit, ut ſuperioris diſcreta diſpenſatione relaxarentur a pedum nuditate. Roman. citatus Reg. Minim. cap. 3.

XXV. Primam ſuam Regulam magna ex parte non ſolum ex Regula ſancti Franciſci Aſſiſiatis Paulanus eduxit; ſed & iiſdem verbis exſcripſit, uti lectori per multos centones fidem aſtruemus ocularem. Magna ex parte Paulanus exſcripſit Regulam Aſſiſiatis.

Cap. I. *Ad hoc congregati ſumus, ut Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti obſervemus, vivendo ſub voto paupertatis, caſtitatis & obedientiæ.* Regula Minorum cap. I. *Vita Minorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio & in caſtitate.* Regula Minimorum eodem cap. I. *Vitam iſtam & Regulam obſervantes, nunquam de illa exire intendamus, quia nemo ponens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Habentur iſta in cap. 2. Regulæ Minorum.

Cap. II. *Frater Franciſcus de Paula promittit obedientiam & reverentiam S. D. N. Alexandro Papæ VI. & ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ, & alii Fratres &c. teneantur fratri Franciſco, & ejus ſucceſſoribus obedire.* Habentur hæc ipſa verba cap. I. Regulæ Minorum, niſi quod pro *Alexandro* ſit *Honorio*.

Ibidem. *Petant ſuperiores a D. N. Papa unum de S.R.E. Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector & rector iſtius religionis.* Ex cap. 12. Regulæ Minorum.

Cap. III. quæ habet de officio Divino tam clericorum, quam laicorum ſeu converſorum, decerpta ſunt verbatim ex cap. 3. Minorum. Eodem cap. vetat, neſcientes litteras, eas diſcere &c. Habentur cap. 10. Regulæ Minorum. Ibidem, quæ habet de modo prædicandi, habentur cap. 9. Regulæ Minorum.

Cap. VI. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed ſint tamquam peregrini & advenæ in hoc ſeculo Domino famulantes.* Infra. *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos cariſſimos Fratres meos hæredes & Reges Regni cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit, hæc ſit portio noſtra, quæ perducit in terram viventium.* Omnia ad verbum habentur etiam cap. 6. Regulæ Minorum. Ibidem: *Singulis Fratribus noſtris pecunias accipere perpetuo interdicatur.* Habentur cap. 4.

Cap. VII. *A Feſto omnium Sanctorum excluſive uſque ad Nativitatem Domini jejunent.* Infra: *Tempore vero peregrinationis, aut alicujus manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Fratres jejunio corporali*, ex cap. 3.

Cap. VIII. *Ut obediant ſuis Superioribus in iis, quæ non ſunt contra Deum, & animam ſuam, & Regulam noſtram*, ex cap. 10.

Cap. XI. *Quos vident homines mollibus veſtimentis aut coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis non deſpiciant, neque judicent, ſed magis unuſquiſque judicet & deſpiciat ſemetipſum*, ex cap. 2.

Ibidem. *In via, ſive in domibus non litigent, neque contendant verbis &c. Sed ſint modeſti, manſueti & humiles, honeſte & caſte omnibus loquentes*, ex cap. 3.

Ibidem. *Nec habeant ſuſpecta conſortia vel conſilia mulierum, nec fiant compatres earum, & ne ingrediantur Monaſteria Monacharum abſque*

Se-

Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia, *ne hac occaſione inter Fratres vel de Fratribus ſcandalum oriatur*, ex cap. 11.

Cap. XIII. *Univerſi Fratres unum de iſtius Congregationis Fratribus teneantur ſemper habere in Generalem Correctorem triennalem*, *& ſummum totius Religionis*, ex cap. 8.

XXVI. Et licet Vir ſanctus ter recognoverit hanc Regulam, omnia ferme iſta in tribus ſubſecutis formulis, etſi mutata phraſi, retinuit. *Miniſtrum* etiam *Generalem* ſuæ Religionis in primæ recognitionis Bulla, ipſum eumdem ſanctum Franciſcum nuncupavit Alexander VI. quo nomine appellantur Ordinis Minorum Præfecti Generales. Kalendarium & index feſtivitatum idem ipſe erat, quo tunc utebantur Minores, uti conſtat ex eo, quem Patres Minimi ediderunt Nigeoni, ut primum eorum Inſtitutor in Sanctos eſt relatus, in quo peculiaria feſta Ordinis Minorum, & Tertii Ordinis a ſancto Franciſco Aſſiſiate inſtituti continentur, & feſtum Conceptionis cum Octava, uti in Kalendario vetuſto Minorum indicatur.

Vide iſtas tres formulas apud Lanov. an. 1493. 1501. & 1502.
Vide Kalendarium apud eumdem anno 1506.
Uterque Ordo eoſdem colebat Sanctos.

XXVII. Tres inſuper Paulanus inſtituit Ordines ad inſtar ſancti Franciſci Aſſiſiatis, & Minimorum Regulam adaptavit Sanctimonialibus, uti fecit Aſſiſias, eaſdemque Indulgentias, facultates & privilegia Leo X. conceſſit Fratribus & Sororibus Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci de Paula, quæ Sixtus IV. conceſſit Tertiariis ſancti Franciſci Aſſiſiatis.

Uterque Franciſcus tres inſtituit Ordines.

XXVIII. Ubi tot ergo ſunt inter utramque Religionem ſimilitudines; ubi tot ſpiritualis cognationis vincula; ubi tot Regularis vitæ, inſtitutæque Religionis a ſancto Franciſco Aſſiſiate accepta ſunt adminicula, & manifeſta ſubſidia; ubi tot ſunt auctores, qui tirocinium inculcant, & ſanctus Franciſcus Paulanus non eſt dedignatus in tot tantiſque rebus Aſſiſiatem imitari & ſectari, ejuſque nomen ſuper ſuos alumnos invocare, non ſuos, ſed *ſancti Franciſci Aſſiſiatis Eremitas* appellando; neſcio cur adeo ægre ferat R. Pater Lanovius, quod aliqui dixerunt de tirocinio ſui Inſtitutoris apud Minores peracto, & alii de propagato Minimorum Inſtituto ex Minoritico, eorumque nomine ab iſtis deducto. In harum etenim aſſertionum auctores ita vehementer excanduit, ut in hæc verba proruperit: *Vani autem ſunt aut ſtupidi, qui Minimorum nomen ideo a Minoribus deductum, & inflexum volunt, quod a Minorum Ordine noſter ſit propagatus, aut illis certe propagatus videatur, ut non nemo ſcripſerit hoc nomen a Minoribus uſurpatum in vim cujuſdam Reformationis, ut loquitur, quo nihil eſt abſurdius, ut nihil jam opus ſit inſolens commentum a nobis refutari. Et quidem non unus, aut alter in eo errore ſunt, ut credant Ordinem noſtrum Minoritani propaginem eſſe, in quo tamen illi, ſicut & in pleriſque aliis ſupinitatem aut ignorantiam ſuam ludibrio expoſuerunt.* Et alibi aſſertionem de tirocinio vocat *caducam* aut *abſurdam* opinionem.

Quot ſunt vincula inter utramque Religionem.

Vehemens querela Lanovii.

Lanov. in Appar. n. 2.

Vide Caſſan. citat. Roman. lib. 6. Reipub. Chriſt. c. 24.
Anno 1428.

XXIX. Acerrima quidem iſta omnem hanc diſſertationem extorſerunt, & vel nolentem compulerunt, ut ex ipſis eorum Monumentis hæc objicerentur argumenta, quæ neque opinionem dici *caducam* aut *abſurdam*, neque aſſertores *vanos*, *ſtupidos*, *ſupinos* appellari permittent. Obiter autem hic monuerim Patrem Lanovium, Clericos Regulares ad ſancti Laurentii in Lucina Romæ non *Minimos*, ſed *Minores* cognominari, neque aliter haberi in marmorea inſcriptione ad interiorem non Templi, ut ille habet, ſed Cœnobii januam, quam ille hoc ſcriptionis vitio in ſuum tranſtulit apparatum. Sed & ſub eo cognomine *Minorum* a Sixto V. Minorita fuit hic Ordo confirmatus. Montoyanus etiam in eo non ſemel oberrat, quod corpus ſancti Franciſci Aſſiſiatis in æde ſuburbana ſanctæ Mariæ Angelorum dicat requieſcere.

Lanov. cit. n. 1.
Sixti V. Conſtit. 81.
Montoya lib. 1. cap. 2. §. 4.
Marc. l. 8. c. 26.
Cimar. lib. 9. c. 12.

XXX. Obiit

Digitized by Google

XXX. Obiit hoc anno in Cœnobio Cingulano (uti habet Marcus Ulyſſiponenſis, ſed nos alias ex Gonzaga diximus in Cœnobio Colſani, diœceſis Camerinenſis) provinciæ Marchiæ Franciſcus a Caldarola oppido Piceni, Prædicator inſignis, qui animarum potius converſionem, quam ſuas appetens laudes, etſi vir fuit doctiſſimus, tamen humilia & familiaria proponebat documenta, quæ ſimplices auditores facilius potuiſſent percipere, eoſque efficacius commoverent. Noctes in oratione & Divinis laudibus, dies in prædicatione & confitentium exauditione inſumebat. Optimam apud omnes aſſecutus opinionem, inimicos feliciter pacificabat. Sub mortis horam cuidam amico oranti magna perfuſus claritate comparuit, quem eadem hora ex humanis abiiſſe, amicus paulo poſt a Fratribus accepit. Sepultus eſt in Eccleſia, & habetur in veneratione, ejuſque meritis ad ſepulcrum orantibus varia Deus præſtitit beneficia.

Tom. 1. anno 1215. n. 27. Gonz. in Provin. Marchiæ Con 27. Moritur Franciſcus a Caldarola.

XXXI. Circa hunc annum deceſſit Petrus a ſancto Severino Picenus, vir miræ abſtinentiæ, erga ſe maxime ſeverus, erga alios indulgentiſſimus. Annis multis tironibus præfectus, pleroſque erudivit ea pietate & virtute, ut ſummo fuerint ſuæ Provinciæ ornamento. Multas itaque illi & diſcipulis Satan tendebat inſidias, qui ſemel in Conventu Maſſaccii oranti apparens, dixit: *Tibi unum eripiam e tuis diſcipulis, ſed & jam eripui, & alterum adjungam.* Rei exitum dictum comprobavit: clam enim unus ex tironibus receſſerat, & alter paulo poſt ſecutus eſt. Variis modis & ſpectris Novitios Dæmon terrebat, alios blanditiis ut aſſentirent alliciebat. Apparens aliquando in Cœnobio Maſſæ in Guardiani ſpecie, Novitium deduxit in ſilvam, ubi horribili obducta imagine, juvenculum ita terrefecit, ut in terram prolapſus, in ſe reverti non potuerit, donec Magiſter advenit. Erectum & conſolidatum præceptor interrogavit, quid tunc faciebat aut cogitabat, cum Satan in illa forma priori acceſſit? qui reſpondit, ſe totum in eo fuiſſe cogitatu, qualiter divitias poſſet acquirere. Cui pius ſenex: *Hæc cogitatio longe aliena eſt a profeſſione Fratris Minoris: tu fili, non permanebis in hac Sodalitate.* Verum dixit: Novitius poſt paucos dies ad ſua redivit. Alterum adoleſcentulum, hujus viri diſcipulum, dæmon tentavit eſu fructus vetiti, abſque Magiſtri licentia; ſed & hunc ad ſeculum retraxit.

Marc. cit. c. 19. Et Petrus a ſancto Severino.

XXXII. Rem ſacram ſumma devotione, & longa præparatione Vir ſanctus faciebat, & inter celebrandum Divinas recipiebat conſolationes. Apparuerunt ei beata Virgo Maria, & ſancta Catarina Alexandrina, cui erat addictiſſimus. Miracula multa vivens perpetravit. Sanctimonialem anno integro lecto decumbentem & claudam, ſigno Crucis ſanam effecit; leproſam in itinere obviam ſimili remedio repente mundavit. Mortis præſcius, poſt reatuum confeſſionem deſcendit in Templum, ſanctoque Chriſti corpore ſe refecit. Multas deinde uſque ad mortis horam paſſus eſt dæmonis moleſtias, quas magna virtute ſuperavit. Mortui corpus candidum & pulchrum apparuit, animaque viſa eſt a pio viro fratre Conſtantino a Conventu ſancti Severini procul commorante, recto tramite in cœlum conſcendere.

XXXIII. Ambroſius Lombardus ſub hoc etiam tempus ex humanis abiit in Civitate Firmana ejuſdem Provinciæ, ubi cum ad præceptum Miniſtri alacrirer inſerviret peſtilentibus, ex epydemia deceſſit, apparuitque fratri Paulo laico totus glorioſus corona redimitus tempora, propter ferventem caritatem, qua miſellis peſtiferis inſervivit. Necnon Laurentius Camers vir admodum ſpiritualis, ſanctos Angelos, quorum officium quotidie recitabat, ſingulari proſecutus devotione. Ad Æſinam urbem miſſus, ut tempore quadrageſimali confeſſiones exciperet pœnitentum, nocte concu-

Ambroſius Lombardus. *Indid. c. 10.*

Laurentius Camers.

cubia, amiſſo itineris tramite, ducem ſe præbuit Angelus, qui trans flumen evexit, portaſque Civitatis jam clauſas, ut ingrederetur, aperuit. Georgius etiam e Caſtellaria, vir valde pius, ferventis caritatis, extremæ paupertatis, qui adeo lacrymarum dono excellebat, ut ſemper ſive oraret, ſive aliud aliquid ageret, dum quidquam cœleſte meditandum occurreret, ſtatim lacrymæ copioſæ profluerent. Neque inaniter orationes profundebat abſque fructu; efficaciter enim apud Deum exorabat. Novitium e Cœnobio nocte dilapſum, ut ad propria rediret, precibus ita potenter retinuit, ut tota nocte a finibus Cœnobii, etſi in gyrum curſitaret, non potuerit recedere. Summo ergo mane, poſtquam inaniter tota nocte laboraret, reſipiſcens, in Conventum rediit, & in Ordine perſeveravit. Mundum hoc anno reliquit, qui eidem ante aliquot annos generoſe renunciavit Rodulphus Archidux Auſtriæ, Sigiſmundo Archiduce Oeniponti in Tirolenſi Comitatu natus. Vixit religioſiſſime in Religione, & ſepultus eſt in Cœnobio Græcenſi.

Georgius e Caſtellaria.

Rodulphus Archidux Auſtriæ. *Gonz. in Provin. Auſtriæ ante finem.*

XXXIV. Feliciſſime hoc anno vitam cum morte commutavit Maria Suarez e Toleto, ex ſingulari paupertatis affectu, cognomento *pauper*, fundatrix, & prima Abbatiſſa inſignis Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ Toletani, nunc Ordinis ſanctæ Claræ. Nobiliſſimo genere Ducum Albanorum, & Comitum Oropeſæ orta, patrem habuit Petrum Suarez de Toleto, matrem vero Mariam de Guſman, oppidi de Pinto dominos, pietate & virtute illuſtres. Ab infantia cœpit Deum timere, propter quem, contemptis Mundi oblectamentis, ſtatuit nullum præter ipſum amatorem admittere. Erga pauperes pia, quæcumque poterat illis erogabat, ſubtrahens aliquando ſibi neceſſaria. Puellares & vanas oblectationes procul fugiebat, in matris oratorio precibus & ſacris exercitationibus intenta. Adoleſcentiori ætate invita tradita eſt conjux Garciæ Mendez a Sotomajore, viro nobili Bætico, Carpii Domino, cum quo annis ſeptem vixit in continuis tribulationibus & adverſitatibus, a quibus ut aliquando ſe expediret, in domum rediit paternam, nulla prole concepta. Paulo poſt audita conjugis morte, rudem vilemque ſancti Franciſci habitum obduxit interiori tunicæ concolori, abjectis linteaminis mollitie, & calceamentis, ſub quo etiam veſtis genere omnes ancillas & pediſſequas voluit æmulatrices.

Marc. cit. c. 11. & ſeqq. Gonz. in Provin. Caſtellæ Monaſt. 1. Piſan. in hiſtoria Toleti lib. 9. c. 56. Salaz. lib. 5. Provin. Caſtel. c. 24. Maria a Toleto moritur. Ejus infantia. Conjugium cum viro nobili. Viduitas.

XXXV. Publico hoc præmiſſo Mundi contemptu, opera ſubjunxit miſericordiæ & pietatis: infirmos viſitabat, pauperum funera curabat, carceres circuibat, egenis ſuccurrebat, pupillos & viduas fovebat; & tamquam miſerorum omnium genitrix eſſet, omnium miſeriis, prout licebat, tenerrime ſubveniebat. Per Xenodochia diſcurrens ſerviebat infirmis, raro humilitatis exemplo, ulcera affectorum lavans, tergens, oſculans, capitis aliquando circumligans velamine. Summo mane ad Eccleſiam pergebat cathedralem ſocia Joanna Rodriguez, de qua jam dictum eſt, matutinis intenta Canonicorum officiis; ubi in ſilentio & ſubmiſſa oratione laudes concinebat Deo, præparans ſe diligenter ad ſacram Synaxim, quam tertio quoque die, vel ad ſummum octavo percipiebat, ſolo tunc aqua & pane contenta. Confeſſorem & directorem in via Domini habuit Petrum Perezium Minoritam Regularis Obſervantiæ, virum doctum & pium, per quem mire proficiebat, ita ut ſavoribus & revelationibus aſſueta Divinis, multa prædixerit, Regni Granatenſis e Maurorum poteſtate recuperationem, Religionum in Hiſpania reformationem, ſcelera occultaſque nequitias fictorum Chriſtianorum, qui Judaiſmum vel Mahometiſmum videbantur exuiſſe; quorum iniquitates ut reprimerentur, ſuggeſſit Regibus Catholicis eis in partibus ſtabiliendum eſſe officium ſanctæ Inquiſitionis.

Opera pietatis. *An. 1505. n. 35.* Divinæ revelationes.

XXXVI.

XXXVI. Tamdem ut ſe totam pietatis & humilitatis conſecraret operibus, facultates univerſas donavit Hoſpitali ſeu Xenodochio magno Toletano, *a Miſericordia* nuncupato, accepto intra Hoſpitalis ambitum anguſto & humili habitaculo, in quo modicum requieſcebat, inſumpto reliquo diei noctiſque tempore in ægrotorum obſequio & oratione. Quæcumque deficiebant, oſtiatim mendicans colligebat: cujus exemplo commoti viri nobiles & populares, inſignem conſtituerunt Sodalitatem *Miſericordiæ*, qui alternis vicibus per hebdomadam in ipſo Xenodochio commorantes, ægrotis miniſtrant. Abjectum hoc vitæ miniſterium ægre ferentes conſanguinei, ſed genitrix præſertim, nihil non intulerunt injuriæ & moleſtiæ, ut domum rediret, & honeſtius incederet. Sed illa contemnens univerſa, in ſuſcepto vitæ genere permanſit, donec gravi morbo correpta, in genitricis domum translata, pene vitam abſolvit. Suſceptis Eccleſiæ Sacramentis, jam prope exanimis priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, amplioris meriti, magnique operis perficiendi dato longiori intervallo. Ægrotat.

XXXVII. Inito cum ſupradicta Sodale conſilio quid faceret, ut Deo magis placeret? oravit utraque, ut deſuper intelligeret. Divinum acceperunt reſponſum, ut Monaſterium conſtruerent, in quo ipſæ & multæ deinceps ſalvarentur. Id porro fecit Maria, a Regibus Catholicis Ferdinando & Iſabella accepta domo, a Joanna germana Sorore pecuniis adjuta. Operis dignitatem, & conſtructionis tempus ſuo loco narravimus, piamque fœminam ætatis anno quadrageſimo, cum Joanna ſodali, multiſque virginibus Inſtitutum ſubiiſſe Tertii Ordinis Pœnitentiæ ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ Hungaricæ, ejuſdem vitæ ſectatricis, adjuncta appellatione *Regiæ*, propter conſtructum in ædibus Regiis Monaſterium. Ad perfectius translata vitæ genus, perfectius etiam ſtatuit Deo inſervire, intenſius orans, durius cubans, aſperius veſtiens, minus manducans. Tunica aſperum erat cilicium, lectus nuda tabula, lapis cervical. Poſt matutinas horas numquam dormiebat; carnem non manducabat, vinum non bibebat, continuo jejunio corpus macerabat; tres heddomadæ dies, & integram ſancti Michaelis Quadrageſimam in ſolo pane & aqua tranſigebat; fruſtulis, quæ menſæ ſupererant, ſæpe contenta. Ubi pro Superioris officio oportebat ſubditas arguere, id faciebat tanto juſtitiæ & caritatis temperamento, ut antequam decumberet, mœſtitiam omnem ab afflicta depelleret. Humilia quæque Monaſterii officia prima peragebat, & in arduis miniſteriis mira alacritate exemplo præibat. Monaſterium conſtruit. Tom. 14. anno 1477. n. 40. Ejus pœnitentia.

XXXVIII. Quanto magis creſcebat ætate, tanto ferventius orabat, & durius ſecum agebat, aſpero quod ſemper geſtabat cilicio, tunicam adjungens cilicinam, ſuillis & caprinis pilis intextam. Viſiones & revelationes multas habuit cœleſtes, favoribuſque Divinis inardeſcens, toto vultu ſplendebat. In die Transfigurationis a familiari quadam Sorore, quæ quidquam hujuſmodi judicabat ex facie, importune rogata, ut ſplendoris cauſam exprimeret, humiliter dixit, in contemplatione myſterii, quod eo die veneratur Eccleſia, hærenti Chriſtum Dominum gloriam ſui corporis adeo palam revelaſſe, ac ſi tunc temporis fuiſſet in monte Thabor, quando ſe transfiguratum prædilectis Apoſtolis oſtendit. Sub noctem unius diei Veneris in Quadrageſima, dum pro religioſo more cum reliquis Monialibus flagris in ſe animadvertere vellet, Sororum una radiis ex Mariæ vultu prodeuntibus ita perterrita eſt, ut pene obriguerit. Conjunctis multarum precibus, ut ediſſeret tanti fulgoris originem, faſſa eſt, Chriſtum Dominum ei participaſſe immenſam caritatem, qua ſe pro no- Frequens faciei ſplendor.

noſtra ſalute ad columnam alligari, & flagellis cædi permiſit.

Vehementer cruciatur.

XXXIX. Vehementer aliquid pro Chriſto pati cupiens, doloreſque ſui corporis augeri frequenter deprecata, exaudita eſt, immiſſis acerbiſſimis doloribus, quæ oſſium compagines, & viſcera contorquebant. Integro anno his cruciatibus afflicta, neque gemitus, neque ſuſpiria, aut impatientiæ protulit indicium, ſed in gravioribus puncturis gratias agens Deo, læta & hilaris, videbatur potius in deliciis gaudere, quam pœnis cruciari. Sub anni finem ardenti exæſtuans febre, delirium paſſa, nihil non ſanctum, nihil non humile & pium protulit, illos frequenter recitans verſiculos: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Vias tuas Domine demonſtra mihi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi.* Lapſo autem triduo, in ſe reverſa, ſacroſanctis procurata ſacramentis, cœpit Sodales omnes ad chariſmata potiora exhortari, affectum erga Divinum obſequium, ſanctiſſimam Dei Genitricem, ejuſque præcurſorem Joannem Baptiſtam commendare. Audita eſt deinde vox eam ad ſe vocantis; cui illa hilariter reſpondit: *In te Domine dormiam, & in æternum requieſcam*; deinde elatiori ſermone ad filias inquit: *Dilectæ filiæ in pace Domini remanete*. Quibus dictis, die III Julii, Sabbato poſt feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, ætatis anno ſeptuageſimo, Religionis trigeſimo, placide obdormivit in Domino.

Mortis præludia.

Miranda poſt mortem.

XL. Cœpit ſtatim ſentiri in cubiculo ſuaviſſimus odor, & dulciſſimum melos; terque perſonuit cœleſtis illa melodia; primum ubi ſpiritum emiſit, ſecundo ſub Miſſæ pro ea oblatum ſacrificium, tertio dum efferretur ad ſepulturam. Frater Jordanus Ordinis Prædicatorum, Confeſſarius Monialium Monaſterii Toletani Matris Dei, ea hora, qua illa deceſſit, vidit numeroſam ſupplicationem ſive proceſſionem Sanctimonialium, & in fine Mariam mediam inter ſanctas Claram & Eliſabetham pretioſa veſte, & corona ad cœlos aſcendentem, mireque ſplendentem, uti ipſe ſtatim Mariæ diſcipulis enarravit. Corpus ejus adhuc conſpicitur integrum, molle, tractabile, & animæ gloria multis miraculis comprobatur. Presbyterum utroque claudicantem pede, mulierem ſimili malo laborantem, alteram viſu orbatam, alios a pleriſque infirmitatibus ſanavit: ſteriles multas, ut conciperent & parerent, a Deo impetravit, aliaque mortalibus præſtitit beneficia.

Capitulum Generale Obſerv. Ciſmont. 24.

XLI. Hoc anno celebratum eſt Capitulum Generalæ Obſervantum Ciſmontanæ Familiæ Aſſiſii, in Cœnobio ſanctæ Mariæ Angelorum, & die XXII. Maii electus fuit in Vicarium Generalem tertia vice Hieronymus Tornielus. Definitores Capituli ipſe Hieronymus, Bernardinus Fulginas Provinciæ ſancti Franciſci, Jacobus Mantuanus Provinciæ Bononiæ, Joannes a Sigeſtro Provinciæ Januenſis. Guardianus Hieroſolymitanus ſacri Montis Sion, Bernardinus del Vecchio Senenſis Provinciæ Tuſciæ. Vicarius Candiæ, Ludovicus Vincentinus Provinciæ ſancti Antonii. Viſitator & Commiſſarius Auſtriæ, Boemiæ & Poloniæ, Bernardinus Fulginas ſupradictus. Ad Capitulum iſtud direxit Julius Pontifex ſequentes litteras circa electionem Vicarii Generalis.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Vicariis, ceteriſque Vocalibus in Generali Capitulo Congregatis, Ordinis Minorum de Obſervantia Familiæ Ciſmontanæ.

Ex originali.

XLII. D*ilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet per alias noſtras litteras ſub annulo Piſcatoris, paulo poſt celebrationem Generaliſſimi Capituli editas, bonis de cauſis tunc animum noſtrum* mo-

moventibus, ſtatuerimus, quod ex tunc perpetuis futuris temporibus Generales Vicarii tam Ciſmontani, quam Ultramontani veſtrorum Ordinis & Familiæ, finito triennio ſui officii, ipſum officium reſignare deberent, & ipſe Vicarius aut alius ex Provincia, de qua ille eſſet, eligi in Vicarium Generalem non poſſet, niſi poſt ſexennium a fine dicti triennii computandum: Verumtamen, quia res veſtræ vobis, quam nobis ſunt magis notæ, & ut nos melius judicare poteſtis, quid paci, honeſtati & bono regimini familiæ veſtræ expediat, tenore præſentium declaramus, & vobis concedimus, ut non obſtantibus litteris antedictis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur, haberi volumus pro expreſſis, Vicarium veſtrum Generalem, ex eadem vel alia Provincia, finito triennio antedicto, alias tamen juxta Ordinis & familiæ prædictorum ſalubria inſtituta, eligere valeatis, prout antequam prædictæ noſtræ litteræ ederentur, facere ſoliti eratis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VIII. *Maii* MDVII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Vicarius Generalis poteſt eligi ex quacumque Provincia.

XLIII. Frater Joannes olim Epiſcopus Varadienſis, quem diximus ſuperius Epiſcopatu & ſumma apud Matthiam Hungariæ Regem auctoritate dimiſſis, huic ſe adſcripſiſſe Sodalitio, hoc anno cum de ſtabiliendo fœdere inter Cæſarem Maximilianum, & Uladislaum Hungariæ, ac Sigiſmundum Poloniæ Reges ageretur, neque ullum magis idoneum huic muneri prædicto fratre Joanne Uladislaus judicaret, Julii ſummi Pontificis juſſu legationem coactus eſt ſubire. Venit itaque protinus Conſtantiam, ubi Cæſar Comitium indixerat, inde Œnipontem Cæſarem ſecutus eſt. Ea legatione fœdus quod Reipub. Hungaricæ profuturum erat, ſummo ſtudio confecit. Jacta ſuere tunc etiam pro Repub. Chriſtiana ſalubria ſundamenta. Ad eam rem optimi duces acceſſerant, Bernardinus tituli ſanctæ Crucis presbyter Cardinalis, Patriarcha Hieroſolymitanus, ſummi Pontificis Legatus, vir magnæ ſacræque doctrinæ; prædictus frater Joannes Uladislai Legatus; Matthæus Lang Auguſtanus, vir magnus, parvis initiis per omnes dignitates penetrans, Maximiliano ſumme gratus, ad Cardinalatum & Salsburgenſem Archiepiſcopatum demum promotus. Tres quidem viri uti dignitate ſummi, ita naturæ dotibus ſuffulti; apud tres ſummos in Europa Principes, ſummam auctoritatem, etiam uſque ad invidiam adepti. Præcipuis conſiliis Regnorum res ſemper tutati ſuerunt. His itaque ducibus, communi reipub. Chriſtianæ bono proculdubio conſultum fuiſſet, niſi & Julium ſummum Pontificem ingens in Italia bellum, & Cæſarem a Venetis accepta injuria avertiſſet. Frater Joannes vero, poſtquam ad futuram Cæſaris nepotum cum Uladislao natis affinitatem, quæ ad negotium pertinere videbatur, effecerat, ſui Inſtituti Cœnobii apud Schuvacium Oenivallis oppidum, Cæſaris aſſenſu, invito Brixinenſi Epiſcopo, menſe Septembri initia fecit: deinde ad Uladislaum Regem remiſſus eſt; cujus itineris ſe comitem fuiſſe ſcribit Jodocus Ludovicus Decius, Sigiſmundi Poloniæ Regis Secretarius, a quo narrationem iſtam exſcripſi.

Anno 1492. n. 10. Decius de Sigiſmun. Regis tempor. ad annum 1514.

Fr. Joannes legatus ad Imperatores, & Reges.

Conv. Schuvacii;

XLIV. Julius Pontifex interpellatus a Fratribus propter nimiam, quam ſibi aſſumebat in eos animadvertendi facultatem Grimanus Cardinalis Protector, confirmavit litteras Gregorii XI. & ſui patrui Sixti IV. in quibus quouſque ſe Protectorum auctoritas extendat, voluere declaratum. Do ipſius diploma, inſertumque Sixti, dimiſſo Gregoriano, quod ſuo loco excripſimus. Has etiam Julii litteras Gregorius XIII. anno MDLXXVIII. authentice voluit publicari.

JULIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Gonz. pag. 1101.

XLV. *DUm fructus uberes, quos ſacer Ordo Fratrum Ordinis Minorum in agro militantis Eccleſiæ, in propagatione religionis & fidei orthodoxæ hactenus produxit utiliter & producit, ac in futurum producturum fore indubitanter ſperamus, diligenter attendimus, dignum cenſemus & debitum, nos ad illa noſtros debere dirigere cogitatus, per quæ ea, quæ pro perſonarum in illo ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium quiete & tranquillitate, ac ad illorum ſuperiorum exercendam jurisdictionem a Romanis Pontificibus conceſſa fore noſcuntur, in ſua integritate perſiſtant, & tanto firmius obſerventur, quanto erunt ſæpius Sedis Apoſtolicæ munimine ſtabilita. Dudum ſiquidem felicis record. Gregorius Papa XI. prædeceſſor noſter dicto Ordini ſuas litteras conceſſit, poteſtatem Protectoris ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentis limitantes, ac aliqua eidem Protectori inhibentes, necnon privilegia & indulta alia continentes, quas poſtmodum piæ memoriæ Sixtus Papa IV. etiam prædeceſſor, & ſecundum carnem avunculus noſter, per ſuas litteras cum litterarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi de verbo ad verbum inſertione approbavit, prout in eiſdem litteris, quas præſentibus de verbo ad verbum inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dilectorum filiorum Rainaldi Generalis, & modernorum Provincialium omnium provinciarum juxta morem dicti Ordinis, aſſerentium litteras prædictas eſſe in uſu, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras Gregorii & Sixti prædeceſſorum hujuſmodi approbare, atque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui in minoribus conſtituti, Cardina-*

Julius II. fuit 26. annis Ord. Protect.

latus honore fungentes, dicti Ordinis Protector XXVI. *annis & ultra fuimus, eoſdem Fratres, tamquam peculiares filios in viſceribus caritatis gerentes, eorum commoda & tranquillitatem ſinceris affectibus exoptamus, Generalem & Provinciales prædictos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras prædictas Gregorii & Sixti prædeceſſorum hujuſmodi, quæ in uſu ſunt, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſdam litteris in forma brevis.* Cum noſtræ intentionis *incipientibus, & ſub datum* XVII. *Novembris Pontificatus noſtri anno* III. *alias a nobis emanatis, una cum ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Tenor vero dictarum litterarum ſequitur, & eſt talis.* Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sancta Minorum Religio, quæ agrum militantis Eccleſiæ ſanctis operibus & exemplis copioſiſſime fœcundat, & ſapientiæ ſplendore Catholicam illuſtrat Eccleſiam, tanto uberioribus fructibus fertilior eſſe conſpicitur, quanto in ſuo ſtatu quietior permanet & conſiſtit, & major promptiorque a ſubditis ejuſdem Ordinis Fratribus, ſuis Prælatis obedientia exhibetur, dum nullis extrinſeci impedimenti perturbationibus agi-

agitatur & moleſtatur, cum in ea caput uoicum ſit, & eſſe cenſeatur, a quo omnia dictæ Religionis negotia & cauſæ adminiſtrentur, & cui omnes & ſinguli dicti Ordinis Fratres pareant, & illius ſubjaceant diſciplinæ. Dudum ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa XI. prædeceſſor noſter, cognito quod nonnulli dicti Ordinis Protectores, dum majorem, quam eis ex ejuſdem Ordinis Regula conceditur, auctoritatem vendicare aut uſurpare ſibi ipſis voluerunt, vera ſubditorum prædicti Ordinis ad ſuos Prælatos obedientia ſubmoveatur, unde perturbationes, inconvenientia multa, inutiles Fratrum diſcurſus, & gravia ſcandala fuerunt exorta, in magnam ipſius Ordinis jacturam, præjudicium & detrimentum, litteras ſequentes edidit in hunc tenorem. Gregorius ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cunctos Chriſtifideles, ſuper quibus curam ex debito officii &c. (*uti habetur tom.* VIII. *Annalium anno* MCCCLXXIII. *num.* XXIV.) Datum apud Pontem Sergiæ, Avenionen. diœceſis, VI. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno III. *Nos autem in minoribus conſtituti, cum ipſius Ordinis generalis cura & adminiſtratio nobis incumberet, ſaluberrimum, opportunum & neceſſarium dicto Ordini eſſe conſpeximus, ut Protectores ultra præfixam ab ejuſdem* Ordinis *Regula auctoritatem non extenderent: nam experti ſumus & vidimus quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda prædicto Ordini & Fratribus ejuſdem ex firma & inconcuſſa dictarum litterarum obſervantia provenerint; quæ & quantæ perturbationes, jacturæ, incommoda, damna & gravia ſcandala in dicto Ordine ſuſcitata ſunt, quotiens dicti Ordinis Protectores ſuæ auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti* Ordinis *& Fratrum ejuſdem cauſis & negotiis ſe intromittere, & uſurpata ſibi auctoritate ea videre, cognoſcere, judicare & diſcernere voluerint: cupientes ut Religio & Ordo præfatus, quem affectuoſiſſima caritate complectimur, utpote quia in eo a teneris annis enutriti, & doctrina ac regularibus diſciplinis & moribus inſtituti fuimus, ac, uti firma fide tenemus, certiſſimiſque in nobis experimentis didicimus, ad officia & dignitates, ad quas in minoribus promoti ſumus, & ad hunc ſummi Pontificatus apicem, meritis & precibus Seraphici Patris & Fundatoris promoti fuimus; quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus & meritis augeatur & multiplicetur ad fidei Catholicæ, & Chriſtianæ reipublicæ augmentum, ac ſolidum fundamentum ex ejuſdem* Ordinis *Fratrum operibus & exemplis, ſapientiæ ſplendore, etiam fructuoſis ſtudiis & prædicationibus proveniant, promptiſſimo & liberali animo, uti dignum cenſemus & debitum, ea, quæ pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate & proſperitate a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris provide ſtatuta & ordinata ſunt, ut illibata perdurent, noſtræ approbationis munimine roboramus, interpetramur & declaramus, prout ipſius Ordinis tronquillitati conſpicimus ſalubriter expedire. Igitur ut de cetero ipſius Ordinis profeſſoribus omnis evagandi extra Religionem occaſio tollatur, & vera ſuis Prælatis obedientia, in qua religionis verum & ſolidum fundamentum & robur conſiſtit, exhibeatur, præfatique Ordinis & Fratrum negotia & cauſæ non alibi, neque per alios, quam in ipſo Ordine, & per ipſius Prælatos tractentur, agitentur, judicentur & determinentur; dilecti filii Zaneti de Utino Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius Generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati, inhibitionem & litteras prædictas prædeceſſoris prædicti Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & per eas Protectori præfato, qui in tempore erit, niſi in illis caſibus & articulis in Regula dictorum Fratrum expreſſis, & præfati Prædeceſſoris litteris declaratis,*

Sixt. IV. a teneris annis Minoritа.

S. Franciſco tribuit conceſſum ſibi fuiſſe Pontificatum.

tis, nec in illis, dum non univerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis profeſſores in quovis numero a fidei veritate, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia deviarent, vel Regulam prædictam non ſervarent, ſed de eorumdem deviantium, & non obſervantium Regulam correctione aut reductione, ac aliis quibuslibet cauſis & negotiis dicti Ordinis ſe impediat, inhibitum fore dicta auctoritate decernimus & declaramus. Hortamur autem illum, qui officium Protectoris hujuſmodi, quod impræſentiarum per obitum bonæ memoriæ Beſſarionis Epiſcopi Sabinenſis, dicti Ordinis olim Protectoris, nuper vita functi, vacat, aſſumi & deputari contigerit, & ipſius ſucceſſores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo inhibemus, ne extra prætactos articulos & caſus in Regula prædicta contentos & expreſſos, nec etiam in illis, cum non univerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars, vel ſpeciales perſonæ errarent, ipſorum Fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis & negotiis contra litteras & declarationes hujuſmodi intromittere ſe quoquo modo præſumant, ſed curent, vigilent & intendant, uti eſt proprium eorum officium, & prædicti ſancti Franciſci, & Apoſtolicæ Sedis intentio extitit, ipſum Ordinem in quieto & tranquillo & pacifico ſtatu conſervare & augere, ac ab impugnantibus, moleſtantibus & perturbantibus protegere & defendere & tueri; ne ſecus agendo, Ordinem prædictum non ſolum non protegant, conſervent & exaltent, ut tenentur, ſed in animarum ſuarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum & ſcandalum, perturbent, deſtruant & confundant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, conſtitutionis, decreti, declarationis, exhortationis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXXII. V. *Kalend. Februarii Pontificatus noſtri anno* II. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis* MDVII. *Idibus Octobris, Pontificatus noſtri anno* IV.

Frater Antonius Epiſcop. Callien. Idem Leopolitan.
* *Al.* Georgius. Fr. Gregor. Callien. Idé Nazarenus.

XLVI. Hoc anno menſe Maii frater Antonius de Caſtrianis ab Epiſcopatu Callienſi, ſub Archiepiſc. Urbinate, translatus eſt ad Leopolitanum, ſeu Feretranum per obitum Lucæ Mellini. Factus eſt deinde urbis Ariminenſis Gubernator, ubi exceſſit e vita anno MDX. die XI. Auguſti. Succeſſit Antonio in Epiſcopatu Callienſi frater Gregorius * Benignus Siculus Syracuſanus, inſignis Theologus die XXI. Maii, translatuſque eſt ad Eccleſiam Nazarenam anno MDXIII.

Conv. Clavaſ. *Genz. in Provin. Genuæ Conv.* 32. 31. & 33.
Conv. Cherii. Conv. Creſcent.

XLVII. In oppido Clavaſii apud Pedemontanos circa hoc tempus conſtructum eſt communibus facultatibus Cœnobiolum ſancto Bernardino ſacrum, pro ſex Fratrum incolatu. Incerti etiam anni ſunt alii duo parvi Conventus, qui antiquitus ad eamdem cum præcedente ſpectabant Genuæ Provinciam; nimirum ſancti Georgii oppidi Cherii, in cujus Eccleſia pulchro ſepulcro requieſcit Corpus beati Ambroſii Mediolanenſis; quod cum latrunculi quidam ſuffurari tentarunt, facti ſunt paralytici; & ſanctæ Mariæ Gratiarum oppidi Creſcentini, Communitatis ſumptibus extructus.

Conv. Laureanus. *Idem in Provin. Baſil. Conv.* 13.

XLVIII. Hoc ipſo anno Julius Pontifex facultatem conceſſit Laureanæ Univerſitati, Policaſtrenſis diœceſis, Conventum Obſervantibus ædificandi ſub invocatione ſancti Bernardini; & pro Conventualibus in Provincia Sici-

Siciliæ, & cuſtodia Meſſanæ, in oppido Calatamaſcottæ, ſub titulo ſancti Franciſci.

Conv. Calatamuſchottæ. *Rodul. fol. 180.*

XLIX. Petrus Melgarius, de quo non ſemel ſupra dictum eſt, hoc anno ex Pontificis indulto, prope ædiculam vetuſtam beatæ Mariæ de Berrocal, ad M. P. a Belviſio, Placentinæ diœceſis oppido, anguſtum, ſed quatuordecim Fratribus accommodum conſtruxit domicilium, ſumptus miniſtrante pio heroe Franciſco Monroyo Delectoſiæ Comite. Oropeſani Comites prædicti Franciſci hæredes & ſucceſſores ſollicitam curam gerunt hujus Cœnobioli, quod nunc ſub ſancti Franciſci nomine audit, & in quo continuata ſerie ſemper vivunt viri piiſſimi. Jacent hic Alphonſus Suarez, qui ad Indos occiduos prædicandi Evangelii cauſa, cum viro Apoſtolico Martino a Valentia transfretavit, & poſt multos pro ſalute illius gentis exantlatos labores, in Hiſpaniam regreſſus, hic in pace quievit: Franciſcus a Villis bonis, qui magna ſanctitatis opinione anno MDLXVI. hic in Domino obdormivit, ut illo anno referemus: Franciſcus a Rota Pincianus, Joannes Caurienſis & Didacus Safranus Sacerdotes, ſanctitate conſpicui. Hic etiam ſepulta eſt quædam venerabilis matrona, cognomine Maldonata, quæ anno MDXXXV. deceſſit. Dum multa præſago ſpiritu prædiceret, & multi pithonico agitatam ſuſpicarentur, a Placentino Epiſcopo in quæſtionem vocata, inventa eſt ab omni ſuſpicione & ſuperſtitione immunis; quamobrem cum magna ſanctitatis opinione deceſſit.

Conv. Berrocalii. *Gonz. in Provin. S. Gabr. Con. 4.*

Alphonſus Suarez.

Franciſcus a Vallis bonis.

L. Inter Bucenſis antiquiſſimæ Civitatis in Hiſpania Bætica ruinas ad tertium lapidem a ſanctæ Euphemiæ caſtro, pius heros Gondiſalvus a Mexia ædiculam in honorem ſancti Alberti (quem Gonzaga Gilbertum appellat) qui eo in loco pro Chriſti fide occubuit, conſtruxerat; ſed creſcente in dies erga eumdem ſanctum Albertum populi devotione, propter crebra, quæ ibi patrabat miracula, adjunxit (hoc anno, ſive ut alii volunt anno MDIV.) Fratrum Obſervantum, cuſtodiæ Angelorum, commodum habitaculum. Julius Pontifex in litteris conceſſæ facultatis domus extruendæ, numerum incolarum ad novenarium limitavit, ita rogante fundatore. Sed aucta populi erga Fratres pietate, Pontifice annuente, crevit numerus ad vicenarium & ultra. Gondiſalvus alter a Mexia, ſupradicti pronepos, Guardienſium Marchio, & Caſtri ſanctæ Euphemiæ dominus, atque Eliſabetha de Mendoza conjux locum hunc multis ſacris reliquiis a Pio V. acceptis nobiliorem reddiderunt, ibique ſolemniſſime colitur dies natalitii, ſeu martyrii ſancti Alberti, Eccleſiæ titularis. Jacent hic multi ex proſapia prædictorum Marchionum, atque inter hos frater Antonius Manriquez, olim Commiſſarius Generalis familiæ Ultramontanæ, & Epiſcopus Calagurritanus. Ibi etiam requieſcit frater Martinus a Collado, qui poſt plurimos, eoſque magnos toleratos labores pro animarum converſione apud extremos Indos, hic ſancto fine, magna populi veneratione deceſſit.

Conv. S. Euphemiæ. *Idem in Provin. S. Angel. Con. 9. Mon. MSS. hujus Prov.*

Antonius Manriquez.

Martinus a Collado.

LI. Catholici Reges Ferdinandus & Iſabella, cum ſtatim ab expugnata Granatenſi Civitate Eccleſiam Cathedralem in Dei Genitricis honorem conſtruxiſſent, atque adoleſcentum Collegium, & infirmorum Xenodochium adjunxiſſent, nec vero Eccleſiæ ſtructura tantæ urbis amplitudini & dignitati reſponderet, templum, domumque Archiepiſcopalem magnificentius alio in loco conſtruxiſſe, & priores ſtructuras hoc anno in Fratrum Minorum Cœnobium adaptaſſe, ſcribit Gonzaga. Sed cum Iſabella anno MDIV. in humanis eſſe deſierit, & Ferdinandus non niſi ſub finem hujus anni ex Italia Caſtellæ regnum pro Joanna filia recturus acceſſerit, neque a Regibus Catholicis, neque hoc anno domus illa Franciſcanis potuit adaptari. Translatio-

Conv. Granatenſis.

Gonz. in Provin. Granat. Conv. 15.

tionem ædificii ad Minoritas ſive a Ferdinando patre, ſive a filia Joanna, ſive ab ipſius urbis magiſtratu factam, Leo X. anno MDXVI. confirmavit. Cœnobium eſt inſigne, tum Fratrum multitudine, tum Philoſophiæ & ſacræ Theologiæ prælectionibus. Habentur hic in veneratione inter alias Sanctorum Reliquias, partes duæ non exiguæ Beatorum martyrum Joannis a Cetina & Petri a Dueñas Fratrum Minorum, qui ſub imperio Mahomad a Bembalvo XII. Regni Granatenſis Maurorum Rege, ſeu Tyranno, glorioſum paſſi ſunt martyrium, uti ſuo loco opportune narravimus.

Tom. 9. an. 1389. n. 9 & an. 1397. num. 1.

LII. Nobilis vir Tanguidus de Caſtro, & Maria de Irach hoc anno, Dominica quarta poſt Paſcha, præmiſſa numeroſa & magnifica ſupplicatione nobilium, Cleri & Religioſorum, primum lapidem poſuerunt in fundamento Cœnobii ſanctæ Mariæ de Angelis, quod pro Fratribus Obſervantibus ſtatuerunt ædificare in Parochia de Landeda ſupra maris portum, qui Britannica lingua *Abegrab* nuncupatur, Diœceſis Leonienſis. Eccleſia cum ſacrario, Capitulo & Clauſtro conſecrata fuit ferme poſt biennium, anno videlicet MDIX. ipſo die Viſitationis beatæ Mariæ, a Joanne Leonienſium Epiſcopo, Fratribus addictiſſimo.

Conv. Abegraei. *Idem in Provin. Britan. Conv. 9.*

LIII. Ex ſepulto hoc anno, uti diximus, fratre Rodulpho Auſtriacæ ſtirpis in Cœnobio Græcenſi, liquet vetuſtius fuiſſe, & ante annum hunc ad Obſervantes, inter quos Rodulphus fuit initiatus, translatum. Sub Friderico III. a Conventualibus ad hos abiiſſe, incerto tamen anno, ſcribit Gonzaga, & a Carolo Auſtriæ Archiduce refectum. Nunc commodus eſt Conventus, gymnaſiumque habuit ſacræ Theologiæ, modo adoleſcentum tirocinium.

Hoc an. n. 32. Con. Græcenſis. *Idem in Provin. Auſtr. Conv. 3.*

LIV. In Comitiis Generalibus Obſervantum Ciſmontanorum hoc anno, uti diximus, celebratis, cum inter Hungaros & Boſnenſes magna eſſet diſceptatio circa Conventum ſanctæ Mariæ apud fluvium Savam, auctoritate Sixti IV. a Boſnenſibus inchoatum, decretum fuit, ut remaneret penes Boſnenſes; ea tamen conditione, ut illi nullum alium locum in poſterum auderent capere vel admittere ultra fluvium prædictum.

Conv. Savæ. *Reg. Ordin. pag. 158.*

LV. Tereſia Enriquez Toletanæ diœceſis, relicta quondam Alphonſi (Salazar vocat Guttierum) de Cardenas, militiæ ſancti Jacobi de Spata Præceptoris ſupremi, obtinuit hoc anno, ut prope Eccleſiam, Eremitorium nuncupatam, ſanctæ Catarinæ infra metas parochialis Eccleſiæ oppidi Turrigii, prædictæ Toletanæ diœceſis, conſtrueret Monaſterium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, inſtar Monaſterii Conceptionis urbis Toletanæ, de quo ſuperius diximus, pro uſu & habitatione piarum quarumdam Bizocharum ſeu Beatarum, uti appellant, ſub eodem titulo Conceptionis, Divinis laudibus in domo prope dictam Eccleſiam ab eadem Tereſia conſtructa, ſub cura & adminiſtratione Archiepiſcopi, ac Fratrum Minorum inſiſtentium; ſibique liceret, cum una vel duabus matronis honeſtis prædictum Monaſterium intrare, cum Monialibus refectionem ſumere, dormitare, & ſcapularium album cum imagine Virginis Mariæ in eo depicta geſtare: *Inter cetera Divinæ*. XI. Kalendas Julii. Cœpit illa Monaſterium ædificare; ſed cum ante biennium experiretur locum fuiſſe aliquanto incommodum, & aquæ penuria laborare, ad alium opportuniorem cogitatum applicuit, relicta priori fabrica excipiendis pauperibus & peregrinis, ac infirmis curandis. Inſigne itaque domicilium ſub titulo Conceptionis beatæ Virginis, & ſub omnimoda juriſdictione & directione Minorum Obſervantum intra mœnia oppidi conſtruxit, in quo religioſiſſimæ, & nobiliſſimæ ſemper vixerunt Sanctimoniales, & ex quo multæ prodierunt Magiſtræ & Fundatrices aliorum Mo-

Mon. Turrigii. *Salaz. lib. 8. c. 10. & 11. Gonz. in Provin. Caſtel. Mon. 26.* *An. 1501. n. 43.*

Monaſteriorum hujus Inſtituti. Madritenſe inchoarunt Maria Spei, Catarina Evangeliſta, & Joanna a ſancto Franciſco; Almerianum Maria a ſancto Joanne, ſingulari virtute, donoque prophetiæ illuſtris, aliis novem ſecum conductis; Uſſagrianum Sorores quatuor; Montalbanum Maria Calderona, prima hujus Turrigiani Monaſterii Abbatiſſa cum ſociis ſeptem; Guadalfagarianum inſtitutrices quinque; Peñarandanum, Comitis Mirandi filia, Abbatiſſa deſignata cum ſociis ſeptem; Berlanganum filia Comitis Stabuli Caſtellæ, tribus adjunctis ſociis. Hinc etiam miſſæ duæ, quæ deperditam ſive laxatam diſciplinam regularem reſtaurarent in Monaſterio Corralano Almaguerii ſubjecto Ordinum militarium conſilio. Decoratur pretioſiſſimis Reliquiis acceptis a Marchione Almazanio, quas ille ab Imperatrice Maria recepit.

LVI. Neque hoc Monaſterio contenta Tereſia, aliud hoc ipſo anno, obtenta Julii facultate, conſtruere cœpit Monaſterium ejuſdem Inſtituti & tituli in oppido Maquedæ, ſibi ſubjecto, prædictæ Toletanæ diœceſis, in loco ubi præextiterat Eccleſia parochialis ſancti Petri; cedente libenter juri ſuo Petro Aloyſio Alphonſi Parocho, translata etiam cura parochiali cum fructibus ad Eccleſiam propinquam ſanctæ Mariæ. Monaſterii regimen admiſit Martinus de Vergara Vicarius Provincialis Obſervantum Provinciæ Caſtellæ, qui ex Monaſterio Conceptionis Toletano ſubminiſtravit primas Inſtituti magiſtras, Annam Enriquez filiam Marchionis Aquilarii, deſignatam Abbatiſſam, aliaſque ſocias. *Mon. Maquedæ. Indid. Mon. 17. Salaz. cit. c. 11.*

LVII. Ferdinandus Talabricanus, primus Archiepiſcopus Granatenſis, poſt recuperatam a Mauris Civitatem, olim Catholicis Regibus a ſacris confeſſionibus, in Loxenſis urbis ſuburbio hoc anno cœpit ædificare Monaſterium pro quadraginta Clariſſis Urbaniſtis, quod etiam amplis reditibus pie curavit dotari. *Mon. Loxe. Gonz. in Prov. Granatæ Monaſt. 14.*

LVIII. Margarita Alenconii Duciſſa, ſuo conjuge anno MCCCCXCII. orbata, calcatis mundi vanitatibus, orationibus, piiſque operibus die ac nocte ſedulo inſtabat; utque commodius erga pauperes opera exerceret miſericordiæ, domum quamdam emit, in qua mendicos, afflictos, nudos & languidos recipiebat. Honoris cultuſque Divini perquam ſollicita, Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus ædificandis intendebat. Monaſterium Clariſſarum Alenconii juxta caſtrum urbis ædificavit, vocatis primis Magiſtris ex Monaſterio Ave-Mariano Pariſienſi. Mortiniaci Hoſpitale ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ Hungaricæ conſtruxit, ubi Sorores Tertii Ordinis collocavit. Hoſpitale oppidi Caſtri-Gunterii, Andegavenſis diœceſis, ejuſdem Inſtituti Sororibus adjudicavit, vocatis ex Mortiniaco Xenodochio, quæ reliquas inſtruerent, eiſque prope Hoſpitale commodam & amplam domum ædificavit. *Mon. Alenconii. Idem in Provin. Turon. Pictav. Mon. 3.* Dom. Mortiniaci Soror. Tertii Ordinis. Dom. Caſtri-Gunterii.

LIX. Obtinuerunt hoc anno Fratres Conventuales reformati Provinciarum Turoniæ & Burgundiæ, ut in hac ſua reformatione permanerent; necnon Sorores ſub eorum cura degentes ab eiſdem regerentur, & quod nullo modo ab Obſervantibus moleſtarentur; neque ab eis in ſuum conſortium, niſi præhabita in ſcriptis ſuorum Miniſtrorum licentia, reciperentur. *Lib. 105. Regeſt. Jul. fol. 102.*

ARGUMENTUM.

Mittuntur in Hiſpaniolam Minoritæ . Cardinalis Ximenius Academiam Complutenſem, convocatis undique doctiſſimis hominibus, fundatiſque multis Collegiis ſolide ſtabilivit. Fabricæ Baſilicæ Vaticanæ promovendæ Nuncios & Commiſſarios conſtituit Pontifex Vicarios Generales Obſervantum. Recenſentur aliquot hujus temporis viri variis titulis illuſtres . Celebrantur Comitia Generalia apud Ultramontanos . Sardiniæ , & ſancti Evangelii Provinciæ ſuas patiuntur viciſſitudines . Deſignantur Epiſcopi , & Cænobia .

Herrer. dec. 1. l. 7. cap 6. & 8. Mon. MSS. Provin. S. Crucis.

Mittuntur Minoritæ in Hiſpan.

I. DIDACUS Colonus , ſive Columbus , celeberrimi viri Chriſtophori , Indiarum Occidentalium primi exploratoris filius , cum hoc anno poſt multos labores & preces a Ferdinando Rege Catholico impetraſſet ſibi adjudicari ſolidam & pacificam poſſeſſionem in juribus & privilegiis paternis , jubente Rege , in Hiſpaniolæ inſulam inſtructa claſſe ſolvit , Regiis tabulis inſtructus , qua ratione res Indicæ tam humanæ , quam Divinæ felicius regerentur . Illud præcipuum habuit in mandatis , ut quamprimum Eccleſiæ , Monaſteria , & loca ſacra conſtruerentur eo ſumptu & ambitu , quo brevius , & minori populorum onere poſſent abſolvi . Miſſi ſacrorum curatores Franciſcani , ſubminiſtratis abunde ex theſauro Regio , & domo Indica apud Hiſpalim ſacris veſtibus , rebuſque omnibus cultui Divino neceſſariis .

Gomez. lib. 4. Robles de geſtis Ximen. cap. 16. Daza 4. p. l. 1. cap. 21.

Incipit florere Academia Compluten.

Fr. Clemens primus moderatur cathedram Scot.

Juriſprudêt. non docetur Compluti .

II. Franciſcus Cardinalis Ximenius, capta temporis opportunitate, dum Ferdinandus Rex (cujus lateri oportebat regiminis oneri levando adhærere) e Burgenſi Civitate Cordubam proficiſceretur , Complutum venit hoc anno , ſuam viſurus Academiam , nova ſcholaſticorum Colonia , & doctorum virorum prælectionibus florere incipientem . Curaverat ille ſelectos adoleſcentes Salmantica deduci , qui die XXVI. Julii Divæ Annæ ſacro , præmiſſa magna pompa , in Divi Ildephonſi ædes , Academiæ præcipuas , primumque Collegium , fauſtis auſpiciis , ſolemni epulo ſunt admiſſi . Acceſſiti pingui ſtipendio partim Salmantica , partim Lutetia Pariſiorum viri doctiſſimi , qui cathedras regerent ; & Scoticæ præfectus eſt frater Clemens , vir doctiſſimus , ſed impeditioris naturæ , & repentinis difficultatibus explicandis aliquanto tardioris ingenii . Omnibus facultatibus , Grammaticæ , humanioribus litteris , Græcæ & Hebraicæ linguis addiſcendis cathedras inſtituit : ſolam legum , ſeu Juris prudentiam ab hoc ſuo Athenæo excluſit , ea in præſcriptis a ſe conſtitutionibus ratione producta : *Cum duæ celeberrimæ apud noſtros Academiæ habeantur , in quibus Juris utriuſque ſcientia magno cum fructu & laude ingenti traditur , Juris civilis peritiæ in hoc gymnaſio locus non eſto . Jus Pontificium eo uſque tradatur , quatenus ejus peritiam ad ſacros Ordines in hoc Toletana diœceſi ſuſcipiendos noſtræ ſynodales conſtitutiones neceſſariam eſſe cavent . Duo profeſſores ſacrorum Canonum , quammaxime docti & inſtructi haberi poterunt , in hoc noſtro Collegio ſunto .* Cum enim vir prudentiſſimus utriuſque Juris cognitionem Salmanticæ & Pintiæ doceri intelligeret , Theologiam vero , & liberalium artium ſtudia ſuo tempore contemni videret , & nullam haberi rationem linguarum orientalium , ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam ſumme neceſſariam , hæc tria ante alia in Academia quam condebat , quæri conſtituit .

III. Igitur ad juventutis in diſciplinis incrementum , & ne copia alimen-

mentorum deſtitueretur, præclaram rationem excogitavit, quinque tum temporis Collegiis inſtitutis, quibus pauperes adoleſcentes, alii triennio, alii quadriennio alerentur. Quinque itaque conturbernia parari juſſit, in quibus qui Rectoris, & Triumvirorum ſuffragiis comprobati eſſent, per tempus unicuique deſignatum diverſarentur. Ædes proinde peramplæ conſtructæ ſunt, quarum ſingulæ peculiari alicujus Divi tutelæ dicatæ ſunt, a quo & nomen acceperunt. Grammaticorum ſchola binas ſuſcepit, altera Divo Eugenio, primo Toletanorum Antiſtiti, altera Divo Iſidoro, Hiſpanorum indigenæ ex Gotthico ſanguine, cujus admirabilis doctrina multis in rebus rempublicam adjuvit. Singulis ædibus virum moribus & doctrina præſtantem præfecit, qui ternos Grammaticæ præceptores ad puerorum inſtitutionem per claſſes ſuas diſtinctos conducit. Horum primus rudimentis tradendis; alter provectioribus inſtituendis; tertius utroſque ſuperegreſſus, ad elegantiorem rationem, priuſquam ad alias diſciplinas diſcedant, formandis, omni cura & vigilantia intendit. Latinæ linguæ auctores, in utroque Grammaticorum Collegio, ſex illi Doctores publice interpretantur, partim ut ipſi mutua æmulatione excitentur, partim ut diſcipuli de eiſdem ſententiis inter ſe agere poſſint, & animadvertant an ſui præceptores idem ſenſerint. Hac collatione & ingenia exercentur, & videntur ſinguli binos audiviſſe magiſtros; & in re maxime neceſſaria & perdifficili, ſi quis rem ut par eſt, conſideret, non inutiles profectus faciunt. *Inſtitutio Collegiorum.*

IV. In his Collegiis quadraginta duo adoleſcentes ex aliorum numero deſumpti, triennio aluntur, qui ſæpenumero ab initiis illis ad contubernia reliqua per gradus promoti, victa egeſtate, in viros magnos & præclaros evaſerunt. Horum præceptores xv. quoque die, viciſſim tribus diſcipulis ſuorum Magiſtrorum de rebus grammaticis ſententias defendentibus, adverſariis contra impugnantibus, in gymnaſium, quod Majus ob capacitatem vocant, conveniunt: ubi multæ ejus diſciplinæ difficultates enodantur, puerique ex mutua contentione non mediocriter juvantur. Quoniam vero ad ceterarum diſciplinarum cognitionem permultum intereſt, bene pueros in Grammaticis inſtitui: nullaque major ſtudiorum pernicies ſit, quam ſi ignoratis linguæ Latinæ fundamentis, conetur quis ceteras diſciplinas ſuperſtruere, quæ Latine traditæ ſunt ab auctoribus: hac quoque in parte ſapientiſſimus Academiæ conditor curavit, ut caveretur. Nam horum Collegiorum præfectis, quoties adoleſcentibus ab una Grammaticæ claſſe ad aliam tranſeundum eſſet, quantum in grammaticis rudimentis profeciſſent, explorare juſſit: animoſque eorum non mediocri religione obſtrinxit, ne immeritis, & parum profectis ad majora progredi concederent. Quod ſi ad alias diſciplinas conſcendendum foret, Rectori de examinatore creando curam præſcripſit. *Ratio ſtudiorum.*

V. Dialecticæ & Philoſophiæ ſtudiis binæ itidem ædes contribntæ ſunt: alteræ Divæ Balbinæ dedicatæ, cujus titulus Ximenio Cardinali facto datus fuit: hæ quadragenos octonos ſingulis quibuſque annis recipiebant, qui Dialecticæ primo anno rudimentis, ſecundo Ariſtotelicis de ea re libris, ingenti Præceptorum labore, aſſiduis exercitationibus, per pugnas litterarias inſtituerentur. Alteræ ſub Divæ Catarinæ titulo, ad quas tertio quoque anno e Divæ Balbinæ Collegio, qui commigrabant, naturalibus, & ſapientiæ, quam ſupernaturalem Philoſophiam appellant, traditionibus pari cura per biennium inſtruebantur: hi Metaphyſici, illi vero Phyſici in Ximenii legibus vocantur. Sed in Balbinæ Collegio viginti illi quatuor, qui Ariſtotelis Dialecticæ operam dabant, alios, qui rudimentis vacabant, anno antecedebant:

bant : quo temporis ſpatio, & in Catharinæ Metaphyſici Phyſicos præcurrebant. Hac de cauſa priores illi, ut jam veterani, in ſecundos ut tirones imperium exercebant : nec ob hoc ulla a principio diſcordia exorta eſt. Atque ita continua quadam converſione illis abeuntibus novi ſuccedunt : quod de pyris hortorum Alcinoi Homerus dixit. Nam quadriennio integro peracto, quod ſemper in continuo curſu eſt, ad novos præceptores ſtipendia cathedrarum quotannis redeunt.

Omerus Odyſ. 7.

VI. Perpetuo ſub ſancti Lucæ feſtum duo præceptores deliguntur, qui toto quadriennio in Philoſophica ſchola inſudent. Hac nimirum ratione efficitur, ut octo Doctores in eadem ſemper area verſentur, qui Logices rudimenta, aut Ariſtotelis de eadem arte inſtitutiones, aut libros de phyſico auditu, ceteraque ad naturalem Philoſophiam ſpectantia, aut primam Philoſophiam, quam ſapientiam vocant, incredibili æmulatione docent : ſic autem octo, quos diximus, Doctores diſtribuantur, ut ſingulis, quas numeravimus, diſciplinis, bini contribuantur ; ſinguli autem duodecim adoleſcentes ex auditoribus ſortiantur, qui ad has Sodalitates paupertatis cauſa ſuſcipiuntur. Hi ſuis periodis confectis, primo *Baccalaureatus*, deinde *Licentiæ* titulis donantur, & poſtremo ad quadriennii finem magiſtrali floſculo (ea eſt merces laborum) inſigniuntur.

VII. Congrediuntur etiam horum præceptores quindenis, ut Grammatici quibuſque Saturni diebus, ad ſua placita ſtudioſe tuenda. Ne quid vero otioſum habeatur, proximis poſt præceptorum congreſſum Sabbatis, Academia ſpectante, præceptoribuſque ipſis rem totam moderantibus, diſcipuli quoque de eiſdem diſputant. Tam ad has, quam ad illas diſputationes, frequentiſſima convenit Academia, ſemperque Rector & Cancellarius, niſi quidpiam magni momenti impediat, præſentia ſua diſputantium ingenia excitant, & ſpectaculum dignius eſſe faciunt.

VIII. Ædificata eſt & domus alia titulo Matris Dei, ubi ægrotantes Scholaſtici curentur : ſed anguſtior facta eſt architectorum negligentia, cum Ximenius, ut laxitate ceteras domos ſuperaret, juſſiſſet. Culpabat enim, quod in Noſocomiis vulgo fit : nam eodem in cubiculo multi diverſis morbis affecti, & plerumque contagioſis jacent, quos noxiis vaporibus viciſſim infici, & mutuis gemitibus affligi, & vicinorum morte conſternari dicebat ; quare de ſecunda conſtruenda cogitavit.

IX. Fuit ea domus peropportuna occaſio, ut Theologicum Sodalitium felicibus auſpiciis inſtitueretur. Nam cum Ildephonſi ædes Theologis hominibus parata eſſet, iiſque ſimul reipub. litterariæ cura demandaretur, neceſſarium eſſe videbatur, Collegium aliud a reliquis ſeparatum conſtituere, ubi aliquot juvenes ſtudioſi ab omni cura vacui, Theologiæ perdiſcendæ liberius attenderent, indeque in Ildephonſi commigrarent. Opere perfecto, introducti ſunt viginti quatuor Sodales, quorum decem & octo Theologiæ, reliqui ſex Medicinæ vacarent. Hoc genio adeo felici factum fuit, adeoque in ea duarum præclariſſimarum diſciplinarum ſtudia egregie tractantur, ut quibuſque quadrienniis (nam id tempus ad commorandum datur) veluti quædam exactiſſima officina, bonos artifices educat, qui partim in Ildephonſi Collegium ſuffecti, partim ad alias ſcholas, aut ad principes viros vocati, magno cum aliorum fructu doctrinæ ſuæ documenta proferant.

Collegium inſtituit Minoritis intra Academiam. Salaz. lib. 1. de Provinc. Caſtel. cap. 12.

X. Præter hæc, intra Collegium Divi Ildephonſi dignitatis ergo, loco peraccommodo, & ab habitatione collegarum diviſo, ſuis Conſodalibus Franciſcanis Collegium, ſub titulo ſanctorum Petri & Pauli (non propterea indito, ut quidam ſcripſerunt, quod ei conſilium eſſet, ſanctæ Balbinæ

Car-

Cardinalatus titulo relicto, pro eo alterum Baſilicæ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli intra Urbem aſſumere, cum equidem nullus ſit in Urbe hujuſmodi titulus Cardinalatus, uti ſuperius diximus) conſtruxit. Deinde Collegium alterum, *Trilingue* nuncupatum, in quo triginta alumni cohabitant; decem linguam Græcam, totidem Hebraicam, reliqui Latinam addiſcunt. Cathedræ porro per hæc Collegia diſtributæ, quadraginta duæ numerantur, ſacræ Theologiæ ſex, Juris Canonici totidem, Medicinæ quatuor, Artium liberalium octo, Philoſophiæ moralis unam, Mathemathicæ alteram, linguæ Græcæ duas, Hebraicæ totidem, Rhetoricæ quatuor, Grammaticæ ſex, Anatomiæ unam, Chirurgiæ alteram; aſſignatis omnibus juſtis ſtipendiis, quæ triplo ferme temporis decurſu, quo alia ſolent diminui, accreverunt. Cum enim in reditus annuos quatuordecim millia aureorum Academiæ ſtatuerit, tam prudenter omnia diſpoſuit, ut nulla parte extenuata ſint hæc meritorum ſtipendia, ſed potius ad triginta millia & ultra jam pervenerint.

An. 1497. n. 21. Univerſitatis Cathedræ 42.

XI. Ut firmius omnia conſiſterent, Academiæ patronos & vindices, quorum favorem in rebus arctis & difficilibus Complutenſe gymnaſium imploraret, quinque potiſſimum eſſe voluit, Hiſpaniarum Regem, ſanctæ Balbinæ Cardinalem, Archiepiſcopum Toletanum, Infantatus Ducem, & Clunienſem Comitem. Ratio autem ſatis conſtat, cur quos retulimus, patronos nominaverit. Nam Reges ſemper oportet propitios habere: Toletanum vero Archiepiſcopum, quod Complutum ejus eſſet ditionis, & plurimum poſſet Academiam juvare, ſi litteras amaret. Jam vero e re Academiæ eſſe ſciebat habere Romæ Protectorem, qui apud Pontificem Maximum, ſi quando uſus poſtulaſſet, ejus cauſam ageret, & ſimul titulum, quem geſſerat, quodammodo illuſtrare voluit: Mendozios vero tam Ducem, quam Comitem, partim quia ob vicinitatem præſto eſſe poterant Academiæ laboranti, partim ob affinitatem cum ea familia contractam.

Academiæ Patroni.

XII. Præbendas, Canonicatus, Beneficia, & varia Sacerdotii genera inſtituit, quibus Scholaſtici & Magiſtri excitentur ad feliciores in litteris progreſſus; ſecundum etenim ſingulorum merita, præmiſſo ſevero examine, a deſtinatis judicibus hæc ſingulis diſtribuuntur. Exercitationes ſcholaſticæ adeo ſunt frequentes, adeoque laborioſæ, ut nonniſi optime probatis, valdeque peritis liceat tantum periculum, præſertim graduum obtinendorum ſubire. Leges autem & conſtitutiones ab ipſo conditore ita prudenter ſunt diſpoſitæ, ut firmiter huc uſque abſque mutatione perſeverent, & minima quæque, quibus ille modum præſcripſit, ipſius regulis tranſiguntur. Opus quidem omnibus numeris abſolutum, undequaque perfectum & magnificum, quod Principum nullus, & inter Reges pauci audeant imitari.

XIII. Julius Pontifex ante biennium initium dedit conſtructioni magnificentiſſimæ Baſilicæ ſancti Petri in Vaticano, Bramante architecto peritiſſimo ideam univerſæ molis ad exactiſſimæ ſymmetriæ elegantiam deſignante. Vaſtiſſimum quidem ædificium, omnium ſacrorum, quæ unquam fuere uſpiam, amplitudine longe auguſtius, ſumptus requirebat immenſos, quibus colligendis homines præfecit dignitate conſpicuos, fide commendabiles, induſtria probatos. Inter hos potiſſimum delegavit ſuum Nuncium & Commiſſarium Hieronymum Torniellum, Vicarium Generalem Obſervantum Ciſmontanorum anno elapſo electum, cui auctoritatem dedit Indulgentias publicandi per viginti quinque Provincias, numerandas ſecundum morem Ordinis Minorum, multaque privilegia concedendi, alioſque collectores ſibi ſubſtituendi. Hoc munere ille prudenter & graviter multo ope-

Julius Pontifex incipit reſtaurare Baſilicam Vaticanam.

Vicarius Generalis Obſervantum ſit fabricę Commiſſarius.

operis profectu, & Pontificis laude functus eſt, donec iſto anno, die VIII. Auguſti poſt prolixam ægritudinem, Mediolani diem clauſit extremum: cui ſubſtitutus eſt Commiſſarius frater Archangelus Placentinus, Vicarius Provinciæ Mediolanenſis: ſed & hic ejuſdem menſis die XXIII. deceſſit. Die vero IV. Septembris Patres Provinciæ Mediolanenſis in ſuum Vicarium elegerunt Franciſcum de ſancto Columbano: & quia dubitabatur a multis, an deberet ſuccedere in officio Commiſſariatus Generalis, ad quod aſſumptus fuerat Vicarius ejus prædeceſſor? conſulenda videbatur Sedes Apoſtolica. Dubium per has litteras Julius ita diſſolvit.

Moritur.

Conſulitur Sedes Apoſtolica circa ſucceſſionem ad officium Vicariatus Generalis.

Univerſis &c. præſentes litteras inſpecturis.

Ex Reg. Ordinis.

XIV. *Decens reputamus & congruum, ut cum ſuper facultatibus, quæ a Sede Apoſtolica emanarunt, aliquæ opiniones ſeu dubitationes inſurgunt, Romanus Pontifex illas dilucidet & declaret. Accepimus ſiquidem, quod licet alias per litteras a fel. record. Eugenio IV. prædeceſſore noſtro ſuper diverſo modo vivendi Fratrum Ordinis Minorum Conventualium, & de Familia, ſive de Obſervantia nuncupatorum emanatas, & per recolendæ memoriæ Pium II. & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & per nos approbatas, ordinatum fuerit, quod ſi Generalis Vicarius de Familia Fratrum infra tempus ſui officii ex hac luce migraret, ſeu alias ab ejus officio amoveretur, Vicarius, in cujus Provincia, juxta morem dicti Ordinis ipſum Generalem Vicarium mori vel amoveri contigerit, nuntiare quantocius poterit aliis Vicariis aliarum Provinciarum, & de conſilio atque conſenſu duorum Vicariorum magis propinquorum, locum & tempus pro electione futuri Vicarii Generalis celebranda determinare, & eos, qui ad hujuſmodi electionem faciendam fuerint convocandi, convocare, & interim officium Generalis Vicarii auctoritate Sedis Apoſtolicæ libere exercere debeat. Quia tamen contingere poteſt, quod Generali Vicario in una Provincia vita functo, Vicarius Provincialis dictæ Provinciæ decedat, & alius Vicarius Provincialis loco Vicarii Provincialis defuncti eligatur, prout nuper contigit, quod Vicarius Provincialis Provinciæ, in qua Generalis Vicarius deceſſerat, fuit vita functus, & alius loco Vicarii Provincialis defuncti, in Vicarium Provincialem electus, & propterea a nonnullis in dubium revocatur, an talis Vicarius loco Vicarii Provincialis electus, juxta tenorem dictarum litterarum Vicariatus Generalis officium, & alia præmiſſa exercere poſſit. Nos ad hujuſmodi ambiguitatis dubium ſubmovendum, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, quod nunc & de cetero perpetuis futuris temporibus, ſi Generali Vicario Fratrum de Familia hujuſmodi in aliqua Provincia vita functo, Vicarius dictæ Provinciæ, in qua præfatus Generalis Vicarius fuerat vita functus, & ad quem officium Vicariatus Generalis, uſque ad electionem novi Generalis Vicarii, juxta litterarum prædictarum ordinationem ſpectat exercere, decederet, & alius loco Provincialis Vicarii defuncti in Vicarium Provincialem fuerit electus, & ſucceſſive ſi plures loco aliorum defunctorum ante electionem Vicarii Generalis in Provinciales Vicarios eligi contigerit quomodolibet; ipſorum quilibet, qui pro tempore fuerit electus, locum & tempus pro electione Vicarii Generalis celebranda determinare, & alios convocare, ac officium Vicarii Generalis exercere poſſit & debeat juxta ordinationem Eugenianam hujuſmodi in omnibus ac per omnia, ac ſi eſſet Vicarius Provincialis, qui tempore obitus Vicarii*

rii Generalis erat. Et quia quandoque contingit Provincias dictorum Fratrum de Familia ad tempus ex diſpoſitione Generalium Conſtitutionum, ut ex ordinatione Generalis Vicarii non per Vicarios Provinciales, ſed per Commiſſarios pari poteſtate, dum in hujuſmodi Commiſſariatus officio ſunt, fungentes regi & gubernari; motu & ſcientia ſimilibus, decernimus & declaramus, quod Eugeniana Conſtitutio prædicta de Vicariis Provincialibus loquens ad Commiſſarios præfatos extendi, & in eis locum habere debeat in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi conceſſa Vicariis Provincialibus, eiſdem Commiſſariis in ſpecie conceſſa fuiſſent. Verum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii indè rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus fides in judicio & extra, ac alias ubilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ vel oſtenſæ forent. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. *Septembris* MDVIII. *Pontificatus noſtri anno* V.

XV. Torniello autem in officio Commiſſarii & Nuncii Apoſtolici pro ſubſidio ſupradictæ fabricæ ſubſtituit Pontifex Franciſcum Zenum, olim Vicarium Generalem, Tornielli Prædeceſſorem, jam a ſe inſtitutum Nuncium in utriuſque Siciliæ Regno, ejuſque facultates & auctoritatem voluit extendi ad omnes Provincias, quibus præerat Torniellus. Damus hujus extenſionis inſtrumentum. *Inſtituitur Nuncius Apoſt. Franciſcus Zenus.*

Dilecto filio Franciſco Zeno Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, in viginti quinque Provinciis Citramontanis juxta dicti Ordinis morem numerandis, Nuncio & Commiſſario noſtro.

Dilecte fili &c. Commiſimus tibi per alias noſtras ſub plumbo litteras, indulgentiarum in ſubſidium fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe per nos conceſſarum in utriuſque Siciliæ Regno publicationem & executionem. Et quoniam, ſicut accepimus, Hieronymus Torniellus, tunc Ordinis Minorum Vicarius Ciſmontanus, quem nos in viginti quinque Provinciis in dicto Vicariatu, & juxta morem ipſius Ordinis comprehenſis, dictarum indulgentiarum Nuncium & Commiſſarium noſtrum conſtitueramus, diem vitæ ſuæ clauſit extremum: ne negotium indulgentiarum hujuſmodi, & ipſa fabrica detrimentum patiantur, motu proprio, & ex certa ſcientia, te, de quo plurimum in Domino confidimus, quoad ipſas indulgentias & commiſſariatus officium in locum dicti Hieronymi ponimus, mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus & ſingulis ab eo ad id ſubſtitutis, ut tibi reſubſtituendis a te in dictarum indulgentiarum negotio in omnibus pareant, ac requiſiti rationem adminiſtrationis reddant, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XX. *Septembris*, MDVIII. *Pontificatus noſtri anno* V. *Ex originali.*

XVI. Partim obierunt, partim floruerunt circa hunc annum, qui ſequuntur: Ludovicus a Rotela Provinciæ ſancti Franciſci, venerandus ſenex, virtutibus inſignis, in oratione aſſiduus, a quo dæmon ſæpe revocare tentavit, ita ut aliquando ad Montis-Falconis oppidum eum ad mortem ferme verberaverit, nec tamen potuerit e templo aut ab oratione dimovere. Joannes Franciſcus apud Caſalem Montis-Ferrati natus, qui anno XV. ſuæ æta- *Florent Ludov. a Rotela. Marc. lib. 1. c. 31. 32. & 33. Joan. Franc. a Caſali.*

ætatis habitum induit Canonicorum Regularium, inter quos religioſiſſime per annos vixit triginta, prædicans per villas & oppida pœnitentiam. Obtenta a Superioribus licentia, habitum ſuſcepit Minorum Obſervantum in Conventu Feſulano, ubi abſque querela annis multis converſatus eſt. Numquam viſus eſt otioſus, neque auditus verbum proferre vanum, aut quod in proximi ædificationem non tenderet. In oratione & meditatione rerum cœleſtium extra ſe ferebatur, & inter comedendum ſuſpendebatur animo, audiens legi verba Divina. Poſt annos viginti pie deceſſit Florentiæ in Conventu ſancti Salvatoris.

Bartholom. Florentinus. *Tom. 1. an. 1212. n. 41.* Joann. ab Hercuder. martyr. Petrus a Calderola.

Bartholomæus Florentinus, correptione nominis dictus *Meus*, de quo alias diximus, deceſſit in Conventu Nemoris Mugelli, prope Scarpariam XIV. M. P. a Florentia. Joannes ab Hercudero Diaconus Provinciæ Boemiæ, hoc anno menſe Octobri occiſus eſt ab hæreticis, ſepultuſque in Cœnobio Pilznæ. Apud Camertes Obſervantes floruit Petrus a Calderola, qui Petrum a Moliano morientem conſpiciens, alta voce inclamabat: *In paradiſum, in paradiſum*; haſque voces ingeminans magni æſtus vehementia, paulo poſt requievit in Domino.

Beſamius Germanus.

Et in Conventu ſanctæ Mariæ Vallis aſperæ Provinciæ ſancti Angeli Beſamius Germanus, vir valde exemplaris, & vitæ ſanctiſſimæ.

Capit. Generale Obſer. Ultramontan. 14. *Regiſt. ord. Tom. 2. an. 1226. n. 62.* Acta hujus Capituli.

XVII. Hoc anno in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu extra urbem Barcinonenſem celebrata ſunt Comitia Generalia Obſervantum Ultramontanorum, in quibus abſoluto triennio Joannis Silveſtri (qui hac dumtaxat vice familiam hanc Obſervantum rexit, non vero annis ſex, uti alias ex Gonzaga exſcripſimus) electus eſt in Vicarium Generalem ſecunda vice Martialis Boulier. Obierunt hoc triennio hujus familiæ mille nongenti quinquaginta ſex, quorum plerique fuerunt doctrina, pietate & virtutibus inſignes.

Provincia Sardiniæ aggregatur familiæ Ultramontanæ. *Gonz. in proœm. Prov. Sardiniæ.*

Lectæ ſunt in his Comitiis litteræ Ferdinandi Regis Catholici, & Ximenii Cardinalis Toletani, in quibus petebant aggregari huic familiæ Ultramontanæ Provinciam Sardiniæ, quæ repulſam paſſa erat a Vicario Generali, & Patribus Ciſmontanæ familiæ in Capitulo Generaliſſimo Romæ celebrato, propterea quia circumventi ab Ægidio Delphini Miniſtro Generali, & allecti titulo Provinciæ, ac Vicarii provincialis (quem Ludovicus de Turre Vicarius Generalis in Comitiis Generalibus Obſervantum Ciſmontanorum anno MCCCCXCVIII. denegaverat; ſed dictus Ægidius conceſſit, cum antea per Commiſſarium tantum regerentur) ſe illi ſubjecerunt, ſpreta auctoritate Vicarii Generalis Ciſmontani, per quem eatenus ab introducta in eam inſulam per Patres Italos Obſervantia regebantur. Decrevit Capitulum eos admitti debere, conceſſitque, ut titulo privilegiiſque Provinciæ deinceps gauderent, obtenta tamen prius Apoſtolica facultate, & exhibitis totius Provinciæ conſenſu, ac beneplacito Vicarii Generalis Ciſmontani, cui nullo modo volebant diſplicere. Perſtitiſſe Sardos in hoc ſuo deſiderio, & aſſenſum obtinuiſſe a Franciſco Zeno Vicario Generali Ciſmontano, conſtat ex his verbis, quæ habentur in ejus Regeſto. *Die* XXVI. *Februarii anno* MDXI. *Scripſi ego frater Franciſcus Zeno Patri Vicario Generali Ultramontano, rogatus a Fratribus Sardis, & a Rege Hiſpaniæ, quod ſim contentus, quod recipiat Sardos ſub cura & obedientia ſua.* Iterum tamen redierunt ad Vicarium Ciſmontanum, & ſub ejus regimine perſtiterunt, donec agente Philippo II. Rege Hiſpaniarum, Franciſcus Gonzaga Generalis Miniſter anno MDLXXXI. die V. Novembris eos reunivit familiæ Ultramontanæ.

Celebratur tranſlatio S. Bernardini. Et feſtum S. Birgittæ.

Conceſſa eſt in hoc Capitulo facultas celebrandi feſtum Tranſlationis ſancti Bernardini in illis Provinciis, quæ admittere voluerint; necnon feſtum ſanctæ Birgittæ ab iis, quibus celebrare placuerit.

ADDITIO *Ex autographo.*

„ Data eſt etiam licen-

„ licentia transferendi corpus Oliverii Maillardi, quem diximus ſuperius „ Toloſæ defunctum, miraculis coruſcaſſe, ab aula capitulari, in qua fuerat „ ſepultus, ad Sacellum novum in ejus honorem fabricatum. *An. 1502. n. 24.*

XVIII. Cuſtodiæ ſancti Evangelii Fratribus in Hiſpania multa paſſis a Superioribus Provinciæ ſancti Jacobi, Romam venit Angelus Pintianus, obtinuitque hoc anno, die x. Martii a Julio Pontifice litteras, quibus prædictam Cuſtodiam erigebat in Provinciam, confirmato interim in officio Cuſtodis, donec ad electionem Miniſtri deveniretur, Petro Melgario. Hoc indulto qui ſparſi erant reformati, & Guadianæ parvulam inſulam in finibus Luſitaniæ ac Caſtellæ inhabitabant favore & patrocinio Ducis Brigantini, ad derelicta habitacula paupercula redierunt, coactoque Capitulo in Cœnobio de Clavibus, vulgo *Chaves*, Miniſtrum elegerunt Melgarium. His commoti Patres Provinciæ ſancti Jacobi, egerunt cum Ferdinando Rege, ut ad Emanuelem Regem Luſitaniæ mitteret Joannem de Argomanes virum doctum & pium, Obſervantum prædictæ Divi Jacobi Provinciæ Vicarium, qui pericula & incommoda ſecuturæ ſciſſionis in Ordine ſignificaret, acceptaſque ſuper facilem quorumdam tranſitum ad hos Reformatos Julii Pontificis litteras oſtenderet: *Romanum decet Pontificem*. primo Auguſti. Diſcuſſio negotio, auditiſque partibus, conventum eſt, ut Cœnobia, quæ intra Portugalliam erant, titulum ſortirentur Cuſtodiæ dumtaxat ſancti Evangelii, & obedirent Vicario Generali Ultramontano; quæ vero in Caſtella, ſubjicerentur Vicario Provinciæ ſancti Jacobi, & unirentur reliquis Conventibus eidem ſubjectis, ſub eadem habitus norma, omiſſo capitio acuminato. Petrus itaque cum ſuis ſequacibus remanſit in Luſitania, Angelus in Caſtellam reverſus, obſecutus eſt Vicario prædicto, donec in Hiſpaniam pervenit Miniſter Generalis, qui res aliter diſpoſuit, uti dicemus anno ſequenti.

Cuſtodiæ S. Evangelii viciſſitudines. Molas in Memor. Cimar. lib. 8. cap. 5. Hiſtor. Prov. S. Joſeph l. 1. cap. 4.

XIX. Obiit hoc anno Idibus Februarii frater Ludovicus Epiſcopus Miſinen. ſive Druſiparæ, ſub Archiepiſcopo Heracleæ, ſacræ paginæ Profeſſor, Miniſter quondam Provinciæ Saxoniæ, & ſuffraganeus Epiſcopi Hildeſemenſis. Electus eſt Epiſcopus Zapaten. & Sardanen. ſive Sarden. Eccleſiarum unitarum, ſub Arch. Antibaren. frater Dominicus Garſias, per obitum Petri Sombriga, die xv. Julii. Scodrinen. ſub eodem Archiepiſcopo frater Didacus N. die x. Decembris.

Fr. Ludov. Epiſc. Miſinen. Fr. Dominic. Zapaten. Fr. Didacus Scodrinen.

XX. Conſtructum eſt hoc anno ad oppidum Bovolini in littore maris Adriatici Cœnobium Fratrum Obſervantum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu, impenſis nobilis viri Thomæ Merulæ; licet quidam commenti ſint illi datas pecunias a Mercatoribus Genuenſibus, qui ex Oriente regredientes, ut imminens naufragium evaderent, voverunt ſe in primo, quod tenerent, Chriſtianorum littore, Minoriticum conſtructuros Cœnobium, eoſque cum primum ad hunc portum Bovolini pertingerent, quæ ſufficerent ædificio peragendo, pecunias Thomæ fidei crediſſe, ne ſuſceptum iter ſuſpendere ædificii mora cogerentur. Et quidem Julii diploma, quo conſtruendi Cœnobii facultatem hoc anno concedit, non niſi ſolius Thomæ tamquam fundatoris, agit mentionem.

Conv. Bovolini. Gonzag. in Prov. 7. Martyr. Con. 7.

XXI. Sub hunc annum, annuente Julio Pontifice, populus Sentinas, ſive Saxoferrati, in Piceno nobilis oppidi, ut tamdem a diſſidiis inteſtiniſque bellis reſpirare poſſent, Cœnobium Obſervantum ad c. p. ab oppido ſupra nemoroſum colliculum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Pace conſtruxerunt. Eccleſiam propriis ſumptibus Cherubina Alberia ædificavit. Ad operis ſubſidium & complementum Bernardina de Humanis bonam par-

Conv. Saxoferrati. Idem in Provin. Marchiæ Conv. 51.

tem ſui peculii largita eſt, necnon Philippus quidam Sentinas alias contulit eleemoſynas.

Conv. Pulchri Podii. Idem in Provin. Catalon. Conv. 13.

XXII. Raymundus a Cardona Baro Pulchri Podii (vulgo *Belpuig*) Vicenſis diœceſis oppidi in Catalonia, cum pro Rege Hiſpano regnum gubernaret Neapolitanum, juſſit prope ædiculam ſancti Bartholomæi c. P. a prædicto oppido diſtantem, Conventum Fratrum Obſervantum fabricari. Miniſtri pauperem anguſtamque domum, ita volentibus Fratribus, adjunxerunt. Ubi id reſcivit Raymundus, ſuis valde offenſus, opus totum dirui, amplamque viginti Fratrum capacem reædificari domum præcepit, ſibique in Eccleſia nobile poſuit ſepulcrum alabaſtrinum, per Joannem Nolanum Statuarium inſignem, Neapoli egregio artificio expolitum. Adjacent ſepulcro plurima maximi valoris anaglypha, & militaria ſigna, vel ab hoſtibus relata, vel tanti herois trophæa, & munia glorioſe peracta, repræſentantia. In alio pulcherrimo mauſoleo ejuſdem templi jacent aliquot ejuſdem Raymundi conſanguinei. Nobilis illic viget Confraternitas ſancti Bartholomæi, privilegiis magnis a Leone X. conceſſis utique ſingularis. Diploma Pontificium, quo ædificandi hujus Cœnobii facultas hoc anno conceditur, licet in annum antecedentem Gonzaga rejiciat, incipit: *Eximiæ devotionis affectus.* VI. Kal. Martii.

Conv. Metellini. Idem in Provin. S. Michael. Conv. 14.

Conv. Algarii. Idem in Provin. Sardin. Conv. 5.

XXIII. Juxta oppidum opulentum & nobile Metellini in Hiſpania, Joannes a Porto-carrero, & Maria Manuelis ejuſdem oppidi Comites, hoc anno Conventum Obſervantibus ſub invocatione ſancti Franciſci inchoarunt, qui lento tamen gradu proceſſit ad finem. Illis autem ac ſucceſſoribus jus debetur patronatus. Ad cc. P. ab Algarii oppido Sardiniæ munitiſſimo, pulchris ædificiis, & coralli piſcatione inſigni, Communitas hoc anno Conventum eiſdem Obſervantibus conſtruxit. Sed cum ex parte eſſet incompletus, & ex altera aliquas paſſus eſſet ruinas, duarum nationum Genuenſis & Catalanæ mercatores, quorum plurimi illic inhabitant, conſtructis ſibi duobus ſacellis, in quibus ſepeliri poſſent, & officia ſtatis diebus celebrare, ruinas Conventus repararunt, & Fratribus piis adſunt ſubſidiis.

Conv. inſulæ Palmariæ. Idem in Provin. Canar. Conv. 7.

XXIV. In Palmari inſula ex Fortunatis, ſive Canarienſibus una, hoc anno Martinus Camacius, & Magdalena Infans commodum contulerunt fundum Fratribus Cuſtodiæ Canarienſis Cœnobio conſtruendo; quod illi diligenter fecerunt, indito titulo *Conceptionis beatæ Virginis Mariæ*. Aquæ penuria laborantibus Carolus V. Imperator tantam conceſſit, quanta irrigandis hortis, ceteriſque domeſticis neceſſitatibus ſufficiat. Hic jacet ſepultus honorifice frater Joannes de Via, de quo ſub mortis annum dicemus.

An. 1541.

Conv. Petræ Patritii. Monum. MSS. Prov. Hiber.

XXV. In Hiberniæ Provincia Conacienſi, & diœceſi Ardachadenſi, in Comitatu de *Leithruin* ad ripam fluminis Banni, non longe a ſuo Moretrio, Dom. Cornelius Brene-Irvairc hoc anno ædificavit Conventum de petra Patritii, alias Balegrvairci, accerſitis primis incolis ex Conventu Dunnangalli. Locus eſt ſatis amœnus, & ſtructura erat pulchra valde, clauſtri columnis, præcipuiſque ædificii lapidibus egregie dolatis ex marmore griſeo. Periit tamen incendio, & incurſione hæreticorum, quorum unus cognomento Harriſon, quæ reliqua erant poſt depreſſam religionem catholicam in Hibernia, diu poſſedit, relicta tamen ſartaque Eccleſia, atque intactis ſepulturis nobilium, vicinorumque populorum, ex quibus illi non modica proveniebant emolumenta. Sepulta eſt in dicta Eccleſia anno MDXII. Dom. Margarita, uxor prædicti fundatoris.

Mon. Erenæ. Gonzaga in Provin. S. Michael. Mon. 8.

XXVI. In oppido Erenæ nullius diœceſis, ſub juriſdictione militiæ ſancti Jacobi conſtituto, ut poſſet conſtruere Monaſterium Clariſſarum ex faculta-

cultatibus ſibi a marito ſuo Roderico Parrada, ejuſdem Ordinis milite, Eliſabetha Delgada facultatem hoc anno impetravit a Pontifice: *Univerſa Divinæ majeſtati accepta*. VII. Idus Junii. Opus aggreſſa, habitum ejuſdem Inſtituti ſuſcepit, primamque egit Abbatiſſam Monaſterii a ſe complete ſub Matris Dei invocatione conſtructi.

XXVII. In Luſitania prope celebre oppidum Pontis Limani, Braccarenſis diœceſis, cum incultæ remanerent ædes a Minoritis olim extructæ, ſed ab eiſdem, quia incommodæ, derelictæ, hoc anno ab imminenti ruina vindicatæ ſunt a duabus Sororibus germanis ex oppido Villæ Comitis ejuſdem diœceſis oriundis, & in commodi Monaſterii formam redactæ. Harum auſpiciis, & religioſa primarum Sororum diſciplina tanta pietate & opinione virtutis excrevit, ut & ædificiis ac reditibus ita ſit auctum, ut ſexaginta vel ſeptuaginta admittat Clariſſas. Vidi ipſe Monaſterium fabrica pulchrum, ſitu amœnum.

Mon. Pontis Limæ. *Idem in Provin. Portug. Mon. 11.*

XXVIII. Hoc anno Monaſterium Ordinis Conceptionis, juxta mœnia oppidi, quod Caput bovis, Hiſpanice *Cabeca del Buey* nuncupatur, & ad militiam ſpectat Alcantarenſem, conſtructum eſt a Martino Rol, ejuſdem militiæ Commendatario, cui primæ regularis diſciplinæ magiſtræ datæ ſunt anno MDXXXIII. ex Monaſterio Hiſpalenſi ſanctæ Agnetis. Sed & hoc alias dedit Inſtitutrices Monaſterii Scalabiani, uti ſuo tempore dicetur.

Mon. Capitis Bovis. *Idem in Provin. S. Michael. Mon. 13.*

XXIX. Ludovicus Amboyſius, Albienſium Dominus, & Epiſcopus, circa hunc annum in prædicta Albiæ urbe Monaſterium ædificavit virginum Annunciatarum ſecundum hujus Inſtituti, primum poſt Joannæ fundatricis obitum conſtructum. Virgines octo, quæ reliquas inſtruerent, e Bituricenſi Monaſterio ſunt avocatæ. Voluit nimirum in hoc opere vir pius avunculi ſui, etiam Ludovici Amboiſii nuncupati, Albienſium Epiſcopi, recens defuncti deſiderio ſatisfacere, qui id ipſum, ſi vita ſuperfuiſſet, per ſe præſtitiſſet.

An. 1583. Mon. Albiæ Annunciat. *Miræus de Ord. Annunciat. c. 3. n. 2. Claud. de Epiſc. Albien.*

XXX. Franciſca Rodriguez vidua oppidi *Vearum* in Regno Murciano, ubi unico ſuo filio Alphonſo perſuaſit, ut Franciſcanis ejuſdem oppidi nomen daret, ipſa cum filiabus Catarina & Eliſabetha Tertii Ordinis habitu aſſumpto, aliiſque Virginibus ad ejus conſortium accedentibus, ab anno hoc vel anteriori, uſque ad annum MDXL. in humili domo vixit ſubobedientia & directione Miniſtri Provinciæ Carthaginenſis. Etenim cum augeretur numerus Sororum, ad aliam ejuſdem Ordinis capaciorem, ad Monaſterii formam redactam, tranſierunt, eamque Conceptioni beatæ Virginis Mariæ conſecrarunt.

Dom. Vearum Ter. Ord. ſoror. *Gonzaga in Provin. Carthagin. Mon. 10.*

XXXI. Domus Fzomlembgin *Upder Berckmuren* Colonienſis, quam Sorores Tertii Ordinis annis multis inhabitarunt, hoc ipſo, deficientibus his, tradita eſt Sororibus Ordinis ſancti Auguſtini. Miniſtro & Fratribus ejuſdem Inſtituti, domus ſanctæ Catarinæ de Monteſaro, Compoſtellanæ diœceſis ſupplicantibus, univit Pontifex hoc anno eorum Eccleſiæ parochialem ſancti Thomæ de Bervantes, ejuſdem diœceſis, & aliquot beneficia, quorum præſentatio ad dictum Miniſtrum & ſucceſſores ſpectabat.

Domus Fzomlẽbgin. *Reg. lat. l. 139. fol. 80.*

Domus de Monteſaro. *Ibid. lib. 135. fol. 106.*

XXXII. Scripſit hoc anno Pontifex ad Vicarium & Fratres Obſervantes Provinciæ Romanæ in Capitulo congregandos ad Cœnobium Palatioli, Albanenſis diœceſis, ut ſpirituali conſolationi conſulentes Priorum & Communitatis Civitatis Cornetanæ, Cœnobium ſancti Franciſci ejuſdem urbis non defererent, præſertim cum communibus urbis expenſis ita opportune fuerit reſtauratum, ut adjectis ædificiis, ab aere inſalubri poſſet defendi. De hoc Cœnobio, & aeris inſalubritate, propter quam non ſemel dereli-

Conv. Cornet. *Breve originale. Tom. 14. ann. 1487. n. 35.*

Sacellum in Eccleſia S. Petri Montis aurei. *Tom. 14. anno* 1472. n. 82. *ſeq. Lib.* 137. *fol.* 268.

ctum eſt, alias locuti ſumus. In Eccleſia ſancti Petri Montis aurei in Janiculo, de qua diffuſe actum eſt, hoc anno Franciſcus Epiſcopus Cenetenſis, unus ex Auditoribus cauſarum Palatii Apoſtolicii, ſacellum ædificavit ſanctorum Franciſci & Antonii, picturis egregiis ornavit, paramentis & ſubſidio annuo pro celebranda quotidiana miſſa dotavit.

Mon. S. Claræ Ulyſſippon. *Lib.* 150. *fol.* 182.

Mon. de Campis. *Lib.* 142. *fol.* 62.

XXXIII. Deprecante Emmanuele Rege Portugalliæ, Pontifex hoc anno univit Monaſterio ſanctæ Claræ Uyſſipponenſi parochialem Eccleſiam ſancti Martini ejuſdem Urbis, quæ ad jus patronatus ejuſdem Regis ſpectabat. Similiter Monaſterio ſancti Bernardini oppidi de Campos, Legionenſis diœceſis, ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, univit beneficium ſimplex in parochiali Eccleſia oppidi de Ariza de Sayago, Zamoren. diœceſis.

Bona Clariſſar. derelicta quibus obveniant.

Poteſtas Miniſtrorum in Clariſſat.

Non licere commorari extra Cōvent.

XXXIV. Litteras Eugenii & Sixti IV. circa diſpoſitionem & applicationem bonorum Monialium ſanctæ Claræ, quæ ſuperioribus obedire, aut reformari nollent, & Monaſteriorum, quæ Monialibus erant deſtituta, hoc anno Julius confirmavit, & defenſores ſive patronos executionis dedit fratrem Marcum Vigerium ſanctæ Mariæ Tranſ-tyberim presbyrerum Cardinalem, ac Epiſcopum Ortanum: *Nuper nobis*. die 1. Septembris. Ad inſtantiam fratris Franciſci Cardinalis Ximenii declaravit, Vicarios Provinciales Obſervantum habere eamdem auctoritatem ſuper Moniales ſuæ curæ commiſſus, quam Urbanus IV. tradidit Protectoribus Ordinis: *Ex relatione circumſpectionis tuæ*. die XIX. Aprilis. Prohibuit Fratribus Ordinum Prædicatorum & Minorum, cauſa ſtudii, vel alia quacumque, extra domos ſuorum Ordinum commorari; & auctoritate Apoſtolica revocavit privilegia Univerſitatibus, præſertim Salamantinæ, in contrarium aliquando conceſſa: *In ſupremæ dignitatis*. die VIII. Auguſti.

ARGUMENTUM.

Franciſcus Cardinalis Ximenius florenti conſcripto milite, & numeroſa inſtructa claſſe, Oranum, fortiſſimum Maurorum munimentum in Africa feliciter expugnat. Glorioſa victoria modeſtiſſime uſus, & triumphante exercitu ad alias expeditiones inſtaurato, ex Africa regreditur, triumphaleſque declinat honores. Celebratis Ferrariæ Comitiis Generalibus, Obſervantes Ciſmontani Vicarium Generalem Franciſcum Zenum adoptant. Prohibetur tranſitus Obſervantum ad Conventuales. Pii aliquot viri, & Henricus Angliæ Rex moriuntur. Pietatis & impietatis referuntur exempla. Epiſcopi & Cœnobia hujus anni recenſentur.

I. DIXIMUS anno præcedenti multa, quæ per Cardinalem Ximenium præclare incepta, & confecta ſunt in ſundatione Academiæ Complutenſis: nunc de bello Africano, quod animoſe aggreſſus hoc anno glorioſe perfecit, agendum eſt, ex quo quantum vir egregie cordatus, pace & bello valuerit, bis monumentis conſtabit. Animo excelſo & magno fuiſſe, id aperte demonſtrat, quod eo tempore, quo Academiæ conſtruendæ & exornandæ intentus erat, & eam rem ſolum curare videbatur, longe

Cardinal. Ximenius bellum meditatur Africanum. *Gomeſ. lib.* 4. Ad pacem an ad bellum factus.

diverſis curis diſtractus, bellum etiam adverſus Africam meditabatur, deque ejus apparatu, inſtrumentis, & ordine, cum Rege per certos homines, & per litteras agebat, donec re ad effectum perducta, voti ſanctiſſimi compos factus fuit. Neſcires ad quam rem ille propenſior natura eſſet, diſciplinis provehendis, & pacis muneribus obeundis, an potius bellicis ſtudiis

excr-

Digitized by Google

exercendis. Nam qui tot litteraria monumenta, de quibus egimus, animo revoluerit, qui tot librorum excuſiones, tot Cœnobia ædificata, tantam Reipublicæ in officio continendæ curam conſpexerit, togæ proculdubio tantum cultorem fuiſſe credet. Qui tamen univerſas ejus actiones comparare voluerit, magis ad bellica exercitia a natura effictum eſſe judicabit. Erat enim vir animi invicti & ſublimis, omniaque in melius aſſerere conantis, & mirabili ſolertia a natura præditus; & qui perſuaſum haberet, non alia ratione animos humanos imperia aliorum laturos, niſi vi facta aut adhibita. Quare pro certo affirmare ſolebat, nullum unquam Principem exteris populis formidini, aut ſuis reverentiæ fuiſſe, niſi comparato militum exercitu, atque omnibus belli inſtrumentis ad manum paratis. Dedit hujus rei præclarum argumentum, cum Hiſpaniæ gubernandæ præfectus, hoc, de quo agimus, in primis cavit. Quo quidem tempore veteranos milites dixiſſe certum eſt, numquam antea militares viros tanto in pretio vel honore habitos, aut ſtipendia certius ad diem illis fuiſſe numerata. Sed hoc aliorum de eo judicium ex Africano bello certum eſſe, clarius apparebit.

II. Hieronymus ille Vianellus Genuenſis, vir induſtrius, & rerum Africanarum in primis peritus, de quo ſuperius incidit mentio, cum Ximenii animum ad bellum contra Africanos ſuſcipiendum ex ejus ſermonibus propenſum cognoſceret, cœpit cum eo de portubus, ſtationibus, atque de univerſa maritima ora, quæ Hiſpaniam ſpectat, agere; ſed potiſſimum quanam ratione portus ille magnus, quem ea de cauſa *Merſalcabir* Mauri appellant, obſideri & expugnari poſſet. Gratiſſimi ſermones hi Ximenio fuerunt, nam ſi portus ille in poteſtate Hiſpanorum eſſet, facillimum aditum haberi ſentiebat ad univerſam Africam capiendam. Eſt enim ille portus ingentis claſſis capaciſſimus, nullibique in continua Africæ ora naves tutius aut commodius eſſe poſſunt. Dum ſæpe Vianellus ad Ximenium veniret, & ex illius ſermonibus, accurataque rerum omnium & locorum deſcriptione facile Cardinalis intellexerat, quam opportunus & neceſſarius erat ille portus ad expugnandam Orani urbem, Maurorum opulentiſſimam, ex qua tot piratarum excurſiones in Hiſpanas oras fiebant, eo ſtudium omne convertit, & cum Rege egit, ut expeditionem hanc ſibi glorioſam, Hiſpaniæ ſumme neceſſariam, fieri curaret. Sed cum Rex, etſi ſua ſponte ſatis propenſus ad bellum Africanum gerendum, reſponderet ſe re nummaria minus inſtructum, exhauſto per bellum Granatenſe, & Italicas impenſas ærario, Ximenius ſe pecuniam omnem mutuo daturum dixit, qua exercitus per bimeſtre ſpatium poſſet ſuſtineri. Inſtructiſſima ergo claſſe parata, & delecto conſcripto exercitu, imperatore Didaco Ferdinando Corduba, feliciter tamdem in Hiſpanorum poteſtatem portus, arceſque impoſitæ redactæ ſunt. Cum vero majores progreſſus fieri poſſent, toto quadriennio ab opere ceſſatum eſt, donec hoc anno Ximenius Oranenſis urbis expugnationem ſuis impenſis excepit peragendam.

An. 1504. n. 12. & 18. & anno 1506. n. 21.

Ingens portus Africanus ab Hiſpanis occupatus

III. Non ceſſabat tamen Didacus Fernandus e Merſalcabirina arce aſſiduas in Mauros incurſiones facere, ex quibus cum victoriam ſæpe reportaſſet, decrevit tamdem cum tribus millibus peditum juſto prælio Oranenſes provocare. Sed ut ſors belli anceps ſemper & incerta eſt, anno proxime præterito cum egregie cum illis dimicaſſet, magna jactura ſuſcepta, victus prælio deceſſit. Eo nuncio Ximenius, ceterique Principes, qni apud Reginam Joannam aderant (nam nondum Neapoli Ferdinandus Rex venerat) adeo graviter perculſi ſunt, ut illico Ximenius ad expeditionem diu optatam fuerit navigaturus; niſi Reginæ valetudo, & Reipublicæ ſtatus, ejus ſtu-

ſtudium & conatum tetardaſſet, & in primis Ferdinandi Regis abſentia, ſine cujus auſpiciis & nutu nihil rite confici poſſe exiſtimabat. Ergo ſimul ac Rex venit, & Hiſpaniæ res ſunt compoſitæ, Ximenius cum eo agere cœpit, ut vel ipſe Rex in Africam trajiceret, vel Ximenio eam Provinciam traderet. Indignum enim eſſe, & pene intolerabile, ut tali a Deo immortali opportunitate oblata, talique aditu ad univerſam Africam debellandam dato, ipſi otioſi & negligentes ſederent, ſpectantes quemadmodum tot captivorum Chriſtianorum millia, cum maximo totius Hiſpanæ nationis dedecore, paſſim abducerentur.

IV. Erat quidem Rex in Ximenii ſententiam propenſus, quamvis Reguli varie ſuper hac re ſentirent. Quare apud eos Cardinalis propoſito palam collaudato, ejus ſententiam ſibi nimis placere declaravit, eſſeque illi gratias pro merito agendas, quod vir tanta ætate provectus, & diuturnis laboribus pene confectus, ad duriſſimum Martis opus, religionis dilatandæ ſtudio, & Reipublicæ defendendæ amore, ſeſe ardore juvenili offerret. Idcirco ſanctiſſimis ejus conatibus omnino ſavendum, & omnibus regni viribus optimi Præſulis conſilium, religionis & pietatis plenum mature eſſe exequendum. Toto eo anno paratæ ſunt triremes, naves longæ, & roſtratæ, conſcriptuſque exercitus, commeatus advectus, delecta tormenta, aggeſtæ muniiiones, deſignatus imperator exercitus Petrus Navarrus Oliveti Comes, Dux egregius, rei bellicæ peritus, qui viri fortiſſimi Gonſalvi, Magni Ducis cognomen aſſecuti, exempla in bello Neapolitano permulta didicerat.

V. Hoc demum anno, poſtquam militum legiones ex omni Hiſpania ſelectas conſcripſiſſet, duces egregios illi præfeciſſet, belli Africani fama ad hoſtes uſque jam penetraſſet, multaſque difficultates, tum invidorum Regulorum, tum ejus dignitati apud Regem inſidiantium ſuperaſſet, commiſſa Eccleſiæ ſuæ vicaria poteſtate Joanni Velaſco Calaguritano Antiſtiti, ſupplicationibus aſſiduis per omnes Eccleſias & Cœnobia pro victoria decretis, ſoluto in navibus, ex fratris Alvarii ſocii Minoritæ conſilio, militi, qui pridie in terra tumultuaverat, ſtipendio, Carthagine ſolvit poſtridie Idus Majas. Claſſis conſtabat octoginta actuariis navibus, decem maximis triremibus, præter permulta navigia minora, & ſcaphas majoribus ſervientes. Vehebantur autem decem millia peditum, equitum quatuor millia, & lixarum, calonumque numerus neceſſarius. Poſtridie ejus diei, quo Chriſti in cœlum Aſcenſus celebrabatur, multa jam nocte ſecundis ventis Africam appulit, ubi ſollicitus & inſomnis per eam noctem in anchoris permanſit, dum ſingulis, quid poſtridie faciendum eſſet, per partes diviſit.

Ximenius ſolvit in Africam.

VI. Egreſſo e navibus milite, & peditatu in quatuor agmina per Tribunos militares diſpoſito, prodiit ex arce Merſalcabirana Ximenius ſuorum caterva ſtipatus, qui novitate & inſolentia ſpectaculi omnium animos perculit, multumque alacritatis invexit. Neque enim Imperatorem ſuum, ſplendenti clypeo, aut caſſide ex chimæra ignes vomente formidabilem intuebatur, ſed Pontificalibus veſtibus indutum, Sacerdotibus & religioſis viris ex utroque latere ſtipatum, & Cruce argentea pro vexillo præeunte, quam Algora Canonicus Seguntinenſis ex officio geſtare ſolebat, tunc vero frater Fernandus, validis lateribus, & procera ſtatura homo, quo ex Franciſcanis ſodalibus Ximenius familiariter utebatur, equa alba inſidens gerebat, gladio Hiſpano ſuper ſaccum Franciſcanum accinctus, quemadmodum & ceteri religioſi viri, qui eo die, jubente Ximenio, armis ſe munierant.

VII. Re-

VII. Refectum exercitum cibo potuque, pulchra & potenti oratione Ximenius ad fortiter agendum pro re Chriſtiana, pro Rege, & pro patria exhortatus, ante eum progredi conſtituit. Ut tamen pugna abſcederet, omnes orarunt, ipſiſque prælii conflictum committeret; eam enim ſpondebant operam ſe religioni, & Reipublicæ navaturos, ut ipſum ſuſcepti negotii numquam pœniteret. Ceſſit communibus omnium precibus Ximenius, atque ætatis & perſonæ ſuæ memor, in Petrum Navarrum eam curam rejiciens, ad Merſalcabiranam arcem ſe recepit: ſacram ædiculam ingreſſus, quæ Divo Michaeli dedicata eſt, in genua procumbens, expanſis manibus in cœlum intentus, multis lacrymis Deum precabatur, ut ſuis Chriſtianis præſidio eſſet.

VIII. Petrus Navarrus, ut ingentem Maurorum & Numidarum multitudinem colles occupaſſe vidit, ne noſtri, quos maritimi æſtus, & labor ejus diei laſſaverat, impares in congreſſu eſſent, timuit: belli autem principio parum proſpere noſtris ſuccedente, fiduciam & vires hoſtibus auctum iri non dubitabat. Quare ſecum deliberare cœpit, an in poſterum diem conflictum differret, intereaque hoſtes in timore contineret, an alacritatem militum ſecutus, tamdem de ſumma belli eo die decerneret. Cunctationem magis probabat, quod jam eſſet hora diei nona; metuebant enim ne jam apparentibus tenebris, prælium inceptum intermitteretur, & noctis interventu nova exoriretur rerum facies: parvo enim momento belli res plerumque in alteram partem inclinat. Animi itaque dubius ad Ximenium redire decrevit, ejus ſententiam antequam quidquam tentaret, rogaturus. Is experientiſſimi imperatoris dubitatione permultum commotus, neque quid conſuleret ſatis certus, cum ſe collegiſſet: *In hac die*, inquit, *vir fortiſſime pugna: Chriſtus ſummi Patris filius, & ſeductor Maurorum Mahometus in certamen deſcendunt: omnem cunctationem non ſolum damnoſam, ſed impiam eſſe arbitror. Quare omni depoſita formidine, milites tuos, ut cum hoſtibus manus conſerant, jubeo: certa enim mihi ſpes eſt, te hodie victoriam magna cum laude reportaturum*. Divinum id potius oraculum, quam ullius hominis conſilium fuiſſe, quæ ſunt poſtea inſecuta declararunt: niſi enim eo die pugnatum fuiſſet, Oranum capi non poterat. Vix poſt tres horas a capta urbe Trimeſenius Meſſuarus, qui auctoritate & potentia a Rege eſt ſecundus, cum magna peditum & equitum vi, in auxilium Orani venit: qui urbis captivitate & direptione cognita, nihil tentandum contra Hiſpanos victores ratus, ad Regem ſuum rediit.

IX. Navarrus itaque rebus perite diſpoſitis, tubis claſſicum incinentibus, & omnibus Jacobum Divum Hiſpaniæ tutelarem inclamantibus, recta ad clivum urbi imminentem occupandum, & inde hoſtes deturbandos infeſtis ſignis & armis contendit. Superato ingenti virtute colle, fugatiſque Mauris, miles per ſubjectam Orano planitiem ſe ſe adverſus fugientes effudit, quod terrorem maximum Mauris incuſſit, multo majorem exercitum, quam erat, ea ſpecie exiſtimantibus. Interea claſſis Orani muros quatere non ceſſabat, quamvis Mauri crebris tormentorum ictibus illam impeterent. Accidit vero, ut tormentarius Magiſter tam bene collineaverit pilam ferream contra præſtantiſſimam Maurorum machinam, ut illam confregerit, & loco deturbaverit. Exinde hoſtium ictus remiſſiores fuerunt, adeo ut Hiſpani a triremibus deſilientes terreſtribus copiis ſe ſe conjungere potuerint. Conjuncti fortiſſime dimicantes effecere, ne fugientibus hoſtibus pateret aditus in urbem, ſed coacti fuerint, præter caſam, quod ajunt, fugere, viis omnibus per Hiſpanum militem occupatis. Pugnatur contra Mauros.

X. Dum

X. Dum hæc geruntur, ſex Chriſtianorum ſigna in ſumma urbis arce ſunt conſpecta, & paulo poſt intra ſemihoræ ſpatium omnia mœnia Chriſtianorum vexillis tenebantur. Etenim milites per haſtas mirabili pernicitate reptantes, dicto citius omnia præſidiis obſederant. Tanto ergo impetu conſcenſum fuit, ut poſtea id per otium conſiderantes, vix fieri potuiſſe crederent ipſi auctores. Nam parta victoria, cum idem efficere laborarent, numquam ſucceſſit: nunc murorum altitudine, nunc haſtarum polita lævitate, & flexibili materia militum ſtudium & conatum retardantibus. Adeo ad res præclaras gerendas neceſſarius eſt ille ardor, quo animi incaleſcunt, cum res vera peragitur.

Oranum expugnatur.

XI. Soſa cohortis pontificiæ Præfectus, fuit primus, qui reptando in muros conſcendit: nam Divum Jacobum, & Ximenii auſpicia inclamans, & e ſummis mœnibus Ximenii vexillum oſtentans, victoriam partam nuntiavit. Complures intra urbem e muris deſilientes, portis reſeratis, aditum reliquis militibus dederunt. Mauri re inſperata perterriti, & ſuorum militum præſidio deſtituti, ob ſubitam Hiſpanorum irruptionem, multi ſe in ſacella (quas Meſquitas vocant) recepere, alii in munitas quorumdam divitum ædes, nonnulli, quibus animus erat promptior, patentioribus locis convenerunt, ultima adverſus hoſtes experiri parati. At ubi univerſum exercitum urbem ingredi viderunt, totamque illam formidandam aciem per omnes vicos circumfundi, veriti ne omnino ſpes fugæ interciperetur, urbis portas petierunt, ſi forte cum irrumpentium confuſa multitudine ipſi quoquo modo poſſent elabi. In omnes fere ſævitum, nulli parcitum ætati aut ſexui, omnia ferro & igne vaſtabantur.

XII. Viri multi inſignes & præclari ex hoſtibus ceciderunt: promiſcui vulgi quatuor millia, capta quinque millia; ex Hiſpanis triginta dumtaxat ſunt deſiderati, qui in montis expugnatione perierant. Præda adeo ingens & opulenta fertur, ut non ſolum Tribuni militares & duces, inter quos quemdam fuiſſe certum eſt, cui decem millia ducatorum obvenerint; ſed ipſi quoque gregarii milites, atque adeo calones, & lixæ, auro & argento divites diſceſſerint. Quingentis millibus nummum aureorum Orani præda integra æſtimata eſt: quod neutiquam mirum videbitur, urbis opulentiam & divitias reputanti. Mille & quingentas, tum mercatorum, tum artificum officinas Orani numerarunt, qui tunc interſuerunt, & rem geſtam ſcripſerunt.

Sol ſuum curſũ continet.
Vide Carol. Bovillũ lib. diverſ. Epiſtolar. Pariſ. impreſſ. an. 1510.

XIII. Non defuerunt ad bellum hoc ſuſcipiendum & proſequendum oſtenta, quæ alii recenſent; ſed illud omnium maximum, quod multorum qui adfuerant, aliorumque ſcriptis eſt teſtificatum: Solem ſcilicet quatuor & amplius horas curſum ſuum continuiſſe. Nam cum a Chriſtianis mons appetebatur, dies palam inclinare cœperat; fermeque Sol jam occaſui proximus eſſe videbatur: quod unum, ut diximus, Navarrum ad montis radicem, priuſquam prælium tentaret, reputantem, non mediocriter conturbaverat. Hoc etiam Ximenium conſideraſſe ajunt, prudenter tamen tacuiſſe, donec res hæc mirabilis omnibus vulgata fuit. Animadvertiſſe hoc etiam nonnullos ex Mauris affirmant, qui rei novitate perculſi, ſacrum ſuſceperint Baptiſma. Certe in eo prælio, quo Carolus V. Romanorum Imperator Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem fudit, diem quoque longiorem fuiſſe ſcribunt, quam eo tempore curſu ſolari eſſe potuiſſet; quod & ipſe Cæſar affirmabat. Hujuſmodi autem miracula an ex opinione humana naſcantur (res enim maximas & difficiles brevi tempore abſolvi non credimus) an lux illa vere tardior fuerit præpotentis Dei voluntate, non eſt conſilium perſequi, aut curioſius examinare.

XIV. Xi-

Digitized by Google

XIV. Ximenius captæ urbis nuncio impendio lætus, totam illam noctem hilarem in hymnis, & gratiarum actionibus ſomni immemor inter ſuos traduxit. Poſtridie ejus diei triremibus Oranum petere placuit, ut ſalebroſi itineris difficultates vitaret. Fruebatur inter navigandum pulcherrimo urbis aſpectu, mœnianis frequentibus, & candidiſſimis turribus collucentibus: Ad terram expoſitus, Crucis vexillo præeunte, & victore milite ſtipatus, urbem ingreſſus, lætis omnium acclamationibus ſuſcipitur, laudes Deo Optimo Maximo victoriarum largitori incinentium, & Ximenium gentium barbararum victorem proclamantium. Qua ille re mirifice oblectatus, Davidis verſiculum ſublimi voce protulit, ita ut ab omnibus exaudiri poſſet: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Ad Alcazavam, hoc eſt ad arcem maximam, e veſtigio perrexit: neque enim alteri prærerquam Ximenio aditum ad eam ſe daturum præfectus affirmaverat. Poſtquam receptus fuit, claves ſunt ei traditæ: & protinus trecenti ex Chriſtianis captivi, qui dira ſervitute a Mauris premebantur, ex arcis ergaſtulis in lucem ſunt producti, atque optata libertate donati. Oblata eſt illi univerſa præda, tamquam præcipuo imperatori, quæ publice juſſa fuerat aſſervari. Ille quamvis multa pretio & elegantia inſignia videbantur, nihil ad rem ſuam privatam tranſtulit: ſed quædam in publicos exercitus uſus, quemadmodum cum Navarro convenerat; quædam ad Regem deportanda ſepoſita fuerunt. Ducibus deinde & Tribunis militaribus vocatis, virtutem illorum publice collaudavit, & pro tam fortiter navata opera benigniſſime gratias egit, & torquibus, armillis, & Numidicis phaleris, aliiſque item militaribus præmiis, prout quiſque merebatur, donavit. Bellica inſtrumenta ærea, quæ mœniis diruendis ob ingentem magnitudinem ſunt idonea, pluſquam ſexaginta inſtructiſſima ſunt capta, catapultarum, ſcorpionum, baliſtarum, & jaculorum immenſus numerus. Quare miraculo proximum eſſe videri poſſit, atque ideo Ximenii auſpiciis, ejuſque pietati adſcribi ſolet, urbem Mauritaniæ celeberrimam, tot apparatibus bellicis refertam, tam florenti juventute, ac tot præſidiis Numidarum (quos Arabes vocant) abundantem, quæ vel ſex menſium obſidione vix expugnari poſſe credebatur, tanta celeritate, & parvo temporis ſpatio, tam denique incruenta Chriſtianorum victoria captam eſſe. Erat in ore omnium, id quod Cæſar Pharnace devicto, ad Senatum ſcripſit, *Veni, vidi, vici*, ob feſtinationem celeritatemque, qua hoc bellum Africanum confectum fuit. Quare Ximenii virtus & fortuna, omnium litteris, & memoria hominum eſt celebranda, qui Oranum nondum viſam, eo ipſo, quo appulerat die, vicerit, ſubegerit & occupaverit.

Urbem ingreditur Ximenius.

Pſal. 113.

Prædam generoſe diſtribuit.

Plutarch. in vita C. Cæſ.

XV. Ergo Ximenius altero poſtquam Oranum ingreſſus eſt die, obequitans per loca urbis celeberrima, ejus ſitum eſt contemplatus, & quid in ſingulis partibus reficiendum, aut nova molitione conſtruendum, attente conſideravit. Ad Meſquitas deinde deflectens, ritibus Mahometanis conſpurcatas, ut emundarentur & expurgarentur, curavit. Erat forte Dominicus dies, qui cum in XIII. Kalendas Junias, Divo Bernardino dicatum incidiſſet, Religionem mire auxit. Curavit igitur, ut Meſquitæ more Chriſtiano conſecrarentur, quo omnes ſacris intereſſe poſſent: & Religioni ſatisfacientes, ad reliqua in terra hoſtili magnos animos conciperent. Igitur Meſquitam maximam, Mariæ victrici, & Angelicæ ad eam Annunciationi dedicavit. In hoc autem Templo, cœnotaphio ad aram maximam conſtituto, ut ſibi anniverſario ſacro XV. Kalendas Julii, quo die Oranum capta fuit, parentarent, inſtituit, XXX. M. nummum ad hanc operam in perpe-

Divino cultui proſpicit.

tuum datis. Alteram, ubi multi ex Mauris occubuerant, Divo Jacobo Hiſpanicæ virtutis conſervatori, in quibus ſtatim Sacerdotes noſtri ſacra fecerunt, & ſupplicationes ſunt habitæ.

XVI. Sed quoniam Divo Bernardino partim ob egregiam Viri ſanctitatem, partim ob communem Monachatus Religionem, Ximenius peculiari affectu devotus erat; ne eum præteriiſſe videretur, Xenodochium, quod ægrotantibus militibus parabat, Bernardino tutelari conſecravit; memor ſcilicet pietatis, qua ille olim Senarum nobile Xenodochium in flore ætatis conſtitutus adminiſtrandum ſuſcepit, ceteris Miniſtris fugientibus ob peſtem, quæ, ut dixi, Etruriæ urbem, Bernardini patriam, & totam etiam Italiam occupaverat. *Tom. 9. anno 1380. n. 10.* Perpetuum in eo fundavit Sacerdotium Ximenius, ut eſſet qui ægrotantibus ſacra miniſtraret, impetratis a ſummo Pontifice multis indulgentiis, & facultate etiam abſolvendi a reatibus Pontifici Romano reſervatis. At quoniam Religionis cura Ximenio ante omnia cordi erat, quam ſciret mirum in modum Sodalitatibus Monachorum ali & promoveri, ædes item binas dedicavit, alteras Franciſcanis, alteras Dominicanis, in quarum ſingulis civium animabus procurandis ſufficiens Monachorum numerus aleretur. *Conv. Orani. Gonz. in Provin. Carthag. Con. 12.* In Franciſcana adeo crevit, ut ad quadrageſimum pervenerit, ſubeſtque domus provinciæ Carthaginenſi, tamquam viciniori, cum prius ſubeſſet Caſtellanæ, a qua primos habuit fundatores. Jam vero quod multi inter captivos Judæi erant, quorum plerique ex illa eſſe migratione exiſtimabantur, qua ex Hiſpania undecimo ante anno, a Catholicis Regibus pulſi fuerant, vehementer timuit, ne in tam recenti eorum, qui in Hiſpania remanſerant ad Chriſti fidem converſione, nonnulli priſtinæ ſuperſtitionis memores, & vigilantiam Inquiſitorum metuentes, clam ex Hiſpania Oranum fugerent. Quare officii ſui auctoritate fungens, virum religioſum & eruditum Inquiſitorem, ad ea omnia diligenter exploranda conſtituit. Mirum eſt, & pene fidem omnem exuperare videtur, Ximenium hominem ſenem, tot negotiorum fluctibus pene obrutum, & ob ſuorum militum fidem parum ſtabilem, & rerum humanarum inconſtantiam, atque adeo dubiam Regii animi erga eum propenſionem nimis anxium, tantum roboris & vigoris habuiſſe, ut non ſolum res militares, & quæ ad tutelam urbis pertinebant, vigilantiſſime conſtituerit, ſed res etiam ſacras, quod in ſummo otio ſolet fieri, omni adhibita cura diſpoſuerit, & cuncta, quæ ad Epiſcopi munus ſpectant, admirabili conſilio providerit. His tandem rebus factum eſt, ut quamvis ſæpius a Mauris ea urbs impetita fuerit, nihilominus optimi præſulis auſpiciis, protectione & orationibus, ſub Regum Hiſpanorum duret poteſtate.

XVII. Parta hac inſigni victoria, rebuſque in urbe compoſitis, animo dubius hærebat, an fortunæ ſucceſſum ſequeretur, & ad reliquam Africæ oram exercitum ſuum & claſſem converteret; an potius ætati & ſaluti ſuæ conſulens, ſumma belli Navarro tradita, ipſe rurſus in Hiſpaniam remearet. Sed quamvis bellici labores animum obverſarentur, & militares mores parum ejus inſtituto quadrarent, tamen ingenium animuſque ille maxima quæque natura ſua appetens, omnem vincebat difficultatem. Quare cum mare rurſus trajiciendum conſideraret, præſentem autem gloriam & victoriam ex altera parte ſibi proponeret, & Chriſtianæ Religionis propagationem, quam alterius induſtria & opera fieri indignum ſua fortuna judicabat, ad reliqua pro virili perſequenda jam jam animum inclinabat. Sed aliæ cauſæ, multorumque conſilia in diverſum mutarunt. *In Hiſpaniam regreditur.* Quare Navarro ſummo imperatore deſignato, in Hiſpaniam ex Oranico portu x. Kalend. Junias

Digitized by Google

nias trajecit, eoque ipſo, quo ſolverat die, mira temporis opportunitate, nullis præterquam ſuis familiaribus, & aliquot Miniſtris comitatus, Carthaginem venit. Nam ſumma ſecuritate littoribus Hiſpanis per ipſum parta, prætoriana cohorte in exercitu, & bona familiæ parte relictis, ipſe primus facti ſui utilitatem ſenſit, expedito & inermi apparatu trajiciens.

XVIII. Hinc juſtis itineribus Complutum profectus, ei tam cives, quam litterarii Ordines obviam perrexerunt, qui lætis ſalutationibus incolumem reditum & felicem victoriam gratulabantur. Præcedebant Antiſtitem captivi Mauri, & cameli auro argentoque ex præda Africana onuſti. Volumina etiam Arabicis characteribus conſcripta ad Aſtrologiam & Medicinam ſpectantia, ut ſuam bibliothecam exornaret. Alcazavæ portarumque urbis repagula & claves, candelabra & pelves Meſquitarum, quibus Mauri ad ſuas lotiones utuntur, & Arabici litui, quos *Annafiles* vocamus. Multa ex his in tholo Templi Divo Ildephonſo dicati ſuſpenſa fuerunt, quæ adhuc Compluti magno ſtudio viſuntur. Nonnulla etiam Talabricam miſſa ſunt, præſertim cujuſdam Oranenſis portæ claves, quæ adhuc Talabricenſis vocatur, quoniam a Bernardino Meneſio Talabricenſium Duce capta fuit, & in ſacello Deiparæ Virginis, quod extra oppidum eſt, vexillo rubro juxta pendente, quod lunam cæruleam (ut Mauri ſolent) inſigne habet, aſſervari ajunt. Res erat ſane applauſu & ſpecie triumpho par: quam cum celebrare Complutenſes vellent, mœnium partem diruerunt, qua Ximenius in oppidum reciperetur. Tamen modeſtiæ ſuæ memor, nullo pacto illac ingredi voluit, quamquam Complutenſibus nimis deprecantibus. *Triumphare fugit.*

XIX. Compluti aliquot menſes, valetudinis reſtituendæ cauſa commoratus eſt: nam Toletum, quo religionis ergo venire cupiebat, ire noluit, ne immodicis honoribus, quos parari noverat, oneraretur: & ut ſalutationes Regulorum evitaret, qui ad eam urbem ſimul atque Ximenius adventaſſet, venturi credebantur. Hac etiam de cauſa Pintiam, ubi Rex aderat, venire recuſavit. Homo enim ad res ſerias & gravitatem factus, hujuſmodi officiis, quæ ille inepta vocabat, nimis gravari ſe dicebat. Fecit interim Eccleſiæ Toletanæ Patres de adventu ſuo certiores, & rogavit, ut dierum aliquot ſupplicationes pro incolumi reditu ſuo decernerent: nam ſe eorum puris ad Deum precibus, in bellicis periculis vehementer adjutum eſſe dicebat: quæ ſtatim decretæ pro dignitate ſunt. Poſtquam autem victoriam hanc non ita recentem in hominum memoria eſſe credidit, & ſe minus ſeris gratulationibus obtundendum, Compluto Toletum Patrum deſiderio ſatisfacturus venit; ſed in primis ut vota, quæ in periculis tranſmarinis conſtitutus voverat, in Virginis Deiparæ Templo maximo, ubi illa coli gaudet, ſupplex redderet. Durant adhuc ſacri dies in monumentum Africanæ victoriæ inſtituti, quibus poſtridie Dominicæ Aſcenſionis atque altero inſequenti Templi maximi ſacerdotes ſacra in Crucis Dominicæ honorem, & Ximenii ſuorumque propinquorum parentationem faciunt, amplis reditibus in hoc contributis.

XX. Dum vero Compluti hæret, ædem illam, Muſarum felicibus auſpiciis a ſe inchoatam perficiens, & ſemper adaugens, non ceſſabat Regem adhortari, ne exercitui Africano deeſſet, & recenti victoria exultantibus militibus favore ſuo vires adaugeret: nam debilitatis Maurorum animis, victorem exercitum facile reliquam maris Africani oram in poteſtatem ſuam redacturum. Quod & anno inſequenti factum eſt: nam eo ineunte, ſub nonas Januarii, die ob Magorum adorationem religioſiſſimo, Bugia urbs celeberrima a Navarro in Africa capitur, quam nonnulli Juliam Cæ- *Alios fieri progreſſus in Africa ſuadet.*

ſaream, Jubæ quondam Regiam, eſſe putant. Ea non minus Hiſpanis, quam Oranum infeſta erat, muris altiſſimis antiquitatis venerandæ cingebatur; nam Romanam eſſe ſtructuram lapides ipſi teſtantur. Quinto poſt menſe Regem Bugianum urbem ſuam recuperare molientem, caſtris ſpoliatum, adeo potenter fregit Navarrus, ut nihil poſtea hoſtile tentaverit, ſed Regno & fortunis exutus, privatam vitam inglorius egerit. Pari cum Bugiano ſucceſſu, tertio poſt menſe VI. Kalend. Auguſti etiam Tripolis capitur, ejuſque urbis præfectus, una cum familia captivi Meſſanam in Siciliam mittuntur. Hæ victoriæ, hæc trophæa, hæc Chriſtianæ fidei in Africa propagatio Ximenii debetur virtuti & pietati, qui florentem victoremque exercitum conſcripſit, & ad Africanas oras perduxit.

Capitulum Generale Obſerv. Ciſmont. 25. Regiſtr. Ordinis.

Vicarius Generalis Franciſcus Zenus.

XXI. Habita ſunt hoc anno Comitia Generalia Obſervantum Ciſmontanorum in urbe Ferrarienſi, in Conventu ſancti Spiritus, in quibus electus eſt Vicarius Generalis ſecunda vice Franciſcus Zenus, cui adjuncti ſunt Definitores Franciſcus de ſancto Columbano Commiſſarius, Gregorius de Caſtro novo provinciæ Januenſis, Jacobus de Porcaria provinciæ ſancti Franciſci. Inſtituti ſunt Commiſſarius in Curia Romana Hieronymus de Pacificis Romanus; Guardianus Hieroſolymitanus Montis-Sion confirmatus eſt Bernardinus Senenſis; Vicarius Candiæ Franciſcus de Ripacheriis. Peruſii vero celebrata fuiſſe hoc anno Comitia Generalia Patrum Conventualium, ſcribit Rodulphus; ſed rejicienda ſunt in annum ſequentem, uti tunc dicemus, niſi fortaſſis utroque anno ſint celebrata.

Rodul. fol. 144. Capitulum Generale Peruſii 105.

Decius de Sigiſmundi temporib. S. Franciſci dies apud Polonos feſtivus.

XXII. Sigiſmundus Rex Poloniæ inſignem obtinuit hoc anno victoriam contra Bogdanum Daciæ ſive Valachiæ Vaivodam ſeu Palatinum, fugato diſſipatoque exercitu, captis magnatibus, cæſis Turcarum, quos auxiliares advocaverat, primoribus, conſumptaque in ore gladii infinita hoſtium multitudine. Incidit hæc pugna in ſancti Franciſci diem, quartum Octobris, qui deinceps perpetuo Polonis feſtivus eſt inſtitutus.

XXIII. Henricus VII. Angliæ Rex, hoc anno Pontificem rogavit, ut obſervari juberet ſuorum Prædeceſſorum litteras, quæ Obſervantum tranſitum ad Conventuales prohibebant, ſuæque circa iſthæc conſtitutioni novum robur adjiceret. Ita ergo Pontifex conſtituit.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus Ordinis Fratrum Minorum Regularium Obſervantum tam Citra, quam Ultramontanorum.

Ex originali.

Celebrato Capitulo Generaliſſimo Fratrum Ordinis Minorum in alma Urbe noſtra, cum intellexiſſemus ad quietem dicti Ordinis, & Fratrum in eo Altiſſimo famulantium maxime pertinere, ut ea, quæ a ſummis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris pro pace & concordia dicti Ordinis Fratrum ſalubriter ordinata fuerunt, inviolabiliter obſervarentur, inter alia juſſimus & mandavimus, quod Fratres familiæ Obſervantiæ ad Clauſtrales ſive Conventuales, & de eorum obedientia tranſire volentes, non poſſent nec deberent recipi, niſi petita & obtenta licentia Vicarii provincialis, ſub quo fuerint; quam licentiam etiam in ſcriptis oſtendere tenerentur: Fratres vero Clauſtrales ſive Conventuales, vel de eorum obedientia, ab Obſervantibus ſive de familia non reciperentur, neque recipi deberent, niſi ſaltem petita ſuorum ſuperiorum licentia, etiam non obtenta. Nuper autem accepimus, quod nonnulli Miniſtri prædicti Ordinis, præſertim frater Bonifacius Miniſter Franciæ, & alii Fratres ejuſdem Ordinis ſe jactant aliquas litteras a nobis habuiſſe contra prædictas noſtras litteras, tempore Generaliſſimi Capituli

Præcipitur ne Obſervãtes tranſeant ad Conventuales.

tuli prædicti factas, & contra omnes litteras concordiæ inter prædictos Fratres, a felicis recordationis Eugenio IV. Pio II. Paulo etiam II. Sixto IV. & aliis noſtris prædeceſſoribus editas, maxime contra quemdam proceſſum per Nos in minoribus conſtitutos, & dicti Ordinis Protectoris officio fungentes, auctoritate Apoſtolica factum, aſſerentes ſubditos veſtros, ſine veſtra licentia prædicta recipere poſſe, & quod deterius eſt, aliquos de facto contra prohibitiones Apoſtolicas prædictas, pœnas & cenſuras in eis contentas, in maximum animarum ſuarum periculum incurrentes, recipere audent; ex quibus in prædicto Ordine aliquæ perturbationes cum populi ſcandalo oriri incipiunt; & niſi deſuper opportune provideatur, majora in futurum oriri poſſent contra pium deſiderium noſtrum, quo in dicto Ordine pacem, quietem & tranquillitatem deſideramus. Cupientes igitur omnem diſſenſionis & ſcandali fomitem amputare, & in hoc etiam precibus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici VII. Angliæ Regis illuſtris, qui ad dictam veſtram Obſervantiam, ut litteris ſuis ad nos teſtatus eſt, ſingularem gerit devotionis affectum, inclinati, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica declaramus, numquam noſtræ intentionis fuiſſe in aliquo litteras concordiæ a prædictis ſummis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris factas, & per nos confirmatas, neque prædictas noſtras litteras revocare, aut in aliquo minuere. Idcoque auctoritate prædicta eaſdem prædeceſſorum & noſtras litteras, & omnia in eis contenta confirmamus & approbamus, ac potiori pro cautela omnia de novo concedimus, & ſub pœnis in eis contentis obſervari jubemus: mandantes quod omnes & ſinguli Fratres, qui contra noſtrorum prædeceſſorum concordias, & noſtrum præfatum proceſſum, necnon noſtras prædicti Capituli tempore editas litteras a veſtra obedientia receſſerunt, vobis a quacumque perſona, loco ſive Congregatione eos detinentibus, realiter & cum effectu ſub pœnis & cenſuris in omnibus prædictis litteris contentis reſtituantur: decernenteſque irritum & inane quidquid ſecus a quocumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, in quorum diœceſibus domus prædicti Ordinis conſiſtunt, mandamus quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant omnia & ſingula præmiſſa firmiter obſervari, contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: non obſtantibus conſtitutionibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. quibus cavetur ne quis extra Civitatem & diœceſim, niſi in certis caſibus expreſſis, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſed omnes Judices Apoſtolici extra Civitatem & diœceſim in qua videlicet deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus contra prædicta conceſſis, illis præſertim, quas prædeceſſores noſtri, & nos in omnibus prædictis litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, has litteras deferri, volumus & mandamus, quod earumdem præſentium litterarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus prælati Eccleſiaſtici, aut illius curiæ ſigillo munitis, ubique ſtetur, & eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, ac ubi fuerint exhibita, in omnibus & per omnia, prout eiſdem præſentibus ſtaretur & adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. *Februarii* MDIX. *Pontificatus noſtri anno* VI.

XXIV. Hoc anno obiit Nicolaus Dionyſii Gallus, in Buzevilla inferio- Moritur Nicol. Dionyſii.

rioris Normaniæ pago Conſtantienſis diœceſis natus, qui cum eſſet Eccleſiæ Conſtantienſis Canonicus, atque Godefridi Epiſcopi Vicarius, in Cœnobio Valoniarum Minoriticum ſumpſit habitum, inſignique floruit doctrina. Ad præcipua ſuæ Provinciæ Franciæ Pariſienſis munia aſſumptus, poſtquam facundiſſime cumulatoque fructu ubique prædicaſſet, tandem Guardianus Rothomagenſis ſecundo electus, obiit tanta ſanctitatis opinione, ut catervatim irruente populo, feliciſſimum ſe putaret, qui corpus roſario aut linteolo tetigiſſet. Sepultus in media æde capitulari hoc habet Epitaphium.

HIC IACET
PATER OBSERVANDISSIMVS
CVM SCIENTIA, TVM VIRTVTIBVS
ILLVSTRIS
FRATER NICOLAVS DE NYSE
QVI OB DOCTRINAE MORVMQVE
PRAECELLENTEM EMINENTIAM
GVARDIANVS, CVSTOS,
AC PROVINCIAE FRANCIAE VICARIVS
PLVRIES EXTITIT,
POST LONGAM VERO
QVAM NEDVM VERBO OPERIBVSQVE,
SED ET SCRIPTIS
SPECTABILEM DVXIT IN ORDINE
VITAM, OBIIT ANNO DOM. M.D.IX.
DIE XVIII. MAII.

B. Stanislaus Polonus.

XXV. Stanislaus Cominenſis Polonus, ante ingreſſum Religionis Baccalaureus Cracovienſis, maturo vir ingenio & judicio, orationi & Paſſionis Dominicæ meditationi totus intentus, per biennium Hieroſolymis commoratus, hoc anno pie obdormivit in Domino.

Libro de ſcript. verbo Baptiſta Varana. Vita Baptiſtæ Varanæ.

Tom. 14. anno 1472. num. 8. & an. 1490. n. 3. Ejus inſtitutor.

XXVI. Dixi in alio opere, Baptiſtam Varanam nobilem, & piam Clariſſam, Julii Cæſaris Camerinenſis Reguli filiam, ſub initium hujus ſeculi obiiſſe; ſub quo autem anno, determinare non auſim, dum nihil mihi certo conſtat ex traditione aut ſcripturis Monaſterii ſanctæ Mariæ Novæ urbis Camertis, ex quo illius vitam accepimus ab ipſa (ita præcipiente Confeſſario & magiſtro Petro a Moliano, viro optimo, de quo ſuo loco actum eſt) primo deſcriptam, deinde ab Eufroſina de Cornia, ejuſdem Monaſterii Sanctimoniali, anno MDLXXVII. reſcriptam, mox a Dominico Paſſino Maceratæ typis traditam, & a Bartholomæo Cimarella ſuis Chronicis inſertam. Ex obſcuro, turbatique ordinis opuſculo, hoc damus geſtorum piæ Virginis compendiolum.

Chriſti mortem deflet.

XXVII. Annos nata novem vel decem, prædicantem audivit dictum Molianum, & ad vocem grandis loquelæ exarſit ignis in ea, ſub tenellum pectuſculum verba recondens, quæ audiverat, præſertim de compatiendo Chriſto pro nobis morienti, & de flenda per ſingulas ſextas ferias ejus paſſione. Statuit itaque illis diebus Chriſto commori, mortemque plorare; quod perpetuo obſervavit, effuſis ſemper aliquot lacrymulis. In principio aliquas paſſa difficultates, omnes demum oratione & pio exercitio adeo ſuperavit, ut vix quidquam Chriſti dolorum audire aut legere potuerit abſque lacrymarum profluvio. Pias has exercitationes, firmumque propoſitum eas proſequendi approbavit, & ſalutari inſtructione amplius inſtillavit

vit frater Pacificus Urbinas, quem habuit Confeſſarium, & poſtea frater Oliverius uterque Minorita: ſed præ omnibus illam edocuit Franciſcus Urbinas, ferventi ſpiritu, & ſingulari doctrina vir inſignis, ejuſdem Inſtituti, quem illa valde commendat, & ſonoram vocat tubam Spiritus ſancti. Venerat ille Camerinum, conciones habiturus quadrageſimales, quas ſemper ab illis ordiebatur verbis: *Timete Deum*, *Timete Deum*, per omnes Dei timorem vehementer inculcans. Nullum Baptiſta præteribat diem, quo concionantem non audiiſſet, neque hebdomadam, qua non apud illum ſuam expiaſſet conſcientiam. Multa ab eo hauſerat ſalutaria documenta, ſed ſuper omnia Deum timere, ita ut ad ſingula pavitaret præcepta. Ut a Dei offenſa, & pœnis liberaretur inferni, jugiter orabat, & corpuſculum cruciabat ærumnis. Abjecta veſte, noctu in tenebris totum cædebat corpus flagellis. Singulis noctibus e lecto ſurgebat, & beatæ Virginis Mariæ patrocinium implorabat. Singulas vigilias feſtivitatum Chriſti, & ſacratiſſimæ Genitricis in pane tranſigebat & aqua. Diebus veneris vel nihil manducabat aut bibebat, vel tres aut quatuor buccellas panis dumtaxat, parumque aquæ admittebat, & noctem ſequentem, nullo decumbens lecto, degebat inſomnem.

Pios Minoritas habet magiſtros. *In cap. 3. legend.*

Magno percellitur Dei timore.

Ejus pœnitentia.

XXVIII. His intenta operibus, internos ſibi viſa eſt audire ſermones mundi diſſuadentes conſortium, & ſacrum Religionis commendantes aſylum. Tenella tamen ætas, virtuſque adhuc infirma comprimere non potuit adverſas cogitationes, quas mundi advehebant oblectamenta, & parentum objiciebant blanditiæ. Annis tribus ſecum ipſa pugnans, victa cadens, victrixque reſurgens, modo admittebat, modo propellebat internas ſpiritus motiones; donec tamdem, conſulto ſecrete per Epiſtolam dicto Franciſco Urbinate, auditiſque inter alias, duabus illius concionibus in feſto Annunciationis, & Sabbato ſancto, quo præter morem, prædicaverat, animumque vacillantem tunc maxime lancinaverat, per Divinam gratiam in bono confirmata, penitus decrevit quæ mundi erant, reſpuere, & Deo ſe totam conſecrare. Cœpit mox cœleſtibus oblectari delitiis, & Chriſti, tamquam ſponſi, colloquiis adeo recreari, ut linguam callens Latinam, in illa quandoque proruperit verba: *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Illas demum ab eo arrhas accepit, peccatorum remiſſionem, & virtutes tres, quas tria lilia dicebat in corde ſuo plantata potenti manu illius, qui & *flos campi*, & *lilium* vocatur *convallium*: videlicet, odium aſperum mundi, humillimam ſui deſpicientiam, ingenſque deſiderium pro Chriſto mala patiendi. Ubi hoc tertium cupere cœpit vehementer, ſtatim gravi & moleſto cœpit morbo languere, qui per annos tredecim patienter ferentem graviter afflixit.

Fluctuans confirmatur in bono propoſito.

Singularia a Chriſto recepit beneficia.

XXIX. In tribulatione iſta conſolatorem habuit fratrem Gregorium Minoritam, qui modum illi præſcripſit Chriſti vitam, ærumnaſque, meditandi, per quas diſcurrens, maximam ſentiebat in propriis pœnis conſolationem; ita ut frequenter iſta, hiſque ſimilia repeteret verba: *Quoniam ab ipſo potentia & patientia mea. Poſt te in odorem curremus unguentorum tuorum. Meliora ſunt ubera tua vino, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Utinam oſculetur me oſculo oris ſui. Oſtende temetipſum, nam præter te nihil ſufficit mihi.* Placuit autem dilecto ſponſo, ſe illi miro modo conſpiciendum exhibere, & tamdem mundi laqueis contritis, ad ſua clauſtra transferre. Ducta itaque Urbinum, Monaſterium Clariſſarum, a regulari diſciplina maxime commendatum, præſente primo illo præceptore Moliano ingreſſa, gaudio perfuſa inenarrabili, laudes Domino decantabat, ver-

In tribulationibus magna recipit ſolatia.

Fit Clariſſa.

verbiſque latine ſcriptis explicuit, quale beneficium a Dominn acceperit in hac a ſeculn tranſmigratione: *Sicut enim*, inquit, *in materiali deſerto invenitur cantus avium, florum pulchritudo, animalium ſecreta cubilia: ſic in ſacro Monaſterio de Urbino, inveni cantus ſuaviſſimos orationum devotarum, pulchritudinem bonorum exemplorum, ſecreta cubilia Divinarum gratiarum*.

XXX. Tot hic recepit a Domino conſolationes, ut compenſandas cuperet gravibus pro Chriſto preſſuris. Generoſe dicebat, ſe malle Deum conſtituere debitorem, quam creditorem; & in cœlis depoſitum habere meritorum, quam apud ſe reponi cumulum beneficiorum; illorum quippe expectari poſſe coronam, horum autem exactam reddendam eſſe rationem. Multis itaque precibus impetravit commutari tot gratiarum oblectamenta in pœnarum tormenta, & mannæ dulcedinem in abſynthii amaritudinem, ut vere cum ſponſa dicere poſſet: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea*, id eſt in corde, intellectu & affectu, ſemper *commorabitur*; *nihil præter ipſum pro me paſſum cogitabo aut deſiderabo*. In tirocinio, multis probata tunſionibus, in profeſſione magnas ſuſtinuit contradictiones, quas humani generis hoſtis per parentes & alins excitavit. Hic per annos duos, & menſes aliquot, magno virtutum incremento commorata, inſtantibus parentibus, auctoritate Pontificia commiſſa Petro Moliano, Vicario Provinciæ Picenæ, Camerinum tranſlata eſt cum aliis Sororibus ad Monaſterium S. Mariæ novæ, quod alias diximus tunc conſtructum. Interfuit ipſe Vicarius tranſlationi, Baptiſtam & ſocias in illam urbem deduxit, & novo reclufit Monaſterio. Illic cœpit Divinæ gratiæ cumulatius dona ſentire, ſemper intenta Chriſti doloribus & morti contemplandis. Octiduo poſtquam eo in loco reclufa eſt, dum die Veneris, una ex ſociis operam levatura manualem, devote rhythmum de Chriſti paſſione cantaret, & lugubri voce myſterium corporis e Cruce depoſiti, in ſinu Matris expoſiti, livore, ſanguine, plurimoque vulnere deformis exprimeret; exanguis, brachiis excepta Sororum ſemimortua, per aliquot horas tanto cruciata eſt interno dolore lacerati cnrporis, matris tabeſcentis, ploratus circumſtantium quos præſentes videbatur aſpicere, ut per dies quindecim toto doleret corpore, facieque palleret.

Conſolationes mutantur in tribulationes.

Transfertur ad urbem Camerini. Tomo 14. anno 1483. n. 11.

Quantus dolor ex Chriſti paſſione.

XXXI. Molianus Vicarius poſt aliqunt menſes illuc reverſus, dilectæ diſcipulæ profectum exploraturus, & interna ſcrutaturus præcordia, juſſit, ut generali confeſſione animam expiaret, ſibique pectoris arcana nudaret. Renuit illa aliquanto audentius, & amplius hortanti noluit aſſentiri. Non prius ille Camerinn receſſit, quam hanc pœniteret denegati aſſenſus, & neglectæ confeſſionis, eumque concepit dolorem ac confuſionem, ut peccata ſive jam remiſſa, ſive recens commiſſa, conſcientiam acerbe pungerent, & contempta magiſtri benevnlentia, vehementer cruciaret. Rogavit, oravit, ſupplicavit per epiſtolas, ut gravi ille parceret errori, & pœnitentis miſertus rediret, ſe paratam obſequin, confeſſionis per quam cupidam, pœnam culpa dignam velle ſubire. Diſtulit ille regreſſum, deſiderium & dolorem aucturus. Venit, audivit, inſtruxit, labeculas abſterſit: inde illa purior & ſanctior deinceps evaſit, auctorem & promotorem pietatis ardentiori affectu proſecuta.

XXXII. Vitæ quam elegerat, normam adamuſſim nbſervans, & ad majora aſpirans virtutum incrementa, meruit Ordinis inſtitutricem ſanctam Virginem Claram manifeſte, diſtinctiſque ſignis quaſi corpnralibus oculis conſpicere, per quam didicit perfectius per has ſemitas incedere. Dehinc per Angelos duos ad Chriſti Crucifixi pedes tranſvecta, per duos menſes

Viſiones ſpirituales.

eo

eo mentaliter fruebatur ſolatio, putabatque corpus abſque anima regi, externiſque fungi muneribus. Ita quidem res eſt, *anima potius eſt ubi amat, quam ubi animat*: quod probe ille ſenſit, qui dixit: *Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror*. Illic iocomprehenſibilem Dei erga humanum genus amorem ex collatis beneficiis miriſque cognovit circumſtantiis. Illic ex conſortio Angelorum, unius præſertim, qui penetralia cordis incendit, tantum perſenſit ardoris, ut inflammari, uri, conſumi ſe judicaret, & ab illis anguſtiis, atque corporis ergaſtulo, ad latiſſima cœli ſpatia vehementer cuperet dimitti. Unde frequenter exclamans, dicebat: *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum tibi*. Ita autem ſe ignire cœpiſſe referebat, poſtquam expiata integre per generalem illam confeſſionem conſcientia, pias prudenteſque a ſuo magiſtro Moliano vitæ ſpiritualis accepit inſtructiones.

Aug. 13. confeſ. c.9. & 15. de Civit. c.28.
Ejus fervor & ardor.

XXXIII. Inde tamen potiſſimum exarſit, quod Chriſti in horto orationi, ac paſſionibus continuo meditandis intenta, ex earum numero & acerbitate intenſiſſimum Chriſti erga homines penetravit amorem, & ejuſdem dolores diſtinxit in octo mentales, de quibus integrum anno MCCCCLXXXVIII. ſcripſit tractatulum. Poſt hæc, annis duobus ſe ſubtraxiſſe viſus eſt ſponſus, & gratias ſuſpendiſſe, eamque hoſtibus tradidiſſe, qui ſeraliter in die octava feſtivitatis ſancti Franciſci percuſſerunt, atque univerſis commiſiſſe tentationum & pœnarum torturis, inter quas nullum habuit conſolatorem, præter unum Molianum, qui ſecundum functus ſuæ Provinciæ Vicariatu, ter illam ſacro ſublevavit eloquio. Sed & hoc inſuper per mortem orbata, amplius afflicta & cruciata clamare ſolebat: *Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Illa ego quæ perveni ad altitudinem maris Divini amoris, & ſpiritualis dulcedinis, nunc autem tempeſtas valida demerſit me in profundum abyſſi*. Varie ita exagitata, aſcendens uſque ad cœlos, & deſcendens uſque ad abyſſos, per vias non tritas a Domino deducta, tamdem in ipſo pie requievit. Quo autem anno, mihi protinus iocertum. Illud quidem certum, epiſtolas ſcripſiſſe anno MCCCCXCI. ad Prædicatorem illum Urbinatem die XIII. Martii, aliamque die XXI. ejuſdem menſis ad Sororem innominatam, & multa ex iis, quæ prius ſcripſerat, & Urbini inchoaverat, tranſcripſiſſe die ultimo Januarii ejuſdem anni MCCCCXCI. *Sex*, inquit, *menſibus ab obitu Moliani decurſis*. Ita habetur ad finem codicis MSS. Unde inferre oportet illum obiiſſe anno MCCCCXC. non vero anno præcedenti, uti ibidem dicebamus *. Eum valde & digne illa commendat a pietate, virtute & miraculis tum in vita, tum poſt mortem patratis, animamque vocat *Glorioſam, ſanctam, & vere beatam*.

Pie moritur.

Loco ſupra citat.
** In hac recenti editione tom. 14. ad an. 1490. nu. 1. reperies mendum correctũ & obitum Petri Molianenſis relatum.*

XXXIV. Obiit hoc anno in Villa Richemundiæ Henricus VII. Angliæ Rex, pius, prudens, juſtus, erga pauperes miſericors, erga ſubditos liberalis & beneficus. Adeo erat noſtro Obſervantum addictus Inſtituto, ut in prædicta villa nobile conſtruxerit Cœnobium, alterum Grenevici, tertium Newarchi, & a Patribus Conventualibus alia totidem ad hos tranſtulerit, nimirum Cantuariæ, Novicaſtri, & Suthantoni: ſub eo floruit valde Angliæ regnum opulentia & pietate.

Cap. 13. legenda.
Moritur Henricus VII. Rex Angliæ.
Surius in Comment. hoc anno. Antiquitat. Britan.

XXXV. Duo hic licet apponere diſſimilia exempla: primum virtutis & pœnitentiæ, alterum mollioris vitæ & impatientiæ. Frater Nicolaus Volaterranus hujus temporis Laicus ſive converſus, erga corpus ſuum valde auſterus, etiam ſexagenarius & ultra, ſolo habitu ſegmentitio incedebat, intenſiſſimo etiam frigore raro ad ignem ſe calefaciebat, & dum accedebat, adeo vehementi eloquio timens ac tremens inferni pœnas & ignem Fratri-

Marc. l. 7. c. 41.
Fr. Nicolaus Volaterranus Laicus vir pius & pœnitens..

tribus explicabat, quaſi mox ipſe tormenta illa eſſet paſſurus, ſtatimque recedebat. Alias iſtud ſolatium ignis reſpuebat, & cum frigoris vehementia corpus ignem, aut aliud indumentum præter habitum appetebat, clauſo cubiculi oſtio, excuſſa veſte, nudus orabat; deinde algenti corpori dicebat: *Tu, frater corpus, velles ſuperveſtiri, & ad ignem calefieri? ſed ita te oportet pati & algere: vel ſi vis concupiſcentiam omnem deponere, & querelas remittere, ex condicto tibi habitum reſtituam.* Tandem reſumpto habitu, videbatur egregie corpori ſatisfeciſſe, & duplicia obduxiſſe veſtimenta. His & ſimilibus virtutis & pœnitentiæ exercitiis pie obdormivit in Domino Volaterris.

XXXVI. Laicus alter Provinciæ Picenæ, in Conventu Muri, ægre valde ſub mediam noctem ſurgebat ad matutinas preces, & ſæpe, aliis concinentibus, ille in cubiculo dormiebat. Erat illa in domo agnus, perſimi- *Tom. 2. an. 1222. n. 4.* lis illi, quem ſanctum Franciſcum habuiſſe, loco ſuo enarravimus, qui ad campanæ ſonitum ad chorum ibat, & toto, quo recitabatur officium, hærebat tempore. Cum ad Matutinum æditu signum edebat, agnellus ad ſingulas cellarum portas corniculis pulſabat, deinde per totum dormitorium toties balatus repetebat, donec omnes exſuſcitabat. Si qui demum pigritabant, aut lecto hærebant, dum deeſſe videbat in choro, in dormitorium redibat, neque arietare deſiſtebat, donec vel ipſa moleſtia victos ad chorum compellebat. Illatæ aliquoties hujuſmodi moleſtiæ laicus prædictus impatiens, quadam nocte in ſuum commotus monitorem, univerſa ejus crura confregit, magno, qui poſtea viderant, Fratrum dolore. Luit autem inhumanus vir dignas pœnas a Superiore correptus; demumque a Religione, in qua tam pigre, & negligenter converſatus eſt, infeliciter receſſit.

Spond. n. 5. Trith. in Chron. Spanhem. Surius in Comment. Lang. in Chron. Citizen. Angel. ep. 340. & 401. Puniuntur falſis artibus Conceptionem Virginis Mariæ temerantes.

XXXVII. Henricus Spondanus Apamiarum Epiſcopus, in ſuis Annalibus, ex Trithemio, Surio, Langio, & aliis refert, hoc anno (quod tamen Petrus Anglerius in annum præcedentem rejicit) quatuor præcipuos cujuſdam Inſtituti religioſi viros apud Bernenſes ultimo, eoque acerbiſſimo ſupplicio affectos, poſtquam in illos inquiſierat Aymo de Monte-Falcone, Epiſcopus Lauſanenſis, quia contra ſanctæ Conceptionis Virginis Mariæ opinionem in multorum ſcandalum, & Franciſcanorum invidiam commentitia quædam miracula & viſiones excogitaverant. Rem leviter attigiſſe malui, quam longam hiſtoriam minutim referre, præſertim cum vulgari & latino ſermone cum actis contra delinquentes typis ſit vulgata, & a prædictis auctoribus diffuſius enarretur.

Gomez de rebus Ximen. lib. 5. Franciſc. Epiſc. Civitatenſis.

XXXVIII. Hoc anno Franciſcus Ruizius, Cardinalis Ximenii individuus fiduſque comes, cujus opera in graviſſimis quibuſque rebus utebatur, promotus eſt ad Epiſcopatum Civitatenſem, ſive Rodericopolitanum. Nam cum Ximenius eum nuncium ad Regem Ferdinandum devicti Orani miſiſſet, bellumque illud Africanum feliciter peractum prudenti & jucundo ſermone ille expoſuiſſet, & proinde Regi non ſolum notus eſſet, ſed & carus, Ximenius per ſuum cubicularium Arteagam Regem rogavit, quandoquidem Epiſcopatus Salmanticenſis per obitum Joannis Caſtellæ vacaſſet, Ruizio conferretur. Libenter ſe id facturum fuiſſe Rex Arteagæ reſpondit, niſi pridie ejus diei Franciſco Bovadillo Marchionis Mojani filio, in gratiam matris contuliſſet, cujus in aulam fœmineam, dum Reginis ſedulo inſerviit, permulta equidem merita extiterant. Quod ſi Rodericopolitanam, quam *Civitatem* vocant, a Bovadillo relictam tantiſper ſuſcipere vellet, donec amplior ſe offerret, in qua Ruizius ſuam virtutem pro dignitate oſtenderet, ſe extemplo id effecturum. Promotus itaque tunc eſt ad prædi-

dictam Eccleſiam, a qua ad Abulenſem translatus eſt anno MDXV. uti tunc enarrabimus.

Mox Abulenſis.

XXXIX. Promotus eſt ad Eccleſiam Tuburnen. ſive Triburnen. in Hibernia, ſub Archiep. Armacano (cujus mentio habetur in antiquis libris provincialibus Cancellariæ Romanæ, aliquando unitæ Kilmorenſi Eccleſiæ) frater Bernardus N. per obitum Stephani de Straboniza die XIII. Junii. Ad Eccleſiam Clonferten. in eodem Regno, ſub Archiep. Tuamenſi frater Dionyſius. N. per obitum Davidis, die VII. Novembris. Antonio Trombetæ ſive Tubetæ, viro doctiſſimo, provinciæ ſancti Antonii Miniſtro, & in Univerſitate Patavina Cathedræ Metaphyſicæ Lectori ordinario, hoc anno Pontifex commendavit Monaſterium ſancti Leonardi de Matemauro, Ordinis ſancti Benedicti, Clugienſis diœceſis, quod Marcus Vigerius Cardinalis tituli ſanctæ Mariæ Tranſtyberim Minorita antea receperat in commendam, & deinde libere renunciavit in manibus Pontificis.

Fr. Bernard. Epiſcop. Tribur.

Frat. Dionyſius Clonferten.

Anton. Trombeta commendatarius Abbatiæ Ordinis S. Benedicti.

XL. Hoc anno Antonins de Monte Cardinalis, Archiep. Sipontinus auctoritate Pontificia facultatem conceſſit Apeneſtinis, ſive civibus nrbis Manfredoniæ, ut ad D. P. a Civitate Conventum Minorum Obſervantum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratiis ædificarent, & Miniſtro ſubjicerent Provinciæ ſancti Angeli. Radimuſca Illyricus larga manu operi proſequendo auxiliatus eſt, ibique ſepulcrum accepit.

Gonz. in Provin. S. Ang. Con. 21. Conv. Manfredoniæ.

XLI. In Inſula Corſicæ duorum oppidorum Alciprati, ac Montis Majoris Communitates convenerunt, ut communibus ſumptibus in loco utrique genti opportuno conſtrueretur Cœnobium Fratrum Obſervantum, ſub titulo ſancti Franciſci. Ita factum hoc anno, Apoſtolica impetrata facultate. Constructo Templo, Sanctus a Corbaria Guardianus curavit ad illud transferri corpus pii viri Franciſci de Maleficiis, quod jacebat in Conventu ſancti Franciſci Silvæ. Translationi interfuit ingens populorum multitudo.

Idem in Provin. Corſica Conv. 24. Conv. Alcipr.

XLII. Circa hunc annum conditus eſt Conventus ſanctæ Mariæ de Pomerio, in confinibus regnorum Caſtellæ & Luſitaniæ, ad prærupti cujuſdam montis radices, & ripam fluminis Duriani, loco quidem amœniſſimo, & fructuum, præſertim mali aurei, citri, aliorumque nobilium feraciſſimo, prope pagum Abulenſem, Hiſpanis *Aldea de Avila* nuncupatum. Præerat quoddam antrum ſive ſpecu, in quo pia quædam fœmina Marina procul ab hominum conſortio dies ſuos in pœnitentiæ tranſigebat operibus, ubi etiam adeo ſancto fine quievit, ut convicini populi miraculorum multitudine commoti, decreverint ei delubrum, aut piam ædiculam fabricare. Annuit Calixtus III. Pontifex, cujus litteris excitati opus promoverunt, & Cœnobium Minorum Obſervantum adoleſcentibus in Grammatica erudiendis opportunum adjunxerunt, quod ſub hoc ferme tempus abſolutum eſt. In Eccleſiæ ſacello præcipuo conditum eſt prædictæ beatæ Marinæ corpus, & in ſacrario caput theca recluſum. Ingenti feruntur illi populi erga eam veneratione, cujus meritis & precibus dicunt ſe frequentia recipere beneficia. Prope ſepulcrum in tabella appenſa eſt hæc breviuſcula ejus vitæ memoria.

Idem in Provin. S. Mich. Con. 13. Avila in Theatro Eccleſ. Salamant. Conv. S. Marinæ de Pomerio.

B. Marina ibidē ſepulta.

HIC JACET CORPUS HUMILLIMAE
ATQUE DEVOTISS. SERVAE DEI
B. MARINAE,
QUAE HOC DESERTUM,
UT CHRISTO DOMINO
FELICIUS TOTOQUE PECTORE VACARET
A SUA JUVENTA PETIIT,
QUAEQUE FELICISSIME, ATQ. CATHOLICE
EXTREMUM IN LOCO CLAUSIT DIEM.
AD CUJUS TANDEM HONOREM
SACRA HAEC AEDES AEDIFICATA FUIT.

Gonz. in Provin. Portugall. Conv. 26. Conv. Trancoſi.

XLIII. Eodem ferme tempore humile Cœnobium conſtructum eſt, ſub nomine ſancti Franciſci, apud Trancoſi oppidum, in extremis ferme Luſitaniæ finibus Caſtellam verſus: ſed cum parum Fratribus arrideret, eorumque habitationi eſſet incommodum, provinciæ Portugalliæ Patres relinquendum judicarunt in Comitiis anno MDLXXXIII. celebratis, quibus præſidebat Franciſcus Gonzaga, uti ipſe enarrat. Sed cum oppidani inſtanter efflagitarent, ut Fratres redirent, eſſetque illic domus Sororum Tertii Ordinis ejuſdem provinciæ Rectoribus ſubjecta, cui providendum erat de Sororum confeſſario, anno ſequenti denuo fuit reſumptum.

Conv. Griſtouenſis.

XLIV. Nobilis vir Henricus Dux Magnipolenſis, Salams Juſtonenſis Princeps, & Zuvernienſis Comes, hoc anno impetravit facultatem a Julio Pontifice ædificandi domum Fratribus Obſervantiæ in ſuo oppido Griſtou, diœceſis Caminenſis in Polonia, in oratorio ſcilicet ſeu ſacello, in quo ſanguis, qui ex quadam hoſtia conſecrata miraculoſe dicebatur profluxiſſe, conſervabatur: *Sinceræ devotionis*. XVI. Kalend. Junii.

Idem in Provin. Calabr. Mon. 3. Monaſt. Vidauretta.

XLV. Prope oppidum Onniati, Calaguritanæ diœceſis, Joannes Lopetius de Lazarraga, primarius Militiæ divi Jacobi Quæſtor, ejuſque conjux Joanna de Gamboa Ferdinando Regi Catholico, ejuſque filiæ Joannæ Reginæ gratiſſimi (erat enim Joannes utrique a conſiliis & a ſecretis) obtenta hoc anno a Pontifice facultate, conſtruxerunt Monaſterium Clariſſarum, ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis de Vidauretta, loco quidem amœno & delicioſo, & ſub regimine Vicarii provinciæ Caſtellæ: *Sinceræ devotionis*. XIX. Kalend. Januarii.

Idem in Provin. Algarb. Mon. 15. Monaſt. Eluenſe. *Idem in Provin. Franç. Parij. Monaſt. 4.* Monaſt. de Unellis.

XLVI. In Civitate Eluenſi, quæ in Tranſtagana eſt Luſitania, etiam hoc anno aliud conditum eſt Clariſſis Monaſterium, ſub ſecunda ſanctæ Claræ Regula. Sub prima autem reformatum eſt Monaſterium Mauritaniæ apud Unellos in Gallia, & provincia Franciæ Pariſienſis Sororum Tertii Ordinis, ad arctiorem vitam aſpirantium: quarum deſiderio maxime favit Margarita a Lotharingia, Caroli Alenconienſium Ducis, & Unellorum Comitis mater, quæ in fundo a ſe empto anno MDII. conſtruere eis cœpit domum capaciſſimam, ad quam hoc anno tranſlatæ ſunt ex Pontificis Julii (non Leonis X. ut habet Gonzaga) facultate. Eccleſiam conſecravit Jacobus de Silli Sagienſis Epiſcopus. Cum vero Hugnoſtici hæretici Calviniani per Galliam furerent, & omnia ferme ſacra loca horrendis cædibus

Margarita Parva ab hæreticis occiſa.

fœdarent, & prædictam Mauritaniam ingrederentur, ſoror Margarita Parva Rothomagenſis in eorum ſanguinarias manus incidit: cumque eorum libidini aſſentiri nollet, diro mucrone confoſſa eſt.

XLVII. Nobilis & pia domina Thereſia Henriquez, de qua diximus anno præcedenti, hoc anno, impetrata Pontificis licentia, condidit Sororibus

ribus Ordinis Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ Monaſterium in ipſo aditu oppidi Uſſagrienſis, quod ab Erena, notiſſimo & locuplete oppido Militiæ ſancti Jacobi ad nonum lapidem diſtat. Hujus loci Sorores ſumma cura ſecularium, omniumque hominum familiaritatem & colloquium devitant, quo fit ut magis in pietate & regulari diſciplina proficiant. Primæ magiſtræ prodierant ex Monaſterio Turrigiano ejuſdem Inſtituti ab hac eadem Heroina conſtructo, ut anno MDVII. recenſuimus.

Idem in Provin. S. Michael. Monaſt. 16.
Ex reg. lib. 167. fol. 261.
Monaſt. Uſſagri.

XLVIII. Julianus de Bacchozis Eremita Tertii Ordinis ſancti Franciſci, in oratorio ſanctæ Mariæ de Caritate in Civitate Florentina ſuper pontem fluminis Arni Rubiconi, ſub invocatione Archangeli Raphaelis ante aliquot annos domum conventualem cœpit ædificare, eoque defuncto, alii Fratres ejuſdem Ordinis fabricam compleverunt, completamque decreverunt hoc anno aggregare Congregationi Amadeorum. Domum admiſit pactis quibuſdam conditionibus, ſolutaque aliqua ſumma pecuniæ, Arſenius Mediolanenſis Vicecommiſſarius prædictæ Congregationis. Pacta autem & tranſactionem omnem hoc anno Pontifex approbavit.

Domus S. Mariæ de Caritate Florentiæ.
Lib. 162. fol. 288

XLIX. Univit hoc anno Pontifex Eccleſiam parochialem loci de Zarzoſo, Salamantinæ diœceſis, Monaſterio Clariſſarum ejuſdem loci. Monaſterium ſanctæ Claræ Villæ comitis, diœceſis Braccarenſis hoc anno reformatum eſt per Franciſcum Calderam inſtitutum Viſitatorem Generalem ſuper omnia Clariſſarum Monaſteria in Regno Luſitaniæ. Et Monaſterium ſanctæ Claræ de Quercubus, diœceſis ſancti Papuli per Miniſtrum Generalem Raynaldum Gratianum.

Monaſt. Zarzoſi.
Ibid. fol. 162.
Monaſt. Villæ comitis reformatur.
Lib. 166. fol. 302.
Mon. de Quercubus.
Lib. 187. fol. 344

L. Varia hoc anno Pontifex conceſſit Ordini privilegia: nimirum indulſit Miniſtris Generali & provincialibus, ut poſſent inſtituere ſyndicos & procuratores, qui bona relicta Fratribus & Monialibus poſſint adminiſtrare: *Exponi nobis*. die prima Octobris. Ut in die impreſſionis Stigmatum in corpus ſancti Franciſci, tempore interdicti poſſent Fratres celebrare. *Dominicus miſeratione Divina*. die XVII. Julii. Necnon exequias Fratrum celebrare etiam tempore interdicti: *Exponi nobis*. die XXVI. Februarii. Quod Fratres a populis vocati poſſent ædificare ſibi domos & habitacula, non obſtante conſtitutione Bonifacii VIII.: *Exponi nobis*. die V. Januarii. Prohibetque ne aliæ Religiones conſtruant Conventus in ſpatio trecentarum cannarum prope Cœnobia Minorum: *Exponi nobis*. die XXI. Maii.

Varia conferuntur privilegia.

ARGUMENTUM.

In Occidentalibus Indiis Franciſcani fidem diffundunt Chriſtianam. In Orientalibus egregie laborat Antonius Laurerius, quem & alii æmulantur. Franciſcus Cardinalis Ximenius Complutenſem Academiam, & jura promovet Eccleſiæ Toletanæ, ſacraſque ædes inſtituit. Franciſci Zeni Nuncii Apoſtolici auctoritas ampliatur. Fit unio Congregationum Franciſcanarum. Raynaldus Miniſter Generalis deſtituitur: ſuccedit Philippus Porcatius. Moriuntur pii Viri. Recenſentur Epiſcopi. Multiplicantur Cœnobia.

I. IN Occidentalibus & Orientalibus Indiis hoc tempore magno animarum fructu laborabant Franciſcani. Et quidem hoc ipſo anno Didacus Columbus ſive Colonus, magni illius Chriſtophori filius, Almirantius ſive Rector Hiſpaniolæ, illuſtre de eis tranſmiſit teſtimonium ad Ferdinandum Re-

Herrera dec. 1. lib. 8. cap. 9.

Apud Indos Occidentales fides propagatur.

Regem Catholicum, aſſerens proſpere proceſſiſſe negotium fidei, & converſionis Indorum in illis partibus occiduis, indefeſſo ſtudio & pietate Minorum, ac Prædicatorum, licet hi nonniſi hoc ipſo anno illuc transfretarint, quos ante plures annos præceſſerunt Franciſcani. Hinc autem iſti ſe diffuderunt ad inſulas Cubanam & Cumanam, ſancti Joannis ſive Boriquenam, Jamaycanam, Margaritanam, ſanctæ Crucis de Cubagua, unionum feraciſſimam; in quibus locis longe lateque Chriſti nomen & doctrinam propagarunt, ſibique ipſis domicilia poſuerunt: & pro hoc tempore domum & Templum habuiſſe in urbe ſancti Dominici, Hiſpaniolæ præcipua, conſtat ex ſepultura, quam ad Eccleſiæ januam hoc anno recepit Alphonſus Ojeda Hiſpanus Conchenſis, vir celebris, qui multis partis victoriis, in Hiſpanorum poteſtatem pleraſque reduxit Provincias.

Idem lib. 7. c. 12.

Turrecr. l. 18. Monarc. Ind. c. 7.

Conv. S. Dominici in Hiſpaniola.

Maff. lib. 4. hiſtor. Indic.
Barroſ. dec. 2. l. 4. c. 2.
Anno 1505. n. 2.
Fr. Antonius.

II. In Orientalibus Indiis celebre fuit fratris Antonii Laurerii Luſitani nomen, de quo ſuperius ſermonem habuimus. Hoc autem anno cum Luſitani gravem recepiſſent cladem in urbe Calecuti, in qua Fernandus Cotinius ab Emanuele Rege miſſus, ut conjunctis navium quindecim, & trium millium armatorum viribus cum Albuquercio Prætore, Calecutum urbem inimicam invaderet, trucidatus occubuit; Antonius e Socotora Indiam petens, ad Surratum oræ Cambaicæ facto naufragio, cum aliquot Luſitanis ad Mamudium Regem captivus abducitur. Sua autem virtute & fidei conſtantia tantam obtinuit apud Regem gratiam, ut ſibi ſuiſque ſociis libertatem tamdem acquiſierit. Cum enim jamdiu in eo ſervitio degerent, atque ad eos eximendos accederet nemo; Laurerius omnium conſenſu delectus eſt, qui Goam de redemptione contenderet, ea lege, ut ſi nihil tranſegiſſet, intra certum diem bona fide rediret, atque ejus reverſionis quaſi obſidem & pignus ille ſacrum cingulum reliquit Regi: teſtatus profeſſionis ſuæ ritibus, atque inſtitutis, haud minimam ſanctimoniæ partem horrido in illo fune conſiſtere. Ut Goam pervenit; abſente per id tempus Prætore, nihil decidi ſuper re tanta potuit. Ita infecto negotio, protinus uti receperat, in Cambajam revertit. Quæ res tanta admiratione Regem affecit purpuratoſque, ut confeſtim ſine ullo pretio, quin etiam ornatos, lautoſque Luſitanos benigne dimiſerint: neque id modo Laurerii virtus & ſanctitas conſecuta eſt, verum etiam apud illas Nationes non parva cum utilitate egregiam probitatis exiſtimationem & famam nomini Luſitanico peperit. Sane quam egregio documento, non ſolum ad conſcientiæ fructum, & officii religionem, ſed etiam ad opes & gloriam, conſtantia promiſſorum, & fide nihil in rebus humanis eſſe præſtantius. Multis autem annis Antonius per varias Indiarum Provincias excurrit, ubique prædicans, & fidem Chriſti diſſeminans, uberrima Indorum converſione. Circa annum MDL. Gaſparem Societatis Jeſu virum inſignem ab Armuzio ad Bazainum appellentem invitavit ad ſalutandos in vicino Chriſtianos, quos ipſe per Evangelium genuerat; ubi etiam inſigne & magnificum idolorum Templum rite expiatum Chriſto dicaverat, in quo Gaſpar, obvio Chriſtianorum agmine, præcinentibus tubis, effuſa cum lætitia exceptus, rem Divinam peregit.

Laurerius apud Indos celebris.
Maff. lib. 5.

Idem lib. 15.

Gonz. in Provin. ſancti Thomæ in proœm.
Monumen. MSS. illius Provin.

Minores Albuquercio Duci fideliter aſſiſtunt.

III. Præter Antonium multi per alias inſulas & partes Indiarum diſtributi, omnem poſuerant operam fidei Chriſtianæ diſſeminandæ, barbaræque genti ab erroribus purgandæ. Et quidem cum hoc ipſo anno Alphonſus Albuquercius ſtrenuiſſimus Luſitanorum Dux, nobile illud Indiarum Orientalium emporium urbem Goanam primum in ſuam fidem ſub patrocinio Regis Emanuelis ſuſcepiſſet, & ſecundo armis recuperaſſet, Franciſcanos habuit rerum ſacrarum & animarum curatores, qui ad res fortiter pro Chriſto ge-

gerendas Luſitanos adhortabantur, & Albuquercio ſolatio erant inter tot rerum preſſuras, quibus varia rerum viciſſitudine, & fortunæ inconſtantia, per ignotas terras excurrens, affligebatur. Deſtinavit itaque eis in urbe devicta locum Cœnobio ædificando, converſo in ſacrum Templum Maurorum delubro, ædemque omnem poſtea ſuis ſumptibus juſſit Emanuel Rex fabricari ad normam inſignis Cœnobii Eborenſis Franciſcani. Lente proceſſit opus propter continuos in illa inſula bellorum motus; demum tamen ad inſignis magnificique Conventus faſtigium Regis beneficentia pervenit. Hinc tamquam ex feraciſſimo ſeminario prodierunt religioſiſſimi ſolerteſque viri, reipublicæ perquam proficui, qui ſolertem poſuerunt operam, ſive in Ducibus ad bella ſociandis, ſive in populis inſtruendis, ſive in pueris catechizandis, ſive in ſcholis aperiendis, ſive in militibus curandis, & Xenodochiis regendis, & in Sacramentis adminiſtrandis, eaque univerſa munia per annos multos vel ſoli, vel potiſſimi in illis regionibus præſtiterunt.

Conv. Goanus.

IV. Franciſcus Cardinalis Ximenius, depoſitis bellicis curis, hoc anno tribus rebus animum maxime applicuit: Complutenſem Academiam, quam ſupra omnes alias operum inſtitutorum curas tamquam dilectam filiam, adamabat, ſingulari ſtudio adaugendam & ornandam curabat: Eccleſiæ Teletanæ jura, vel a prædeceſſoribus neglecta, vel a Regibus occupata, ſive ab aliarum Eccleſiarum Prælatis haud pleno jure poſſeſſa, uti Baſtetanam Eccleſiam, favore Reginæ Iſabellæ ab Accitano Epiſcopo uſurpatam, recuperare, necnon alia eidem nobiliſſimæ Eccleſiæ aſſerere, omni conatu ſtudebat. Unde & circa defendendam urbem, & Eccleſiam Oranicam ſuis armis & pecuniis a Maurorum poteſtate ereptam, quam ille Toletano Antiſtiti perpetuo ſubjecerat, graves oportuit ſubire controverſias cum Rege, & Ludovico Guillelmo Franciſcano, Epiſcopo ante aliquot annos deſignato Aurienſi in partibus infidelium. Rex etenim ſibi ditionem omnem & poteſtatem eam in urbem vendicabat, & Ludovicus eam ipſam urbem eſſe contendebat, quæ in antiquis Cancellariæ libris Provincialibus *Aurienſis* dicebatur; ac proinde in Chriſtianorum poteſtatem redactam, ſibi tamquam proprio Epiſcopo tradi debere gubernandam. Utraque controverſia diu vehementerque agitata eſt, animo ſemper invicto ſuæ Eccleſiæ dignitatem Ximenio ſuſtinente. Tertia illi cura pietatis augendæ, cultuſque Divini multiplicandi; quamobrem Illeſcis ædem ſacrarum fœminarum, uti amplius Tomo ſequenti dicemus, Deiparæ Virgini, cui ſe tenerrime devovit, dedicari curavit, annuis proventibus abunde inſtructam. Turrilacunæ (quod illi natale ſolum fuit) aream peraccomodam & ſpatioſam ſignat ad alteram ædem Deiparæ erigendam, in qua Franciſcani Conſodales ſanctiſſimam Virginem religioſis precibus & obſequiis demerentur. Sancti Auditus delubrum (quod non longe a Turrilacuna inter rupes Buitragiorum eſt) loco certe nemorum ſolitudine, & aquarum ſcaturientium abundantia peramœno conſtitutum, ſanctiori cultu, & pinguiori proventu cohoneſtavit, aliaſque ſacras ædes ſubſequentibus annis ex integro fabricavit.

Gomez. de rebus Ximenii lib. 5.

Ximenius Card. jura Eccleſ. Toletanæ tuetur & promovet.

Sacras ædes ædificat. *Anno 1517.*

Conv. Turris Lacunæ.

V. Diximus ſuperius, Pontificem conſtituiſſe ſuum Nuntium & Commiſſarium Franciſcum Zenum Vicarium Generalem pro colligendis ſubſidiis in fabricam ſancti Petri Vaticani erogandis, eique multa atque ampliſſima tribuiſſe privilegia. Ea hoc anno multiplicavit, eamque in ejus fideli induſtria fiduciam repoſuit, ut poteſtatem fecerit revocandi omnes miniſtros, quos Petrus Cardinalis Rheginus, paulo antea defunctus, ſubſtituit pro percipienda tertia parte proventuum, qui in Regnis Hungariæ & Boemiæ ad uſum prædictæ fabricæ colligebantur, alioſque deputandi, qui in hoc opus in-

Anno 1508. n. 15.

Brevia originalia.

Franc. Zeni ampliatur poteſtas

incumbant, reliquaſque duas partes Wladiſlao Regi propter rationabiles cauſas a Pontifice conceſſas, largiantur. Valde autem virum laudat ab aſſidua & fideli opera, a zelo ſalutis animarum, & ſingulari erga ſancti Petri cultum affectu.

Pontifex tollit Cõgregationum varietates.

VI. Julius Pontifex ſummo ſtudio cupiebat, ut tot ſciſſuræ Ordinis in unum corpus coirent, variæque Congregatiunculæ in unam coaleſcerent Religionem, ac proinde ſtatuit, ut vel Conventualibus aut Obſervantibus adhærerent, ſperans inſuper has duas familias aliquando in unam abituras. Sed cum hoc anno intelligeret Conventuales variis artibus ad ſe plurimos tum ex peculiaribus Congregationibus, tum ex ipſa Obſervantum familia, abſque præſcriptis a Pontifice conditionibus allicere, repetitis litteris in ultimo Capitulo Generaliſſimo editis, ſeveriores leges addidit circa prædictorum obſervantiam. Eas hic exhibeo.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex originali.

VII. D*Ecet Romanum Pontificem, quæ ab eo, præſertim pro pace & concordia inter Religioſos quoslibet, quos convenit ab omni contentione abſtinere, conſervanda, provida deliberatione emanarunt, ſic plana ſuæ deliberationis oraculo facere, ut omnis contentionis & diſcordiæ occaſio & fomes extinguatur. Dudum edidimus litteras tenoris ſubſequentis*: Ad futuram rei memoriam: Cum multæ & graves ad Nos & Apoſtolicam Sedem &c. *ut ſupra habetur anno* MDVI. *num.* VIII. Datum apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Junii anno MDVI. Pontificatus noſtri anno III. *Cum autem, ſicut non ſine mentis noſtræ moleſtia accepimus, reperiantur nonnullæ litteræ noſtræ in ſimili forma Brevis, per quas inter alia aliquibus Fratribus dicti Ordinis, quod ſub Miniſtro eorum provinciali, eo prætextu quod Regularis Obſervantiæ eſſent, vivere poſſent, abſque eo quod Fratribus* de familia *ſeu* Obſervantia *adhærere tenerentur, neque profeſſionem ſuam per unionem cum dictis Fratribus* de familia *deberent immutare; ac etiam in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna dictis Fratribus* de familia *præcepimus & mandavimus, quatenus, ſi forte poſt præfatum Generaliſſimum Capitulum aliquem locum ſeu Conventum Fratrum Reformatorum dicti Ordinis ſub obedientia Miniſtri Generalis vivere ſolitorum, quomodocumque recepiſſent ſub illorum obedientia, illum infra quindecim dies certo modo tunc expreſſo computandos, reddere ſeu reſtituere tenerentur ad priſtinæ obedientiæ ſtatum, ac dictorum Amadeorum & Clarenorum, ſeu aliorum Reformatorum Congregationes eo prætextu, quod cum Regula beati Franciſci, juxta cujus puritatem ipſi Amadei & Clareni, & alii Reformati ſe profeſſos eſſe aſſerunt, inter alia contineatur quod Fratres dicti Ordinis Generali Miniſtro ipſius obedire teneantur, & Fratres clauſtrales ſive Conventuales latiorem modum vivendi ducant, ipſi Amadei & Clareni, ac ceteri Reformati abſque conſcientiarum ſuarum periculo & ſcandalo, de familia vel de Obſervantia, ſeu Conventualibus aut clauſtralibus Fratribus prædictis, illorumque Vicariis, Miniſtris & Cuſtodibus ſe ſubjicere, vel eis adhærere non poſſent, ex quibus litteris priores litteras noſtras dictæ diei* XVI. *menſis Junii alterantibus & immutantibus, auctore generis humani inimico, novæ & plures prioribus diſſenſiones inter Fratres dicti Ordinis inſurgunt, & talis ſciſſura in dicto Ordine proveniret, niſi deſuper ſalubriter provideretur, quod ſtatuta & ordinata in ipſo Capitulo Generaliſſimo penitus annihilarentur. Nos igitur, qui dictum Ordinem uberes in agra*

Do-

Domini fructus aſſidue producentem, in pace & ſtabili concordia cupimus conſervare, quique bene informati ſumus de illius inſtitutis, & prædictorum ac aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum privilegiis & indultis eidem Ordini conceſſis & innovatis, & quantum etiam ipſi prædeceſſores noſtri elaborarunt, ac etiam Nos elaboravimus, ut omnis fomes diviſionis & diſcordiæ ab ipſo Ordine removeretur, quo poſſent illius Fratres ab omni perturbatione ſemoti, Domino in ejus beneplacitis famulari, & pro tranquillitate militantis Eccleſiæ preces Domino effundere ac porrigere inceſſanter, prout effundunt, ita ut non dubitemus eorum Deo gratis precibus Nos & militantem Eccleſiam præſervatam, & in futurum præſervari: Cupientes ut prætextu quarumcumque litterarum, quæ adverſus ſtatuta & ordinata in prædicto Capitulo Generaliſſimo, ac in prioribus litteris noſtris contenta, quomodolibet emanarunt, ſeu emanaſſe dicuntur, quomodolibet non pervertantur, ſed illa inviolabiliter obſerventur, & ne de intentione & mente noſtra in præmiſſis hæſitari contingat, opportune providere, motu & ſcientia etiam ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſtatuta & ordinata in præfato Capitulo Generaliſſimo, ac litteras priores noſtras hujuſmodi, necnon quaſcumque adhæſiones, ſeu uniones domorum & Conventuum aliorum Fratrum dicti Ordinis, tam clauſtralibus ſive Conventualibus, quam Obſervantibus ſive de familia Fratribus vigore priorum litterarum noſtrarum prædictarum, videlicet ſub data x. Junii Pontificatus noſtri anno III. factas, ratas & gratas habentes, illaſque Apoſtolica auctoritate approbantes & confirmantes, ſupplenteſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, attendenteſque, quod noſtræ intentionis non fuit per quaſcumque alias litteras etiam cum motus proprii, & certæ ſcientiæ, ac declarationis mentis noſtræ, necnon præcepti & mandati etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ, aut quibuſcumque aliis clauſulis, etiam ipſis prioribus litteris noſtris expreſſe derogantibus, tam eiſdem Reformatis etiam ſub Bonifacii Provinciæ Franciæ, aut quorumcumque aliorum Miniſtrorum obedientia, aut Regulari Obſervantia viventibus, aut ipſis Amadeis, aut de Clareno, ſeu de Coletanis, aut etiam de Caputio, vel de ſancto Evangelio, tam in forma Brevis, quam ſub quacumque alia forma, quomodolibet conceſſas, & etiam in poſterum concedendas derogare prioribus noſtris litteris; ſed ejuſdem noſtræ incommutabilis intentionis extitiſſe & eſſe, quod ipſæ priores noſtræ litteræ, & in illis contenta quæcumque, ac in ipſo Capitulo Generaliſſimo ſtatuta, decreta & ordinata juxta illorum tenorem & approbationem noſtram deſuper factam, & inde ſecuta quæcumque inviolabiliter perpetuo obſerventur: Ita ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus in ipſo Ordine Fratrum Minorum duæ dumtaxat denominationes exiſtant, videlicet Clauſtralium *ſive* Conventualium, *aut* de familia *ſeu* Obſervantia *nuncupatorum, & quod omnes & ſinguli Fratres dicti Ordinis Minorum intra quinque menſes a data præſentium computandos, qui hactenus obedientiam non elegerunt, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ pœnis teneantur juxta tenorem priorum noſtrarum litterarum, Clauſtralibus ſeu Conventualibus, aut de familia ſeu Obſervantia Fratribus nuncupatis adhærere, & ſe illis unire, ut præfertur, manſuri ſub Generali Miniſtro, aut Vicariis antedictis ſine ullo medio aut ſuperiore: quaſcumque lites poſt dictum Capitulum Generaliſſimum deſuper exortas, & coram quibuſcumque judicibus ordinariis vel delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & dicti Ordinis Protectore, etiam per viam appellationis pendentes, ad Nos advocantes, penitus extinguimus, ac proceſſus & ſententias contra tenorem litterarum*

noſtrarum priorum, & contra ſtatuta dicti Capitali Generaliſſimi hujuſmodi facta, & inde ſecuta quæcumque revocamus, coſſamus & annullamas, ac deſuper illis lites hujuſmodi proſequentibus ſeu intereſſe habentibas perpetuum ſilentium imponimas: & nihilominus Venerabilibus Fratribas noſtris aniverſis Archiepiſcopis, ac Eccleſiarum Prælatis, ac in dignitate Eccleſiaſticu conſtitutis perſonis per Apoſtolica ſcripta mandamas, quatenas ipſi, & eorum ſinguli præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Generalis, & Vicarioram, ac Miniſtrorum provincialium, ſeu alicujas eorum ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos præmiſſis omnibas & ſingulis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite moleſtari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus fæl. memor. Boniſacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, qua cavetur ne aliquis extra ſuam Civitatem & diœceſim, niſi in certis & exceptis caſibus, & illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis, ad judiciam evocetur, ſeu ne Judices a Sede prædicta deputati, extra Civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis ſuas vices committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, ac quibuſvis aliis litteris tam in forma Brevis, quam etiam ſub plumbo, quæ a nobis etiam motu, ſcientia & poteſtate ſimilibus, etiam prætextu obſervationis Regularis Obſervantiæ, aut ad extinguendas lites forſan exortas, aut alias qualitercumque & quomodocumque, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis priorum litterarum noſtrarum, & in dicto Capitulo Generaliſſimo ſtatutorum & ordinatorum, aliiſque efficacioribus & urgentioribus & inſolitis clauſulis emanoſſe reperiuntur: Quas, illarum tenores & clauſulas, propter quas emanarunt, ſea emanaſſe dicuntur vel reperiuntur, ac ſi de verbo od verbum inſertæ forent præſentibus, pro expreſſis haberi volentes, penitas & omnino revocamus, & nullibi in judicio vel extra adverſus ſtatuta Capituli Generaliſſimi, & priorum ac præſentium litterarum tenorem cuipiam ſuffragari poſſe vel debere decernimus & declaramus: ſicque in quibuſvis cauſis motis, & etiam per appellationem coram quibuſvis, ut præfertur, pendentibus ac movendis judicari volumus ac mandamas: ſublata aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate: necnon omnibas illis, quæ in prioribus litteris noſtris prædictis volumus non obſtare, contrariis quibuſcumque: ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultam, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judiciam evocari non poſſint per litteras Apaſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujaſmodi mentionem. Volumus tamen quod ſinguli Fratres prædicti Ordinis, etiam de Amadeorum & Clarenoram, ac de Coletanis, & de ſancto Evangelio, ſeu alio quocumque nomine nuncupati, & ſub quacumque obedientia exiſtentes, propterea ab eorum domibus & Conventibus non recedant; ſed in eorum domibus & Conventibus ſub hujuſmodi unione & adhæſione, ac ſecundum eorum reformatum modum vivendi, ſub ſuorum Guardianoram obedientia reſideant, donec aliter per Generalem & provinciales Miniſtros, ſeu etiam Generalem & provinciales Vicarios eorum quibus reſpective adhæſerint, & per eorum ſuperiores de eis ordinatum fuerit. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras ad quælibet loca ubi fuerit opus, deferre, volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod tranſum-

ſum-

ſumpto præſentium litterarum , monu alicujus Notarii publici ſubſcripto , & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici , ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munito eadem fides in judicio , & alibi ubilibet fuerit exhibitum vel oſtenſum , adhibeatur , & illi ſtetur in omnibus & per omnia , perinde ac ſi ipſæ litteræ originales eſſent exhibitæ vel oſtenſæ . Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris , die XVIII. *Februarii* MDX. *Pontificatus noſtri anno* VII.

VIII. Cum vero male haberet multos Miniſtros , præſertim Bonifacium de Ceva , provinciæ Franciæ Miniſtrum , quod illæ Congregationes Amadeorum , Clarenorum , Coletanorum , aliæque magis adhærerent familiæ Obſervantum , quam ſuo Inſtituto Conventualium , inito cum Miniſtro Generali conſilio , impetrarunt litteras Pontificias , quibus multa in favorem Conventualium , & præjudicium Obſervantum continebantur . Conſtitutiones omnes antiquas ad novam formam ſuo potiſſimum Inſtituto accomodam reduxerunt , quam Cardinalis Protectoris approbatione reddiderunt magis honorificam . Litteras autem Pontificias , & Conſtitutiones ex Protectoris præcepto ubique per omnes Fratres obſervandas , primo promulgarunt in Germania , procul ab Urbe , ut tardius , quæ facta erant , audirentur , & difficilius adhiberetur remedium , interim vero per aliquas provincias , & Obſervantum Vicarios admitterentur . Ubi autem cœperunt promulgari , Obſervantes ſibi caventes , monuerunt Vicarium Generalem , qui ſtatim rem detulit ad Pontificem . Hic porro valde commotus eſt , dicens Miniſtrum Generalem ſibi impoſuiſſe , & diploma , de quo agebatur , non tam impetraſſe , quam extorſiſſe . Ut efficacius adhiberet remedium , & Fratres perſpicerent , quantum iſta ei diſplicuerint , voluit Raynaldum Miniſtrum ab officio removeri , aliumque ſubſtitui in Comitiis Generalibus Romæ celebratis ad ſanctos Apoſtolos .

Pontifici doloſe quidam imponunt . *Marc. lib.8. cap. 34. Cimarel. lib.8. c. 5.*

IX. Hoc itaque anno , non præterito (uti ſcribit Rodulphus , etſi alio loco huic poſteriori adhæreat ſententiæ) habita ſunt Comitia , electuſque eſt in Miniſtrum Generalem Philippus Porcatius Bagnacavallenſis , Ægydii Delphini , uti diximus , ſocius , Stephani Bruliferi auditor , Philoſophus & Theologus eximius , qui multis annis ſummo cum honore Pariſiis docuit , & per omnes Religionis gradus ad Generalatum pervenit . Per præcipuæ Italiæ urbes cum laude prædicavit , Venetiis & Bononiæ cathedras rexit intra Ordinis clauſtra ; ſed & in publica Bononienſi Academia ſtipendio pontificio Metaphyſicam & Theologiam profeſſus eſt , & bis Bononienſem provinciam gubernavit . At brevi commiſſum hoc ei Generalatus officium , & vitam abſoluit , decedens , uti dicemus , anno ſequenti .

Rodul. fol.244. Idem fol. 195. Capitulum Generale 100. Romæ . *Ann.1506. n.4.* Miniſter Generalis Philip. Porcatius .

X. Ne autem omnino inglorius remaneret Raynaldus , eum creavit Pontifex Archiepiſcopum Raguſinum , uti ſuperius diximus ; ſed litteras , quas in præjudicium Obſervantum procuraverat , Pontifex indignabundus revocavit , dato hoc diplomate Bononiæ , ubi , ejectis Bentivoliis , aſſerta Sedi Apoſtolicæ Civitate , bello adverſus Gallos totus intentus hærebat .

Frat. Raynaldus Arch. Raguſinus. *Ann.1506. n.5.*

Dilectis filiis Ciſmontano & Ultramontano Vicariis Generalibus Fratrum Minorum de Obſervantia .

XI. *ETſi noſtræ immutabilis intentionis fuerit & ſit , quod litteræ noſtræ in forma Brevis ſuper Generaliſſimo Capitulo in alma Urbe juſſu noſtro celebrato editæ , & in illis contenta quæcumque , necnon in ipſo Capitulo ſtatuta , decreta & ordinata , juxta illorum tenorem , & approbationem noſtram deſuper factam , & inde ſequuta quæcumque inviolabiliter* per-

Breve origin.

perpetuo obſervarentur & obſerventur; ita ut ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus in ipſo Ordine Fratrum Minorum, tam Clauſtralium ſive Conventualium, quam de Familia ſeu Obſervantia nuncupatarum, cujuſcumque contentionis & diſcordiæ occaſio & fomes tolleretur, & omnimodæ ac perfectæ pacis, & unitatis nutrimentum foveretur, omnes & ſingulas lites, controverſias & cauſas inter prædictos Fratres ſuper Conventibus ſive locis Monaſteriiſque Monialium, & Congregationum pœnitentam, ubique conſiſtentium, etiam coram qaibuſcumqae Judicibus, ac in quacumque inſtantia pendentes ad nos advocantes, penitus extinxerimus, perpetuum ſilentium etiam dictas cauſas proſequentibus imponentes, & omnia & ſingula privilegia & indulta per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, præſertim per Conſtitutiones fel. rec. Eugenii IV. Pauli II. & Sixti IV. noſtri ſecundum carnem patrui, Generalibus & provincialibus Vicariis antedictæ familiæ de Obſervantia, & eiſdem Fratribus conceſſa in ſuo robore permanere declarantes, per eaſdem noſtras litteras, & in forma Brevis, confirmaverimus: nihilominus præter ſpem intentionemqne noſtram accidit, ſicut nuper, & non ſine mentis noſtræ moleſtia accepimus, quod per dilectum filium Raynaldum Gratianum de Cotignola, dicti Ordinis Fratrem Minorum tunc Generalem, & Bonifacium de Ceva provinciæ Franciæ Miniſtros, vigore cujuſdam ſupplicationis per eumdem Generalem Miniſtrum a nobis potius extortæ, quam impetratæ, ſtatuta & ordinata multa fuerunt, quæ decretis, ordinationibus, reformationibus, & ſtatutis in antedicto Capitulo Generaliſſimo etiam per litteras noſtras in forma Brevis confirmatis, & privilegiis ac gratiis per præfatos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros prædictis Generalibus, & provincialibus Vicariis, & Fratribus antedictæ familiæ de Obſervantia conceſſis, a nobis per litteras noſtras etiam in forma Brevis, ut præmittitur, confirmatis repugnant & contrariantur, & ad conturbationem antedictæ familiæ, quæ uberes fructus in Eccleſia Dei vitæ merito pariter & exemplo, atque eruditionis verbo protulit ſemper & profert, cedere videntur & cedunt. Nos igitur, qui Capitulum ipſum Generaliſſimum idcirco fecimus celebrari, ut perpetuæ pacis vinculum in eodem Ordine, ut præfertur, ſervaretur: quique ea, quæ in dicto Capitulo, præſidentibus duobus ex S.R.E. Cardinalibus, acta, ſtatuta & ordinata fuerunt, obſervanda, necnon omnia & ſingula per Romanos Pontifices prædeceſſores antedictæ familiæ conceſſa, ac etiam per Nos confirmata, in ſuo vigore & robore permanſura, & in nullo violanda ſemper duximus; tenore præſentium, univerſa & ſingula per Miniſtros prædictos etiam auctoritate Ven. Fr. N. Dominici Epiſcopi Tuſculani, Patriarchæ Aquilejenſis, ejuſdem Ordinis Protectoris, vigore ſupplicationis prædictæ acta & ordinata, quibus ordinationibus & ſtatutis dicti Capituli Generaliſſimi, & privilegiis ac gratiis antedictis quomodolibet derogatum eſſet, aut in præſens derogaretur, revocamus, nulliuſque roboris & momenti, utpote contra mentem intentionemque noſtram facta & ordinata, eſſe decernimus. Librum quoque, in quo reformationes per dictos Miniſtros, ſeu alias quaſcumque perſonas nobis inferiores factæ, deſcriptæ & promulgatæ fuerunt, & omnes lites & contentiones hactenus exortas extinguimus penitus & abolemus. Inſuper univerſa & ſingula privilegia & indulta præmiſſa eidem familiæ de Obſervantia conceſſa in ſuo robore permanere, nec eiſdem in minimo de mente noſtra unquam derogatum fuiſſe declaramus; quin potius illa omnia & ſingula, ut præfertur, confirmamus, & præſentibus confirmata eſſe volumus & mandamus; non obſtantibus præmiſſis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Ceterum, quia difficile foret has litteras

teras ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet, deferri, volumus, ut earum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & alicujus prælati unius vel alterius veſtrum ſigillo munitis, ea prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris, die XXII. *Novembris* MDX. *Pontificatus noſtri anno* VII.

XII. Duo viri pietate inſignes hoc anno deceſſerunt, Stephanus a Caſtello Laicus, miraculis in vita & poſt mortem clarus, quem diximus ſepultum eſſe in Conventu Campaniani, decimo ſexto ab urbe milliario, ibique in veneratione haberi; & Bartholomæus ab Anglario, virtutum perfectione, & vitæ ſanctitate præditus. Paupertatem evangelicam, illibatam caſtitatem in ſumma humilitate ſervavit, nullumque voluit in Religione admittere officium præter unum tironum magiſterium. In perpetua patientia omnes ſuſtinuit labores & adverſitates, neque in moleſta plurium annorum febri hectica aliquando conqueſtus eſt. Jejunia & diſciplinæ monaſticæ ſui Ordinis rigorem perfecte coluit, correctionis fraternæ ordinem perfecte ſervavit, monens, & aliquando corripiens aberrantes, ita ut nemo auderet in conſpectu illius minus religioſe loqui, aut vanos ſeculi mores referre. In oratione ferventiſſimus multa impetravit a Deo beneficia. Ad montem Alvernæ aliquando commoratus, ſolebat prodire ad ſacellum ſancti Joannis a Cœnobio ſemotum; ſed cum nocte quadam denſiſſimis tenebris circumſeptus proficiſci non poſſet, a duobus Angelis illuc eſt manu ductus. Obiit demum bonis operibus plenus, Deo & hominibus gratus in Cœnobio Empolitano, concurrente ad ejus funus ingenti hominum multitudine.

Moritur Stephanus a Caſtello. *Tom. 5. an. 1291. n. 56. Marc. l. 8. c. 33. Gonza. in Prov. Tuſc. Conv. 23.* Et Barthol. ab Anglario. *Gravina in voce Turt. par. 2. cap. 24.*

XIII. Circa hunc annum obierunt in Cœnobio Inſulæ, ſub Monte regali, in Mandubiis agris, & territorio Lingonienſi, Claudius Reignatus Gallus, ſui ſtatus & obſervantiæ Regularis zelantiſſimus, ſalutis animarum per quam ſitibundus. In Apulia ad Teſſam in valle Aſpera, Epiphanius Teutonicus laicus, qui deſiderio novæ reformationis, & ſtrictioris vitæ ad Provinciam S. Angeli convolavit. Contemplationi vacandæ, frequentique, quam patiebatur extaſi occultandæ, propinquæ ſilvæ intimos petens receſſus, ibi tuguriolum conſtruxit, & orationibus ac jejuniis vacavit. Plenus meritis defunctus, trigeſimo poſt tranſitum anno incorruptus apparuit, & proinde ex communi Fratrum ſarcophago ad decentiorem locum translatus eſt. Ad ipſius baculi contactum dæmones a corporibus obſeſſorum abiguntur, variæque pelluntur infirmitates. Camplis in Aprutio, Baptiſta Florentinus erga myſterium Incarnationis devotiſſimus, in ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio & oratione ferventiſſimus, in extaſim ſæpe actus, & a terra ſublevatus. In urbe Theatina Baptiſta alter a Caniano, qui cum nobilis eſſet & dives, habitum ſuſcepit in Conventu Aquilano, ubi magna enituit ſanctitate. Corpus variis pœnitentiis macerabat, cilicio premebat, & jejunio affligebat. Prædicto Fratribus ſui obitus die, pie deceſſit in Cœnobio Theatino. In Conventu Arcuenſi, diœceſis Hiſpalenſis, Antonius a Zamora, pietate vitæque candore ſpectabilis. In Cœnobio Saliceti Provinciæ Caſtellæ, Petrus a Gamarra, de quo ſuo loco diximus. In Conventu Maſſacii Provinciæ Marchiæ Petrus Neapolitanus, qui cum adoleſcens eſſet pulcher aſpectu, Deum obnixe rogavit, ut pulchritudinem, propter quam moleſtas patiebatur tentationes, deturparet. Exauditus eſt, fœdo enim ulcere facies obducta eſt, & naſus corroſus. Virtutibus & miraculis clarus deceſſit. In Cœnobio ſancti Bernardini urbis ſancti Angeli, Seraphinus Theatinus, egregius ſui temporis Eccleſiaſtes, qui licet litteras non adeo eminenter cal-

Foder. in Prov. S. Ben. in Conv. Inſulæ. Ac Claudius Reignatus. *Gonz. in Prov. S. Angeli Con. 4. Marc. citat.* Item Epiphanius Teutonicus. Baptiſta Florentinus. *Bzovius de Sign. Eccl. tom. 2. l. 12. c. 21. Marc. cit. c. 36.* Baptiſta a Caniano. Anton. a Zamorra. Petrus a Gamarra. *Tom. 8. an. 1596. n. 21.* Petrus Neapolitanus. *Marc. cit. c. 44.* Seraphin. Teatinus.

calleret, omnes tamen in ſui admirationem rapiebat, tanta erat Spiritus ſancti gratia, Divinorumque arcanorum notitia perfuſus.

Gonz. in Provin. Burg. Mon. 1. Floret Eliſab. a Turre.

XIV. Floruit etiam hoc tempore Burgis in Hiſpania Eliſabeth a Turre Clariſſa, quæ humilitatem, paupertatem, caritatem, ceteraſque virtutes diligenter ſectata, cum die quodam Dominico circa Conſodalem infirmam anxius occupata, neque ad Pœnitentiæ aut Euchariſtiæ ſacramenta accedere, neque Miſſam audire potuiſſet, & veniam, quod commiſiſſe putabat, errati coram ſanctiſſimo Sacramento deprecaretur, aſtitit ex inſperato Minorita, qui utrumque miniſtravit Sacramentum, & rem ſacram peregit. Diem ſui obitus, Deo revelante, præcognovit, pieque defuncta, ſepulta eſt in choro, ſive odæo celebris Monaſterii Burgenſis honeſto ſepulcro, uti alias nos indicavimus.

Tom. 1. an. 1218. n. 13.

Hoc anno n. 10.

Fr. Mauric. Arch. Tuamen.

XV. Præter Ludovicum Guillelmi Epiſcopum Aurienſem & Raynaldum Gratianum Archiepiſcopum Raguſinum jam ſupra a nobis indicatos, alius fuit vir celeberrimus ante hunc annum ad Archiepiſcopatum Tuamenſem in Hibernia promotus. Is fuit Mauritius a Portu, cognomine Fildæus, ſive O Fithealaigh vir doctiſſimus, a quibuſdam *Flos mundi* nuncupatus, qui Patavii per annos multos Philoſophiam & Theologiam profeſſus eſt. Et quidem in libris conſiſtorialibus dicitur ad hanc Eccleſiam aſſumptus anno MDVI. die XXVI. Junii, per obitum Philippi etiam Minoritæ, de quo ſuperius locuti ſumus. Mauritius anno MDXII. interfuit primis duabus ſeſſionibus Concilii Lateranenſis, in quibus ejus nomen ſubſcriptum eſt. Deinde anno ſequenti in patriam profectus, cum primam Miſſam Pontificiam celebrare penſitaret, omnibuſque, qui intereſſent ampliſſimas indulgentias a Pontifice conceſſas elargiri; obiit Galviæ, VIII. Kalendas Junii an. MDXIII. non vero, ut aliquibus placet, anno MDXIV. etenim in libro conſiſtoriali video die XIX. Junii MDXIV. per obitum Mauritii promotum Thomam O Mullaly; quod non poterat eſſe, ſi Mauritius ſub finem Maii mortuus eſſet in Hibernia. Joannes Camers, qui Solinum ſuis commentariis illuſtravit, fuit Mauritio valde familiaris, & illuſtre de illo hoc exhibuit teſtimonium: *Annis*, inquit, *ab his proximis excelluit ex Hibernia oriundus Mauritius a Portu, D. Franciſci Ordinis profeſſus, in Dialecticis, utraque Philoſophia, Metaphyſicis, ac ſacra Theologia plurimum eruditus. Vix inſuper dici poteſt, qua humanitate, quave morum ſanctimonia præditus fuerit. Is, cum annis plurimis in Patavino Gymnaſio bonas artes docuiſſet, cum ſumma omnium gratia, ob ejus ſingularem eruditionem, ac candidiſſimos mores, a Julio II. Pontifice Maximo in Tuamenſem Archiepiſcopum creatus eſt: quo cum relicta Italia, bellis in ea ſævientibus, proficiſceretur, non multum poſt, magna ſtudiorum jactura, cum nondum L. ætatis ſuæ attigiſſet annum, mortem obiit. Erant plurima ſuæ doctrinæ in manibus monumenta, ſed ea ob immaturam ejus mortem edere non licuit. Quantum fuerit inter eum, dum viveret, & me neceſſitudinis vinculum, teſtantur ſexcentæ epiſtolæ, quas plenas caritatis indiciis, variis temporibus ad me dedit. Eis (quanta veræ amicitiæ vis) poſt amici obitum relegens, ſoleo aſſidue recreari.*

An. 1503. n. 25.

Laudatur.

Multa ſcripſit quæ in noſtro de Scriptoribus Ordinis Minorum catalogo recenſemus. Paulus de Pantanis, ſacræ Theologiæ profeſſor, hoc anno recipit a Pontifice Prioratum ſancti Donici, Ripariæ Salodii ad Tuſculanum nuncupatum, Ordinis Canonicorum ſancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis.

Frater Paulus de Pantanis Prior S. Donici.

Gonz. in Provin. Terra lab. Conv. 22. Conv. Summæ.

XVI. In Campania felici, ad radices montis Veſuvii in planitie, aliquanto procul a Summa oppido, Nolanæ diœceſis, erat ſacellum ſanctæ Luciæ, quod ingreſſa ſus, rictu ſeu roſtro effodiens, tabulam quamdam lapideam

deam confregit, ſubtus quam apparuit ſacellum & Altaria duo B. Virginis Mariæ, ex quibus locus ille dici cœpit Eccleſia ſanctæ Mariæ de Puteo. Prope hanc ſtatuit Joanna Regina, relicta olim Ferdinandi Siciliæ Regis, quæ tunc in illo oppido hærebat, Cœnobium conſtruere Fratrum Obſervantum, & Eccleſiam terramque adjacentem ad menſam Epiſcopalem ſpectantes, ab Epiſcopo Nolano, nuncupato Joanne Franciſco, aliorum bonorum compenſatione redemit. Obtenta itaque hoc anno a Julio Pontifice permutationis confirmatione, & fabricandi facultate, commodum & pulchrum quidem ædificavit Fratrum ferme triginta habitaculum. Vidi ipſe locum amœnum valde & ſalubrem, & ſubterraneam luſtravi Eccleſiam piam valde & devotam, in qua tria nunc conſpiciuntur Altaria, unum ſanctæ Mariæ Gratiarum, ſecundum ſanctæ Mariæ Coronæ, tertium ad modum parvi ſacelli, & reliquis demiſſius ſanctæ Mariæ Putei. Ante Altare beatæ Mariæ de Corona jacet in ſepulcro marmoreo nobilis vir Paulus de Capograſſo, anno MCCCCLXXXI. defunctus; prope quem ſepultus eſt Joſephus Capograſſus nobilis Salernitanus, & Patritius Romanus. Eccleſia ſuperior, quæ Fratrum uſibus inſervit, conſecrata eſt anno MDLXXV. die XV. Martii ab Aurelio Girano Epiſcopo Minorita. Hic incumbunt Fratres juniores ſtudio Philoſophiæ. *Reg. lib. 188. fol. 354.*

XVII. Joannes de Liganna, oratione facta ad imaginem beatæ Virginis in oppido *della Motta*, Cenetenſis diœceſis, monituſque a beata Virgine ſibi apparente, illic augendum ſuum cultum, conſtruendumque prope illum locum Cœnobium Obſervantum, magiſque adhuc commotus ex uno vel altero miraculo, tunc ibidem patrato, bonam contulit pecuniæ ſummam Syndico & Univerſitati, ut opus inchoaretur, ſub titulo *ſanctæ Mariæ de Miraculis*. Incepta fabrica, rogarunt Julium, ut proſequendi tribueret facultatem, allegantes quamplura ad prædictam imaginem fieri miracula, & impetrarunt: *Sinceræ devotionis*. XVII. Kalendas Septembris. *Idem in Prov. S. Anton. Conv 31. Conv. Mottæ.*

XVIII. Univerſitas Montis Ulmi, Firmanæ diœceſis oppidi, ex publicis privatiſque facultatibus, & piorum eleemoſynis Fratrum induſtria collectis, hoc anno Obſervantum condiderunt domicilium, ſub invocatione Dominæ noſtræ de Monte L. P. ab oppido in jugulo cujuſdam collis nemoroſi & amœni. In Liguria prope pagum Septebrii, etiam ſub invocatione beatæ Mariæ, alius extructus eſt Conventus ex facultatibus in hunc finem traditis ab adoleſcentibus duobus Joanne de Graſſis & Bonagratia de Torniellis, qui Minorum ſubierunt Inſtitutum. Tertium poſuit templum prope oppidum Campibaſſi, ſub titulo beatæ Mariæ de Gratiis, adjuncto Obſervantum habitaculo, circa hunc annum Andreas a Capua, Termolitanorum Dux, & Melfictenſium Princeps. Locus eſt ſaluberrimus, & proinde curandis infirmis deſtinatus. Jacent hic Silveſter Guidonius vir ſanctiſſimus, innumeris clarus miraculis, Ambroſius a Civitella, egregius ſui temporis Eccleſiaſtes, ſuæ profeſſionis zelotes, & prophetico ſpiritu afflatus, qui Vaſtianis ſuæ urbis excidium atque direptionem, quam a Turcica claſſe die beatæ Mariæ Magdalenæ anno MDLIV. paſſa eſt, ſæpius e ſuggeſtu prædixit, ſuique obitus diem bene valens prænunciavit. Gratianus a Caſtanetolo, Innocentius Taurinus, & Raphael inſuper Taurinus, ſingulari doctrina, vitæ ſanctitate, & gubernandi dexteritate, qua Provinciam ſancti Angeli plurimis annis rexerunt, inſigniti. Paulus de Petra Roja laicus, vitæ integritate & morum gravitate ornatiſſimus. *Idem in Provin. Marchiæ Con. 17. Conv. Montis-Ulmi. Idem in Provin. Genuæ Conv. 44. Conv. Septebrii. Idem in Provin. S. Angeli Con. 16. Conv. Campibaſſi.* Silveſter Guidonius. Ambroſius a Civitella. Gratianus a Caſtanetolo. Innocent. & Raphael Taurini. Paulus de Petra Roja.

XIX. Manfredus Carophilus Triventinus Epiſcopus, circa hunc annum facultatem conceſſit incolis oppidi Sangrenſis, ut Xenodochium, ultra Sangrum *Ind. Conv. 12. Conv. Sangrenſis.*

grum fluvium non longe ab oppido poſitum in Cœnobium commutarent Obſervantum, ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Hic ſepulti ſunt pius adoleſcens, Franciſcus a Ripa clericus, in cujus obitu Angeli apparuerunt in cœleſtia tabernacula illius animam deducentes, quorum fulgore mirum in modum cellula reſplenduit, & Petrus de Ferrazano laicus, qui ob inclytas virtutes meruit Chriſti Domini audire colloquium.

Franciſcus a Ripa.

Petrus de Ferrazano.

Indid. Conv. 23. Conv. Curi.

XX. Fridericus Pannonus vir nobilis & pius, non longe a Caſtro Curi oppido in Apulia Daunia, pulchrum & amplum ſtatuit Obſervantibus ædificare Cœnobium, ſub nomine ſanctæ Mariæ a Laureto. Sed jactis latiſſimis fundamentis, ex hac vita deceſſit, qua de cauſa reliqua pars operis primæ non reſpondet, quippe ab ipſis Fratribus pauperibus, & humilium domorum amatoribus extructa. In eadem regione Piccolomineus Aragonius Illicitorum Marchio, hoc anno eiſdem Obſervantibus Conventum ædificavit ſancto Antonio Patavino ſacrum, prope oppidum Illicitanum. In ejuſdem Provinciæ parte illa, quæ Capitaniata dicitur, inſigne & opulentum eſt oppidum Foggiæ, a fovearum multitudine, frumento reponendo ita nuncupatæ, prope quod Univerſitas Oppidanorum hoc anno conſtruxit ejuſdem Inſtituti viris Cœnobium dictum a ſancta Maria de Jeſu, cujus incolis neceſſaria quæque abunde ſuppeditat. Eo anno, quo Fratres Conventum ingreſſi ſunt, unus ex eis, cujus nomen excidit, ex humanis abiit, tantæ dum viveret virtutis, ut infirmos Crucis ſigno curaret, atque ab obſeſſis dæmones expelleret. Ita de his quatuor poſterioribus Conventibus ſcribit Franciſcus Gunzaga, quos ad hoc tempus reducit: Sed certior notitia petenda eſt ex Bulla Leonis X. quam poſt ſcriptam hanc qualemcumque notitiam nacti ſumus, & in Regeſto Tomi ſequentis ad annum MDXXI. exſcribemus.

Indid. Conv. 27. Conv. Illiciti.

Indid. Conv. 28. Conv. Foggiæ.

Num. 12. Idem in Provin. Tuſcia Conv. 11. Conv. Empoli.

XXI. Diximus hoc anno deceſſiſſe in Cœnobio Empolitano in Etruria, Bartholomæum ab Anglario, quod nobis memoriam excitavit elapſæ huc uſque hujus Cœnobii mentionis. Sumpſit autem exordium a Vincentio Gallo, aliiſque Fratribus Obſervantibus, qui a Sixto IV. primum, deinde ab Alexandro VI. impetrarunt, ut ex ruinis & cæmentis Eccleſiarum fero bello deſtructarum, ſibi liceret Cœnobium conſtruere. Id breviter præſtiterunt ſub titulo Aſſumptionis beatæ Mariæ, licet aliqui dicant domum ædificatam fuiſſe expenſis quorumdam nobilium Florentinorum ex Familia Adimara. Probabilius tamen eſt eos ſuis eleemoſynis opus potius promoviſſe, quam compleviſſe. „ Ad hunc Annaliſtæ corrigendum errorem, non in„congruum reputavimus ex Gonzaga ſub annum MCCCCLXXXII. num 68. „ hujus Cœnobii originem dumtaxat indicare, ad hunc locum de cetero „ benignum advocantes Lectorem.

ADDITIO ALIORUM. *Tom. 14. hujus novæ editionis.*

Idem in Provin. Corſica Conv. 26. & 27. Conv. Baſtidæ. Conv. Cacciæ.

XXII. In Inſula Corſicana duo hoc anno erecti ſunt Conventus: primus prope oppidum Baſtidæ, communibus populi facultatibus; ſecundus in meditullio regionis, quæ *Caccia* nuncupatur, quam varii populi circumdant qui ad conſtructionem domus ſuas ſinguli opes contulerunt. Utraque domus titularem habet ſanctum Franciſcum.

Idem in Provin. Caſtella Conv. 29. Salaz. lib. 4. cap. 16. Conv. Turris Lacunæ. *Gomez. lib. 5. de geſt. Ximenii.*

XXIII. Franciſcus Cardinalis Ximenius prope ſuam patriam Turris lacunæ, Cœnobium (uti jam indicavimus) ſuorum Conſodalium extruxit, magnificum quidem, & undequaque commodum, perfectum, rebuſque omnibus neceſſariis abundanter inſtructum, quadraginta Fratrum capaciſſimum. Sive cæmentariorum, ſive Campegi architecti culpa, primam dirui oportuit Eccleſiam; ſed ſecundam magnis impenſis continuo fabricari curavit Ximenius firmiorem & pulchriorem, egregiis ſacellis & picturis ornatam. Veſtes addidit pretioſas, quibus Sacerdotes in ſacris uterentur, &

ſtra-

ſtragula, tapetiaque Altaribus & pavimentis exornandis ex auro, ſerico & lana nobiliſſime confecta; vaſa aurea & argentea, quæ Divinum cultum, & Templi decebant amplitudinem, necnon ad Cœnobii miniſteria, ænea & figulina, Talabrica advecta, quæ mirabili tectorio obducta, & variis picturis decorata, æneis non cedunt, dedit permulta. Chorum libris ritualibus pulchro ſcriptis charactere, bibliothecam omnium facultatum codicibus præcipuis, officinas omnes ſuppellectile inſtruxit neceſſaria. Aquam longo tractu, ſciſſis rupibus, excavatis montibus, validis aquæductus fornicibus conſtructis, decies centenis millibus nummum expenſis, per fiſtulas & ſyphones derivavit, perque officinas neceſſarias diſtribuit: ita ut nihil deeſſe voluerit, quod ad commodum & religioſum ſpectare poſſit Cœnobium. Educandæ itaque juventuti in præceptis philoſophicis illud addicarunt Patres Provinciæ Caſtellæ, in quo ſe per annos quatuor ſtuduiſſe gloriatur Franciſcus Gonzaga, olim Miniſter Generalis, Epiſcopus Mantuanus, præceptore Didaco a Zuñica viro nobili, Joannis a Zuñica Philippi II. inſtructoris filio, multis dotibus, humilitate præſertim ornatiſſimo, qui illic immature deceſſit, ſed Fratrum germanorum cura, obtentaque facultate Pii V. translatus eſt Barcinonem ad paternum ſepulcrum.

Fr. Didacus a Zunica.

Obiit hoc in loco Franciſcus Ortiſius, vir optimus & pius, concionatorum ſui temporis facile princeps, unde & *Prædicatorum Monarcha* appellabatur. Per annos tredecim domi ſemper hæſit, meditationi, & lectioni ſacrorum codicum intentus, ſecularium converſationem mirum in modum abhorrens. Poſt matutinas preces, orationem uſque ad auroram in lacrymis & gemitibus protrahebat, petens ſpiritum ſibi infundi vehementem, & Divini amoris ignem pro converſione peccatorum. Conceſſit Ximenius hujus Cœnobii Fratribus Eremitorium devotum, *a Capite* nuncupatum, in quo poſſent aliquot conſtituere Tertiarios vitæ ſolitariæ ſectatores, quibus unus ex Sacerdotibus hujus Cœnobii ſingulis diebus feſtivis ſacrum peragit Miſſæ ſacrificium. In ſignum & memoriam grati animi erga tot beneficia a Cardinale recepta, ſacellum præcipuum Eccleſiæ Fratres elargiti ſunt Franciſco de Ciſneros, Cardinalis nepoti, ut ſibi ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuam ſerviat ſepulturam.

Fr. Franciſcus Ortiſius.

XXIV. Totidem etiam Fratribus alendis, & eidem miniſterio Philoſophiæ addiſcendæ per quam opportunum, uti præcedens, Cœnobium aliud extruxit hoc anno, ſancto Antonio Patavino ſacrum, ad P. M. a Civitate Arcuenſi in Bætica, Hiſpalen. diœceſis, Beatrix Pacheco Roderici Pontii Gadium Marchionis olim conjux, omnibuſque rebus neceſſariis provide inſtruxit.

Conv. Arcuenſis. *Genz. in Provin. Bætica Conv.* 17.

Diem hic clauſit extremum pius Pater Antonius Zamorenſis, cujus virtutem, religionem, & vitæ candorem venerantur Arcuenſes: qui tanti viri ſanctitate allecti, celebre ſacellum pro celebrandis officiis Divinis, ſacriſque faciendis in fidelium animarum, quibus ille addictiſſimus fuit, refrigerium, ex communibus facultatibus conſtruxerunt, ibique illius corpus tumulari curarunt, ipſum tamquam Sanctum paſſim in ſuis afflictionibus & neceſſitatibus invocantes.

Fr. Antonius Zamoren.

XXV. Magnus ille vir, *Magni* etiam *Ducis* cognomen ſortitus, Gonſalvus Fernandez a Corduba, hoc anno longe ab oppido Petrochio (Hiſpanice Pedroche) Eccleſiam ſub invocatione S. Mariæ de Succurſu conſtruxit, ea lata lege, ut in præcipuo ſive majori ſacello nullus præter Minoritas, aut nobilem quemcumque virum, qui ſe ſuoſque poſteros ad reparationem ſive reædificationem Templi, ſi opus eſſet, perpetua obligatione devinciret, humari poſſet. Vicinum Cœnobium, ſive quod reliquum erat ædificii, adjecit primum Ferdinandus V. Rex Catholicus, deinde Univerſitas Petro-

Conv. Petrochiſ. *Idem in Provin. Angel. Conv.* 11.

chiana, Cuſtode tunc Provinciæ Angelorum Franciſco ab Angelis, poſtea Miniſtro Generali, & S. R. E. Cardinale. Inſtituit hic perpetuum ſtudium Theologicum frater Joannes Barrienſis, Provinciæ prædictæ alumnus, & inter Occiduos Indos Archiepiſcopus Granatenſis, erectis in hunc finem illic quatuor Sacerdotiis ſeu Capellaniis. Jacet hoc in Templo vir venerabilis & ſanctitate conſpicuus Joannes Petrochius, cui in nocte Dominicæ Nativitatis celebranti Chriſtus Dominus in ſpecioſiſſimi pueruli forma dignatus eſt apparere; quique Crucis ſigno pauperem claudum, atque ad incedendum omnino ineptum rectificavit.

Fr. Joannes Petrochius.

Monaſt. S. Bernardini Ferrariæ. *Gonz. in Provin. Bononiæ Monaſt. 4. Guarin. de urbe Ferrar. pag. 112.* Soror Cammilla Borgia.

XXVI. Lucretia Borgia Ferrarienſium Princeps, hoc anno primum poſuit lapidem Monaſterii ſancti Bernardini intra muros Civitatis Ferrarienſis, in loco dicto *Giovecca*, emptis a Monachis Ciſtercienſibus ruderibus & cæmentis cujuſdam Eccleſiæ & Cœnobii, quod ſibi ipſis fabricari incœperunt. Abſoluto ædificio ſub annum MDXVI. illuc introducta eſt Camilla Borgia Ducis Valentini Borgiæ, Lucretiæ germani fratris filia, quæ ab infantia pie educata eſt in Monaſterio Corporis Chriſti ejuſdem urbis, Ordinis ſanctæ Claræ, ex quo cum illa prodierunt ad fundandum hoc Monaſterium Sorores viginti, & prima Abbatiſſa Barbara Bojarda ex Comitibus Scandiani. Suſcepto habitu Camilla, & amitæ Lucretiæ ſibi nomine aſſumpto, religioſiſſime vixit ſub diſciplina Minorum Obſervantum, adque illius exemplum multæ acceſſerunt Virgines nobiles, quæ brevi ad numerum nonageſimum excreverunt. Habetur illic in veneratione particula Crucis Chriſti, & guttula ſacratiſſimi illius Sanguinis, a Julio II. dono miſſa ad Sororem Claram Guidonis Ubaldi, ſive Guidobaldi primi Urbinatum Ducis filiæ, & Julii conſanguineæ, in Monaſterio Clariſſarum Urbini primum profeſſæ, deinde ad hoc Ferrarienſe tranſlatæ. In Templo ſepultus eſt Sigiſmundus Eſtenſis Alphonſi I. Ducis frater, quem omni virtutum genere excultum fuiſſe, commemorat ſepulcralis inſcriptio. Bononiæ Sororibus Clariſſis, quarum domus extra portam ſancti Stephani bello fuerat diruta, hoc anno datam fuiſſe Abbatiam ſeu Monaſterium ſancti Felicis, ſed vectigalia deſtinata curandis peſtilentia laborantibus, ſcribit Sigonius.

Sigiſmundus Eſtenſis. Monaſt. S. Claræ Bononiæ. *Sigon. de Epiſcop. Bonon. l. 4. hoc anno.*

Monaſt. Conceptionis Carmonæ. *Gonz. in Provin. Bætica Monaſt. 9.*

XXVII. Oppidi Carmonæ in Bætica, Hiſpalenſis diœceſis, Monaſterii Conceptionis hoc anno poſteriorem & diverſam ponit originem Gonzaga ab ea, quam in Bulla Julii Pontificis hoc eodem anno conceſſa invenio recenſitam. Lucia Sancii de Baeza, ſive Beatiana, impetravit hoc anno facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum, ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ Angelorum, & regimine Miniſtri Provinciæ Bæticæ Regularis Obſervantiæ: *Injunctum nobis*. III. Idus Maii. Gonzaga ait ex miraculo quodam a ſua in Conceptionem Virginis Mariæ devotione exorto, marito ſcilicet parum pio & avaro, in alium virum converſo, eoque defuncto, Luciam ſub Leone X. condidiſſe hoc Monaſterium Ordinis ſanctiſſimæ Conceptionis, ſed ſub habitu Sororum Tertii Ordinis, & cum iis ingreſſam ſub eodem Inſtituto anno MDXIII. oblatis quibuſdam difficultatibus, iiſque ſuperatis anno MDXVI. clauſuram admiſiſſe, & Conceptionis habitum, priori relicto, induiſſe. In Bulla Julii non exprimitur viduam fuiſſe, quod ſolet in litteris hujuſmodi fieri, neque quidquam habetur de Ordine Conceptionis. Sed hæc facile conciliari poſſunt ex iis, quæ accidere poterant ab anno datæ Bullæ Julianæ, uſque ad ingreſſus annum, de quo loquitur Gonzaga, & fundatrix circa titulum & Inſtitutum Monaſterii ſententiam potuit mutare, uti etiam circa habitum mutaſſe ipſe Gonzaga recenſet.

Monaſt. Pontis veteris.

XXVIII. Monaſterii ſanctæ Claræ Pontis-Veteris, vulgo *Pontevedra* in

in Gallæcia, originem etiam idem auctor longe facit poſteriorem, quam admittant Monumenta MSS. Provinciæ ſancti Jacobi, ad quam hoc ſpectat Monaſterium, ad me tranſmiſſa. Dicit enim Gonzaga, hoc anno ultimam artificis manum domum hanc expertam fuiſſe; ait tamen primum operis auctorem neſciri. Monumenta prædicta ex donatione domorum & redituum a pia fœmina Majore Perez, quam Gonzaga ſubindicat, deducunt Monaſterium ſatis eſſe antiquum, & præceſſiſſe annum MCCLXXI. donatio quippe, uti conſtat ex inſtrumento in archivo illius domus aſſervato, ſacta eſt die XIV. Martii æra MCCCIX. quæ in illum Chriſti annum recurrit, putantque illius oppidi incolæ, parum a morte ſanctæ Claræ Monaſterium fuiſſe fabricatum. Fuerunt hoc in loco Sorores aliquot pietate & religione commendabiles, inter quas præluxerunt Leonora Rodriguez, prima Abbatiſſa hujus Monaſterii, quæ plura miracula edidiſſe fertur, & proinde in magna ibidem habetur veneratione. Leonora de Meyra neptis Comitis Caminæ, filia Garciæ Sarmienti, Domini Salvæ-terræ, pœnitentia, oratione, humilitate, & gratiis cœleſtibus inſignis, quæ obiit anno MDC. Maria Sarmienta, proſapia & virtute illuſtris, de qua prædicta Meyra ſolebat dicere, in corporis extenuati maceratione, ſancto Hieronymo fuiſſe perſimilem. Obiit poſt ſupradictum annum MDC. magna ſanctitatis opinione: & Maria a Galbes, alias a ſancto Antonio, quæ raro, & hoc præſertim tempore, exemplo admirabili, annis ferme quinque incognita, ſub viri habitu humiliter, pie & devote inſervivit Fratribus Recollectis Cœnobii ſancti Antonii de Popula, abſque ulla ſuſpicione ſexus fœminei, aut quærela. Anno vigeſimo ſecundo ætatis, re propalata Stephano de Guadramiro, tironum magiſtro, per Miniſtrum provinciæ ſancti Jacobi in hoc introducta eſt Monaſterium, ubi virtutibus, piis operibus & ſanctitate inſignis, deceſſit anno MDCXVI. die XXX. Octobris. Harum Religioſarum vitas dabit fortaſſis alius diffuſius exſcriptas.

Idem in Provin. S. Jacobi Monaſter. 7. Monumen. MSS. illius Provin.

Soror Leonora Rodriguez.

Soror Leonora de Meyra.

Soror Maria Sarmienta.

Soror Maria a Galbes.

XXIX. Capti fuerunt aliquot Fratres Tertii Ordinis quando Sarraceni expugnarunt Civitatem Tripolis, deductique ſunt in inſulam Melitenſem. Julius Pontifex ut collectis fidelium eleemoſynis redimantur, ſuis litteris adhortatur. Fratribus Congregationum Amadei, Clarenorum, & aliarum, qui Patribus Conventualibus adhæſerunt, eorumque regimini ſe ſubjecerunt, prohibuit ne deinceps calepodia deferrent, aut nudis pedibus incederent: *Licet nuper per quaſdam*. die XV. Decembris. Idque ipſum præceptum aliis litteris renovavit anno MDXII. die ultimo Januarii. Familiæ Obſervantum indulſit communicationem privilegiorum aliarum Religionum Mendicantium, & peculiariter eos exemit ab obligatione ſolvendi quartam funeralem locorum Ordinariis, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitam: *Sacræ Religionis*. die XV. Novembris. Eiſdem petentibus prohibuit, ne Fratres Minimi, Obſervantes recipere, aut receptos poſſent retinere: *Exponi nobis feciſtis*. die IX. Junii. Confirmavit unionem factam Monaſterio ſanctæ Mariæ de Cruce oppidi de Cubas, Toletanæ diœceſis Tertii Ordinis, de quo ſuo loco diximus; qua Franciſcus Cardinalis Ximenius ei addixit parochialem Eccleſiam prædicti oppidi, Mantii Vaccæ tunc ipſius Eccleſiæ Rectoris, accedente conſenſu.

Reg. lib. 190. fol. 41.

Capti a Turcis Fratres Tertii Ordinis.

Varia privilegia.

Tom. 12. anno 1449. n. 65.

ARGUMENTUM.

Per inſulas Indiarum Occidentalium Chriſtiana fides propagatur. In India Orientali cenſuræ abſolutioniſque Eccleſiaſticæ virtus mirifice innotuit, ibique Religio Catholica magnos facit progreſſus. Cardinalis Ximenius Hiſpaniæ Regem inducit, ut Julio Pontifici contra potentes adverſarios opituletur. Philippo Generali Miniſtro vita functo, ſubſtituitur Vicario nomine Gomeſius Luſitanus. Obſervantes Ultramontani celebrant Comitia Generalia. Piorum Virorum occurrit memoria. Referuntur hujus anni Epiſcopi. Multiplicantur Cœnobia.

Herrer. dec. 1. lib. 8. cap. 11. & 12.

Indis patrocinatur Prædicatores & Minores.

Ad Occident. mittuntur Minoritæ 23.

I. Exorta controverſia in inſula Hiſpaniolæ Indiarum Occidentalium circa ſervitutem & inſtructionem Indorum, transfretarunt in Hiſpaniam Antonius Monteſinus ex Ordine Prædicatorum, & Alphonſus Eſpinarius Minorita, qui Regi Ferdinando totius negotii ſeriem expoſuerunt. Ille continuo Burgis, ubi tunc reſidebat, cogi juſſit gravem conſeſſum illuſtrium virorum, dignitate & litteris ſpectabilium, cui etiam Eſpinarius interfuit, illorumque conſilio multa decrevit Indis favorabilia, Religioni propagandæ opportuna. Inſuper præcepit, ut in Inſula ſancti Joannis Portus locupletis (Hiſpanis *Puerto rico*) conſtruerentur Eccleſiæ, & Cœnobium ædificaretur Minorum, ex quibus viginti tres illuc hoc anno miſſi, ſacris rebus & veſtibus abundanter inſtructi.

Hiſtor. MSS. Provin. ſancti Thomæ.

Maff. hiſt. Ind. lib. 5.

II. Hoc anno mirum quiddam Luſitanis in India accidit Orientali. Claſſe Alphonſi Albuquercii Proregis intra fauces Erithræas conſtituta, vel ex intemperie cœli, vel ex inſalubrium ciborum ſucco, atrox morbus navalem turbam invaſit. Vulgo inter luſum, vel quotidiana miniſteria repente expirabant. In iis miles unus in mare projectus, ingentem terrorem omnibus attulit, noctu quippe infra ſentinam pulſus frequentes exaudiri cœpti: quem ad ſtrepitum cum arrepta ſcala vigiles deſcendiſſent, implexum carinæ ſub ipſo gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. Scilicet cunctis pilus inhorruit. Ubi ex pavore collegere ſeſe, res ad navarchum delata: nec dubium fuit, quin cadaver tranſlatum in littus humo contegerent; quo facto, poſtridie ſuper ipſum ſepulcrum inhumanatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cum apud ſe cauſam exquirerent; Franciſcus denique Ulyſſiponenſis Minorita (Maffæo tamen incerte familiæ) qui concionatoris munere fungebatur, ſagaci conjectura ſuſpicatus eſt, huminem aliquo interdicti vel anathematis vinculo conſtrictum e vita diſceſſiſſe. Itaque in terram egreſſus, ſanctiſſimi viri Benedicti Abbatis exemplo, e Pontificia formula conceptis verbis animum demortui rite expiavit, eique veniam precatus eſt. Mirum dictu! ab eo myſterio reddita mortuo pax, & vaga oſſa tamdem in ſuo tumulo quievere.

Eccleſiaſticæ cenſuræ & abſolutionis vis.

Greg. l. 2. dialog. cap. 24.

Bzov. anno 1510. n. 15.

Miſſi ad Orientales Prædicatores, & Minores.

III. In illas longinquas oras Emanuel Luſitaniæ Rex claſſes tres hoc anno miſit, quæ Alphonſi Albuquercii Proregis copiis cum ſe conjunxiſſent, Goam amiſſam ille recuperavit, confirmatoque in ea urbe imperio, Sultanum Ægypti, & Regem Cambajæ pellendis ex India Luſitanis adlaborantes profligavit. Cochinenſibus Regem impoſuit, multoſque Indorum opera Dominicanorum & Franciſcanorum ad Chriſti fidem traduxit. Ante biennium etiam ab eodem Rege Emanuele miſſos in Æthiopiam ad Congui regnum multos viros religionis & ſanctimoniæ fama præſtantes, qui Chriſti diſciplinam multo diligentius illis gentibus traderent, & regiones illas clariore

riore lumine perfunderet, ſcribit Oſorius; ita ut longe lateque in Illis regionibus Chriſti fides cœperit extendi. *Oſor. de rebus Eman. lib. 5.*

IV. Bernardinus Carvajalius Cardinalis, aliique ex ſacro Senatu Patres, Julio Pontifici vehementer infenſi, conſpiratione facta, eum Pontificatu deturbare aggreſſi, Piſis Concilium indixere, Ludovico Gallorum Rege protegente, & in Julium arma movente. Ille itaque ad Regis Catholici Ferdinandi præſidium confugiendum, ejuſque auxilium implorandum eſſe dijudicans, ad Franciſcum Cardinalem Ximenium litteras dedit, ut Regis animum ad Pontificium patrocinium ſuſcipiendum, & Sedi Apoſtolicæ ſubveniendum inflecteret. Ximenius, in quem multa Julii Pontificis extabant merita (nam ab ipſo in Senatum Cardinalium allectus, Inquiſitoris maximi officio ad Regis votum cohoneſtatus, & Academia Complutenſis non mediocribus privilegiis aucta fuerat) peculiari etiam affectu in Julium propenſus, quem incredibili animi vigore Eccleſiæ patrimonium tueri animadvertebat, & Tirannorum conatus & vires infringere, per procuratores nuntiari jubet, ut nulla adverſariorum potentia aut machina debilitatus, a propoſito ſuſcepto diſcedat, neve peſſimis hominibus rempublicam Chriſtianam evertendam & dilaniandam permittat. Se autem pro debita pietate & obſervantia in Sedem Apoſtolicam, & Dei Vicarium quadringenties nummum aureorum ſtatim ad Urbem per publicos argentarios numeraturum, ſeque ipſum, ſi opus foret, exercitum coacturum, & in Italiam iturum. *Gomez. de rebus Ximen. lib. 5.* *Card. Ximenius opitulatur Julio Pont.*

V. Rex Ferdinandus magnam paraverat claſſem contra Africanos, de quibus multas reportaverat victorias, dubiuſque an Julio ita graviter laboranti ſuccurreret, vel triumphos in Africa multiplicaret, cum Ximenio ceteriſque proceribus & Epiſcopis, qui Hiſpalim convenerant, cenſuit deliberandum. Reſpondere omnes, ſed præ omnibus Ximenius, fruſtra externa bella adverſus hoſtes religionis quæri, ſi interim domi inteſtinis bellis religionis Caput impeteretur. Igitur mutata ſententia, ab Africæ limine pedem referens Ferdinandus, in Italiam vires ſuas atque arma convertit; quod equidem magnam invidiam contra Gallum apud omnes Chriſtianos excitavit, ut qui vires Hiſpaniæ a paganorum faucibus, & religione per Africam protendenda divertetet. Quod quam invitus Ferdinandus fecerit, hæ ad Ximenium datæ litteræ declarant.

Reverendiſſime in Chriſto Pater Toletane Pontifex, Hiſpaniarum Primas, Cancellariæ maxime, & ſumme Inquiſitor adverſus hæreticam pravitatem, qui nobis ſemper conjunctione amicus, obſervantia parens es habitus.

VI. *Ipſe tu mihi conſiliorum meorum particeps abunde teſtimonio eſſe potes, quot rationes hactenus inierim, quantamque induſtriam & cogitationem adhibuerim, ut Bononia, & reliquæ urbes & oppida, quibus Romana Eccleſia per Regem Gallorum privata eſt, Pontifici Maximo reſtituerentur, ne tumultus & ſchiſmata in republica Chriſtiana acciderent. Id quoniam neutiquam efficere potuimus, Eccleſiæ clamoribus & querelis concitati, auxilium noſtrum aſſidue implorantis, reverentia & obſequio, qua omnes Reges Chriſtiani in illam tenentur, moti, commodis privatis poſthabitis, & expeditione, quam adverſus reipubl. hoſtes paraveram, prætermiſſa, ad Sedis Apoſtolicæ immunitatem defendendam, & Chriſti Vicarium conſervandum, noſtræque religionis Caput tuendum, & in priſtinam auctoritatem aſſerendum, Deo Opt.* Epiſt. Ferdinandi Regis ad Ximenium.

Opt. Max. cujus cauſa agitur, auſpice, omnes meas vires convertere decrevi. Ad eam rem ex dignitate noſtra gerendam, IV. *Nonas Octobris, die tibi fauſto ob divi Frantiſci Religionem, fœdus cum Pont. Max. & Illuſtriſſima Venetorum Republica pepigimus, quod ut vulgaretur, curavimus, locum in eo Sereniſſimis Imperatori fratri noſtro, & Angiorum Regi cariſſimo filio, ut per legatos petierunt, relinquentes. Porro intra vigeſimum divulgati fœderis diem, Raymundus Cardona, qui vices noſtras Neapoli agit, Imperator exercitus ad pontificiam reſtitutionem per Principem fœderis declaratus, extemplo tum mille ducentis cataphractis equitibus, & levis armaturæ circiter mille, & decem millibus peditum Hiſpanorum, & tot bellicis tormentis, quæ ſatis ad uſum exercitus ſufficiant, juſtis itineribus ad quærendum hoſtem & lota per ipſum occupata recuperanda procedet. Hunc ſequetar Termenſis Dux cum ſexcentis Pontificiis equitibus. Ab altero latere, quod a ſeptentrione eſt, Venetæ acies Gallum circumvenient. Mare vero copioſa pariter & pervalida claſſe occupavimus, quo melius, quæ cupimus, aſſequamur. Etenim duo ſunt nobis ante omnia turanda: ne quis Princeps, aut Italiæ Regulus Eccleſiæ dignitatem adverſis armis ullo pacto labefactet: deinde, ut cum iis, qui Eccleſiæ loca præter fas tenent, bonis tonditionibus, ſi per eos licuerit, potius quam cruentis certaminibus rem totam tomponamus. Quocirca maximo ſtudio & effectu peto, ad omnes Templorum aras Deum immortalem ſupplicandum cures, ut Eccleſiæ ſuæ tauſam tueri, & ejus unionem conſervare, univerſoque Chriſtiano orbi patem & contordiam propitius conſerre velit: ſic enim ab inteſtinis diſſidiis liberi, adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes tuncti unanimes dimicabimus: quod ut fiat, in Contilii Lateranenſis indictione Pont. Max. ſe curaturum pollicetur. Quæ omnia cum Reverendo Epiſcopo Bertonorenſi Pont. Max. Nuncio, quem jam Barcinonam appuliſſe, & ad nos recta venire ſcimus, tibi eſſe communicanda cenſeo. Dum hæc ſcribo, ex Galliis allatum eſt, ad Piſanum Concilium, quotquot tonveniunt, invitos trahi: litteræ poſtridie Nonas Octobris ſunt datæ. Ex Anglia Sereniſſimus gener noſter eamdem nobiſcum fortunam fœderis initi experturum ſe promittit: ejus litteræ* IV. *Kalend. Octobris ſunt datæ. Ab Imperatore Maximiliano omnia ſecundum noſtram voluntatem offeruntur: litteræ ſunt benevolentiæ, & optimæ ſpei plenæ, ante tertium diem Kalend. Octobris ſcriptæ. Eam Principum Chriſtianorum conſenſionem intuentes, ne quid intentatum relinqueremus, quod malevoli homines objicere, aut ſaltem, quod magis veremur, numina incuſare poſſent, rurſum Gallum fratrem noſtrum admonuimus, ut ab armis in Eccleſiam infeſtis ſuos milites diſcedere cogat: nam ſi ſecus faxit, vires noſtras nos univerſas illi oppoſituros, quo Eccleſiæ auctoritatem defendamus, & vim omnem, & tyrannicum impetum a communi Matre propulſemus. Vale Reverendiſſime in Chriſto Pater Cardinalis, nobis care & dilecte amice, ac Domine. Deus Opt. Max. in omne tempus tui turam ſuſcipiat. Datis in oppido ſanctæ Crucis,* XVI. *Kalend. Novembris, anno ſalutis noſtræ* MDXI.

Moritur Philippus Generalis Miniſter. *Num. 9.*

VII. Hoc anno die x. Septembris magno Ordinis diſpendio, & bonorum dolore, deceſſit Philippus Miniſter Generalis totius Ordinis, quem anno diximus antecedenti ad hoc munus electum. Conditus in Baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum, ante aram majorem hoc habet Epitaphium.

Phi-

Philippus Bagnacavallus Minorum Ordinis, Philoſophus ac Theologus eximius, qui per omnem ætatis ſuæ curſum ita ſe geſſit, ut functus omnibus dignitatibus, ad Generalatus honorem aſſumptus ſit; a Julio II. Pontif. Max. ad ardua pro fide Orthodoxa vocatus, Romæ diem clauſit extremum.

VIII. Subſtitutus eſt autem qui defuncti loco Religionem gubernaret, Magiſter frater Gomeſius Luſitanus vir doctiſſimus, Julio Pontifici gratiſſimus, qui ſub titulo Vicarii Generalis rexit uſque ad Comitia Generalia ferme per biennium.

Subſtituitur Vicarius Gomeſius Luſitanus. Marc. lib. 8. cap. 34. & 37.

IX. Celebratum fuit hoc anno in feſto Pentecoſtes Capitulum Generale Obſervantum Ultramontanorum in Conventu Rapiſtagni provinciæ Aquitaniæ, in quo electus eſt Vicarius Generalis frater Gilbertus Nicolai, de quo ſuperius cum laude ſumus locuti. Aliqua circa officium Divinum hic ſunt ſtatuta; & Cuſtodia ſanctæ Mariæ de Pietate in Luſitania recepta ad obedientiam Vicarii Generalis, præhabita Pontificia facultate, ne alias ab eodem Pontifice decretis circa erectionem provinciæ ſancti Evangelii, ſub qua domus hujus Cuſtodiæ comprehendebantur, videretur contrairi. Provincia Sardiniæ tunc etiam aggregata eſt familiæ Ultramontanæ, & inſerta tabulæ definitionis hujus Capituli. Recenſiti ſunt mortui ab ultimo Capitulo Fratres nongenti ſex, inter quos celebriores fuerunt Nicolaus Denyſe, * de quo jam diximus: Nicolaus Gilberti multoties Commiſſarius Pariſienſis: & in provincia ſanctæ Crucis in India Occidentali, frater Joannes de la Deule laicus provinciæ Franciæ, primus noſtri Ordinis, qui in Hiſpaniolæ inſulam exſcendit.

*Capitulum Generale Obſerv. Ultram. 15. Rapiſtagni. Regiſt. Ordinis. Ann. 1501. n. 28. Cuſtodiæ Pietatis in Luſitania erectio. Provincia Sardiniæ aggregatur Ultramontan. * Dionyſii. Ann. 1509. n. 24.*

X. Hoc tempore floruit in Polonia vir inſignis Alexius de Borbiza Prædicator, qui celebre nomen inter Artium Magiſtros Cracoviæ ob raras animi dotes promeruit, & poſtquam Minoritis nomen dedit, Regulam ſuam adamuſſim ſervavit, ac ſchiſmaticos illius Regni ſermonibus & ſcriptis exagitavit, multoſque ad matris Eccleſiæ gremium adduxit. Relictis ſui ingenii monumentis, deceſſit in Conventu Samborienſi. In eadem provincia & Cœnobio Scampenſi jacent Franciſcus & Joannes Syradiani, viri religioſiſſimi: primus pictoria arte celebris, qui juxta Regulæ ſuæ præceptum fideliter & devote laborans, præcipuas dictæ provinciæ domos & Eccleſias egregiis picturis exornavit; tempus autem quod labori ſubtrahebat, orationi erogabat. Secundus inſigniter pius, omnibus carus, cum opinione ſanctitatis deceſſit.

Monume. MSS. Prov. Poloniæ. Floret Alexius de Borbiza. Franciſc. & Joannes Syradiani.

XI. In provincia ſancti Angeli, & Cœnobio Montis Odoriſii, ſub hunc annum vita functus eſt Antonius a Leoneſſa, vir proſapia nobilis, ſed virtutibus nobilior, tantæ innocentiæ & ſanctitatis, ut tauri indomiti ab armentis vocati, ad ejus nutum colla jugo ſubdiderint, & ligna lapideſque prædicto conſtruendo Cœnobio advexerint. Aves inſuper e ſilvis advolantes ei catervatim inſidebant & occinebant. Clarus miraculis, & bonis operibus illuſtris, curſum conſummavit. Deceſſit hoc anno die XIII. Martii Martinus a Turnohut Brabantus, diſcipulus Theodorici a Monaſterio, viri ſanctiſſimi, Theologus & Profeſſor Lovanienſis.

Marc. lib. 8. cap. 38. Obit Antonius a Leoneſſa. Et Martinus a Turnohut.

XII. Circa hunc annum in Conventu Maſſæ, provinciæ Marchiæ, notum voluit Deus quantum ei diſpliceat negligentia & irreverentia in Divino officio, aliiſque orationibus recitandis. Erat ibi quidam Frater adeo occupatus circa confeſſiones ſecularium excipiendas, ut Divini officii penſo perſolvendo minimum temporis ſupereſſet. Quando itaque ad latrinas ibat,

Idem cap. 35.

ſive

Preces Deo reverenter offerendæ.

ſive alias corporis neceſſitates obibat, orationum curſum alibi inceptum proſequebatur, & inter vilia miniſteria Dei laudes preceſque miſcebat. Poſt ejus obitum fœtenti illo loco horribiles audiebantur clamores & gemitus, cauſamque exploraturus quidam ex Fratribus, per Deum adjuravit, ut quis eſſet, quidque vellet? ita miſere ingemiſcens ediceret. Reſpondit ſe illum eſſe Fratrem, qui ante paucos dies obierat, illoque in loco fœtore pœniſque cruciari, propter indecentem & irreverentem precandi conſuetudinem. Interrogatus qua ratione poſſit ab illo cruciatu liberari, dixit per ſuffragia orationum & Miſſarum pie & reverenter Deo oblatarum. Hæc ubi Guardianus fieri curavit, gemitus voceſque ſiluerunt.

Fr. Thad. Epiſc. Dromoren. Fra. Anton. Urbinas.

XIII. Hoc anno frater Thaddæus N. aſſumptus eſt ad Eccleſiam Dromorenſem in Hibernia, ſub Archiep. Armacano, per translationem Georgii ad Epiſcopatum N. die ultimo Aprilis. Et frater Antonius Tubeta, ſive Trombetta Patavinus, vir doctiſſimus, ad Eccleſiam Urbinatem, tunc Epiſcopalem, nunc Archiepiſcopalem, per obitum Gabrielis Cardinalis, die VII. Novembris. In diſputando & docendo omnium judicio primas obtinebat. Cum Petro Bembo, antequam ad Cardinalatum aſcenderet, intimam contraxit amicitiam. Lateranenſi interfuit Concilio ſub Julio II. & omnibus primis novem ſeſſionibus, dempta prima, ſubſcripſit Epiſcopus Urbinatenſis. Sed ſeſſione 10. celebrata anno MDXV. ſub Leone ſubſcripſit Archiepiſcopus Athenarum. Volens etenim ceſſit Eccleſiæ Urbinati, poſtquam ei annis tribus præfuerat, & in patriam receſſit, ubi anno MDXVIII. vita functus eſt, & ſepultus in Eccleſia ſancti Antonii hoc adjecto Epitaphio.

Antonio Tubetæ Patavino, Athenarum Antiſtiti, qui publice Metaphyſicam annis quadraginta duobus profeſſus eſt. D. Antonii provinciæ annos duos ſupra viginti præfuit, plura monumenta edidit, anno ætatis altero, & octuageſimo naturæ ceſſit. Hoſpitium hoc ad diem accepit numquam reverſurum.

Fr. Ferdinandus ab Hontiveros. *Gonz. in Provin. March. Con.* 29. Conv. S. Crucis Maceratæ.

Regebat hoc tempore Cathedram Aſtrologiæ in Academia Salmanticenſi, frater Ferdinandus ab Hontiveros.

XIV. Aliquanto procul ad urbe Maceratenſi, in Piceno celeberrima, domum habebant Obſervantes ſub titulo ſancti Franciſci, ſed in loco non adeo ſalubri. Urbis itaque ſenatus, & Criſporum familia circa hunc annum, intercedente Cardinale Farneſio, Piceni Legato, & aſſentiente Julio II. translata eſt ad locum amœnum & ſaluberrimum CCC. P. ab urbe diſtantem, ſanctæ Crucis impoſito titulo.

Idem Conv. 54. Conv. S. Angeli in Vado.

XV. Eliſabetha Gonzaga, Urbini Duciſſa, relicta Guidobaldi Feltrii, hujus nominis primi, cum ad oppidum ſancti Angeli in Vado, tunc Urbinatis Diœceſis, conſtruere vellet Monaſterium, idque oppidani ſummo ſtudio contenderent, obtenta hoc anno facultate Poutificia, die XI. Junii, cuperentque ut intra muros fabricaretur, contradicente Thoma Auximate Marchiæ Provinciæ Miniſtro, qui ſaltem P. M. ab oppido ut diſtaret, urgebat, judicante Duciſſa, dirempta tandem eſt controverſia, conſtituta domo ſub titulo ſanctæ Mariæ de Angelis in loco per quam opportuno, qui ab oppido diſtat paſſibus quingentis.

Idem in Prov. S. Anton. Conv. 35. Conv. Vallis Agni.

XVI. Venerabilis vir Sixtus de Riparolo, inſignis concionator, tanto fervore & fructu prædicavit ſub hunc annum in oppido Vallis Agni in Lombardia Tranſpadana, ut ſtatim incolæ de fabricando illius Conſodalibus Cœnobio cogitaverint, idque opere compleverunt, inchoata hoc anno fabrica, impetrata a Pontifice facultate die XXI. Julii. Diſtat aliquantu-

tulum ab oppidi mœnibus ſub titulo ſanctæ Mariæ Gratiarum.

XVII. Xenodochium oppidi Inſulæ Scalarum in eadem regione, olim infirmis curandis, & peregrinis excipiendis conſtructum, curatorum incuria cum ruinæ appropinquaret, judicarunt oppidani ſatius eſſe ex relictis reditibus domum illic conſtruere Fratrum Obſervantum. Ita faciendi dedit Julius facultatem eo ipſo die, quo præcedentem, & illi confeſtim vetuſtam domum novam fecerunt ſub invocatione ſanctæ Mariæ Magdalenæ, duodecim Fratrum capacem.

Indid. Conv. 36. Conv. Inſulæ Scalarum.

XVIII. Univerſitas & homines Terræ Pedemontis, Aliſienſis diœceſis in Provincia Terræ-laboris, Regni Neapolitani, petierunt & obtinuerunt hoc anno a Julio Pontifice licentiam conſtruendi Fratribus Obſervantibus Conventum: *Cum ſicut nobis*. die VI. Julii. Quid poſtea factum ſit, neſcitur; non enim reperitur domus iſta inter reliquas illius Provinciæ.

Conv. Pedemontis.

XIX. Ex Monaſterio religioſiſſimo Clariſſarum ſanctæ Mariæ de Jeſu urbis Neapolitanæ, vetuſtum accepi inſtrumentum, ex quo conſtat Julium Pontificem hoc anno poteſtatem feciſſe Lucretiæ Capeciæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ut ex collectis & colligendis fidelium eleemoſynis, Monaſterium Sororum Ordinis ſanctæ Claræ ſecundum Regulam Urbani IV. & inſtitutionem ſeu conſuetudinem Monaſterii ſancti Coſmæ Urbis, conſtruere poſſit pro ſe aliiſque Sororibus præfati Inſtituti, ac pro Virginibus ſecularibus iis adhærere volentibus, in loco per eas eligendo intra urbem Neapolitanam prædictam, & ſub invocatione, quæ magis placeret, atque ſub obedientia Vicarii Generalis Ciſmontani, & regimine Vicarii Provincialis Terræ-laboris. Cæſar Engenius hujus facultatis executionem differt ad annum MDXXVII. quo inchoatam fuiſſe fabricam affirmat, templumque abſolutum a familia Montalta ſub annum MDLXXXII. uti hæc inſcriptio marmori in fronte templi inſculpta teſtatur: *Templum ſacrarum Virginum ſub D. Claræ Inſtituto militantium, Mariæ Jeſu Matri dicatum, ſumptibus ac liberalitate nobiliſſimæ familiæ Montaltæ a fundamentis erectum. Anno Domini* MDLXXXII. Gonzaga valde vetuſtius facit hoc Monaſterium, quippe a Regina Joanna II. ampliatum. Sed illa regnare cœpit anno MCCCCXIV. fortaſſis hoc beneficium præſtitit Joanna Vidua relicta Ferdinandi Siciliæ Regis, Ordini ſancti Franciſci addictiſſima, de qua diximus anno præcedenti

Mon. S. Mariæ de Jeſu Neapoli.

Engen. in Neap. ſacra fol. 176.

Gonz. in Prov. Terræ lab. Mon. 1.

Num. 16.

XX. Foroſempronii in Piceno hoc anno Eliſabetha Gonzaga vidua, Urbini Duciſſa, domum Sororum Tertii Ordinis cœpit fabricare, ſub invocatione ſancti Bernardini. Immatura ejus morte, opus imperfectum urbis Senatus abſolvit. Sub hunc annum erectum Salmanticæ Monaſterium ſanctæ Urſulæ Ordinis Conceptionis ſcribit Ægidius Gonzales de Avila in ſuo theatro Salamantino. Sed vetuſtiorem hanc eſſe domum, Tertiique Ordinis, ſub titulo ſanctæ Urſulæ, ſive Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, ſuperius enarravimus.

Idem in Provin. Marcb. Mon. 12. Mon. Foroſempronii.

Mon. S. Urſulæ Salmanticæ. *Avila c. 19. Anno 1493. n. 62.*

XXI. Franciſcus Cardinalis Ximenius hoc anno initium poſuit inſignis domus ſancti Joannis de Pœnitentia in Civitate Toletana Sororum Tertii Ordinis, cui adnexum volebat Collegium bis centum puellarum, quæ poſt ſexennium honeſtæ educationis magiſterium a quatuor ex Sororibus præſtandum, vel nuberent, vel Religionis jugum ſubirent. Poſt inceptum opus impetravit a Leone X. diploma datum anno MDXIV. quo generoſos conatus Cardinalis voluit probatos, & facultatem conceſſit aliquot beneficia Eccleſiaſtica huic domui aggregandi, ſufficientes reditus applicandi, & conſtitutiones præſcribendi. Ante opus expletum, defuncto Cardinale anno MDXVII. complendum ſuſcepit Franciſcus Ruiſius, ſuus fidelis conſodalis,

Gonz. in Prov. Caſtel. Mon. 13. Salaz. de eadem Prov. l. 7. c. 12. Dom. S. Joan. de Pœnitentia Toleti.

tunc Epiſcopus Abulenſis, qui etiam Leonis facultatem anno MDXVIII. obtinuit ad opus proſequendum. Multa magnifice præſtitit, non tamen potuit vires & animum Cardinalis adæquare, neque puellarum numerum ſtabilire. Sub Pio V. imminutus eſt uſque ad vigeſimum quartum, ſed & nunc decimum octavum non excedit. Epiſcopus ob præſtita fabricæ beneficia, & reditus adauctos, ſepulcrum accepit in ſacello templi præcipuo ad latus dextrum, nobili mauſoleo alabaſtrino, in urbe Genuenſi egregie fabrefacto. Sacellum pulchris & pretioſis ornavit veſtibus aureis, argenteiſque miniſterialibus, & ſex Sacerdotiis per presbyteros ſeculares peragendis. Rigidas condiderunt tum Archiepiſcopus, tum Epiſcopus conſtitutiones victuris in hac domo Sororibus, tam circa victum, quam circa veſtitum, quæ tamen Romanorum Pontificum indulgentia mitigatæ ſunt. Primæ regularis diſciplinæ Magiſtræ quatuor prodierunt ex ſanctæ Mariæ de Almagro, Iſabella de Hungaria, Anna a ſancto Franciſco, Iſabella a ſancta Clara, Anna a ſancto Gabriele. Prima, quæ Abbatiſſæ munus peregit, inſigni floruit pietate. Multis modis corpus cruciabat, nudis pedibus abſque ullo genere calceorum incedebat, rudi & aſpero induebatur amictu, lectum nullum habebat; brevem enim carpebat ſomnum, vel ſedens in choro, vel humi ubi occaſio aderat, decumbens. In oratione aſſidua multas fertur habuiſſe revelationes. Tanto virtutum exemplo ceteris præluxit, ut altas egerit in domo illa radices diſciplina regularis.

Soror Iſabella de Hungaria.

XXII. In oppido Trienſi, Diœceſis Rothomagenſis, nobilis fœmina Jaquelina de Stouteville, Georgio de Ambaſia Cardinali Archiepiſcopo Rothomagenſe annuente, circa hunc annum Sororibus Tertiariis Monaſterium conſtruxit, eique applicandos curavit omnes reditus ædiculæ ſanctæ Margaritæ, cujus patronatus jus ad eam ſpectabat. Adriana Duciſſa de Stouteville & oppidi ſancti Pauli Comitiſſa anno MDLI. reditus auxit, & domum ac prædium adjunxit, ut pro ſe, & filia Maria a Borbonio precarentur.

Gonz. in Prov. Franc. Pariſien. Mon. 29
Domus Sororum Trienſis.

XXIII. Conceſſit Pontifex hoc anno, quod & præcedenti, Fratribus Obſervantibus communionem omnium privilegiorum univerſis Ordinibus Mendicantibus tam in genere, quam in ſpecie conceſſorum, & præſertim quoad exemptionem a ſolutione quartæ funeralis: *Sacræ Religionis* die VI. Novembris. Eadem eſt omnino conceſſio, eodemque verborum tenore concepta, quo anno indicavimus præcedenti.

Privilegium.

ARGUMENTUM.

Franciſcus Cardinalis Ximenius Regi Hiſpaniarum Ferdinando ſuppetias fert contra Navarræ & Galliæ Reges Julio Pontifici adverſantes. Moritur Franciſcus Zenus Vicarius Generalis Obſervantum Ciſmontanorum, cui in Comitiis Generalibus ſubſtituitur Timotheus Lucenſis. Clareni & Amadei ægre patiuntur ſe Conventualibus aut Obſervantibus aggregari. Propagatur Inſtitutum.

Gomez. de reb. Ximen. lib. 4.

I. FRANCISCUS Cardinalis Ximenius a Ferdinando Rege Catholico vocatus ad bellum Navarræum, quod contra Joannem Navarræ Regem, & Ludovicum XII. Galliæ Julio II. adverſantes, & conciliabuli Piſani fautores ſuſceperat, antequam Toleto hoc anno diſcederet, cum ſæpenumero annonæ penuria inopem plebeculam premi videret, & publicano

Ximenius Toletani populi penuriæ proſpicit.

norum iniquitate apud paucos frumentum recondi, cum urbis præfecto egit, ut horrea publica, more Romano, Toleti inſtituerentur. Nam Romani, ut erant mirabili prudentia, non uno tantum loco, ſed ſingulis Urbis regionibus conſtruenda curarunt. Primus Ximenius frumenti nonaginta mil. mod. populo Toletano donavit, novis granariis aſſervandos, & quotannis in Reipublicæ uſus diſtrahendos. Hanc curam Senatus Toletanus ſuſcepit, qui ut ſe haud ingratos Antiſtiti ſuo bene merenti oſtenderent, pridie nonas Octobris altero poſt feſtum Divi Franciſci die, Ximenii manes anniverſario ſacro in ſacello Mozarabum univerſi congregati ſolent expiare. Concio per Minoritam ex Cœnobio Regio ſancti Joannis de ejus laudibus & geſtis habetur, quam quotannis repetitiam cupidiſſime cives, qui frequentiſſimi conveniunt, auſcultant. Durarunt hæc frumenta in horreis, maximo cum Reipublicæ emolumento, uſque ad XXII. ejus ſeculi annum, quo popularibus tumultibus exortis, & effræni licentia ignobiliſſimis quibuſque cuncta per ſeditionem diripientibus, magna ex parte perierunt. Sed nemo hactenus ex præſulibus Ximenii ſucceſſoribus fuit, qui rem cum primis ad miſeros inopes ſublevandos neceſſariam reparare, vel denuo adaugere curaverit. Senatus tamen Toletanus, quod prædonum manus eo tempore effugit, diligenter collegerunt, & in præſentia, ut eſt grani pretium, ſummam quinque mil. aureorum nummum conficit.

II. Hoc ergo remedio in cœli ſqualore miſeris civibus ſubvenitur, non ſolum Toleti, ſed Compluti etiam, & Turrilacunæ, & Ciſneris, ubi hujuſmodi horrea ex Ximenii liberalitate incolumia perdurant. Et in ſumma frumenti difficultate, cum in aliis locis magno pretio ſtatim numerato, vix e privatorum granariis extrahitur, in his, de quibus diximus, quinque denariis tres tritici modios (tanti enim Ximenius vendi voluit) licet civibus emere. Sed quamvis Toleti ea direptio frumenti acciderit, urbs beneficium collatum anniverſario celebrare non ceſſat; atque in hujus rei monumentum in medio urbis prætorio, ubi Senatus de more habetur, inſcriptio eſt, qua Ximenii liberalitas declaratur. Idem Complutenſes præſtiterunt, inciſo epigrammate ad forum olitorium, quod ſic habet.

Aliiſque urbibus perpetua horrea diſtribuit.

Æthere ſeu largus, ſeu parcus decidat imber,
Larga eſt Compluti tempus in omne Ceres.

Dum annonæ tam pie & liberaliter Ximenius providet, Talabricæ Toletanorum Antiſtitum celebri municipio, monumentum marmoreum a ruſtico, terram altius moliente, repertum eſt, litteris Romanis hoc exemplo inſculptum.

B. Litorii corpus invenitur.

✠
LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANN.
PLVS MINVS LXXV. REQVIEVIT IN PACE
A DIE VIII. KALENDAS IVLIAS Ω
AERA D.XXXXVIII.

Id cum Ximenius reſciviſſet, homo pietatis eximius cultor, cum ex Epitaphii ſerie, & litteris A, & Ω, atque ex crucis imagine Chriſtianum eſſe Litorium intelligeret, ejus oſſa & cippum in Deiparæ ſacellum, quod extra oppidum eſt, ſub menſem Majum deferenda curavit. Si æræ ratio attentius ſubducatur, Chriſtianam religionem in Hiſpania longe ante mille, & quinquaginta annos floruiſſe reperies, cum ſepulcralia Chriſtianorum marmora Romanis litteris publice notarentur.

Ximen. Regi Ferdinando opitulatur in bello Navarræ.

III. Menſe Auguſto Ximenius profectus ad Regem Ferdinandum, bello Navarræo Locronii intentum, ſuadere non deſtitit, ut omnia prius tentaret, quam ad arma deſcenderet. Sed cum ex ſcripturis apud Secretarium Regis Navarræ inventis, palam eſſet hunc cum Ludovico Gallorum Rege conſilium & fœdus iniiſſe contra Julium Pontificem, aliaque contra Hiſpanos molitum, Ximenius ſe Regi ſocium, & belli participem cum ſuis copiis adjunxit. Multis victoriis, captiſque urbibus & oppidis tandem illud Regnum ceſſit Regi Ferdinando, & coronæ Caſtellæ, cujus ſumptibus & milite eſt comparatum.

Nebriſſen. de bel. Navarr. lib. 2. cap. 2.
Mon. Pampilonen. S. Claræ in hoc bello profanatum.

IV. Innumera ſolet mala bellum advehere, atque illud præcipuum, quod æque ſacra atque profana diripiuntur & conculcantur. Ita probatum eſt in hoc Navarræo, præſertim in ſuburbano agro Pampilonenſi, & Monaſterio virginum Clariſſarum, in quo potiſſimum militum Germanorum, Joanni Navarræo Regi auxiliarium impetus, & ſæva apparuit licentia. Alii namque ſponſarum Chriſti ſtupro incumbunt, alii cellarum penetralia rimantur, alii ſtricto enſe necem æditius Virginibus minantur, niſi auri argentique defoſſa vaſa indicent, alii frangunt, diruunt, reſupinant quidquid illis fit obvium. Sed illud ſacrilegium non eſt ſilentio prætereundum, quod a trecentorum Germanorum præfecto commiſſum eſt. Neque enim contentus ſanctuaria profanaſſe, adyti fores effringit, argenteum ſacratiſſimi Corporis Chriſti conditorium rapit, atque irreverenter hoſtiam illam vivam, Deoque placentem in medio Altari ſiſtit. Cumque ab æditua templi increparetur, quod tam inhoneſte Corpus Domini Deique noſtri attrectaret, *Hic*, inquit, *non Germanorum, ſed Hiſpanorum Deus eſt.* Sed piaculi hujus vindictam juſtum Dei judicium in aliud tempus diſtulit: illud tamen non diſſimulavit, quod ab altero Germano commiſſum eſt, qui cum ſacrarii alterius fores effregiſſet, hoſtiamque quaſi profanum cibum devoraſſet, conditorium ipſum auro argentoque adſabre cælatum, in privatos uſus converiſſet, non multo poſt diſtento paulatim ventre medius crepuit, communicata ſcilicet cum illo proditoris Judæ pœna, quandoquidem in mundi Salvatorem par fuit utriuſque ſacrilegium.

Ultio Divina in ſacrorum profanatores.

Pulinar. in Chron. MSS. Prov. Tuſcia.
Cimarel. lib. 9. c. 41.
Mirabiliter defenduntur Clariſſæ Pratenſes.

V. Parum abfuit quin hoc ipſo anno aliud ejuſdem Inſtituti Monaſterium ſancto Georgio ſacrum urbis Pratenſis in Tuſcia ſimilem ſubiret, & rei domeſticæ ac honoris injuriam. Pugnabant pro Medicæis Florentia pulſis Hiſpani, expugnaruntque Prati urbem, & licentiæ permiſerunt militari. In prædictum irruentes Monaſterium Dux cohibuit Hiſpanus, nec tamen ipſe a præda abſtinuit. Ablata re domeſtica meliori, cum Chriſti ſponſæ pavidæ in Odeum confluerent, aliorumque timerent incurſus, in limine oſtii ſtetit pulcher adoleſcens; evaginato gladio ingreſſum tanta prohibens majeſtate, ut nullus ſit auſus accedere. Impetu facto, & furore compreſſo, ex omnium oculis evanuit, qui adſtantium judicio vel Angelus loci tutelaris, vel ſanctus Georgius titularis eſt reputatus.

Reg. Ord. fol. 11.
Moritur Franc. Zenus Vicarius Generalis.

Tom. 4. an. 1268. n. 14.

Capit. General. Obſerv. Ciſmon. 26. Neapoli.

VI. Obiit hoc anno in die Sabbati ſancti ad Cœnobium ſanctæ Crucis, urbis Neapolitanæ, Franciſcus Zenus Vicarius Generalis Obſervantum Ciſmontanorum, & Nuncius ac Commiſſarius Apoſtolicus pro fabrica ſancti Petri in Vaticano, ſepultuſque eſt ingenti cum honore in templo Cœnobii ſanctæ Mariæ novæ, & ſacello magnifico, quod alias diximus Magnum Ducem Gonſalvum Fernandez a Corduba conſtruxiſſe in honorem beati Jacobi Piceni. Succeſſit ei ſub titulo Commiſſarii frater Damianus de Joha, Vicarius Provinciæ Terræ-laboris. Hic autem Patres convocavit ad Capitulum Generale, quod in eodem Conventu ſanctæ Mariæ novæ celebravit die

Vicar. General. Timoth. Lucenſis.

die 11. Junii, in quo electus eſt Vicarius Generalis Timotheus Lucenſis Provinciæ Tuſciæ, eique adjuncti ſunt Definitores Jacobus Mantuanus Provinciæ Bononienſis, prædictus Damianus Capituli Commiſſarius, & Hieronymus de Pacificis Romanus. Commiſſarius inſtitutus eſt in Curia Romana Benedictus Papienſis Provinciæ Januenſis, qui anno ſecundo ſui officii deceſſit, cujus loco ſubſtituit Vicarius Generalis Chriſtophorum Forolivienſem Provinciæ Bononiæ, poſtea totius Ordinis Miniſtrum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Guardianus ſacri Montis Sion Hieroſolymis Marcus Urſus Venetus, ſed cum excuſationem prætenderet ne cogeretur ad acceptandum, electus fuit Franciſcus Sorianus Provinciæ ſancti Franciſci;qui de rebus Terræ ſanctæ librum compoſuit,a nobis ſuperius citatum. Vicarius Candiæ Joannes a Babiena Provinciæ Tuſciæ, cujus ſe excuſantis locum ſupplevit Franciſcus Lychetus Provinciæ Brixienſis vir doctus, poſtea Miniſter Generalis totius Ordinis. In hoc Capitulo terminata eſt differentia, quæ verſabatur inter Fratres Boſnenſes & Croatas, decretumque eſt ut Provincia non Croatiæ, ſed Boſnæ deinceps appellaretur: illos vero Fratres Boſnenſes, qui ſub Turcarum dominio vivebant, juvandos eſſe prout licuerit, non tamen cenſendum eſſe illos diſtinctam conſtituere Provinciam.

Anno 1493. n. 9.

Provinc. Boſnæ inſtituitur.

Clareni uniuntur Obſervantibus.

VII. Fratres Congregationis Clarenorum, juxta mandatum Julii Pontificis alias editum, quo præcipiebat, ut Fratres omnium Minorum Congregationum unirentur vel Conventualibus, vel Obſervantibus, ſe Vicario Generali Obſervantum ſubjecerunt, eique tradiderunt pacificam poſſeſſionem ſuarum domorum & bonorum. Sed dum ab ejus obedientia iterum reſilire intentarent, liteſque moverent, eas hoc diplomate Pontifex voluit ſopitas.

Ad futuram rei memoriam.

Ex originali.

VIII. *AD hoc præcipue cordis noſtri meditatio dirigitur, ut per noſtræ proviſionis auxilium, fidelium quorumlibet, præſertim ſub Regulari Obſervantia ſtudio piæ vitæ vacantium, quieti & tranquillitati conſulatur. Sane ſicut accepimus, poſtquam Nos attendentes ex variis & diverſis denominationibus in Ordine Fratrum Minorum, quorum aliqui Conventuales, & alii de Familia, aliqui vero fratris Angeli de Clarino, & aliqui fratris Amadei Congregationum, & alii Coletanorum, & alii de Evangelio ſeu de Capucio Fratres appellabantur, in populo non modicum ſcandalum generabatur: huic ſcandalo, ſeu potius morbo occurrere & obviare volentes, pro obſervatione ſtatutorum, & ordinatorum in Capitulo Generaliſſimo dicti Ordinis in Urbe de mandato noſtro celebrato, & per Nos approbatorum & confirmatorum, Fratribus fratris Angeli & fratris Amadei Congregationum, ac de Capucio, & de ſancto Evangelio, ac de Coletanis nuncupatis, ut Conventualibus, vel de Familia nuncupatis dicti Ordinis Fratribus, & eorum Miniſtris & Vicariis adhærerent, per alias noſtras litteras in forma Brevis mandaveramus; & Fratres dictæ Congregationis fratris Angelis de Clarino eorum rebus provide conſulere, & dictis litteris noſtris, ut obedientiæ filii parerent, dictis Fratribus de familia, & eorum Vicario Generali ſponte adhæſerunt, & ſe eorumque domos, & Eccleſias ac bona, illis & eorum Vicario Generali ſubjecerunt, & ut earum domorum & illarum Eccleſiarum poſſeſſionem dicti Fratres de familia apprehenderent, paſſi fuerant, imo expreſſe conſenſerant, prout in quibuſdam*

dam inſtrumentis publicis deſuper confectis plenius continetur. Sed nuper, ut etiam accepimus, dicti Fratres præfatæ Congregationis fratris Angeli, a ſatore malorum operum, ut creditur, inſtigati & ſeducti, ſe ab hujuſmodi ſubjectione eximere, & prorſus ſubtrahere nituntur, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum, ac quietis inter ipſos Fratres perturbationem. Nos igitur cupientes ſtatuta & ordinata in dicto Capitulo Generaliſſimo per Nos approbata inviolabiliter obſervari, & inter ipſos Fratres, ut poſſint quiete Domino famulari, pacem & quietem vigere: & conſiderantes non convenire inter Religioſos litium fomenta conſervari, præfatumque Vicarium Generalem, quem dicti Fratres de Clarenis, ut dicitur, citari fecerunt, & qui citatus non comparuiſſe dicitur, a quacumque contumacia abſolventes; necnon cauſam ipſam coram quovis Judice, etiam S. R. E. Cardinali pendentem, ad nos harum ſerie advocantes, & penitus litem hujuſmodi extinguentes, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium adhæſionem & ſubjectionem prædictas, ac omnia & ſingula in dictis inſtrumentis contenta, & inde ſecuta quæcumque, prout eaſdem adhæſionem & ſubjectionem concernunt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus: ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et inſuper pro potiori cautela omnes Fratres dictæ Congregationis fratris Angeli, eorumque domos & Eccleſias, ac bona dictarum domorum & Fratrum, qui hujuſmodi adhæſionem & ſubjectionem fecerunt, ſub dictis Fratribus de Familia, & eorum Generali ac Provincialibus Vicariis, auctoritate, ſcientia, poteſtate & tenore præmiſſis ſubjicimus, & ipſis Fratribus dictæ Congregationis fratris Angeli ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponimus, ac in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ,ſi non paruerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientes incurrenda, ne contra in dictis inſtrumentis contenta directe vel indirecte aliquid attentare de cetero præſumant, inhibemus: & nihilominus dilecto filio Dominico de Jacobaciis, ſacri Palatii Apoſtolici noſtri cauſarum Auditori, Capellano noſtro, & almæ Urbis Vicario per præſentes committimus & mandamus, ut vobis per ſe vel alium in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtens, faciat præmiſſa omnia vobis ab omnibus quorum intereſt, inviolabiliter obſervari; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſcumque per Fratres dictæ Congregationis, ſeu per Procuratorem Ordinis Minorum obtentis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et inſuper, quia difficile foret præſentes noſtras originales litteras ad quæque loca opportune deferri, volumus, & per præſentes decernimus, quod earum tranſumptis, manu alicujus publici Notarii confectis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu dicti Vicarii Generalis munitis ubique in judicio & extra ea prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi eſſent præſentes originales litteræ exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die v. *Martii* MDXII. *Pontificatus noſtri anno* IX.

Anno 1510. n. 29. Congregatio Amadeorũ inſtauratur.

IX. Fratres inſuper Congregationis Amadei Hiſpani, quos diximus ſe Conventualibus aggregaſſe, nihilominus ſuam Congregationem conſervare volentes, ſuaque per ſe munia exercere abſque commixtione cum Conventualibus impenſe cupientes, obtinuerunt per vivæ vocis oraculum factum Antonio de Monte, tituli ſancti Vitalis Cardinali Papienſi, cujus ille teſtimo-

monium autbenticum exhibuit die XXIII. Aprilis, ut eis liceret Capitula celebrare ſecundum conſuetudinem, conſtitutiones & privilegia eis conceſſa, ſibique Vicarium præficere.

X. Sub menſes Januarii & Martii datas habeo pleraſque litteras Pontificis ad Franciſcum Zenum Vicarium Generalem, & fabricæ Vaticanæ Commiſſarium, quibus ampliora ſemper ei tribuit Pontifex privilegia & facultates. Sed cum eum deceſſiſſe Pontifex percepit, ſubſtitutum voluit Alphonſum Lonzanum Hiſpanum Madritenſem, & confirmatum Franciſcum a Leuco, ſive de Mediolano, a Zeno ſubrogatum in regno Neapolitano. En litteras Pontificias: quibus alias ſimiles poſtea dedit Timotheo Lucenſi Vicario Generali ſupradicto, quorum facultates & inſtitutiones Leo X. ſub initium ſui Pontificatus confirmavit. Alphonſus a Lōzana Commiſſarius fabricæ Vaticanæ.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XI. *DEputaveramus ad publicationem, & executionem Indulgentiarum & facultatum per Nos in favorem fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe conceſſarum in viginti quinque Provinciis quondam Franciſcum Zenum, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſorem, tunc in humanis agentem, dicti Ordinis Vicarium Generalem Citramontanum, Nuncium & Commiſſarium noſtrum, ut in noſtris deſuper ſub plumbo dictarum facultatum & indulgentiarum & deputationis hujuſmodi litteris, ſub Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MDIX. III. *Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* VII. *quas hic pro inſertis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem præfatus Franciſcus nuper in humanis agere deſierit, & Nos cupiamus opportunitati dictæ fabricæ ſalubriter conſulere, ac ne ab eodem ſubſtituti, & alii Chriſtifideles ſtimulum aliquem conſcientiæ patiantur, providere: confidentes plurimum in Domino de fide, diligentia & bonitate dilecti filii Alphonſi Lonzani de Madrid, Ordinis prædicti profeſſoris, de quo plenam in Domino fiduciam obtinemus, eumdem Alphonſum, loco dicti quondam Franciſci Zeni, dictarum facultatum & Indulgentiarum noſtrum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium cum ſimilibus poteſtate, auctoritate & arbitrio tenore præſentium ſubſtituimus, ſubrogamus & deputamus in omnibus & per omnia, ac ſi prædictæ noſtræ ſub plumbo litteræ, cum inſertione & expreſſione nominis dicti Alphonſi, loco dicti quondam Franciſci Zeni, ac aliæ deſuper poſtmodum minime expeditæ fuiſſent. Volumus autem, ut ſubſtitutio de dilecto filio Franciſco a Leuco dicti Ordinis profeſſore, in regno Neapolitano circa præmiſſa per dictum Franciſcum Zenum facta, quoniam ejus laudabilia & fructuoſa opera in dies magis eluceſcunt, cum ipſis indulgentiis & facultatibus duret & valeat. Mandantes omnibus & ſingulis prædictis, ut eumdem Alphonſum loco dicti Franciſci Zeni recipiant & admittant, & pro illo habeant & obſervent, eique in commiſſione & deputatione præmiſſis, prout dicto quondam Franciſco faciebant ſeu facere debuiſſent, faveant & aſſiſtant, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula quæque loca, ad quæ expediens fuerit, deferri, volumus, ut earum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeu dicti Alphonſi munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XVII. *Aprilis* MDXII. *Pontificatus noſtri anno* IX. Ex originali.

XII. Hoc

XII. Hoc anno inſignem habitam fuiſſe diſputationem de Conceptione Virginis Mariæ coram Hercule Eſtenſi Duce Ferrarienſi, partes Prædicatorum ſuſtinente Vincentio Bandello Inſubre de Caſtronovo, & adverſas Minoritis graviſſimis, ſcribit Petrus Rodulphus; ſed longe ante hunc annum præceſſit iſta diſputatio, uti alias narravimus. Errandi fortaſſis cauſam tribuit liber ejuſdem Bandelli de hac diſputatione iſto anno recuſus.

Rodul. fol. 244. Tom. 14 anno 1477. n. 1. Vide quæ diximus lib. de legatione ora. 5. ad Paulum V. Gonz. in Provin. S. Antonii Conv. 9. Conv. Tarviſii.

XIII. Cum Veneti hoc tempore undique bello contererentur, nihil omiſerunt, quod tuendis urbibus, quæ poſt deperditas pleraſque ſupererant, conducere judicabant. Extra Tarviſium Cœnobium erat Minorum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ a Jeſu, quo per hoſtes occupato, Civitas potuiſſet offendi. Illud itaque ſub hunc annum demoliti, Fratribus facultatem & auxilium præſtiterunt, ut intra urbis mœnia aliud ſub eadem invocatione conſtruerent. Ita piis tam Senatus, quam particularium civium eleemoſynis adjuti ſunt, ut brevi aliud ſibi commodius & amplius poſuerint domicilium, Templo præſertim magnifice conſtructo. Tertio Januarii die, anno primo ſui Pontificatus, qui in annum recidit MDXIV. non in MDXIII. ut habet Gonzaga, Leo X. hujus Cœnobii ædificandi facultatem conceſſit. Sed vel tunc non conceſſit, vel denuo conceſſit: dabo enim in Regeſto ſub annum MDXIX. hujuſmodi conceſſionis diploma. Eccleſia conſecrata eſt anno MDLXXII. die XXVII. Julii.

Idem in Provin. Baſilicat. Conv. 8. Conv. S. Martini.

XIV. Similis apparuit incolarum oppidi ſancti Martini, Anglonenſis diœceſis in Baſilicata erga Fratres benevolentia. Cum enim primum Cœnobium, ſub titulo ſancti Franciſci circa hunc annum fortuito corrueret, poſt aliquot annos illud oppidani refecerunt, firmiori opere conſolidarunt, pluriumque Fratrum capax reddiderunt.

Ibidid. Conv. 9. Conv. Laurentiani. Fr. Ægidius laicus.

XV. Prope oppidum Laurentiani in eadem Baſilicatæ regione conſtructum eſt circa hunc annum aliud Obſervantum domicilium, ſub invocatione ſanctæ Mariæ ad Nives, ſumptibus oppidanorum, in quo Fratres ferme viginti experiuntur quotidie populi erga ſe benevolentiam. Hic jacet Ægidius Laurentianus laicus vir ſanctiſſimus, omni virtutum genere excultus. Multis infirmis ſalutem ſuis precibus reſtituit, aliiſque diem obitus, futuroſque caſus prædixit. Poſt ſexennium cum alium Fratrem eo loco, quo ſepultus erat, Conſodales tumulare vellent, inventum eſt ejus corpus ſanum & illæſum, etſi ſepulcrum fuerit copioſa aqua perfuſum. Honeſtiori loco reconditum, a Lauretianis in veneratione habetur. Gavardi, quod Brixienſis diœceſis oppidum eſt, a Brixia XV. M. P. ſemotum, ſub hunc annum conſtructum eſt humile Obſervantum Cœnobium, ſub titulo ſanctæ Mariæ. Oppidani in terra ſterili & petroſa vitam agunt laborioſam, ſed Fratribus qua poſſunt, ſubveniunt caritate.

Conv. Gavardi. *Idem in Provin. Brixiæ Conv. 28.*

Conv. Tenariſæ. *Idem in Provin. Canariæ Conv. 4.*

XVI. Inter inſulas Canarias celebris eſt illa, quæ Tenariſæ appellatur, quam ſub hunc annum Regibus Catholicis ſubdidit Alphonſus Ferdinandez Lugo, Hiſpanæ claſſis Præfectus, devictis inſulanis, implorato ſancti Michaelis Archangeli patrocinio. Ne itaque tanto patrono, cui victoriam ſe debere fatebatur, ingratus videretur, eo ipſo in loco, quo commiſſo prælio, hoſtes contrivit, prope urbem Lacunæ Minoritis, qui ſtrenuam operam eo in conflictu ſuis adhortationibus & laboribus contra Gentiles præſtiterunt, amplum conſtruxit Cœnobium, jacto ſuis manibus lapide primario, reſervato ſibi ſuiſque poſteris principe ſacello. Fabricam diligenter promoverunt Fratres, auxiliantibus perdevotis viris Petro Lugo, & Lupo Fernandez. Habitarunt hic per annos triginta & ultra Fratres ferme quadraginta, donec adveniente fratre Petro Hiſpalenſi Canariarum Cuſtode, adve-

vectiſque aliquot Clariſſis, fecit ut Fratres loco cederent, ita etiam civibus cupientibus, & ad ſancti Sebaſtiani Xenodochium ſe conferrent, converſo illorum domicilio in Clariſſarum Monaſterium; ſed extructo poſtea Sororibus loco tutiori intra urbis mœnia Parthenone, anno MDLXXVI. Fratribus ſuum reſtitutum eſt Cœnobium.

XVII. Duo nobiles adoleſcentes, filii Domini de Guarrault in Gallia habitum ſuſceperunt Minorum; genitor vero ne illa portione hæreditatis, quæ eos contingebat, defraudari viderentur, in eorum gratiam Conventum Montiſguiſcardi, quod Aquitaniæ oppidum eſt, hoc anno conſtruxit. Oppido tamen ab hæreticis anno MDLXVIII. expugnato, Fratribuſque inde pulſis, poſt compoſitam inter Catholicos & hæreticos pacem, cœpit reſtaurari. Illic pauculi Fratres commorantur, ſubjecti periculis & invaſionibus hæreticorum, a quibus per totum illum ferme tractum obſidentur. Idque probavit venerabilis Pater Antonius Abbas hujus loci Guardianus, qui, cum aliud vicinum oppidum peteret, rebus ſunrum ſubditorum conſulturus, ab hæreticis interceptus, illuſtre ſubiit martyrium, conſtantiſſime perſeverans in fidei Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ auctoritatis confeſſione.

Conv. Montiſguiſcardi. *Idem in Provin. Aquit. Conv. 32.*

Fr. Aotonius Abbas ab hæreticis occiſus.

XVIII. Hoc anno Franciſcus de Nelvenſe Remolinus, Cardinalis Archiepiſcopus Panormitanus per ſuum Vicarium Diomedem Spes, veteres Archiepiſcopales ædes dedit pro conſtruendo Monaſterio Clariſſarum ſub annuo cenſu viginti aureorum, opus promoventibus Eulalia & Birgitta de Diana germanis Sororibus ejuſdem Inſtituti. Inſigne & numeroſum evaſit Monaſterium, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Monte Oliveto, vulgo dictum *Abbatia nova*.

Monaſt. Panormitanum. *Pyrrus in not. Panormit. fol. 222.*

XIX. Intra Montilliæ oppidi regni Granatenſis mœnia hoc anno Maria a Luna Plicenſium Marchionis filia, ex ea, quæ ſibi obvenerat, hæreditaria portione Monaſterium Clariſſarum ſub Regula Urbani IV. in quo quinquaginta degunt Moniales, conſtruxit, in eoque ſuſcepto Regulari habitu, religioſiſſime vixit, & ſanctiſſime deceſſit. Ejus pietatem æmulata ſoror Eliſabetha a ſancto Jacobn, adeo in omni virtute profecit, ut pro ſuo voto exaudita, participarit Chriſti dolores, & Angeli Cuſtodis præſentia ſub mortem meruerit confortari. His adnumeranda venit ſoror Mentia a ſancto Martino, prima hujus loci Abbatiſſa, aſſiduæ orationis, & mirabilis abſtinentiæ fœmina, in cujus tranſitu auditi ſunt Angeli cantantes illum Pſalmiſtæ verſiculum: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata*. Habentur hic pretioſæ Reliquiæ, partim a Germanorum Imperatrice Maria, partim a Gometio a Figueroa Ferianorum Duce, donatæ.

Monaſt. Montilliæ. *Gonz. in Provin. Granata Monaſt. 16.*

Soror Maria e Luna.

Soror Eliſabetha a ſancto Jacobo.

Soror Mentia a S. Martino.

Pſalm. 50. 10.

XX. In eodem regno, & Provincia Granatenſi hoc anno quædam piæ fœminæ impetrarunt a Julio Pontifice, ut intra urbis Velez Malagæ, ſub tertia Regula ſancti Franciſci poſſent ſibi domum ædificare, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratia. Conſtructam propriis facultatibus domum inhabitarunt uſque ad annum MDXL. ſub Epiſcopi regimine. Cum vero ad majorem perfectionem aſpirarent, Illuſtris matrona Beatrix ab Arellano, Chriſtophori Pontii e Legione vidua, commodum & pulchrum eis Monaſterium extruxit, ſub titulo Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, ſecunda Regula ſanctæ Claræ, & Miniſtri provinciæ Granatenſis Ordinis Minorum obedientia.

Monaſt. Velez. *Indic. Monaſt. 15.*

XXI. Archidiaconus quidam Methymnæ-cœli, & Maria Mexia Madritenſis ſeparatim aliquot bona teſtamento legarunt pro fundando Madriti Monaſterio Conceptionis Virginis Mariæ. Sed cum neutra pars facultatum

Monaſt. Concep. Madriti. *Idem in Provin. Caſtellæ Mon. 24 Salaz. lib. 3. cap. 11.*

tum ſundationi ſufficeret, auctoritate Franciſci Cardinalis Ximenii Archiepiſcopi Toletani, cui Madritenſis villa ſubjecta eſt, necnon Julii Pontificis diplomate, unita univerſa ſumma, conſtructum eſt Monaſterium prope Eccleſiam veterem ſancti Petri, evocatis duabus Sororibus reliquarum magiſtris ex Monaſterio Conceptionis Toletano. Cum vero ille locus aliquanto anguſtus eſſet & incommodus, pia fœmina Beatrix Galindez, Fedinandi Ramirez Catholicorum Regum Ferdinandi & Iſabellæ ſecretarii conjux, Reginæ a cubiculo, & a litteris latinis, aliud nobilius & elegantius eis ædificavit domicilium ſub eodem titulo Conceptionis, reſervato ſibi jure patronatus. Hoc ipſo anno ad hoc Monaſterium tranſierunt Sorores, quarum curam ſuſcepit Franciſcus ab Angelis, Vicarius provinciæ Caſtellæ, ejuſque procuratorio nomine Alphonſus ab Arevalo Guardianus Madritenſis. Prima hujus novi Monaſterii Abbatiſſa fuit Joanna a ſancto Franciſco, quæ ex Monaſterio Turrigiano cum Catarina Evangeliſta, & Maria a Spe ad iſtud translatæ ſunt. Tria habent capita ſociarum ſanctæ Urſulæ, quæ dono acceperunt a Maria Auſtriaca Philippi II. Regis Catholici ſorore, Germanorum Imperatrice. Confluentibus huc pluribus virginibus, quam domus poſſet recipere, ut ſe continuis liberarent moleſtiis, impetrarunt Sorores diploma, ne ultra quinquaginta poſſet numerus excreſcere.

Avila in theatr. Salaman. c. 8.

XXII. Benedicta Peruſina Soror Tertii Ordinis hoc anno Aſſiſii pro hujus Inſtituti ſectatricibus domum ædificavit ſub titulo Conceptionis, quæ a fundatrice Virginum Benedictinarum cognominatur. Vivunt hic Sorores ferme quadraginta.

Monaſt. Concep. Aſſiſii. *Gonz. in Provin. S. Franciſci Monaſt. 18.*

XXIII. Paſſi Obſervantes varias moleſtias a Patribus Conventualibus & Reformatis, qui ſub illorum militabant obedientia, necnon ab aliis Ordinibus Mendicantibus, a Julio Pontifice has litteras impetrarunt.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus & provincialibus, & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia ſive de Familia nuncupatis.

Ex reg. Ultramont. Ord. fol. 7.

Pontifex cavet indemnitati Obſervantum.

Dilecti filii &c. Exponi nobis nuper feciſtis, quod licet per ſacrum Conſtantien. Concilium, ac fel. rec. Eugenium IV. Nicolaum V. Pium II. Paulum etiam II. & Sixtum IV. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac per ſpeciales litteras noſtras, quas cum multa maturitate conceſſimus, ſtatutum & ordinatum fuerit, quod vos per omnes mundi provincias de Romani Pontificis licentia novas domos ædificare, & ſponte oblatas etiam per Miniſtros & Cuſtodes recipere, verbum Dei prædicare, & juxta Regulam ſancti Franciſci, quam voviſtis, de eleemoſynis humiliter mendicatis, ſeu a Chriſtifidelibus pie oblatis, ſecundum modum in Regula veſtra expreſſum vivere, ac omnibus & ſingulis privilegiis Ordini Fratrum Minorum conceſſis, dummodo non ſint contra prædictam ſancti Franciſci Regulam, gaudere poſſitis: quodque alii Fratres Minores Conventuales etiam ſub Miniſtris reformati, non debeant vos in prædictis vel eorum aliquo quomodolibet impedire; prout hæc & alia in prædictis litteris Apoſtolicis latius continentur. Nihilominus nonnulli Miniſtri provinciales, & Fratres Conventuales, & alii qui etiam de Obſervantia ſub Miniſtris ſe nominant, & nonnulli aliorum Mendicantium Ordinum Religioſi, paſſione, ut creditur, ducti, falſo aſſerentes, malitioſe fingentes, & coram populi multitudine publice prædicantes vos non eſſe de Ordine Minorum vel Mendicantium, modis quibus poſſunt, conantur vos impedire & cohibere, ne in locis ubi prædicti Conventuales & alii

alii Religioſi ſupradicti, ac etiam vos prædicare & mendicare conſueviſtis, eos in prædicando & mendicando prævenire debeatis vel poſſitis, imo nonnulli ex eis hujuſmodi prædicationes & mendicitates vobis in hujuſmodi locis totaliter auferre, jactantes ſe litteras a Sede Apoſtolica idipſum in ſe expreſſe continentes obtinuiſſe, & plura alia attentantes in grave veſtrum, & Chriſtifidelium ſalutis præjudicium. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos per univerſam Chriſtianitatem ob devotionem Chriſtifidelium, & præſertim tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium Principum ad vos affectum, valde multiplicati fueritis, & huc uſque laudabiliter ſecundum veram ſancti Franciſci Regulam in ſumma paupertate vivatis, & ſic vivere cupiatis in futurum, etiam ab initio familiæ, & locorum vobis datorum in pacifica poſſeſſione vel quaſi, & uſu prædicandi & mendicandi in veſtris locis & terminis cum magna ædificatione Cleri & populi fueritis, nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis ſuper his opportune providere paterna caritate dignemur. Nos igitur, qui ſub Religionis jugo Domino famulantes vos libenter proſequimur favore gratiæ ſpecialis, attente conſiderantes, vos eſſe veros ſancti Franciſci filios, & imitatores in arctiſſima paupertate fundatos, & privilegio Mendicantium ob religioſæ & exemplaris vitæ meritum gaudere debere, vos & veſtrum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati eſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis quod verbum Dei populo proponere, & veſtras eleemoſynas temporibus & locis conſuetis petere & recipere, juxta quod vobis ex ſancti Franciſci Regula & conſtitutionibus Apoſtolicis permittitur, prædictorum Conventualium, & aliorum Mendicantium Ordinum Fratrum adventu & proventu minime expectatis, libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, cum ad hoc venerabilis fratris noſtri Dominici Epiſcopi Portuen. dicti Ordinis Protectoris, ac dilecti filii Gomecii, totius Ordinis prædicti Vicarii, Miniſtro ad præſens carentis, expreſſus accedat aſſenſus, concedimus; ac Conventualibus prædictis, & aliorum Mendicantium Ordinum præfatorum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo incurrenda, ne vos per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte circa præmiſſa producta, vel ipſorum aliquod impedire ſeu moleſtare præſumant, præcipimus & mandamus. Mandantes nihilominus univerſis Conſervatoribus ſeu Judicibus, quatenus ipſorum ſinguli per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos conceſſione, præcepto & mandato prædictis pacifice gaudere, non permittentes vos per Conventuales & alios Mendicantium Ordinum Fratres prædictos, ſeu quoſcumque alios deſuper quomodolibet indebite moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac cenſuras ipſas contra ipſos aggravando & reaggravando. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, ſeu quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque: aut ſi Conventualibus, & aliorum Mendicantium Ordinum Fratribus prædictis vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam

Obſervantes veri S.Franciſci filii.

 & ex-

& expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus de eis fides forſan facienda fuerit, loca deferre, etiam volumus, & dicta Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, in judicio & alibi, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, XVIII. die Aprilis MDXII, Pontificatus noſtri anno IX.

Privilegia.

XXIV. Multi Fratres prætextu variarum litterarum Apoſtolicarum extra Ordinem vivebant, ad alias Religiones tranſibant, multiſque rebus ſe immiſcebant, quæ Religioni non expediebant. Remedium hoc anno adhibuit Pontifex, graviſſimo emiſſo diplomate: *Exponi nobis*. die penultima Martii. Conceſſit inſuper ampliſſimam facultatem Vicario Generali Obſervantum familiæ Ultramontanæ ædificandi domos pro uſu & habitatione Fratrum ſui Ordinis in Civitatibus & villis, ad quas vocati fuerint, non obſtante Bonifacii VIII. prohibitione: *Exponi nobis*. die XV. Januarii. Hoc idem conceſſum fuit Fratribus anno MDIX. Breve videri poterit in Regeſto illius anni.

ARGUMENTUM.

Moritur Julius II., ſuccedit Leo X. Magnum capit incrementum res Chriſtiana in Indiis Occiduis, ſed & in Orientalibus, præſertim in regno Congenſi. Ad Hiſpaniæ & Galliæ Reges ultro citroque mittuntur Nuntii Franciſcani. Pontificis item Nuntii & Commiſſarii ex iiſdem inſtituuntur. Comitia Generalia Patrum Conventualium celebrantur, necnon Obſervantum Ciſmontanorum. Occurrit mentio multorum virorum pietate illuſtrium. Ædificantur Cœnobia.

Moritur Iulius II.

I. JULIUS Pontifex in turbulento Chriſtiani orbis ſtatu, magnaque Italiæ calamitate, poſt illatas acceptaſque a Gallis, quibus Italia pellendis vehementer incubuit, graviſſimas clades, poſt celebratam ſeſſionem quintam Concilii Lateranenſis, quod conciliabulo Piſano paucorum ſegregum Cardinalium oppoſuit, in limine ferme hujus anni, IX. Kalend. Martii, lenta tenacique febre conſumptus, ſacramentis Eccleſiæ religioſe ſuſceptis, monitiſque Cardinalibus, ut Apoſtolica Sede dignum, & qualem afflicti orbis neceſſitas requirebat, ipſi Pontificem eligerent, non vero rem hanc, omnium maximam, dubiis variiſque Concilii ſuffragiis committerent; ex hac vita anno ætatis ſeptuageſimo ſublatus eſt, poſtquam Eccleſiam Dei annos novem, menſes tres, dies viginti unum, ſumma rerum viciſſitudine gubernavit. Sepultus eſt cum patruo ſuo Sixto IV. in Baſilica Vaticana.

Succedit Leo X. Spondan. in epit. Baron. anno 963. n. 1.

II. Novendialibus peractis, conclave ingreſſi Cardinales viginti quatuor, V. Idus Martii, Julio ſubſtituerunt Joannem Cardinalem Mediceum Diaconum ſanctæ Mariæ in Domnica, Florentinum, Laurentii tota Italia celeberrimi filium, qui, mutato nomine, Leo dici voluit, ejus appellationis X., licet alii IX. dicant ſupputandum. Presbyter & Epiſcopus a Raphaele Cardinale Oſtienſi conſecratus, & inauguratus XIV. Kalendas Aprilis, magnam indidit ſpem univerſo orbi Chriſtiano illum præſtantiſſimum fore

fore Pontificem; ita enim Patris clara virtutis memoria, ipſius liberalitatis comitatiſque fama, optimi mores, & ſumma erga viros doctos propenſio certiſſime ſpondebant.

III. In Occiduis Indiis piorum hominum commiſeratio erga reductas in Hiſpanorum poteſtatem provincias & inſulas, ſubjectaſque nationes, dominante in victoribus & militibus ſumma imperandi habendique libidine, eos extimulavit, ut miſeram Indorum Ferdinando Regi patefacerent conditionem. Multa quidem ille, adhibita doctorum optimorumque virorum conſultatione, ſalubriter decrevit, corporum injuriis, animæque neglectui opportuna adhibens remedia. Præ reliquis vero ſtatuit, ut Præfectorum & Magnatum filii, qui tertium decimum non excedebant annum, Franciſcanis traderentur per quadriennium in fide inſtruendi, a quibus etiam legendi ſcribendique rationem addiſcerent, & demum ſuis patribus redderentur. Ita factum eſt, ut præcipuæ familiæ horum puerorum adoleſcentumque magiſterio facilius fidem Chriſtianam perciperent, & ab illis ad ſubditos & populos tamquam ſtillicidia, ſacra dogmata deſcenderent. Hinc ortum habuere frequentia illa & numeroſa, quæ ubique habent Franciſcani puerorum ſeminaria, quæ uſitato nomine *Chriſtianitates* appellantur, in quibus ſcilicet Indorum filii Chriſtianis rudimentis imbuuntur. Incredibile quanto id fructu factum ſit, quantumque Franciſcanorum opera per Hiſpaniolam adjacenteſque inſulas fides Chriſti incrementum hoc tempore acceperit, ſacro baptiſmate multis Indorum millibus intinctis.

Herrera deciſ. 1. lib. 9. cap. 14. Pro regimine Indorum multa ſalubriter inſtituūtur.

IV. In Orientalibus Indiis, & Æthiopiæ regionibus non minus illuxit Emanuelis Luſitani Regis pietas, qui cum eſſet ſtudio Chriſtianæ religionis propagandæ vehementer ſuccenſus, id cupiebat, ut armis quibuſcumque tam humanis, quam Divinis, omnes impietatis opes & munimenta convelleret. Itaque in India & in Æthiopia operam dabat, ut gentes a Chriſti placitis alienæ, ad illius ſanctiſſimum cultum ſanctorum hominum monitis & diſciplinis adducerentur. Et cum animadverteret regnum illud Æthiopiæ, quod appellant *Congo*, fuiſſe jam a tempore Joannis Regis Chriſti diſciplinis illuſtratum, in idem ut opus perficeretur, incubuit. Idcirco, ut dictum eſt, multos ſacerdotes pietatis opinione præſtantes, in illam regionem miſerat, ut eos qui nondum erant luſtralibus aquis expiati, ad Chriſti fidem perducerent; & qui jam Chriſto nomen dederant, clariore diſciplina confirmarent.

Oſor. de rebus Emanuel. l. 8.

Mittuntur Operarii in Æthiopiam.

V. Sub hoc igitur tempus, hominem e ſuis domeſticis equeſtri dignitate præſtantem ad eumdem Congenſem Regem cum pluribus ſacerdotibus, inter quos non pauci fuerunt Franciſcani, virtute & doctrina præclari, necnon ſacras veſtes ad rem Divinam ſanctius peragendam miſit, ut eum acrius ſtudio Chriſtianæ pietatis incenderent. Rex hac Emanuelis benignitate provocatus, in Luſitaniam filium ſuum, Henricum nomine, cum fratre ſuo & pueris nobilibus miſit, ut linguam Luſitanam & Latinas litteras, & ſanctarum rerum diſciplinam perdiſcerent. Cum iis venit legatus quidam illius, Petrus nomine, non vulgari prudentia præditus, cum quo Rex Emanuel libentiſſime conferebat. Ille ut diutius in Luſitania verſaretur, uxorem ſecum duxit, quæ fuit a Regina Maria multis donis atque muneribus affecta. Emanuel, cum omni comitate gentem illam univerſam ad Chriſtum allicere contenderet, Regis fratrem & filium cum reliquis pueris in diſciplinam viris religioſis & eruditis tradidit, qui eos litteris latinis, & religioſis moribus atque inſtitutis imbuerent. Deinde Simonem Silvium hominem apprime nobilem, ad illum cum muneribus legavit. Qua ratione factum eſt, ut ſtabili-

Rex Luſitaniæ mittit legatū ad Congi Regem.

Et hic ad Luſitanum.

bilito inter utrumque Regem firmo amicitiæ fœdere, firmatiſque ſacerdotum ſedibus, continuum incrementum in illo Regno ſuſceperit fides Chriſtiana.

Rex Hiſpaniæ mittit Minoritas legatos in Galliam. *Belcar. in comment. lib. 14.*

VI. Duos Franciſcanos hoc anno a Ferdinando Rege Catholico ad Annam Galliæ Reginam miſſos, ut publicam totius Chriſtianiſmi pacem, aut privatam inter duos Reges procurarent, ſcribit Franciſcus Belcarius, Metenſis Epiſcopus. Atqui alios duos Franciſcanos pietate & litteris præclaros ab eadem Regina, fœmina religioſiſſima, pacem curante, ad Ferdinandum Legatos Pintiam ſub menſem Auguſtum, adhibito itineris ſocio Jacobo quodam Hiſpano, Reginæ familiari, perveniſſe ſcribit Alvarus Gomeſius: quid vero attulerint, aut quid peregerint, ſibi eſſe incompertum. Id autem in comperto eſt, Annam pacis ſtudio curaſſe hos legatos ultro citroque mitti, nihil tamen conſecutam: quia (uti teſtatur Belcarius) Ludovicus, Annæ conſors, ad pacis fœdera induci non potuit, niſi reſtituto per Ferdinandum regno Navarrico, quod injuſte prætendebat occupatum.

Gomeſ. de reb. Ximen. lib. 5.

VII. Diximus anno ſuperiori, Julium II. ſuos inſtituiſſe Commiſſarios & Nuncios Timotheum Lucenſem, & Alphonſum Madritenſem pro colligendis ſubſidiis fidelium fabricæ ſancti Petri in Vaticano deſtinandis. Sed cum Leo Pontifex in ipſo ſui Pontificatus limine revocaverit omnes facultates & Indulgentias a ſuis Prædeceſſoribus conceſſas, a multiſque dubitatum fuerit, an & horum Nunciorum auctoritati fuerit derogatum? ſequentibus litteris voluit ſignificatum eam integram, illæſamque remanſiſſe.

Leo confirmat Nuncios fabricæ S. Petri.

Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex originali.

VIII. *Decens reputamus, ut in noſtris & Prædeceſſorum litteris Apoſtolicis difficultates & dubia, provida declaratione tollamus: maxime cum id fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe cognoſcamus in Domino ſalabriter expedire. Dudum cum fel. rec. Julius Papa II. prædeceſſor noſter ſummo deſiderio afficeretur Baſilicam ipſam ad perfectionem deducere, & propter graviſſimas impenſas, quas tunc pro tuitione & defenſione libertatis Eccleſiaſticæ ſubire coactus fuerat, & quotidie ſubire cogebatur, non valens tantum opus ex Romanæ Eccleſiæ facultatibus perficere, & alia ſibi incumbentia onera perferre, niſi piis Chriſtifidelium ſuffragiis adjuvaretur; litteras indulgentiæ plenariæ porrigentibus manus adjutrices ad fabricam Baſilicæ hujuſmodi conceſſæ, cum facultatibus, & aliis in eis contentis clauſulis ad unum annum,* XII. *die menſis Januarii, tunc proxime futuri inchoandum, & deinde ad ejus beneplacitum, necnon ultra provincias, inſulas & loca in dictis litteris deſcripta, & ſub illis contenta ad omnia loca & Cantones Helvetiorum per alias ſuas litteras extendit & ampliavit: & loco quondam Franciſci Zeni Nuntii & Commiſſarii in prioribus litteris deputati, tunc defuncti, dilectos filios Timotheum de Luca, Ciſmontani Ordinis Fratrum Minorum,* de Obſervantia *nuncupatorum Provinciarum, ſecundum morem dicti Ordinis, Vicarium Generalem, & Alphonſum Lonzanum de Madrit dicti Ordinis profeſſorem, & eorum quemlibet in ſingulis Provinciis, inſulis & locis, ac Cantonibus, tam in prioribus, quam poſterioribus, in quibus priores præinſertæ erant, expreſſis & contentis ſeu comprehenſis, ſuos & Apoſtolicæ Sedis Nuntios ſive Commiſſarios cum omnibus & ſingulis facultatibus & auctoritatibus etiam inhibendi quibuſvis aliis Commiſſariis, alias eidem Franciſco Zeno quoad præmiſſa exequenda conceſſit, fecit, conſtituit & deputavit;*

tavit; ipſaſque omnes & ſingulas facultates, eidem Franciſco Zeno, & ab eo ſubdelegatis Commiſſariis in præmiſſis conceſſas, præfatis Timotheo & Alphonſo, & eorum cuilibet, necnon ſubdelegatis, & deputatis ac deputandis ab eis & eorum quolibet, quoad prædicta omnia & ſingula, in ambabus litteris etiam conceſſit, præmiſſaque omnia & ſingula ad eos, & deputandos ab eis, & ipſorum quoslibet, etiam dicto anno prorogato, & ejus beneplacito durantibus extendit, prout in poſterioribus litteris prædictis plenius continetur. Cumque a nonnullis propter generalem omnium & ſingularum indulgentiarum, quibuſcumque locis per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros tunc conceſſarum revocationem in craſtinum aſſumptionis noſtræ per nos factam, Indulgentias per præfatum Julium prædeceſſorem fabricæ Baſilicæ bujuſmodi conceſſas, revocatas eſſe, & propterea de validitate dictarum litterarum, & facultatibus in eis contentis, & illarum vigore per Timotheum & Alphonſum præfatos poſt aſſumptionem noſtram hujuſmodi geſtis dubitetur. Nos igitur, qui mente non geſſimus indulgentias pro fabrica hujuſmodi per Julium prædeceſſorem ad dictum tempus conceſſas revocare aut ſuſpendere, ne fabrica hujuſmodi mentis noſtræ affectu fruſtretur, pro eo quod de illa alias non apparet, motu proprio atteſtamur, & fidem facimus, in regulæ revocatoriæ Indulgentiarum hujuſmodi editione, & illius in Cancellaria publicatione, Nos indulgentias pro fabrica hujuſmodi conceſſas, & litteras prædictas nominatim excepiſſe, ac voluiſſe nullum Timotheo & Alphonſo præfatis per regulam revocatoriam ſimilium Indulgentiarum hujuſmodi præjudicium generari, quominus ipſe Timotheus & Alphonſus, & eorum deputati litteris & facultatibus in eis contentis hujuſmodi uti poſſent & deberent, perinde ac ſi regula revocatoria hujuſmodi a nobis non emanaſſet. Ac ratificamus & emologamus omnia, quæ per Timotheum & Alphonſum præfatos aut delegatos vel ſubſtitutos eorum juxta litterarum Indulgentiarum Julii prædeceſſoris hujuſmodi tenorem poſt ipſius Julii obitum geſta fuerunt. Decernentes ad probationem mentis noſtræ hujuſmodi præſentes litteras ſufficere, & alterius adminiculum non requiri, ſicque per quoſcumque Auditores & Judices, etiam S. R. E. Cardinales, in quavis cauſa litteras Julii prædeceſſoris hujuſmodi contingente, in Romana Curia & extra eam judicari & interpretari debere, ſublata cuilibet eorum quavis aliter judicandi & interpetrandi facultate & auctoritate, ac ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis. Volumus autem, & præfata auctoritate decernimus, quod harum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ, quoniam difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. *Octobris* MDXIII. *Pontificatus noſtri anno* 1.

IX. Hoc anno (non præcedenti, uti aſſerit Marcus) die XV. Maii habita ſunt Comitia Generalia Patrum Conventualium Aſſiſii, in quibus electus eſt Miniſter Generalis Bernardinus Pratus a Cherio Ligur, ſacri Collegii Bononienſis Magiſter, Romæ in Eccleſia ſancti Petri Pœnitentiarius, vir morum honeſtate præclarus. Annis tribus Ordinem ſumma rexit prudentia. Gomeſius autem Luſitanus Vicarius Generalis, qui ab obitu Philippi Bagnacavallenſis uſque ad iſtud Capitulum Ordinem rexit, aſſumptus eſt a Pontifice ad Epiſcopatum. N. pauloque poſt e vivis deceſſit.

Marc. l. 8. c. 37. Capit. Generale 307. Aſſiſi. Bernardin. Pratus Miniſter Generalis.

X. Vi-

Reg. ordinis. Moritur Timoth. Lucenſis.

X. Vicarius Generalis Obſervantum familiæ Ciſmontanæ Timotheus Lucenſis hoc anno die XXIII. Octobris deceſſit in Cœnobio Senenſi, ſancti Bernardini. In officio Commiſſariatus ſucceſſit Bernardinus Ptolomæus Senenſis, rexitque uſque ad menſem Junium anni inſequentis.

Et Franciſcus Petri. *Rodul. fol.* 154. *Daza. l.* 1. *c.*28. *Bove. an.* 1524. *n.* 36. *Tom.* 11. *anno* 1445. *n.* 28. Item Archangelus a Campobaſſo. *Marc. cit.*

XI. Obiit hoc anno in Cœnobio ſanctæ Crucis Florentiæ Franciſcus Petri, nobili Gororum familia natus in Monte Politiano, præclaro Etruriæ oppido, Regularis Obſervantiæ egregius promotor, virtutibus & ſanctitate vitæ præclarus. Prædixiſſe Capucinorum Inſtitutum refert Zacharias Boverius in ſuis Annalibus, & nos alias de illo diffuſius ſumus locuti. Circa hunc annum deceſſit in ſuæ patriæ Cœnobio Archangelus a Campobaſſo, Regularis Obſervanriæ ardens zelator, & Provinciæ ſancti Angeli Vicarius. Caſtitatis ſervandæ tanto ſtudio flagrabat, ut tentationem carnis perpeſſus, ſe in foveam nive & glacie plenam non ſemel injecerit. Inſigni fulgens pietate, ab omnibus ſummo honore colebatur. Ad ejus exequias univerſus accurrit populus, corpuſque per aliquot dies retinuit inhumatum, donec unuſquiſque pro ſua devotione illud tetigerat, multique veſtis particulas abſciderunt. Sepultus eſt loco peculiari extra commune Fratrum cœmeterium.

Cherubinus a Bergamo. *Marc. cit. c.* 38.

XII. In eodem Conventu Campibaſſi jacet Cherubinus a Bergamo, vir apud Deum tantæ efficaciæ in impetrando, ut cum ad preces piæ & nobilis fœminæ Britæ, ſive Birgittæ, uxoris Proregis Apuliæ, pro ejus filio moribundo in Conventu Nuceriæ Sarracenorum juberet ſuos Fratres ea, qua pollebat Guardiani auctoritate, ut orarent, & genitrici referret conceſſum filio diuturnioris vitæ ſpatium, ſubſtituto tamen ejus loco altero, qui in proximo debebat mori, paulo poſt compertum eſt eum obtinuiſſe, ut adoleſcens viveret, ipſe tamen pro eo moreretur. Etenim cum de reſtituta mirabiliter filii ſanitate genitrix ad eum rediret, gratias pro tanto beneficio redditura, dixit: *Gratias Deo invicem agamus, quod tu ſanum filium tuum receperis, & quod poſt tot ærumnoſæ vitæ miſerias, tamdem ex hoc corporis ergaſtulo animula mea liberetur. Hoc tuo filio debeo, pro quo e morte liberando rogavi, ut ego morti adjudicarer. Hoc magnis precibus tamdem impetravi: te itaque deprecor, ut evehendo hoc effæto corpuſculo, & imbelli ſeni transferendo ad Cœnobium ſanctæ Mariæ Gratiarum Campibaſſi, tuam accommodes mulam, illic enim infra paucos dies hoc debitum ſum ſoluturus:* Illa flens conceſſit, quod ille petierat, doluitque tanta pii hominis jactura redditi filii gratiam acceptam. Ille porro, ubi ad prædictum locum acceſſit, ædis præfecto narravit, quatenus ita viſum cum Deo paciſci, & proinde ſe illuc veniſſe ut moreretur. Illis diebus pauculis, quibus ſupervixit, ſe pie præparavit, prædictaque mortis hora, ſolitis Eccleſiæ Sacramentis procutus, ſancto fine quievit. Poſt mortem multos ab infirmitatibus, alios a variis afflictionibus ſua interceſſione liberavit.

Vitalis Albanus. *Marc. l.* 4. *c.*28. *& lib.* 8. *c.* 38.

XIII. In Conventu ſanctæ Mariæ de Valle aſpera ad Teſſam ejuſdem Provinciæ ſancti Angeli, jacet frater Vitalis Albanus laicus, in oratione ferventiſſimus, ita ut profluvio irrigatus lacrymarum ſæpe in aerem elevaretur, totus immerſus contemplationi rerum cœleſtium. Spiritu prophetico multa prænunciavit. Frater Gregorius Benignus Siculus hoc anno translatus eſt ab Epiſcopatu Callienſi ad Archiepiſcopatum Nazarenum in Regno Neapolitano; uti ſuo loco monuimus.

Gregorius Benignus Archiepiſcopus Nazarenus. *Anno* 1507. *n.*46.

Rodul. fol. 180. Conv. Variæ.

XIV. Hoc anno die undecima Junii in oppido Variæ in Provincia Siciliæ & Cuſtodia Meſſanenſi, Patres Conventuales locum obtinuerunt, ſub titulo Annunciatæ Virginis Mariæ. Ad M. P. ab oppido Campibaſſi, in media

dia ſilva, oppidanorum ſumptibus conſtructus eſt Conventus ſancti Joannis Fratrum Obſervantum, qui ob aquarum ceterarumque rerum neceſſariarum opportunitatem, conficiendis pro univerſa Provincia ſancti Angeli pannis pro Fratrum indumentis deſervit. Fridericus Neapolitanus Rex ſuaſu venerabilis Patris fratris Joannis Aragonii certum lanæ pondus ſingulis annis juſſit Fratribus pro hoc lanificio concedi. Miniſtri Regii commodius judicarunt pendere in annos ſingulos aureos quinquaginta, quibus Carolus V. Imperator utriuſque Siciliæ Rex alios addidit quinquaginta, & Philippus II. ejus filius alios centum adjunxit. Jacent hic frater Marcus Bononienſis, vir utique ſanctiſſimus, miraculis illuſtris, alius ab illo Marco Bononienſi, quem familiam Ciſmontanam Obſervantum non ſemel gubernaſſe, & Placentiæ ſepultum eſſe narravimus; necnon Franciſcus Aragonius, vir Marco per omnia ſimillimus, in cujus gratiam Sixtus IV. plenariam peccatorum remiſſionem ſtatuta anni die conceſſit Eccleſiam hujus loci viſitantibus; unde conficitur, domum hanc antiquiorem eſſe, quam aliqui contendunt. Ibidem etiam ſepulti ſunt Archangelus a Campobaſſo, de quo jam locuti ſumus, necnon alii viri religioſiſſimi. In ſacrario duorum Fratrum cum veneratione oſtenduntur capita, ex quibus quidam liquor, mannæ ſimillimus, emanabat.

Conv. S. Joannis Campibaſſi. *Gonz. in Provin. S. Angeli Conv. 6.*

Marcus Bononien. *Tom. 10. anno 1420. n. 56. & Tom. 12. anno 1449. & ſeq.* Franciſcus Aragonius.

XV. Apparuerat hoc anno beata Virgo Joanni Fulgoſo, ſimplici & pauperi agricolæ, diœceſis Aurienſis, ex Tanderæ oppido, prope Limiam fluvium, in regno Gallæciæ, juſſitque ut illo in loco ſibi Eccleſiam conſtrueret. Ille confeſtim pariturus, unicum, quem habebat, divendidit bovem, operique ſe accinxit. Multi irridebant miſellum, quod rem ſuis viribus ſuperiorem aggreſſus ſit: quorum aliquos Deus punivit, præſertim Alphonſum Diaz, virum prædivitem, qui Dei manum ſupra ſe gravem expertus, poſtea Divinæ voluntatis, inflictæque pœnæ præco publicus evaſit. Videns autem Alphonſus a Pina prædicti oppidi Dominus, & Saari, atque Junqueræ Prior, hominis in proſequenda fabrica conſtantiam, opemque non ſemel ei Divinitus præſtitam, ſtatuit totum opus in ſemet aſſumere. Ex propriis itaque facultatibus, multiſque piorum eleemoſynis Eccleſiam conſtruxit, domumque Minorum Obſervantum adjunxit. Eam Patres Provinciæ ſancti Jacobi in Comitiis Albæ anno MDXXII. celebratis ſibi oblatam acceptarunt, nomenque *boni Jeſu* indiderunt. Fulgoſus autem poſt beatæ Virginis apparitionem quotidie ſanctior effectus, virtute clarus migravit ad Dominum; ſepultuſque eſt prope Altare bono Jeſu dedicatum.

Conv. boni Jeſu. *Idem in Provin. S. Jacobi Conv. 31. Monumen. MSS. illius Provin.*

XVI. Franciſcus a Stunica, & Leonora Manrique Marchiones Aimontani hoc anno ſtatuerunt ædificare Conventum Minorum Obſervantum inter oppidum Lepæ, & pagum Turris Villæmarini, Hiſpalenſis diœceſis, ne utriuſque loci incolis, præſertim piſcatoribus deeſſent, qui ſpiritualia miniſtrarent animæ ſubſidia. Locum fabricæ delegerunt Eremitorium ſanctæ Mariæ pulchræ, tertio a Lepa lapide, uno tantum a prædicto pago ſemotum, non longe a mari Oceano, ubi Conventum viginti quinque Fratrum capacem conſtruxerunt. Tertio ab iſto loco lapide, prope mare inter quoſdam ſcopulos, Patrum Conventualium ſubſtitit Eremitorium, a quodam Franciſco Luxano Cordubenſi anno MCCCCXXXI. ædificatum, cenſuque annuo dotatum. Expulſis per Aimontanos Conventualibus, poſt aliquot controverſias & querelas contra expulſores Romam tranſmiſſas, tamdem locus devenit in Patrum Obſervantium poteſtatem: ſed corruente vetuſta domuncula, etiam hi receſſerunt. Jacet in Eccleſia Joannes Lepanus Henrico VII. Anglorum Regi ſumme familiaris, a quo impinguatus & locupletatus, parvuſ-

Conv. Lepæ. *Idem in Provin. Bætica Conv. 18.*

que Rex Angliæ dictus, rediit in patriam, ibique bonis omnibus affluens, hoc in loco voluit ſepeliri.

Conv. Villæ novæ de Scapha rupta. *Idem in Provin. S. Gabriel. Conv. 11.*

XVII. Prope oppidum Villæ novæ de Scapha rupta, quod ad Duces Ferianos ſpectat, hoc anno Dux loci Dominus, Cœnobium Obſervantum inchoavit, ſub titulo Dominæ noſtræ Rupis Amatoris, quod majori ex parte erectum poſt aliquot annos abſolvit devota matrona Blanca de Vargis. Amœnitas loci ſumma eſt, cum undique frondoſis, umbriferiſque nemoribus cingatur, & altiſſimorum montium longe patentium fruatur aſpectu. Præcipuum Templi ſacellum humandis Blancæ ejuſque ſucceſſoribus jure ceſſit patronatus. Hic deceſſit Franciſcus Moneus, vir admirandæ ſimplicitatis, abſtinentiæ, orationis, vigiliarum, & caritatis, qui martyrii zelo exeſtuans, Marrochium in Africa petiit, ibique fidem Chriſtianam conſtanter prædicavit. Saturatus opprobriis & injuriis, ad Chriſtianorum plagas remiſſus, reliquum vitæ in operibus bonis ferventius exegit. Corpus integrum & incorruptum, ſuaviter etiam redolens adhuc conſpicitur, & in veneratione habetur. Obiit hic inſuper Rodericus a Belviſio florida adhuc ætate, qui conſummatus in brevi explevit tempora multa, diemque ſui obitus prædixit. His adjunctus eſt Joannes a ſancto Michaele laicus pari præditus ſanctitate, Franciſcanæ paupertatis amantiſſimus, valde carus univerſis. Hic etiam ſepulturam nacta eſt Eliſabetha Lopetia, omni laude digniſſima, quæ zelo caritatis accenſa, quidquid bonorum poſt viri obitum eam contigit, pauperibus liberaliter erogavit. Domum quamdam a diro incendio ſigno Crucis miraculoſe vindicavit, aliaque patravit mirabilia.

Franciſcus Moneus.

Rodericus a Belviſio.

Joannes a ſancto Michaele.

Eliſabetha Lopetia.

Conv Narbonæ. *Idem in Provin. S. Ludov. Conv. 7. Tom 4. anno 1200 n. 62.* Conv. Jeduardiæ. *Idem in Provin. Scot. Conv. 9.*

XVIII. Hoc anno translatus eſt Conventus Narbonenſis intra urbis mœnia, deſtructo alio vetuſto propter bellorum incurſus, uti alias narravimus, in quo jacebat corpus beati Electi laici, dono ſanitatum præclari. Hoc etiam anno viri nobiles in Jeduardia Scotorum oppido, quod regnum illud ab Anglia diſterminat, Minorum Obſervantum domum ædificarunt: ſed irruentibus in Scotiam Anglis, combuſtum eſt, & ad nihilum redactum.

Monaſt. Volaterranum. *Idem in Provin. Tuſc. Monaſt. 1.*

XIX. Clariſſarum Monaſterium Volaterris in Etruria, a Raphaele Maffeo viro præclariſſimo, de Religione Franciſcana optime merito, ſub titulo ſancti Lini Papæ & martyris Volaterrani conſtructum, ad hæc tempora reducendum eſt. Etenim cum cætui Virginum & Viduarum in parvulo hoſpitio ſub Tertia Regula ſancti Franciſci degentium, inſigne Monaſterium centum & viginti Sororum capaciſſimum præparaſſet, hortos, ambitus & ædificia quæque neceſſaria muris cinxiſſet, nonniſi a Leone X. hoc anno ad Pontificatum aſſumpto, conſtructionis hujuſmodi confirmationem, & Sororibus illic victuris Regulam ſecundam ſanctæ Claræ præſcribi impetravit. Demum ipſe poſtquam multa Sanctimonialibus præſtitit beneficia, in hujus Monaſterii Eccleſiæ marmoreo tumulo ſepultus eſt. Multæ hic objerunt Virgines virtute & pietate inſignes, Maria de Burgo, cujus humilitas & orationis aſſiduitas fuit admirabilis; Apollonia Pighineſia Volaterrana, quæ multis precibus obtinuit, ut pateretur eoſdem dolores, quos ſanctus Franciſcus in ſacris ſenſerat Stigmatibus, & illa patientiſſime ſemper toleravit; Clara Palvia, quæ dum ferventius oraret, vidit in ſpiritu ipſa die Paraſceves anno MDLXIV. Chriſtum Dominum columnæ alligatum; Euſraſia Volaterrana, quæ tam in vita, quam in morte miraculis claruit, ſpiritumque habuit propheticum; Cæcilia Volaterrana, Andrea de Bandinis, & Domitilla de Falconinis. Eſt igitur hic locus valde venerabilis civibus Volaterranis, tum propter tot optimarum Sororum, quæ illic requieſcunt,

Maria de Burgo.

Apollonia Pighineſia.

Clara Palvia.

Euſraſia Volaterrana.

cor-

Digitized by Google

corpora, tum propter perſectam Regularis diſciplinæ normam, quæ illic viget, tum propter illuſtrem famam virtutis Sororum, quæ ſuperſunt.

XX. Quo tempore erectum fuerit Monaſterium opulenti frequentiſque oppidi Matellicani, Camerinenſis diœceſis in Piceno, ſexaginta Clariſſarum haud ignobile domicilium, comperire non potui. Sanctæ Claræ titulus primo impoſitus, mutatus eſt in beatæ Matthiæ, propter corpus & miracula, quæ ibi conſpiciuntur ſororis Matthiæ, illo oppido oriundæ, & in eo Monaſterio enutritæ & defunctæ; uti etiam in Monaſterio ſanctæ Claræ Viterbienſis, quod nunc a beata Roſa ſanctimoniali celeberrimi nominis, illic ſepulta, nuncupatur, diximus eveniſſe. Habuit hæc Matthia Gentilem Nazaræum genitorem, Sibyllam genitricem, locupletes Matellicanos, qui cum adoleſcentioris ætatis filiam cuidam ingenuo juveni deſponſare vellent, ad hoc Monaſterium confugit, habitum religioſum acceptura. Abbatiſſam tunc agebat quædam ejus cognata, noluitque ad hoc vitæ genus admittere; ſed illa hac repulſa conſtantior effecta, propriis manibus ſibi crines abſcidit, abjectiſque pretioſis veſtibus, viles cinereas obduxit. Patrem inſuper præ dolore furentem, tormenta & cædes minitantem tanta prudentia talibuſque excepit verbis, ut in ſuam traxerit ſententiam. Ad reliquarum itaque Monialium conſortium admiſſa, poſt tirocinii annum, in manibus Epiſcopi Camertis profeſſionem emiſit, eaque vixit virtute, & prudentia excelluit, ut, decedente prædicta cognata, hæc omnium Sororum conſenſu, licet invita, fuerit ſubſtituta. Injunctum officium ingenti ſua gloria, quam contemnebat, & Sororum ſolatio peregit; iis enim moribus, virtute & pietate ſemper enituit, ut Deo & hominibus fuerit gratiſſima. Miraculis in vita & poſt mortem prædicatur illuſtris; vivens Maſchionem Beneventum Matellicanum juvenem ſemimortuum, genitrice deprecante, ſanitati reſtituit, & mortua claudos, cæcos, ſurdos, alioſque male affectos a variis languoribus curavit.

Monaſt. Matellicæ. *Idem in Provin. Marchiæ Monaſt.* 10. B. Matthia Metellicana. *Tom. 3. anno 1252. n. 17.*

XXI. Monaſterii ſancti Laurentii in Paniſperna, de quo ſuo loco actum eſt, regimen hoc anno per ſpeciale Pontificis diploma datum die x. Maii, translatum eſt a Patribus Conventualibus ad Obſervantes domus Aracœli, juſſumque, ut Moniales illæ reformarentur, evocatis ex Monaſterio *ſancti Coſmati* vulgo dicti, diſciplinæ Regularis magiſtris.

Monaſt. S. Laurentii in Paniſperna. *Tom. 6. anno 1318. n. 40. & ſeq.*

XXII. Sororum Tertii Ordinis duo hoc anno conſtructa ſunt domicilia; unum ſub titulo ſancti Andreæ in Civitate Aſſiſii a Joanna Baptiſta Tudertina ejuſdem Inſtituti Sorore; alterum ſub invocatione ſancti Hieronymi in urbe Montis-Politiani in Etruria, a Senatu miniſtratis ex communi ærario ſumptibus erectum. Primum Sorores ferme viginti: ſecundum habet quadraginta.

Domus Sororum Tertii Ordinis Aſſiſii. *Idem in Provin. S. Franciſc. Monaſt.* 19. Domus Montis-Politiani. *Idem in Provin. Tuſciæ Monaſt.* 3.

XXIII. Leo Pontifex hoc anno omnes Fratrum exemptiones ab obedientia ſuorum Superiorum, & diſciplina Regulari revocavit, nullumque privilegium Apoſtolicum quoad hujuſmodi exemptiones voluit cuipiam Fratrum ſuffragari: *Inter cetera Regularis Obſervantiæ*. die XXVII. Octobris.

ARGUMENTUM.

Multam navant operam Franciſcani Indorum Occidentalium converſioni. Franciſcus Ximenius cultum promovet Eccleſiaſticum. Obſervantes Ciſmontani & Ultramontani Comitia celebrant Generalia; illi Chriſtophorum Forolivienſem, iſti Martialem Boulier Vicarios creant Generales. Decedunt pii viri, & religioſæ fœminæ. Conſtruuntur Cœnobia.

Herrer. dec. 1. l. 10 c. 6. & ſeqq. I. FERDINANDUS Rex Catholicus accepit per nuncios a Blaſco Nunio, egregio Indicarum regionum exploratore, hoſtiumque devictore, a ſe amandatos Hiſpanos, jam ad continentem Indiarum terram, & mare Eoum ſive Erythræum (Hiſpanis *Mar del Zur*) perveniſſe, ibique frequentes haberi optimi auri fodinas, & in mari piſcationem fieri unionum ſeu margaritarum, candore, magnitudine, orbe, lævore & pondere, pretio inæſtimabilium. Decrevit illuc mittere Petrum Arias de Avila, bello ſtrenuum, haſtiludio celeberrimum, Comitis Pugni in facie (vulgo Hiſpanico *Puño en roſtro*) germanum fratrem, eique ſupremum illius regionis imperium committere, adhibitis tamen conſiliariis fratre Joanne de Quevedo, Epiſcopo Darieni ex Minoritis aſſumpto, & quatuor adminiſtris, quorum voto gravia quæque negotia peragerentur. His datæ piæ prudenteſque regulæ, quibus barbari incolæ facilius ad Chriſtianam fidem allicerentur, in quod miniſterium adjunctus eſt copioſus numerus Franciſcanorum, quod ſi tam vaſtæ regionis converſioni non ſufficeret, juſſit Rex ut alii ejuſdem Inſtituti viri ex Hiſpaniolæ inſula ſubminiſtrarentur. Epiſcopo autem Joanni Sacerdotes adhibuit ſeculares, qui in Eccleſiæ propriæ functionibus, aliarumque erectionibus adlaborarent, præſcriptis omnibus æquis ſtipendiis, & Minoritis neceſſariis alimoniis. Leo Pontifex, Rege deprecante, ampliſſimam contulit Epiſcopo facultatem circa animarum curationem & converſionem, ac Eccleſiarum a ſe inſtituendarum gubernium, multa etiam privilegia, & largiſſimas indulgentias, deſtinato Epiſcopatus titulo ſanctæ Mariæ Antiquæ Darieni. Hic itaque primus fuit continentis Indiarum, ſeu Terræ firmæ, quam vocant, Antiſtes; primique harum converſionem, fideique Chriſtianæ diſſeminandæ in vaſtiſſimis illis regionibus miniſtri fuerunt Franciſcani. Solvit autem Petrus, claſſis præfectus, Hiſpali hoc anno, duodecimo die Aprilis navibus quindecim, delecto milite, nobilium comitatu, bellico apparatu, & pingui commeatu inſtructus, & ſub finem Julii Darienum modo proſpero, modo ſiniſtro curſu applicuit. Quid vero evangelici Miniſtri in multa hac meſſe fecerint, dabunt anni ſequentes.

Franciſcani Indorum deſtinantur converſioni.

Idem cap. 13.
Idem cap. 11.
Idem cap. 17.
Idem cap. 14.

Gomez. de reb. Ximen. lib. 5. II. Franciſcus Cardinalis Ximenius hoc anno Compluti opera ſua promovere & perficere ſummo ſtudet conatu, fallacem dicens ſenectam, quæ ſublimium cogitationum filum inexpectato abrumpit; & propterea dum ad interitum proclivi ætatis curſu properatur, accelerandum eſſe, quod ſibi quis ſtatuerat perficiendum. Curavit itaque duo illa Sanctimonialium clauſtra Joannis cognomento pœnitentis, Toleti unum, Compluti alterum, quæ ante aliquot annos (uti diximus) ædificari juſſerat, tamdem abſolvi; quamquam Complutenſe, ob aſſiduam Ximenii præſentiam, a Virginibus ante hoc tempus inhabitabatur: Toletanum certe hoc anno dedicatum fuit, & totius urbis applauſu, delectæ fœminæ in Franciſci normam jurarunt.

Ximenius duo abſolvit Monaſteria Virginum.

Ao. 1511. nu. 21. & 1504. n. 57.

Curas probat Leonis Pontificis. III. Cum vero reſciret Leonem Pontificem duas graves curas Julii ſui deceſſoris ſubiiſſe, fabricam videlicet auguſtiſſimi templi Vaticani, & pro-
ſe-

ſecutionem Concilii Lateranenſis, ſummopere commendavit ejus magnanimam virtutem, a conſueta aliorum Principum puſillanimitate deſciſcentem, qui male impendi putant, quidquid in alienorum operum complementum erogatur; nec ſibi, qui perficiunt, ſed iis, qui inchoarunt opus adſcribendum. Ut erat tamen priſcæ religionis tenaciſſimus, laudare non potuit privilegia, ſive magnos indulgentiarum theſauros, qui pecuniam in fabricæ ſubſidium conferentibus diſtrahebantur. Commendabat quidem eos, qui in templi Apoſtolici conſtructionem ſuas pecunias largiebantur, ſed privilegia iſthæc ſacra ob id dari contra vetuſtos Eccleſiæ ritus, numquam probare voluit, & quid de hac re ſentiret, ad Leonem prudentiſſime ſcripſit, Regique Ferdinando in privatis colloquiis ſine ullo fuco declaravit. Indulgentias improbat pecuniarias.

IV. At permultum grata ei fuerunt, quæ de Magiſtris ſcholarum, & adoleſcentium inſtitutoribus a Concilio Lateranenſi præcipi audivit. Nam, cum eo tempore ſuæ Academiæ infantiam generoſo, & nulla pravitate infecto lacte imbuere & alere curaret, dici non poteſt quanto applauſu decretum illud complexus ſit, quo ſancitur, ut non ſolum juventus in liberalibus diſciplinis erudiretur, ſed iis etiam, quæ ad religionis Chriſtianæ notitiam pertinent, qualia ſunt præceptorum Divinorum, fidei articulorum, hymnorum, pſalmodiarumque cognitio, & quidquid de vitis Sanctorum per probatos auctores ſcriptum habetur. Hæc omnia feſtis potiſſimum diebus, nulla aliorum ſtudiorum intermiſſa commentatione, præterquam, quæ de moribus eſt, in Gymnaſiis tradi jubebantur. Quo etiam tempore non ſolum Miſſarum ſacrificiis, ſed concionibus ſacris, ceteriſque de rebus Divinis officiis, quantum fieri poſſit, ut intereſſent, admonebantur. Illud in primis ab eo collaudatum eſt, quod ſacrorum Ordinum initiatis ſeveriſſime demandabatur: ut poſtquam Grammaticæ & Dialecticæ juſtam operam impendiſſent, rebus Philoſophicis & Poeticis quinquennio dumtaxat in publicis Gymnaſiis incumbere liceret. Quod ſi eorum ſtudiorum amore capti, longiorem moram in ipſis ponere concupiſcerent, id nullo modo per Academiarum præfectos permitteretur, niſi Juri etiam Pontificio, aut ſacræ Theologiæ aliquid quoque laboris, quaſi in antidotum impertirentur. Laudat decreta Concil. Lateranenſis.

V. Dicebatur etiam Leo Pontifex ſedulo conniti, ut faſti ſacri, & Kalendarii dies, ob Solis curſum a tempore Julii Cæſaris non nihil variantem, in ordinem redigerentur. Nam ut ex vetuſtis Annalibus conſtat, ad Pont. Max. pertinebat anni rationem exacte tenere, & faſtorum dierum rationem rite promulgare. De hac igitur re cum apud Ximenium inter viros doctos ſermo haberetur, aliuſque aliud pronunciaret, Antonius Nebriſſenſis dixiſſe fertur, id ſibi omnino ſimile videri antiquæ fabulæ, qua narratur, quemadmodum Diis conſiliantibus, de orbis tumultu ob mortalium bella ſedando, Jupiter habere ſe dixerit rem magni momenti, ad quam eorum conſilio opus eſſet, cui ſi, ut ſperabat, ſubvenirent, ſtatim de ceteris orbis incommodis agendum foret. Inſtare cœlites, ut tamdem id proderet, ſe enim opera ſua adjuturos: *Succurrite* (inquit) *miſeris agricolis, quibus non ſat eſt cum raſtris, ligonibus & aratris perpetuo contendere ad exercendam tellurem, ſed novus etiam labor multo moleſtior additur, in cucurbitis quotannis expurgandis ab interiore illa medulla, & fœcundiſſimo ſemine: quod ni ſedulo faciant, vaſis vinariis ſint carituri, in magnum agriculturæ detrimentum: res ergo digna eſt, in quam omnes incumbamus. Quare Diis viſum ſuperis, ut cucurbitæ vacuo ventre poſtea naſcerentur. Næ tu* (inquit Ximenius) *Antoni, falſa ſimilitudine es uſus; ſed hæc res eſt, de qua priſci, & ſanctiſſimi Patres, ſummi quoque orbis Monarchæ ſtudioſe & ſollicite, pu-* Anton. Nebriſſenſis lepidum commentum. A Ximenio rejicitur.

bli-

blicis conſiliis, & privatis congreſſibus egerunt. Mittam ad te Pauli Epiſcopi Foroſempronienſis volumen, ad me nuper ex Italia allatum, ubi errores, qui ab hujus rei ignoratione proveniunt, panduntur, & Judæorum riſus & cachinni, oſcitantiam noſtram cavillantium, quod Paſcha Domini & Dei noſtri in ſecunda menſe, immundis (ut illi ajunt) deputato, ſæpenumero celebremus. Hæc cum Ximenius dixiſſet, Nebriſſenſis gratiis pro tam benevola objurgatione actis, vera ea omnia eſſe faſſus eſt, ſeque magis ad eum oblectandum fabellæ meminiſſe, quam quod aliter ſentiret.

Regiſtr. Ordinis. Capit. Generale 27. Obſarv. Ciſmontanorum.

Gonz. in Proœm. Prov. Boſnæ Argent. Chriſtophor. Forolivien. Vicarius Genaralis.

VI. Bernardinus Ptolomæus Senenſis, Commiſſarius Generalis Obſervantum Ciſmontanæ familiæ, convocavit ad Comitia Generalia Vicarios, ut ſucceſſorem eligerent Timothei Lucenſis Vicarii Generalis anno præcedenti defuncti. Die itaque XXIV. Junii in Cœnobio ſanctæ Mariæ Angelorum Aſſiſiate (non Aquilano uti habet Gonzaga) unanimi omnium conſenſu electus eſt in Vicarium Generalem Chriſtophorus Forolivienſis in Curia Romana Commiſſarius, qui fuit ultimus Vicarius hujus familiæ, electus poſt triennium in primum Miniſtrum Generalem totius Ordinis, ex Obſervantibus aſſumptum, & deinde creatus S. R. E. Cardinalis. Adjuncti ſunt ei definitores Ptolomæus Senenſis, Franciſcus Lychetus Brixienſis, & Jacobus de Porcheria. Inſtitutus eſt Commiſſarius in Curia Romana, Joannes Franciſcus de Potentia Provinciæ Baſilicatæ; Guardianus ſacri Montis Sion Hieroſolymis, Nicolaus de Thauſignano Provinciæ ſancti Franciſci; Vicarius Candiæ, Marcus Cretenſis. Et hoc ultimum fuit Capitulum Generale Obſervantum familiæ Ciſmontanæ ſub Vicariis Generalibus. Ordinatum eſt in hoc Capitulo, ut Provincia Apuliæ deinceps appellaretur ſancti Nicolai. Provinciæ Boſnæ Argentinæ erectionem in hoc Capitulo confirmatam fuiſſe ſcribit Gonzaga jam citatus.

Provincia S. Nicolai. Prov. Boſnæ Argentinæ.

Capit. Genarale 26. Obſerv. Ultramontanorum.

VII. Antuerpiæ ſub feſtum Pentecoſtes celebratum eſt Capitulum Generale familiæ Ultramontanæ, in quo ſuffectus eſt Gilberto Nicolai functo ſui Vicariatus officio, frater Martialis Boulier, tertio ad hoc munus aſſumptus. Numerati ſunt defuncti Fratres poſt ultimum Capitulum ſeptingenti ſeptuaginta quinque; Clariſſæ Obſervantibus ſubditæ centum ſexaginta duæ, Tertiariæ centum & novendecim. Inter Fratres duo inſignioris notæ deceſſerunt: in Conventu Coloniæ Rolandus Colonienſis, ſacræ Theologiæ profeſſor, qui antequam ad familiam tranſiret Obſervantum, fuit Miniſter Provinciæ Colonienſis Patrum Conventualium annis uno & viginti: & in Conventu Aracœlitano in Urbe Erardus Compenbergne, qui poſtquam annis novem ſervierat utiliter & fideliter univerſæ familiæ Ultramontanæ in officio Commiſſariatus Curiæ, cum magna ædificatione & pietatis opinione curſum conſummavit: ſtatutum eſt enim in his Comitiis, quod unus tantum eſſet in Urbe Commiſſarius Generalis Curiæ pro tota illa familia, eique aſſignarentur duo ſocii viri graves ex aliis duabus nationibus, ex unaquaque unus, (erat enim ſubdiviſa illa familia in tres nationes, Gallicam, Hiſpanicam, & Germanicam) ut curarent diligentius negotia ſuarum partium.

Rolandus Colonienſis. Erardus Compenbergne.

Provincia Burgenſis. *An. 1505. n. 13. Gonz. in proœm. Prov. Burgen.* * *Videantur quæ Auctor de hac Provincia Burgenſi dicit ad an. 1518.* *An. 1517.*

Erectio Cuſtodiæ Burgenſis in Provinciam facta in Capitulo Lavallenſi, a nobis ſuperius recenſita, in iſto confirmata eſt, quod & Leonis Pontificis diplomate hoc ipſo anno probatum eſt. Unde error irrepſit in numerorum notas apud Gonzagam, dum hæc rejiciuntur in annum ſequentem * Ex præcepto ſummi Pontificis ſuſcepta eſt cura & gubernatio Sororum de Annunciatione & de Conceptione Virginis, quas ſub una eademque Regula vivere Pontifex decrevit; ipſe vero poſtea propriam conceſſit Regulam Annunciatis, uti ſuo loco dicemus, & Conceptioniſtæ peculiarem jam receperant

a Ju-

a Julio II. Indulſit Capitulum Fratribus Provinciæ Portugalliæ, ut poſſent recitare officium de ſeptem Martyribus Septanis, quia Luſitani ſcilicet illas oras Africanas, in quibus hi paſſi ſunt, ſibi ſubdiderunt. Eamdem poteſtatem fecit univerſis Fratribus totius familiæ Ultramontanæ, modo Sedis Apoſtolicæ præcederet licentia, quam paulo poſt, Fratribus deprecantibus, Pontifex conceſſit.

VIII. Sub hoc tempus deceſſit Joannes Baptiſta San-Severinus in Cœnobio ſancti Severi Provinciæ ſancti Angeli. Vocatus eſt ad Ordinem a ſancto Joanne Baptiſta ſibi apparente, & hunc vitæ ſtatum ſuggerente, cum eſſet Canonicus Eccleſiæ Cathedralis ſancti Severi. Dum ad Cœnobium pergeret hoc Inſtitutum ſectaturus, obvius habuit duos Fratres, qui viam docuerunt, & propoſitum talibus verbis commendarunt, ut ſe mirifice accendi ſenſerit, & ex efficaciſſimo affatu, repentinaque diſparitione ipſorum non inaniter judicarit, ſuos fuiſſe tutelares & advocatos ſanctum Joannem Baptiſtam, & D. Franciſcum. Vixit in Ordine ſanctiſſime annos quatuor, viſionibus aſſuetus prædicti Chriſti præcurſoris, & Virginis Dei Genitricis.

Marc. l.8. c. 39. Ioann. Baptiſta Săſeverinus moritur.

IX. In eadem provincia, & Conventu ſancti Severini vita functus eſt Antonius a Ripa, quem Gonzaga laicum, Marcus Ulyſſiponenſis ſacerdotem efformat, omni virtutum genere ornatiſſimus, & miraculis illuſtris. Ætate jam decrepita, miriſque artibus macerato corpore, & extenuatis ſenſibus, frequentes patiebatur carnis tentationes, quibus ſuperandis in gelidas aquas niviumque foveas ſe projiciebat, multiplicatis etiam pœnitentiis. Cumque hæc non ſufficerent, exclamans dicebat: *Cavete vobis, cariſſimi Fratres, robuſtique juvenes: ſi hæc enim valida me exercet pugna, ſi has mihi flammas caro ſubmittit, dum corpori etiam vitæ ſubtraho neceſſaria, neque aliud præter panem, aquam, & crudas herbas illi miniſtro; quomodo ſe erga illos habebit, qui ventri indulgent, nihilque negant appetitui?* Alias callidus hoſtis ſuggeſtionibus internis videns ſe parum proficere, apparuit ei in forma ſpecioſæ ſed laſcivæ adoleſcentulæ. Et quidem hic operam perdidit a Viro Dei fugatus orationis & jejunii virtute. Duciſſa Termolitanorum annis multis in viri conſortio abſque prole tranſactis, ad Cœnobium Campibaſſi profecta, dolorem ſuum Antonio commendavit, & in receſſu manum oſculata, voluit ab illo benedici. Nocte ſequenti filium concepit, qui poſtea fuit Dux Ferdinandus.

Antonius a Ripa. *Gonz. in Provin. S. Angeli Con. 9. Marc. p.3. lib.8. cap.39.*

X. Obiit hoc anno die XXVII. Martii Brugis apud Minoritas frater Ægidius Barbitonſorius, quem diximus anno MCCCCLXXVI. ad Epiſcopatum Sareptanum aſſumptum fuiſſe: ſuffraganeus erat Epiſcopi Tornacenſis, ſacræ Theologiæ profeſſor Pariſienſis. Sepultus eſt in choro ante Cantorum ſtationem.

Sander. de Clar. Virg. Brugen. Moritur Ægidius Barbitonſorius. *Tomô 14. anno 1476. n.53.*

XI. Deceſſit hoc anno Paula de Montaldis illuſtri familia, ſive de Montaldo, vico Mantuano, ſive a Monte alto, uti alias ex Gonzaga reſcripſimus. Diem obitus aſſignat Gonzaga quartum Auguſti, Hippolytus Doneſmundi in ſua hiſtoria Mantuana decimum octavum. Habitum ſanctæ Claræ aſſumpſit Mantuæ in Monaſterio ſanctæ Luciæ anno MCCCCLVIII. fuitque valde familiaris, & intima amicitia conjuncta cum beata Oſanna Andreaſia Mantnana Tertii Inſtituti ſancti Dominici virgine clariſſima. In oratione & contemplatione aſſidua, corpus vigiliis, jejunio, flagellis affligebat, in reliquis virtutibus facta Sororibus perfectum diſciplinæ regularis exemplar. Ea præibat religionis excellentia, ut ter aſſumpta ſit ad regimen Monaſterii: prodeunte ad exteros fama ſanctitatis, plerique accedebant auxilium in tribulationibus, & remedium in malis aſſecuturi.

Doneſm. hiſtor. Mant. lib.7. Tom.9. an.1380. n.31. Et B. Paula de Montaldis.

Poſt

Poſtquam annos quinquaginta ſex in perfecta ſui ſtatus obſervantia tranſegit, multoſque ab hoſte ſibi importune infenſo triumphos reportavit, feliciter in Domino obdormivit. Crebreſcentibus ad ejus tumulum miraculis, pulchro loculo condita eſt in Odeo, cui multæ appenduntur votivæ tabellæ, & offeruntur donaria. Ejus geſta ſcripſit Gratia a Trino, & recentia narrat miracula. Die ſui tranſitus corpus quotannis concurrenti frequenti populo demonſtratur.

Et B. Clara Bugnia.

XII. Alia inſuper celeberrima Virgo hoc anno Venetiis ad ſuperos evolavit Clara Bugnia, cujus vitam admirabilem diffuſe ſcripſit Franciſcus Georgius Venetus auctor libri notiſſimi, cui titulus: *Harmonia mundi*, teſtis oculatus multarum rerum ab ea geſtarum, & ſecretorum conſcius; quippe arcanorum ſcrutator, vitæ director, & per multos annos Confeſſarius. Patre Antonio nata anno MCCCCLXXI. ipſo ſancti Franciſci die natali, genitricem in ipſo perdidit ortu, & in baptiſmo Blancæ ſive Candidæ nomen accepit. Ab infantiæ exordiis cœpit Deum timere, illique modis omnibus placere. Per totum Adventum, diebus quatuor ſingulis hebdomadibus Quadrageſimæ, in vigiliis omnibus jejunabat, una refectione contenta, nihil ſub veſperam admittens. Grandiuſcula effecta, aliarum exemplo puellarum cœpit capi nobilium veſtium concupiſcentia: ſed cum ex piorum librorum lectione, & religioſi cujuſdam viri concione intellixiſſet, veſtimentorum pompam & ornatum non tam virtutis, quam vanitatis eſſe fomentum, obducta humili veſte, ſoli Deo ſtatuit placere. Vultu modeſto, dimiſſis oculis, Eccleſias frequens adibat, ſacris aderat, ſalutaria concionantum conſilia libenter excipiebat, & ſedulo ſequebatur; orabat, jejunabat, vigilias exercebat. In hebdomada ſancta valde diluculo ſurgebat, ante auroram ſuas preces piaſque exercitationes abſolvebat, deinde ancillis ſuam operam impendebat, ut brevi abſolutis domeſticis miniſteriis, celerius poſſent ad Eccleſiam coire; Divina illius temporis myſteria commodius veneraturæ.

Ejus infantia.

Adoleſcentia.

XIII. In adoleſcentia creſcente ad menſuram ætatis ſpiritus fervore, innoxiam carnem multis affligebat modis, flagris, jejuniis, vigiliis: utque his exercitiis liberius poſſet inſiſtere, a cubiculo in quo dormiebat, clam recedebat ad aliud ab arbitris remotum; ubi ſemicincta & nudipedes, uſque ad auroram in oratione, & rerum cœleſtium contemplatione perſeverabat, & mox ad Templum ibat Miſſam auditura. Sacra illa myſteria Divini ſacrificii tanto venerabatur affectu, ut ſæpe extra ſe ſacta, in altum toto corpore elevaretur e terra, uti teſtata eſt Domina Clara Vendramina de Tiſana, nobilis Veneta, ſe illam aliquando vidiſſe in Eccleſia ſanctæ Mariæ, ab Horto nuncupata. Domum regreſſa, lanam & linum operata conſilio manuum ſuarum, omnes in admirationem rapiebat, quam nitide, quam eleganter operas quaſque etiam minutiſſimas abſolvebat.

Et dæmon infeſtus.

XIV. Tantam autem virgunculæ gratiam ferre non valens humani generis hoſtis, varias ei tendere inſidias non deſiſtebat, atque ut ab oratione aſſidua deterreret, mures aliaque animalcula, a quibus illa vehementer abhorrebat, in conſpectum adducebat; utque circuirent, & aliquando in eam irruerent, faciebat. Illa primum conturbata, ex frequenti hujuſmodi ſpectrorum objectu audacior effecta, tamdem omnino neglexit, conjiciens vere inania fuiſſe hoſtis terriculamenta. Ubi ille ſe contemptum vidit, & malas artes neglectas, in vindictam exarſit. Plurimo verbere per univerſum corpus inflicto, totam lividam reddidit, quod & parentibus innotuit, qui protinus ad ſancti Chriſtophori de Pace, nunc ſanctæ Mariæ ad Hortum nun-

nuncupatam Eccleſiam deduxerunt, conſilium & opem imploraturi venerandi doctique viri Franciſci Mocenigi, in ea urbe tunc clariſſimi. Ille ſalutaribus præceptis inſtructam ad patientiam exhortatus, animoſe cum hoſte dimicandum dixit, ut copioſum præmium reportaret.

XV. Perſpiciens adoleſcentulæ genitor filiæ genium, vitam auſteram, ſolitudinis deſiderium, conſtruxit in domus angulo locum a turbis ſemotum, ubi libere piis exercitationibus poſſet intendere. Hic per aliquotum temporis magnos fecit in virtute progreſſus, non tamen animo quieſcebat, donec omnino recederet a domo paterna, & ſacrarum Virginum iniret ſocietatem. Placuit parentibus hoc etiam ei concedere: unde perluſtratis præcipuis Monaſteriis, delegit ex conſilio prædicti Patris Mocenigi cohabitare Sororibus Xenodochii ſancti Sepulcri Tertii Ordinis ſancti Franciſci, quæ hoſpitio recipiebant pias fœminas, peregrinationem obeuntes Hieroſolymitanam. Annum illa tunc agebat decimum octavum, vultu ſpecioſa, valetudine infirma, & proinde reſtiterunt prædictæ Sorores ejus votis, minus idoneam reputantes illarum miniſterio. Victæ tamen aſſiduis virginis & parentum precibus, in ſuum admiſerunt conſortium. Per menſes tres in habitu ſeculari probata, & a Præfecta, quod nimis ſibi ſapere videretur, ferme rejecta, religioſa tandem veſte donatur in æde ſancti Franciſci a Vinea, ubi etiam Claræ nomen aſſumpſit, accepta prius cœleſti viſione, qua ad virtutes fidei, ſpei, caritatis, & obedientiæ proſequendas efficaciter excitata eſt.

Conſortium inire cupit Sororum Tertii Ordinis.

Admittitur.

XVI. Ubi illa ad iſtas aliaſque comparandas ſe ferventer accingit, inviſibilis hoſtis ſuas exerit vires ut impediat. Primum vehementer verberat, variiſque modis affligit: deinde ad fraudes ſe convertit, multoties in Angelum lucis ſe convertens, multaque ſub ſpecie boni proponens, quæ ducebant ad interitum: illa vero ſuperno illuſtrata lumine, dolos omnes advertit, floccique pependit quidquid hoſtis ex adverſo moliebatur. Ad eam pervenit vitæ excellentiam, ut nulla quantumvis gravia ſentiret corporis incommoda, neque internæ potentiæ circa ſacras operationes ullam paterentur difficultatem. A Franciſco Georgio Veneto ſupradicto, qui illius confeſſiones excipiebat, obedientiæ præcepto conſtricta, ſaſſa eſt, anno MDI. Chriſtum Dominum ſingulari amoris prærogativa eam ſibi deſponſaſſe, ſuoque annulo ſubarraſſe, & ab illa hora nullam ſe ſenſiſſe repugnantiam in obſervandis Divinis mandatis, ſed ita Dominum illius animum in bono confirmaſſe, & cor dilataſſe, ut viam mandatorum cœleſtium cucurrerit alacriter, per omnia ad ſui ſponſi votum compoſita.

Chriſto deſponſatur.

XVII. Paulo poſtquam Sororibus nomen dedit, ingenti poplitis tumore vehementer doluit, donec Franciſcus Mocenigo ei compaſſus, ejuſque obedientiæ periculum facturus, juſſit ut coronam beatæ Virginis genuflexa recitaret. Illa promptiſſime, quod prius omnino non poterat, utroque poplite flexo oravit, ſolutoque præſcripto penſo, ſurrexit incolumis. Tribus aliis gravibus laborabat morbis, febris, intimi apoſtematis, & brachii arefacti, contractiſque nervis manum habebat clauſam, nigram & deformem, ſed medicorum judicio nulla videbatur ſupereſſe ſpes ſalutis. Accedens Confeſſarius, vir pius, in ſpem meliorem erexit, dicens: *Clara ſoror, ubi eſt fides tua? ubi ſpes tua? quare ad illum non recurris medicum, a quo toties malorum reportaſti remedium? Illum roga, & abſque dubio ſtatim exaudieris.* Nihil reſpondens, uſque ad quartam noctis horam oravit, paulumque requieſcens, perfecte ſanata eſt, obſtupentibus Sororibus, quæ brevi morituram ſuſpicabantur. Alias in ſacrario, caſu illapſo magno candelabro,

Liberatur a poplitis dolore.

Ab aliis morbis.

A vulnere.

bro, cuſpide graviter ſauciata eſt, eoque cruciata eſt dolore, qui noctu ſomnum dieque requiem negabat. Monita ut Deum in cunctis tribulationibus adjutorem precaretur, oravit, & dolor omnis abſceſſit, vulneris extincto veſtigio.

Ejus lectus.

XVIII. Noctes ducebat inſomnes, levi trium vel quatuor horarum ſopore contenta, ſuper nudam decumbens tabulam, & ligneum cervical, reliquam noctis partem inter Divinas laudes, & ſacrarum rerum meditationem diſtribuens. Juſſa molliori propter capitis languorem uti pulvinari, obediit, non tamen abſque dolore remiſſæ pœnitentiæ, & ſcrupulo aliqualis mollitiei. Aſpero cilicio, eoque perpetuo, crebriſque flagellis tenellum affligebat corpuſculum, aliis itidem macerationibus vehementer extenuatum. Cibus erat panis & aqua exiguæ menſuræ, condimentum fructus, vel herbæ. Si quid amplius, vel obedientiæ præcepto, vel aliorum perſuaſione manducabat, ſtatim evomebat. Diebus Veneris nihil prorſus manducabat; ſummo etenim mane ſacroſancto refecta Euchariſtiæ Sacramento, uſque ad diem ſabbati immobilis abſque ullo prorſus ſenſu permanebat.

Corporis afflictio.

Abſtinentia.

XIX. Venerat eam viſurus vir clariſsimus Juſtinianus Juſtiniani, propter notiſsimam virginis pietatem illi addictiſsimus, abſolutoque pio colloquio, ,dum recederet, rogavit, ut ſi quid appeteret, ſignificaret. Bis aut ter cauſata nihil ſibi deeſſe, amplius urgenti, ut peteret, dixit, ut pira mitteret, parva ſeu hordearia, omnium ocyſſima. Hyems erat, & menſis Januarius, quo hæc fructuum genera reperiri, nobiliſſimus heros judicabat impoſſibile. Attamen dum ad forum ſancti Marci per pontem Palearum tranſiret, occurrit ei juvenculus ciſtellam oſtentans fructus utriuſque. Pacto inito de pretio, dum accepti fructus pecuniam rependere vult Juſtinianus, adoleſcentulus ex oculis ejus evanuit. Dei nutu hoc factum non temere ſuſpicatus, ad Monaſterium regreſſus, quid acciderit, enarravit, & cum reverentia ciſtellam exhibuit, Dei bonitatem conſiderans, qui voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit.

Tempore non ſuo fructus accepit concupitos.

XX. In oratione & contemplatione rerum cœleſtium dum extra ſe raperetur, Conſodales cordis deliquium putantes, variis modis affligebant & torquebant, ut pœnas graviſſimas in ſe reverſa ſentiret ex inflictis tormentis. Antonius Cretenſis pius Minorita, confeſſionibus excipiendis Monaſterio præpoſitus, illius explorata virtute, id fieri prohibuit: obſervabat tamen ipſe illius motus, tacita colloquia, cordis affectiones, quæ dum extaſes durabant, apparebant prorſus mirabiles. In cunctis vigiliis feſtivitatum Domini, beatiſſimæ Virginis, & ſanctorum Apoſtolorum ad cœleſtes elevata contemplationes, immobilis hærebat per integrum diem uſque ad auroram ſequentem.

In oratione inſenſibilis.

XXI. In orarione tantæ erat virtutis & efficaciæ apud Deum, ut nihil non impetraret. Anno MDIV. in Matrem ſeu Sororum Præfectam inopinato electa, & publicata per Franciſcum Georgium, quem ſupra diximus Præſidem, unanimi omnium ſuffragiorum concordia, exanimis ferme cadens in terram, per horam ſubſtitit, Deum orans ut ab hujuſmodi onere liberaret, vel tanto pondere onuſtam ſuis auxiliis adjuvaret. Statim reſponſum accepit, Divinum non defuturum auxilium, adeoque comprimendas hoſtis inſidias, ut neque illi, neque filiabus poſſet offendiculum inferre: quod quidem illa, ſociæque aliquoties probaverunt, videntes dæmonem & ſatellites irruere volentes, ſed catenis vinctos accedere non potuiſſe. Rogans aliquando, ſigno ſibi demonſtrari, ſi quod tunc vehementer cupiebat, Deo placeret, malum aureum in abaco cuſtoditum ſtatim germina-

Sororibus præficitur.

Deus auxiliatur.

Exauditæ orationis miraculum.

navit in virgultum, quod in terram ſubmiſſum amplius excrevit, admirantibus, qui viderant, clariſſimis viris Haymone Juſtiniano, Hieronymo Gabrielis ſancti Marci Procuratoribus, ac Franciſco Georgio prænominato. Leonardus Loredanus Venetorum Princeps ſæpe ſuas, & Reipub. cauſas Claræ precibus commendavit, quarum ſemper fuit exitus propitius.

XXII. Spiritu prophetiæ illuſtris, multa prædixit futura, & revelavit occulta. Franciſco Georgio antequam interrogaretur, dixit, quod ſummopere ille ſcire cupiebat: imaginem ſcilicet ſancti Salvatoris, quam habebat; veram eſſe effigiem ſeu exemplar prototypi, qui Romæ ad Sancta Sanctorum aſſervabatur. Mirabili ſex horarum viſione, multa percepit Divina myſteria, quæ, licet ſæpe interrogata, propalare noluerat: ſed cum vehementer urgeret prædictus Franciſcus, ut diceret: *Quid quæſo* (inquit illa) *tibi Romæ redeunti reſpondit Urbini inſigni pietate vir frater Antonius a Monte Milonis, quando eum interrogaſti, cur homines Deo cari tantopere celant arcana, quæ percipiunt, cæleſtia? An non dixit: bonum eſſe theſaurum Regis cæleſtis abſcondere, & non adeo facile hominibus eſſe prodendum? Hominem*, ait, *ex vultu cognoſco, ſæpius cum eo in ſpiritu locuta ſum, novi eum me ſuarum orationum quotidie facere participem, easque pro me multiplicaſſe, poſtquam tibi placuit me illi commendare.* Eidem Franciſco palam retexit, quæ ille ſecreto dixerat Sanctimoniali alterius Monaſterii, quam neque ex vultu, neque ex nomine quidem prius cognoverat. Sorori Conſtantiæ ſibi ſubditæ prædixit tribulationes multas, frequenteſque dæmonis artes, per quas eam impetere ſtatuerat; quibus illa fortiter reſtiterat, a Magiſtra hac præmonita, & qualiter ſuperandæ erant, prudenter inſtructa.

Prophetat & revelat occulta.

XXIII. Annis ſeptem reliquis præeſſe oportuit, eo quidem omnium fructu, ut nullam ſui tæderet Inſtituti, nulli diſpliceret tantæ Matri ſubeſſe. Si quam videbat afflictam, ſuaviſſimis verbis ſolabatur; ſi mœrentem aut pavitantem, ab ea non recedebat; ſi rei cujuſpiam indigam, ſtatim adminiſtrabat; ſi laborantem, alacriter juvabat; ſi in bono pigritantem, dulciter excitabat. Toto illo Præfecturæ ſpatio reliquis præibat exemplo, nullum etſi humile aſpernata officium, ſæpe in culina, ſæpe in triclinio aliiſque officinis inſerviens. Subditarum intimis ſatisfaciebat deſideriis, modo hos modo illos cibos apponens ſecundum uniuſcujuſque indigentiam, etſi nullatenus patefactam. Parabat univerſo Sororum Collegio placentam, ſed deerat ultra dimidiam partem earum rerum, ex quibus confici debebat. Hærenti, & quid ageret meditanti apparuit ſanctus Franciſcus, & benedicens, ad neceſſariam multiplicavit menſuram, eoque condivit ſapore, ut vere quidquam ineſſe cœleſte omnes faterentur.

Quanto fructu Sororibus præerat.

XXIV. Cæciliæ Venetæ in extremo laboranti materne compaſſa, cuncta præſtitit caritatis obſequia, ſed illud maximum, ut pro illa decedente multis lacrymis & ſuſpiriis oraverit, donec ei revelatum fuerit ad locum tranſiſſe ſalutis. Raphaelam etiam Venetam, ejuſdem Monaſterii alumnam, viginti duorum annorum puellam, deſperata jam ſalute, conſolabatur ad mortem: at illa ægerrime ferens, ſibi in juventutis flore vitam præſcindi, nullum admittebat ſolamen. Seceſſit in angulum Abbatiſſa, & oravit pro filia, ne ita impatienter moreretur. Statim exaudita redivit ad languentem, quæ in alteram penitus mutata dixit, ſe jam libentiſſime mori, neque ſi optio daretur, velle amplius ſupereſſe. Paucis ſupervixit diebus, quibus totis Clara rogavit, ut dimiſſis reatibus, Angelorum jungeretur conſortio. Nono poſt deceſſum die apparuit defuncta in modum ſplendidiſſimæ ſtellæ, in cœlos aſcenſura, gratiaſque habuit maximas ſuæ liberatrici. Soror altera no-

nomine Concordia valde ægrotans, rogavit amicas, ut præ foribus cubiculi Abbatiſſæ ſeipſam ponerent ſilenter. Per rimulas aſpiciens, vidit inter duos ſpecioſos Angelos orantem, a qua dum poſtea benedictionem, & ſub veſperam pomum accipit, paulo poſt perfecte ſanatur. Rogata, ut pro Marini Georgii, ſupradicti Franciſci germani fratris, ægrotæ cognatæ vita protrahenda precaretur, reſpondit humiliter, jam ſuperne decretum eſſe, ut ab hac vita recederet, neque quidquam amplius ſupereſſe remedii: quod mors brevi ſubſecuta, verum eſſe probavit.

Frequentes habet viſiones cœleſtes Euchariſtiæ perquam devota.

XXV. Multas habuit viſiones cœleſtes, modo Chriſti, modo Genitricis ex ſacratiſſimis uberibus lac porrigentis, modo Divorum & Angelorum, modo pulcherrimi infantuli intra ſpecies Euchariſtiæ. Huic cœleſti cibo ſumendo diligentiſſime ſe præparabat, & poſt ſumptionem miras patiebatur corporis & cordis affectiones, ita ut tota liquefieri intima dulcedine videretur. Odor & halitus dum ſpecies permanebant ſacramentales erant ſuaviſſimi, adeo ut qui prope erant, mirifice recrearentur. Paſſionem Chriſti tenero ruminabat affectu, conſiderans excellentiſſimam Chriſti caritatem erga genus humanum, qua lavacro ſui ſanguinis mundi maculas voluit abſtergere; ſeque vehementer incuſans, quod in tantam pietatem non ſemel peccaverit, illatæque Chriſto mortis particeps fuerit, inceſſanter orabat, ut noxam dimitteret, & dimiſſæ ſignum aliquod adjiceret. His ſupplicationibus intenta, & guttula ſanguinis mundari deſiderans, ſæpe exclamabat: *Sanguis, ſanguis Chriſti*: tamdemque in extaſim raptæ, oſtenſa & porrecta fuit Crux chriſtallina altitudinis & latitudinis unius palmi ſanguine repleta, & qui tradidit vir venerandus: *Ecce habes* (inquit) *quem tantopere cupiebas, Chriſti ſanguinem in peccatorum tuorum remiſſionem, & potentiſſimam contra hoſtes tutelam*. Tanti beneficii gratias reddidit, ejuſque participem fieri Conſodalem Beatricem, ſibi ſumme dilectam, humiliter rogavit. In hoc etiam exaudita eſt, oſtenſa Beatrici Cruce, quæ illius virtute deperditam recuperavit ſalutem.

Remittuntur ei peccata.

Sanguinem accipit Chriſti.

Inflictum ei vulnus laterale.

XXVI. Amplius adhuc immerſa Chriſti meditandæ paſſioni, meruit ſibi vulnus infligi laterale, per quod ſæpe & abunde ſanguis emanabat, mirabilem ſpirans odorem, quem adhuc conſervant linteamina iſto ſanguine intincta. Illud bis ſe vidiſſe teſtificati ſunt Antonius Corandinus Confeſſarius, & Franciſcus Georgius ſupradictus Theologus, ita imperante ſuperiore, ut per tunicæ ſciſſuram ſacramentum hoc ſingulare duobus his viris manifeſtaret. Accepto hoc vulnere, decumbebat Clara, & ardenti languebat febre: ſed apparens beata Virgo Maria morbum pepulit, tactaque lateris cicatrice, ut continuo, qui jam ceſſaverat, ſcaturiret ſanguis, effecit. Hujus ſanguinis & ſtigmatis mirandi narrantur effectus, quos alii diffuſius exſcripſerunt.

XXVII. Iterum vehementi ardore orans pro peccatoribus, vidit in ampulla vitrea guttas tres ſanguinis in ſui cubiculi altariolo, de cujus virtute & origine dubitans, revelationem accepit, illius eſſe, qui pretioſo cruore mundum redemit: quod & multis conſtitit argumentis, ac mirabiles probarunt effectus. Virtute etenim & attactu illius ſanguinis, qui etiam mirabiliter excrevit, multi depulſi ſunt morbi tum intra, tum extra Monaſterium, reconciliati diſſidentium animi, ad nihilum redactæ fraudes inſidiæque inimici, ſanata non ſemel ipſa Clara, & protecta a dæmonis injuriis.

Chriſto concrucifigitur.

Chriſtum aliquando in Cruce poſitum diu & ardenter contemplata, miro attractu ad Crucem in alto poſitam elevata, Chriſto confixa in eadem Cruce pependit, deinde in locum ſuum reverſa, acerbiſsimos ſenſit dolores in

ma-

manibus, plantis & latere. Similes alias ſenſit ex viſo & contacto Chriſti clariſsime apparentis vulnere laterali. Ab eo tempore, quo beatæ Virginis Mariæ lacte refocillata eſt, rarum & exiguum ſumebat cibum, ſpirituali aliunde ſaginata alimento, & miro ſanguinis ſupradicti odore recreata.

XXVIII. Admirabilis hujus Virgunculæ, & pretioſi apud eam repoſiti theſauri Dominicus Cardinalis Grimanus, Ordinis Protector, admonitus Bononiæ, ubi cum Julio II. ſummo Pontifice hærebat, & a fratre Nicolao Malipiero ad hoc ipſum Venetiis miſſus, de totius Claræ vitæ curſu plene inſtructus, Venetias poſtea profectus, eum comitantibus Epiſcopo Feltrenſi, aliiſque clariſſimis viris, inviſit, ſanguinem præ manibus habuit, totius rei ſeriem audivit, examinavit, & ampullas Claræ reverenter reſtituit. Deſideravit, ut diligentius maturiuſque in hujus rei examine ageretur: quod & factum eſt in graviſſimo cætu coram Veneto Patriarcha. Is erat Antonius Surianus, & qui convenerunt, hi numerantur; Bernardus Zanius Archiepiſcopus Spalatenſis, Hieronimus Triviſanus electus Cremonenſis, Dominicus Epiſcopus Cluſinus, Ludovicus Contarenus Prior Carthuſianorum, clariſſimi viri, Antonius Juſtinianus utriuſque Juris, & Joannes Cornelius ſacræ Theologiæ Doctores, frater Antonius Conradinus, qui Virginis excipiebat confeſſiones, & frater Franciſcus Georgius inſignis Theologus, de quo non ſemel ſumus locuti; omneſque judicarunt rem fuiſſe vere cœleſtem, & veneratione digniſſimam. Sanguinis virtus & veritas expenditur.

XXIX. Inter tot tamen cœleſtes favores non defuerunt tribulationes humanæ: etenim ſeptimo Præfecturæ anno, cum in plures annos eam confirmari cuperent Sorores, Miniſter Provinciæ ſancti Antonii, qui electioni præfuerat, præcepit ut alteram ſuis ſuffragiis in Superiorem cooptarent, itumque eſt in Urſulam Auſnagam, Claræ amicam, olimque inſtitutricem. Paulo poſt acceſſit Commiſſarius Viſitator, qui virtutem & patientiam Claræ probaturus, vel vere agendi modum ſibi diſplicentem increpaturus, eam aſperis verbis excepit, ſingulare & peregrinum vitæ genus objecit, adventantium externorum frequentiam; exinde turbationem quietis Monaſticæ, inſolens populi murmur, vanum incertumque hominum judicium. Eligeret proinde, vel in abdito domus receſſu ab hominum Sororumque conſpectu ſemotam, vitam illam ſuam agere ſingularem, vel tota domo excederet in aliam transferenda. Severo hoc inopinato percuſſa judicio, toto contremiſcens corpore, humiliter rogavit & impetravit conſulendi tempus concedi. In longum protracta oratione, ſæpiuſque repetito illo verſiculo: *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, erue me a circumdantibus me*; Chriſtum aſpexit conſolatorem, qui dulciſſimis verbis hortatus eſt, ut patienter ferret, domi in quocumque angulo recludi. Die ſequenti expoſito quod optavit, juſſit Commiſſarius locum ab omnium conſortio ſemotum præparari, datumque eſt cubiculum valde anguſtum, lectuli dumtaxat capax, in quo ſuper nudas tabulas, rudi ligno ad caput ſuppoſito, per biennium ſanctiſſime vixit, nullius admiſſo conſortio, Divinis tamen aſſueta revelationibus. Tribulationes patitur humanas. Chriſtum habet conſolatorem.

XXX. Tamdem ad vitæ ſanctiſſime tranſactæ præmium evocanda, cœpit ægrotare, capite vehementer dolere, cibum omnem faſtidire. Convocatis itaque Sororibus potiſſimas propoſuit virtutes, caritatem, patientiam, humilitatem, orationem, conſtantem in Domino fiduciam, obedientiam, mundi contemptum, aliaque hujuſmodi, de quarum ſingulis plures habuit in pleno Sororum conſeſſu pias doctaſque exhortationes. Præmiſſis deinde multis ſoliloquiis, pulchriſque orationibus per dies multos, appropinquantem Ad mortem ægrotat. Sorores inſtruit & conſolatur.

tem mortem intrepide excepit. Sacro demum extra lectum refecta Viatico, in extaſim facta eſt, pauloque poſt rogavit ſibi ignoſci, ſi Sororum aliquam offenderit, & ſanctum Oleum concedi. Tribus in agonia perſiſtens diebus, Chriſtum Dominum, beatam Mariam Virginem, & Angelorum multitudinem meruit conſpicere. A Chriſto Domino ad Agni nuptias invitata, humiliter gratias egit pro tot receptis beneficiis, indignam ſe aſſerens quæ ad ejus vocaretur conſortium. Deinde eumdem deprecata ut ſacratiſſimum liquorem ſibi adſciſcere dignaretur, & vulnera, quæ communicaverat, e corpore delere, clementer exaudita eſt. Mox Virgines adſtantes ſecundo rogans, ut ignoſcerent, dixit ſe fratrem Franciſcum Georgium ad illam uſque horam expectaſſe, ſed a potentiori Magiſtro vocatam, obedire oportuiſſe, valedicenſque adſtantibus, & petens, ut ſuam Abbatiſſa impertiret benedictionem, die XVII. Septembris in feſto Stigmatum ſancti Franciſci ſanctiſſimam efflavit animam, ſparſo per cubiculum ſuaviſſimo odore. Viſa ſunt in latere, manibus & pedibus vulnerum veſtigia, & genibus camelorum inſtar obductum callum duriſſimum. Sepulta eſt in communi Sororum cœmeterio, uti ipſa rogavit, unde poſt aliquot annos indicio miri ſplendoris agnita ejus oſſa, ad nobiliorem locum translata ſunt. Habentur in magna veneratione ſimul cum aliis ejuſdem Virginis exuviis, aſperiſque macerandi corporis inſtrumentis.

Moritur ſanctiſſime.

Transfertur ejus corpus.

XXXI. Hoc anno frater Antonius de Garay Hiſpanus Burgenſis, poſtquam annis viginti Antyllæ, quæ in Ægypto urbs eſt prope Alexandriam (cujus vectigal, ut refert Herodotus, Reges Perſarum ſuis uxoribus in cinctuum impenſas donabant) Epiſcopum egiſſet Tamacenſem (Tama autem oppidum eſt inſigne in Ægypto ad Nilum prope Hieroſycaminum) & in Hiſpaniam reverſus, a Ferdinando Rege miſſus, Fortunatas inſulas Epiſcopali more viſitaſſet, Romam veniens, a Leone Pontifice Impetravit facultatem Epiſcopatui & beneficiis, aliiſque reditibus, quibus potiebatur, cedendi, atque ad Religionem regrediendi. Ab ipſo Leone coram Laurentio de Puccis Card. tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum, religioſo indutus habitu, in manibus Chriſtophori Forolivienſis, Vicarii Generalis Ciſmontani, profeſſionem reiteravit, & deinceps in Ordine religioſiſſime converſatus, vitam pio fine terminavit. Hoc itaque anno ad Sodalitium reverſus, non potuit, quod ex Gonzaga alias exſcripſimus, anno 1520. Eccleſiam Cœnobii de Rivo Sicco in Hiſpania conſecrare *. Error fortaſſis irrepſit in notas arithmeticas, & pro illo anno, computandus erat 1510. quod paſſim in numerorum notulis ſolet accidere: vel quidem poſt regreſſum ad Ordinem retinuit uſum Pontificalia exercendi. In illa navigatione ad Fortunatas ſive Canarienſes inſulas, refertur eum ſtrata ſuper mare veſte ſeu habitu Franciſcano, quem præter Epiſcopalem ſemper ſecum ſerebat, fluctus feri maris, naufragium minitantis compeſcuiſſe.

Antonius de Garay cedit Epiſcopatui.
Herod. in Euterpe.
Plinius lib. 6. cap. 27.
Viſitavit inſulas Fortunatas.

Tom. 14. anno 1491. n. 71.
** Indicatum errorem jam correctum habes loco cit.*

XXXII. Retulit ille (quod reticendum non putavi) hujus narrationis auctori, ſe patruum habuiſſe fratrem Joannem de Garay, qui mira pietate, & carnis maceratione vitam annos circiter triginta in Ordine tranſegit, & poſtea impetrata ſuorum Prælatorum facultate, in aſperrima montana conſcendit, ibique ultra annos quinquaginta, adſcito in ſocium quodam adoleſcente Tertiario, in anguſto Eremitorio pauperrima obſoletaque veſte, nudis prorſus pedibus, duro pane furfuraceo, ſæpe mucido, aqua, crudis herbis & radicibus vitam agebat admirandam. Lectus erant palmites ſeu arida ſarmenta; lignum cervical. Diffuſa per oppida vicina auſteri Eremicolæ fama, undique concurrebant, qui venerarentur, qui ſe ſuaque illius precibus com-

Fr. Joannes de Garay vir valde pœnitens.

commendarent, qui etiam ferrent munuſcula. Paulatim his allectus, etſi vitæ rigorem non remiſerit, cœpit tamen de cumulanda cogitare pecunia. Socio itaque commiſſa cura, quæ offerebantur vendendi, nummulos in olla ſub ſarmentis abſcondebat. Tamdem centenarius, ſolis oſſibus, & denigrata conſtans cute, inventus eſt exanimis, obſtructis faucibus ſuffocatus, ore retorto, horrendus aſpectu. Admirati qui ſparſo rumore convenerant, dum de ſepultura ageretur, & ſarmenta removerentur, conſpecta olla, gementes dixerunt: occulto Dei judicio miſerabilem hanc mortem inflictam fuiſſe in pœnam ſordidæ avaritiæ, & deteſtabilis in paupere Monacho proprietatis. Male perit.

XXXIII. Sed ecce tibi humanarum rerum inconſtantiam, finis mortalium incertitudinem, & Dei noſtri, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, incomprehenſibile judicium. Erat huic miſero ſeniculo nepos Didacus de Garay, vir obſcenus, lubricus, multiſque vitiis adeo ſordeſcens, ut nec pœnitere, nec reatus confiteri per annos voluerit triginta. Hic, ubi percepit juvenculum ſuum conſobrinum, annorum ſexdecim, rigidum Minorum ſubiiſſe Inſtitutum, compungi cœpit & exclamare: *Quid hic innocens puer in ſeculo tanta pœnitentia dignum commiſit? quid in domo paterna in omnium noſtrum conſpectu & ſub oculis piorum parentum facere potuerat, de quo tanta corporis maceratione adeo ſeverum ſit ſumendum ſupplicium? Ego ille, qui hæc merear, qui longa annorum ſerie toties Dei irritavi patientiam, & iram provocavi, qui vitiorum illuvie taliter obſordui, ut nulla mihi ſufficiat pœna, nullæ lacrimæ, per quas tot ſordes abſtergam. Tempus eſt, ut reſipiſcam, & vel ab adoleſcentulo docear Deum timere, ne poſt tantam ſufferentiam, & miſericordiæ longanimitatem exardeſcat furor ejus, & me conterat, pœniſque luam æternis, quæ perpetua obſtinatione commiſi.* His paſſim palamque repetitis, cœpit pœnitere, & a viis ſuis malis recedere; tantamque a Domino gratiam recepit, ut rigoroſa de ſe ſumpta pœna, gravi percuſſus ulcere, diebus multis patienter dolores vehementes ſuſtinuerit, multiſque ad pœnitentiam ſuo excitatis ſermone & exemplo, devote Eccleſiaſticis procuratus Sacramentis, in Domino obdormivit. Didacus de Garay vir perditæ vitæ bene moritur.

XXXIV. Omnes qui aderant, admiratione replevit & ſtupore mors fortunatiſſima viri, perditam eatenus vitam ducentis, & miſerabilis patrui exitus, qui longum pœnitentiæ vitæ curſum fine terminavit inſelici. Quis hæc poterit comprehendere? quis occulta Dei judicia auſit inveſtigare, multo minus condemnare? *Ipſo concedente pacem, quis eſt qui condemnet? & ex quo abſconderit vultum, quis eſt qui contempletur eum?* Quis eſt, qui temere diſcutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito? Abſcondit Pater hæc a ſapientibus, & revelavit ea parvulis: neque aliam protulit Filius rationem hujuſmodi abſconſionis ac revelationis, quam illam: *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere diſcutere ſuperna conſilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulſione præſumamus.* Id nobis ſcire ſufficiat, quod *injuſtum eſſe non poteſt quod placuit Juſto. Judicia Dei vera juſtificata in ſemetipſa.* Job. 14. 29. Matth. 11. 26. Greg. lib. 25. Mor. c. 13. Pſalm. 18. 10.

XXXV. Extra oppidum Ficarræ in Sicilia, initium dedere hoc anno Obſervantes Cœnobio ædificando ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu, in loco, quo præceſſerat Abbatia ſanctæ Dominicæ de Monte Dei, Ordinis Ciſtercienſium, a Leone Pontifice illis in hunc finem conceſſa. Ad oppidum Titi in regione Baſilicatæ, populi Univerſitas hoc anno Conventum extruxit, ſub titulo ſancti Antonii de Padua, fratrique Joanni Franciſco Potentino Conv. Ficarræ. Gonz. in Prov. Sicil. Conv. 37. Conv. Tit. Idem in Provin. Baſilic. Conv. 13.

Com-

Commiſſario, uti diximus, in Curia Romana, magnæ apud eos auctoritatis, poſtea contulerunt. Plurima hic patrat ſanctus Antonius miracula. Sub eodem titulo ſancti Antonii in oppido Sicli in Siciliæ inſula, conſtruxit Patribus Conventualibus habitaculum Magiſter Petrus Ruetus Raguſinus.

Conv. Sicli. *Rodul. fol. 282.*

ADDITIO *Ex ipſo Autogr. Monum. MSS. Prov. Poloniæ.*

„ XXXVI. In majori Polonia VII. M. P. ab urbe Gneznenſi prope „ oppidum Caſimiriæ in quadam Eremo, Joannes Lubronſinus Epiſcopus „ Poſnanienſis, vir pius, magnus eleemoſinarius, piorumque locorum fundator, fabricare cœpit hoc anno Cœnobium Fratribus de Obſervantia in „ loco deſerto, quem ante plurimos annos incolebant ſanctiſſimi quidam „ Eremitæ, qui a prædonibus trucidati, & Gneznam tranſlati, ibidem miraculis coruſcant. Morte præventus Epiſcopus ſtructuram reliquit imperfectam; legavit tamen mediocrem pecuniarum ſummam in fabricæ „ ſubſidium, cui acceſſerunt aliorum benefactorum eleemoſinæ, maxime „ vero piæ matronæ Biechoroſchiæ, quæ magno auri pondere ædificium „ complevit, libros chorales, paramenta & vaſa Eccleſiaſtica in ſacrum „ præparavit miniſterium. Nimis differt Gonzaga hujus Conventus originem ad annum MDLXXX. cum Joannes prædictus primus fundator poſt rectum ſumma cum laude Epiſcopatum annis XXII. vitam abſolverit anno MDXX. die III. Junii.

Gonz. in Prov. Poloniæ Con. 25.

Conv. Muraten. *Gonz. in Provin. Aquit. antiq. Con. 20.*

XXXVII. Apud Muratum, Aquitaniæ oppidum, vetuſtum erat Cœnobium Patrum Conventualium a Muratenſium & Carlatenſium Vicecomitibus conſtructum, bis tamen exuſtum, primo quidem fortuito, ſecundo Muratenſium opera, ne ab hoſtibus hæreticis occupatum, oppido capiendo deſerviret. Antequam ſecundum hoc infortunium pateretur, hoc anno Conventuales incolæ ſponte proprioque motu in Regularem Obſervantiam verba facientes, ſemetipſos & locum hujus Provinciæ Vicario commiſerunt.

Conv. Reynoſæ. *Idem in Provin. Cantab. Conv. 12.*

XXXVIII. Inter Neſtaris & Reynoſæ oppida in Cantabria, conſtructum eſt ab utroque populo Cœnobium Obſervantum, ſub appellatione Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, conferente etiam ad ſtructuram pinguiſſimam eleemoſinam Joanne a Rebolledo; qua de cauſa ejus ex filio nepos jus patronatus a Pio IV. impetravit, ſed re ad examen deducta, judicatum eſt injuſte hoc ſibi vendicaſſe. Locus eſt amœnus, adlabente rivulo, qui ex alveo celeberrimi Iberi fluminis emanat. Commodum eſt habitaculum adoleſcentum Grammaticæ ſtudioſorum.

Mon. Abdaræ. *Idem in Provin. Granat. Mon. 20.*

XXXIX. Sub eodem titulo Conceptionis in urbe Abdaræ (vulgo Hiſpanico *Almeria*) Gutierrus a Cardenis, militiæ ſancti Jacobi Eques, & Legionenſis major Commendatarius, ejuſque conjux Tereſia Enriquez Monaſterium conſtruxerunt Virginum ſub Regula & ritibus Religionis Conceptionis, & honeſtis inſtruxerunt reditibus, commiſſo illius regimine Miniſtro & Patribus Obſervantiæ Provinciæ Granatenſis. In Eccleſia requieſcit ſoror Maria Guſmania, licet nobili orta progenie, profunda tamen prædita humilitate, aliiſque virtutibus illuſtris.

Maria Guſmania.

Dom. Soror. S. Antonii Toleti. *Idem in Provin. Caſtel. Mon. 20. Salaz. l. 7. c. 19.*

XL. Domus Sororum Tertii Ordinis, a ſancto Antonio Patavino nuncupata, intra muros Toletanos, loco perquam opportuno & commodo ſita, iſtud habuit initium. Maria Gonçalez a Fonte mundi illecebris & vanitati valedictura, quibuſdam amicis mulieribus idipſum, utque honeſto habitu, frugalique ſecum menſa contentæ eſſent, perſuaſit. Pulla itaque veſte aſſumpta, in honeſtam domum ſe omnes receperunt, ubi aliquandiu ſunt commoratæ. Ad perfectiorem vero vitæ ſtatum anhelantes, tertiam ſancti Franciſci Regulam ſibi propoſuerunt ſectandam, pios conatus dirigente Franciſco ab Angelis tunc Vicario Provinciæ Caſtellæ, poſtea totius Ordinis

nis Miniſtro Generali, & S. R. E. Cardinale. Elapſo poſt aſſumptum Inſtitutum decennio, prædicta Maria domum emit Ferdinandi ab Avalos, Parochiæ ſancti Thomæ vicinam, ad quam hoc anno, obtenta Cardinalis Ximenii facultate, ſibi ad hæc ab Alexandro VI. olim commiſſa, tranſivit. Salazarius emptam ait domum ab Imperatore Carolo V. ſed cum adbuc juvenis hæreret in Belgio, regnarentque hoc anno in Hiſpania Ferdinandus Aragonius, & Joanna filia, Caroli mater, atque hunc tranſitus annum emptio, in religioſam formam ædium reductio præceſſerit, non potuit cum Carolo hæc fieri tranſactio. Ait inſuper, non niſi anno MDXXVI. ad domum iſtam Sorores tranſiiſſe, cum hoc ipſo translationem factam aſſerat Gonzaga. Catarina de Fonte, Mariæ ſupradictæ matertera, facultate locuples, multa in ſtructuram & ſubſidium Sororum elargita eſt. Maria fundatrix tanta vixit pietate, ut etiam miracula patraſſe referatur. Ejus corpus ſecundo & tertio translatum ſemper apparuit incorruptum. Sub finem poſtremi ſeculi Eccleſia cum ſacello majori ædificata ſunt magnifice. Domus capax eſt Sororum octoginta. *Maria Gonzalez a Ponte.*

XLI. In Eccleſia Monaſterii ſancti Franciſci, a Cruce nuncupati, Ordinis ſanctæ Claræ, in urbe Venetiarum, de quo ſuo loco ſermonem inſtituimus, erant quædam beneficia, quæ hoc anno in favorem Monaſterii ſunt a poſſeſſoribus reſignata: beneficium ſimplex, nuncupatum titulum presbyteralem, reſignavit Joannes Franciſcus Puteolanus, Canonicus Clodienſis, & Vicariatum perpetuum cum cura animarum in eadem Eccleſia Balthaſſar de Saccis, conſtitutis ſuis procuratoribus ad effectum reſignationis, & beneficiorum adnectendorum ipſi Monaſterio, Franciſco Georgio, de quo paulo antea diximus, Vicario Provinciæ ſancti Antonii, Chriſtophoro Forolivienſi Commiſſario Ciſmontano, & Alphonſo Hiſpano Guardiano Cœnobii Aracœlitani. Erat tunc Monaſterii Abbatiſſa ſoror Gratia Superantii, & procurationis inſtrumento aſſenſum præbuerunt quinquaginta ſex Sorores profeſſæ. *Tomo 14. anno 1481. n. 12. Domus Venetæ. Sororum S. Crucis reditus aucti. Inſtrum. orig.*

XLII. Multa hoc anno Pontifex contulit Fratribus privilegia. Omnia aliorum Ordinum Mendicantium privilegia eis communicavit, eaque de novo conceſſit, atque eis firmandis peculiares deputavit Conſervatores: *Affectu benevolentiæ*. XVI. Februarii. Declaravit Fratres Obſervantes non teneri ad onera Miſſarum aliaſque obligationes, quæ præextiterant in domibus Conventualium, quas acceperant reformandas, adhibitis quibuſdam cautelis: *Juſtum, & rationabile*. die XVII. Martii. Eos abſolvit a ſolutione quartæ funeralis locorum Ordinariis & Rectoribus Eccleſiarum alias dari conſuetæ: *Affectu benevolentiæ*. XVI. Februarii. Conceſſit eiſdem facultatem vivendi in domibus amplis & magnificis, & uti paramentis pretioſis, quæ vel pietas fidelium largitur, vel a Patribus Conventualibus relicta poſſidere contigerit: *Merentur veſtræ devotionis*. die III. Januarii. Necnon poteſtatem Eccleſias, Oratoria, capitula, cœmeteria, paramenta, ornamenta, corporalia benedicendi: *Religionis ſuadet honeſtas*. die III. Februarii. Prohibuit ne Fratres, aut Sorores Tertii Ordinis moleſtarentur circa exemptiones fori, aut perſonæ, ſed libere potirentur privilegiis & gratiis ſibi a Gregorio IX. Sixto IV. aliiſque ſummis Pontificibus conceſſis: *Exponi nobis nuper*. die VI. Januarii. Rigoroſe ſtatuit, ne ad interiora domorum Clariſſarum, aut Sororum Tertii Ordinis, Fratres, aut alii quipiam accederent, niſi in caſibus ab earum Regulis præſcriptis: *Accepimus ſiquidem*. die XIII. Februarii. *Varia privilegia*

ARGUMENTUM.

Indorum converſioni & duræ ſervituti modum præſcribit Ferdinandus Rex Catholicus. Ximenius rebus ſuæ diœceſis, & Regis infirmi proſpicit ſaluti. Jacobi Piceni cultus indicitur. Approbantur in Concilio Lateranenſi Montes Pietatis. Candidus Ranzeus, pii aliquot Poloni, & Theodoricus Monaſterienſis moriuntur. Creantur Epiſcopi. Conſtruuntur Cœnobia.

Herr. dec. 3. l. 3. c. 2. & ſeqq. Mon. MSS. Ind. Occid.
Joan. de Quevedo Epiſcop. Darieni egregie laborat in Indiis.

I. FREQUENS occurrit hoc anno memoria fratris Joannis de Quevedo, Epiſcopi Darieni, ad continentem Indiæ Occidentalis anno præterito, uti diximus, amandati. In converſione Indorum procuranda nullum refugiebat laborem; in Regiis Miniſtris ab avaritia, tyrannide, libidine cohibendis, omnem impendebat operam; in componendis diſcordiis Petri Arias Regii Præfecti, & Blaſci Nunii, ſolertiſſimi Ducis, ſequeſter pacis erat aſſiduus; in promovendo Regis imperio, & multiplicanda Hiſpanorum colonia opportuna quæque ſuggerebat conſilia; utque Chriſtiane regerentur Indici, & humaniter tractarentur rogare, monere, & pro ſua auctoritate imperare non ceſſabat. Nihil alicujus momenti abſque illius conſilio & aſſenſu fieri poterat, uti erat a Rege imperatum; neque ille quidem ſuam permiſit deſiderari fidem, ſolertiam, juſtitiam, animi integritatem. Inde illi circa animarum procurationem magnus labor & dolor obortus, quod improbo labore, ſed exiguo fructu, Evangelici miniſtri inter barbaras gentes verſabantur; vitiorum enim inveterata conſuetudo, ſupini otii innatus amor, hebeſque ad diſciplinas ingenium, caſſam ſterilemque reddebant univerſam prædicatorum induſtriam. Quibus medendis malis illud excogitatum eſt conſilium, ut Indi inter Hiſpanos diſtribuerentur, titulo quodam Commendationis (quæ poſtea in ſervitutem degeneravit) atque ita inter Chriſtianos viventes, Chriſtianos mores ſermoneſque apprehenderent, veterique vitæ, atque otii corruptelæ paulatim deſueſcerent.

Rex Cathol. Indorum proſpicit miſeriis.

II. Rex autem Ferdinandus ſcire volens qualiter cum miſeris illis nationibus ageretur, nonniſi proborum virorum ex Minoribus præſertim & Prædicatoribus Hiſpaniolæ, atque inſularum adjacentium explorabat judicium, a quibus cum perciperet inhumaniter agi cum omnibus Indicis, tam vi ſubjectis, quam ſponte ſe Regiæ fidei committentibus, ſerio de remedio cogitabat. Id vero majori conatu applicare conſtituit, poſtquam ſub hujus anni finem, Bartholomæus delas Caſas tunc presbyter ſecularis, Indorum perpetuus fautor, ſtrenuuſque contra Hiſpanorum injurias defenſor, multas ad eum de militum & miniſtrorum avaritia, ſævaque tyrannide dedit querelas, quæ per Curiam negligenter ſparſæ, ad illorum manus pervenerunt, qui in odium & æmulationem Hiſpanicæ gentis, eas curaverunt ubique, variiſque linguis excudi. Et quidem multa ab eo inconſiderate dicta indiſcreto zelo alleviandæ ſervitutis Indorum, & reprimendæ licentiæ Hiſpanorum, etiam illius temporis ſcriptores contendunt. Atqui eadem Regi præſens inculcare non deſtitit anno ſequenti in Hiſpaniam profectus, obtinuitque ut graviſſimorum virorum ſacræ Theologiæ Doctorum, & V. I. peritorum cœtus cogeretur rei conſultius decernendæ. Quid tamdem in hac re factum ſit, dicetur anno ſequenti.

Gomeſ. de rebus Ximen. l. 5.

III. Ferdinandus Rex Catholicus moleſto tenacique preſſus malo, ex potione contracto, frequentes ineunte hoc anno dabat litteras ad Ximenium

nium Cardinalem Compluti agentem. Dabant etiam qui Regi erant a conſiliis, ut ad publica negotia curanda Regi velit aſſiſtere, & graviter ægrotanti curarum partem ſubtrahere. At ille, qua erat prudentia, facile animadvertit laborioſum admodum ſibi futurum, ſi Regem nuſquam quieſcentem, per ſaltuoſa loca aſſectaretur, tam imbecillo corpore, & valetudine parum firma. Videbat etiam Regem permoleſte ferre, ſi quis de rebus ſeriis ad rempub. pertinentibus ſecum ageret, qui tantum erat in morbo depellendo attentus. Quare conſultius ſe facturum reputabat, ſi valetudinem ſuam curaret, & vires ſervaret in tempus opportunius, & reipub. perquam neceſſarium, quod per Ferdinandi mortem propediem futurum conjectabat. Decrevit itaque Compluti commorari, & res propoſitas de villis in uſum Academiæ conſtruendis, ad coronidem perducere.

Ximenius a Rege vocatus moras nectit.

IV. In Butragiorum montibus, qui in confinio Vacceorum ſunt, ædes erat ſacra in remoto ſeceſſu, undique nemoribus & montibus cincta, prorſus muſarum ſtudiis, & Divinarum rerum contemplationi aptiſſima, ſancto Audito conſecrata. Cœnobium fuit olim Canonicorum ſacerdotum, atque adhuc ſupererant odei ſedilia, pſalmodiis opportuna, triclinium peramplum, ceteraque ad vitam promiſcue agendam neceſſaria. Hanc porro ædem Theologis doctoribus, qui ſcholaſticam palæſtram abſolviſſent, ſeceſſum eſſe voluit, ubi curis omnibus vacui, ſacros auctores per otium evoluerent. Alias duas villas amœnitate & ſalubritate notabiles addere ſtatuit, ad quas æſtivo aut peſtilenti aut turbulento tempore, ob populares motus, ſancti Ildefonſi collegæ Complutenſes poſſent emigrare. Itaque divi Auditi ædem multis in locis ſumptuoſe conſtruxit, additis molis frumentariis, quæ a proximo rivo verſarentur, non ſine magna utilitate tum villæ, tum finitimorum agricolarum. Alteram non longe ab agro Turrilacunitano, quam *Aldebuelam* (quaſi viculum dixeris) appellant, ubi ædem Divi Ildefonſi, quæ Complutenſis æmula videri poterat, eiſdem prope partibus & membris diſtinctam, a primis fundamentis ædificavit, aptiorem tamen hyemali tempori, quam æſtivo, ſed prædio vini optimi, & frumenti feraciſſimo ornatam, unde maximum emolumentum collegæ capiunt. Tertiam vero Anchvelli in agro Complutenſi erigere cœpit. Sed cum parum ex animi ſententia ſurgentem cerneret, deſtrui protinus juſſit, neque amplius de reficienda cogitavit. Verum duæ, quas diximus, villæ, ſatis ſunt ad prædicta incommoda evitanda. Tædium certe aſſiduitatis, & diuturnæ in Compluti ædibus habitationis, villarum præſidio abunde diſcutitur.

Parat Academicis loca amœna & ſolitaria.

V. Poſtquam autem Anchvelli villam demolitus eſt, ſanctum Torquatum Compluto proximum, & ſuæ ditionis oppidum venit, ubi arcem, quæ vetuſtate collabebatur, tam firma ſtructura & decora reparavit, ut Pontificibus Toletanis haud aſpernanda habitatio habeatur. Hoc igitur propoſito, & incredibili animi præſtantia & celeritate, tot præclara opera conſtruxit, quæ non ſolum urbem aliquam, ſed totam Carpetaniam, imo vero totam Hiſpaniam illuſtrant. Auget hanc magnificentiam tenuitas proventuum & vectigalium Archiepiſcopatus Toletani, ſi cum opulentia & ſumma fructuum copia noſtri temporis conferantur. Multis morbo ædificandi laborare, aliis rerum bellicarum ſtudioſior, quam Antiſtiti conveniret, viſus eſt. Nonnulli litterarum & doctorum hominum fautorem mirum in modum fuiſſe, cetera vero non natura, ſed conſilio procuraſſe. Hæc tam varia de illo judicia, non aliunde nata eſſe conſtat, quam quod in rem ſemel ſuſceptam adeo graviter incumbebat, ut illi ſolum natus, in eamque tantum ingenio ferri videretur.

VI. Sub menſem demum Julium rurſus litteris Regis Ximenius Arandam,

dam, quæ ad flumen Duriam ſita eſt, evocatur, qui Auguſto menſe, qua potuit feſtinatione contendit. Nam Rex cum Burgis ageret, a cubiculi cuſtodibus animo defectus, & toto corpore tremebundo repertus eſt, qui ejus gemitu & ronchis excitati adcurrerunt, & vix frigida aſperſa, membrorumque confricatione in ſe ſe ut rediret, effecerunt. Creditum eſt id Regi accidiſſe, quod per æſtivos calores, feneſtris cubiculi apertis, & levibus ſtragulis tectus, noctu dormiens, aura frigidore & tenui, qualis Burgenſis eſt, afflatus fuerit; unde illæ corporis motiones, & torſiones oculorum provenerunt. Hoc caſu Rex perterrefactus, Burgis relictis, Arandam profectus eſt; Ximenium ad ſe ſtatim venire jubet, de reipub. ſtatu cum eo acturus. Nam cum ineunte anno, Germanam Reginam in Aragoniam ad conventus faciendos miſiſſet, quoniam ipſe ad alteros Burgis celebrandos procuratores Caſtellanos convocaverat; Regina rurſus in Caſtellam revocata, ad Aragonios abſolvendos proficiſci meditabatur. Acciderunt autem nonnullæ res, quæ Regiam majeſtatem offenderant, & magis arcano benevolentium hominum conſilio, quam publica ſeveritate animadvertenda erant. Ut ergo

Obviam Rex proficiſcitur.

Ximenium venire novit, ad pontem ejus oppidi, obviam illi lectica proceſſit, magna omnium admiratione, qui Regem ſe quoquam ob ægritudinem difficulter movere noverant. Id enim Rex perpetua quadam religione obſervavit, ut Ximenium ad regium comitatum venientem, honoris gratia extra oppidi mœnia ſalutaturus progrederetur. Ut Rex ad pontem pervenit, lectica deſcendit: qui dum fluvium magni in Hiſpania nominis, rapido alueo fluentem ſpectat, Ximenius adfuit, & poſt mutuas ſalutationes in oppidum colloquentes proceſſerunt.

Rex nullo loco conſiſtit.

VII. Aranda ſub finem Auguſti Rex Segobiam conceſſit; nam partim ob temporis calorem, partim ob ægritudinem in dies ingraveſcentem, in Aragoniam iturus non credebatur. Sed extemplo, quæ eſt animi ægrotantis inconſtantia, quamvis cunctis proceribns diverſum ſuadentibus, Aragoniam proficiſci ſtatuit, reipub. cura Ximenio demandata. Ut Rex Bilbilim pervenit, ibi proceres Aragonios allocutus de rebus, quæ urgere videbantur, ſtatim Madritum rediit. Sed cum nullibi ſatis commode conſiſteret, Placentiam in antiqua Luſitania urbem ex medicorum ſententia, quod mitius cœlum ad hyiemem tranſigendam habere credatur, ſub Novembrem menſem contendit. Haud diu ibi commoratus, in Albam Reguli amœniſſimum prædium, quod *Abbatiam* vocant, ad cervorum venationem diſceſſit. Sed neque hoc illi ex animi ſententia fuit; adeo cuncta, quæ quondam placuerant, faſtidio erant. Omnia ſibi anguſta & arcta in urbibus eſſe clamitabat, & ſub dio velle vitam agere, ubi late paterent campi, optabat; tanta erat mentis anxietas, & præcordiorum æſtuatio.

VIII. Dum hic per menſem Decembrem Rex immoratur, Adrianum Trajectenſem Lovanii Decanum, qui a Carolo nepote legatus venerat, honorifice recepit. Sed Rege negotia univerſa faſtidiente, Placentiæ, ubi re-

Ximenius Complutum regreſſus revocatur.

gius comitatus degebat, aut in Guadalupi Cœnobio, donec vocaretur, expectare juſſus eſt. Hic rurſus Ximenii præſentia deſideratur: nam Segobia Complutum migraverat, de ſuis ædificiis ſollicitus, quæ quo magis ad coronidem perducta videbantur, tanto plus manum extremam illis imponere, quod & fecit, cupiebat. Igitur rerum ſubinde pullulantium molem ad illum rejicere Ferdinandus deſiderans, crebris litteris ad ſe vocaverat.

IX. Ximenius vero, quamvis nihil magis per id tempus concupiſceret, quam Regi laboranti, & ferme extremum halitum ducenti adeſſe, recuſabat tamen eo venire, ne, ſi ſe præſente, quod poſtea evenit, Regnorum mo-

Digitized by Google

moderationi præficeretur, non tam Regis de ſe judicio, quam ambitione ſua factum eſſe videretur. Tum etiam verebatur, ne, ſi cum Rege in Bæticam ſecederet, ut vulgo jactabatur, Reguli interea, qui toties in Ferdinandum conſpiraverant, & quibus ejus dominatus gravis erat, aliquid novi molirentur: præſertim cum Belgæ, in quorum poteſtate Carolus puer erat, nihil magis quam imperium optarent. Itaque Regi ad hunc modum reſpondit; ſe quidem omni cura & diligentia ad iter paraſſe, ſed imbrium immodice ſupervenientium tempeſtate retardatum fuiſſe; nam ea rapidorum torrentium inundatio nunciabatur, ut omnis tranſitus eſſet interceptus: poſt ſerenitatem vero redditam, nihil certi habuiſſe de Regis manſione, quam ſubinde mutare intellexerat: quamobrem decreviſſe tantiſper immorari, donec certior de ea re fieret. Quod ſi in eo Luſitaniæ tractu, qui propinquior Tarraconenſi eſt, eam hyemem tranſigere ſtatueret, ſe quam primum ad ipſum venturum, atque ea de cauſa ſimulatque Epiphaniæ feſtum celebraſſet, ad Talabricenſes venturum, ut in extremo ad Occidentem diœceſis ſuæ limite, Regis mandatum opperiretur. Quod ſi in Bæticam ire animus eſſet, & Granatam, Malacam, ceteraſque ejus oræ urbes peragrare, ſciret multas ob cauſas, de quibus latius alias ſcripſerat, Ximenii præſentiam in Tarraconenſi tractu neceſſariam eſſe.

X. Quod vero comiter & amice Adrianum Nepotis Legatum ſuſcepiſſet, id ex regia dignitate factum eſſe: Cuſtodes tamen (quod ex aliorum litteris cognoverat) illi palam appoſitos, ut nemo eum adiret, qui Regi ingratus aut ſuſpectus haberetur, ſibi non probari. Neque enim cum viro probitate aut doctrina ſingulari, & qui pacis in rempubl. inducendæ cauſa venerat, ut cum ſeditioſis & pravis ingeniis agendum eſſe. Poſtquam hæc ad Regem ſcripſit, quod de Bætica non adeunda ſignificaverat, adeo firmiter ſervandum propoſuerat, ut Alarconio, quem hoſpitii parandi cauſa ad comitatum regium præmiſerat, per Didaci litteras juſſerit, ut ſi Hiſpalim Rex proficiſci tamdem decernat, ipſe extemplo Complutum redeat. Ad Adrianum vero litteras humanitatis plenas dedit, quibus de ejus in Hiſpaniam adventu gratulatur, & permoleſte tuliſſe ait, quod eo tempore a comitatu regio abeſſet, in quo Adriani conſpectu & conſuetudine, tanta cum animi voluptate frui potuiſſet, quem cuncti in omni virtutum, & doctrinarum genere, virum ſummum prædicarent. Ceterum ſimulatque de regis in loco certo manſiones cognoviſſet, illuc feſtinaturum. Nam dum per incertas ſedes Rex vagaretur, ætati ſuæ aut valetudini tutum non eſſe Regem affectari. Qualiter autem Ferdinandus ineunte anno ſequenti ſatis conceſſerit, tunc dicemus.

Ad Adrianum Caroli Regis Legatum ſcribit.

XI. Multa magnaque miracula, quæ ſub hoc tempus beatus Jacobus Picenus patrabat, Leonem Pontificem induxerunt, ut Indulgentiis commendaret fieri quotidie Fratrum ſupplicationem, ſeu proceſſionem ad ejus ſepulcrum, & decantari Antiphonam, qua illius laudes recenſebantur. Pontificium diploma, & ſancti Viri elogium, nos alias dedimus opportune.

Colitur publica auctoritate B. Iacobus Picenus. *Tomo 14. anno 1476. num. 8. & ſeqq. & num. 41. ſeq.*

XII. Hujus Jacobi diſcipuli Conſodales, aliique viri doctrina & pietate conſpicui, ad ſubveniendum pauperum inopiæ, ne uſurarum voragine tenues illorum facultates deglutirentur, excogitaverunt, uti ſæpe per multos annos diximus, in præcipuis Italiæ Civitatibus, in quibus inſatiabiles fœneratores Judæi miſellorum ſubſtantiam devorabant, Montes erigere Pietatis, ſed non ſine aliorum contradictione, qui inſtitutionis ſive erectionis modum, tamquam illicitum condemnabant. Sopita vero aliquantulum

hac

hac controverſia, dum hoc tempore cœpit reviviſcere, Pontifex in Concilio Lateranenſi eam definitam voluit graviſſimo diplomate, cui omnes Patres Cnncilii, uno adempto Hieremia Archiepiſcopo Tranenſi, adhæſerunt.

Concil. Lateran. ſeſſ. 10.

LEO EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio.

Approbatur inſtitutio Montium Pietatis.

XIII. I*Nter multiplices noſtræ ſollicitudinis curas, illam in primis ſuſcipere pro noſtro paſtorali officio debemus, ut quæ ſalubria & laudabilia, ac catholicæ fidei conſona, & bonis moribus conformia, noſtro tempore non ſolum enucleentur, verum etiam ad poſteros propagentur; & quæ materiam ſcandali præbere poſſent, penitus ſuccidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare uſquam ſinantur; ea in agro Dominico & vinea Domini Sabaoth dumtaxat conſeri permittendo, quibus fidelium mentes paſci ſpiritualiter poſſint, eradicatis zizaniis, & oleaſtri ſterilitate ſucciſa. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios ſacræ Theologiæ Magiſtros, ac Juris utriuſque Doctores, controverſiam quamdam non ſine populorum ſcandalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innovatam eſſe comperērimus circa pauperum relevationem, in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui* Montes Pietatis *vulgo appellantur, quique in multis Italiæ Civitatibus, ad ſubveniendum per hujuſmodi mutuum pauperum inopiæ, ne uſurarum voragine deglutiantur, a Civitatum magiſtratibus, & aliis Chriſtifidelibus ſunt inſtituti, atque a ſanctis Viris, Divini Verbi præconibus & laudati & perſuaſi, ac a nonnullis etiam Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris probati & confirmati ſint, ne præfati montes a Chriſtiano dogmate diſſonantes, vel non, utraque parte diverſimode ſentiente atque prædicante; nonnullis enim magiſtris & doctoribus dicentibus eos Montes non eſſe licitos, in quibus aliquid ultra ſortem pro libra, decurſo certo tempore, per miniſtros hujus montis ab ipſis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab uſurarum crimine injuſtitiave, ſeu ab aliqua certi ſpecie mali, mundos non evadere, cum Dominus noſter, Luca Evangeliſta atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam ultra ſortem ſperare debeamus: ea enim propria eſt uſurarum interpretatio, quando videlicet ex uſu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nullove periculo, lucrum fœtuſque conquiri ſtudetur. Addebant etiam iidem magiſtri & doctores, in his Montibus, neque commutativæ, neque diſtributivæ juſtitiæ fieri ſatis, cum tamen juſtitiæ terminos contractus hujuſmodi excedere non debeant, ſi debeant approbari: idque præterea probare nitebantur, quia impenſæ pro hujuſmodi montium conſervatione, a pluribus, ut ajunt, debitæ, a ſolis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur: pluraque interdum ultra neceſſarias & moderatas impenſas, non abſque ſpecie mali, ac incentivo delinquendi, quibuſdam aliis perſonis, ut inſerre videntur, exhibeantur. Aliis vero pluribus magiſtris & doctoribus contra aſſerentibus, & in multis Italiæ Gymnaſiis verbo & ſcripto conclamantibus pro tanto bono, tamque reipublicæ perneceſſario, modo ratione mutui nihil petatur, neque ſperetur: pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impenſarum videlicet miniſtrorum eorumdem, ac rerum omnium ad illorum neceſſariam conſervationem pertinentium, abſque montium hujuſmodi lucro, idque moderatum & neceſ-*

A ſanctis Viris laudata & perſuaſa.

Luca 6. 35.

ceſſarium ob his, qui ex hujuſmodi mutuo commodum ſuſcipiunt, licite ultra ſortem exigi & capi poſſe non nihil licere, cum regnla Juris habeat, quod Reg. 55. in 6. qui commodum ſentit, onus quoque ſentire debeat, *præſertim ſi Apoſtolica accedat auctoritas. Quam quidem ſententiam a fel. record. Paulo II.* A multis Pontificibus probata. *Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Julio II. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris probatam, a Sanctis qnoqne ac Deo devotis, & in magna, ob ſanctitatis exiſtimationem, opinione habitis, Evangelicæ veritatis prædicatoribus, prædicatam eſſe oſtendunt. Nos ſuper hoc, pront nobis eſt ex alto conceſſum, opportnne providere volentes, alterins quidem partis, juſtitiæ zelum, ne vorago aperiretur uſurarnm, alterius pietatis & veritatis amorem, ut panperibus ſnbveniretur, utriuſque vero partis ſtudium commendantes, cum hæc ad pacem & tranquillitatem totius reipublicæ Chriſtianæ ſpectare videantur, ſacro approbante Concilio, declaramus & definimus,* Montes Pietatis *antedictos, per Reſpublicas inſtitutos, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus probatos & confirmatos, in qnibns pro eorum impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum, ad illorum conſervationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra ſortem abſque lucro eorumdem Montium accipitur, neque ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentivum præſtare, neque ullo pacto improbari: quinimo meritorium eſſe, ac laudari, & probari debere tale mutnum, & minime nſurarinm putari, licereque illorum pietatem & miſericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a ſancta Sede Apoſtolica, eam ob cauſam conceſſis; ac deinceps alios & ſimiles Montes, cum Apoſtolicæ Sedis approbatione erigi poſſe; multo tamen perfectius multoque ſanctius fore, ſi omnino tales Montes gratuiti conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel ex media parte hujuſmodi Montium miniſtrorum ſolvantur impenſæ, ut ad leniorem æris ſolvendi portionem, medio hoc pauperes gravari contingat, ad quos cum hujuſmodi cenſus aſſignatione, pro impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſtifideles majoribus indulgentiis invitandos eſſe decernimns. Omnes autem Religioſos, & Eccleſiaſticas ac ſeculares perſonas, qui contra præſentis declarationis & ſanctionis formam de cetero prædicare ſeu diſputare verbo vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, privilegio quocumque non obſtante, incnrrere volnmus: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis & definitionis, decreti & excommnnicationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ in publica Seſſione in Lateranenſi Sacroſancta Baſilica ſolemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ* MDXV. IV. *Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno* III.

XIV. Hoc concilii decreto, manifeſtiſque quæ probabat pauperum commodis, permotus ſanctus Carolus Borromæus Legatus ad univerſam Italiam, in Concilio Mediolanenſi primo a ſe celebrato ſub Pio IV. an. MDLXV. S. Carolus jubet hos Montes ubique inſtitui. ſtatuit ſequentia: *Epiſcopi omnem curam & operam ſuam conferant ad erigenda & inſtituenda, ex auctoritate ſummi Pontificis, loca pia,* quæ Montes Pietatis *appellantur, in ſingulis Civitatibus, & inſignioribus oppidis, unde mutuas pecunias pauperes poſſint accipere, eaque, & quæ jam conſtituta ſunt, ſtudioſe & fideliter adminiſtranda curent; Principes autem & Magiſtratus obſecramus, ut ea in re Epiſcoporum ſtudium & diligentiam omni ope adju-*

adjuvent . Nec in eis quidquam præter ſortem , niſi pro Miniſtris & aliis neceſſariis ſumptibus , idque ex ſummi Pontificis auctoritate , accipiatur .

Legenda. MSS. Cimarel. 4. p. lib. 6. cap. 62. Candidus Ranzeus undique illuſtris.

XV. Fatis hoc anno conceſſit Candidus Ranzeus Vercellenſis, nobili piaque ſatus progenie, & conſanguineis ſanctimonia claris illuſtris. Matrem habuit Dorotheam, quæ centeſimo ætatis anno, prænunciato mortis die; ſorores Eliſabetham & Angelam, quæ in Vercellenſi Monaſterio Clariſſarum, gratiarum portentis mirabiles; & Joannem Demoſthenem Ranzeum patruelem Minoritam, ſignis & virtutibus, necnon converſione Waldenſium Vallis Lucernæ præclarum, qui in Conventu Angelorum Taurini, deceſſere. Candidus autem relicta præcipua dignitate Eccleſiaſtica Templi Cathedralis, poſtquam utrique Juri in urbe Taurinenſi operam dederat, habitum ſuſcepit Minorum, quibus infra paucos annos omni virtutum genere, humilitate præſertim, abſtinentia, obſervantia regulari, & proximorum dilectione mirifice præluxit. In Corſicam miſſus, gentem illam verbo & exemplo ad viam veritatis reduxit; deinde ad Inſubres revocatus, cumulatiſſimo apud eos fructu prædicavit. Ut vero ſibi etiam mederetur, receſſit ad ſolitudinem Montis Varalli, cujus ſacris ædibus primo conſtruendis, Bernardino Caymo pii operis auctori, ſolerter adlaboravit.

Minoribus adſcriptus magna virtute præluxit.

Oblatos reſpuit honores.

XVI. Mercurino Gattinaræ Cardinali, ſuo patrueli, honores & Epiſcopatum offerenti, conſtanter reſtitit, nulliſque parentum precibus induci potuit, ut quem amplexatus fuerat, Religionis ſtatum dimitteret. In oratione aſſiduus, ad Chriſti Crucifixi pedes ſuas preces cum lacrymis ſolebat effundere, ubi multis donis & gratiis meruit cumulari, & revelationibus illuſtrari. In oppido ſancti Georgii tractus Canapicii in Pedemontio, patratis aliquot miraculis, cœpit opinione clareſcere. Unde Comitiſſa Valpergæ a prædicto oppido VI. M. P. diſtantis, dum graviter ægrotaret, magnis precibus obtinuit, ut Superiorum juſſu accederet, & reatus confitentem audiret. Antequam perveniret, prædixit infirmam priſtinæ ſaluti reſtituendam, ſe vero illo in loco moriturum. Utrumque, uti prædixit, evenit, & ille quidem die XVII. Septembris, ſancti Franciſci ſtigmatibus venerando, vitam ſanctiſſime terminavit.

In oratione aſſiduus.

Miraculis clarus.

Moritur.

Ubi ſepelitur.

Vide Meriet. de SS. Hiſp. l. 5. c. 32.

XVII. Orta ſtatim magna controverſia inter utriuſque oppidi populos circa ſepulturæ locum, dum ad arma vellent procedere, decretum eſt, uti, ſicuti pro ſimilibus diſcordiis ſedandis alias proviſum eſt, plauſtro a duobus juvencis trahendo imponeretur corpus, & eo, ad quem veherent, loco ſepeliretur. Recta illi proceſſerunt ad ſancti Georgii, ubi in Cœnobio ſui Ordinis ſanctæ Mariæ Gratiarum in tumulo e terra elevato ſepultus eſt intra ſacellum ſancti Bernardini, datis Eccleſiæ Valperganæ corde & inteſtinis. Sepulcrali lapidi inciſa eſt ſancti Viri effigies, capite radiis circumdato, mitra ad pedes appoſita, libro, doctrinæ ſymbolo, ſiniſtræ immiſſo, his verbis inſculptis: *Candidus Rarzeus Vercellenſis, qui majoratus dignitate Eccleſiæ Vercellenſis contempta, Seraphicam Religionem Minorum intravit, hic fuit tumulatus, ubi multis fulget miraculis.* Aliquot ex his recenſentur in ejus vita per Bartholomæum Cimarellum conſcripta.

Monumen. MSS. Provin. Poloniæ. Moritur fr. Richardus Polonus. Fr. Evangeliſta.

XVIII. In Provincia Poloniæ qui ſequuntur, objerunt. Richardus ignoti cognominis, vir pius & humillimus, ſanctæ converſationis, & Angelicæ puritatis, ſepultus in Conventu Coſteui. Evangeliſta, Artium & Philoſophiæ Magiſter, beatæ Virginis Mariæ devotiſſimus cultor, Superiorum præceptis obedientiſſimus, conſcientia purus, in contemplatione ſæpe extra ſe factus, in agendo, aliiſque conſulendo prudens, hæreticorum in concione & privato ſermone acerrimus hoſtis; ob gratiſſimam converſationem *Ange-*

gelus Dei nuncupatus, Caliſii apud ſuos Fratres ſancto fine quievit. Joannes Baptiſta Vitreator Cracovienſis, publicus profeſſor in Univerſitate, & ad pinguia beneficia, uti ſuperius diximus, presbyter ſecularis ante Ordinis ingreſſum promotus, inter Fratres eximia fulſit ſanctitate. Provinciam bis electus Vicarius per ſexennium prudentiſſime gubernavit; doctrinæ fluentis exuberans, ad humilitatis exercitia totus ſe convertebat, & præconem agens ferventiſſimum verbi Divini, ea dicebat facundia & ſpiritus fervore, ut docti quique magis Divinitus infuſam, quam humanitus acquiſitam in eo admirarentur doctrinam. Diſcipulos habuit Ladiſlaum Gielnovicenſem, & Raphaelem de Proſovice, ſanctitatis & prædicatinnis luce clariſſimos, ſuos in regimine optimos ſucceſſores, & ferventis zeli participes. Romam ad Comitia Generalia veniens anno MCCCCLXXXVI. ab Innocentio VIII. multa impetravit pro ſuæ Provinciæ Fratribus privilegia, utque liceret transferre ad nobiliora ſepulcra corpora beatorum virorum Simonis Lipnicenſis Cracoviæ, & Joannis Duklani Leopoli tumulatorum. Miraculis clarus, apud Eccleſiam parochialem ſanctæ Mariæ Magdalenæ Poſnaniæ magno dolore tam Fratrum, quam ſecularium, hoc anno loculo conditur honorifico; & licet Fratres ſæpe tentarint corpus ad ſuam Eccleſiam extra urbem conſtitutam transferre, non potuerunt, Clero & civibus obſiſtentibus. Corrigendum itaque eſt quod ſuperius indicavimus, Cracoviæ obiiſſe.*

Fr. Joannes Baptiſta Vitreator. Anno 1495. n. 7.

XIX. Alter hoc anno (non ſequenti, uti vult Gonzaga) deceſſit vir inſignis, doctrina, virtute & ſignis illuſtris, Theodoricus a Monaſterio in Weſtphalia natus, ex Auguſtinianorum Familia in noſtram cooptatus. Re ipſa, moribus & ſanctimonia, non animi levitate mutationem hanc ſibi ſalubrem aliiſque multis, variis modis demonſtravit. Priſca illa & rudi ætate concionator Apoſtolicus, ac primarius Catechiſta, velut ſydus fulgidum, Belgicam circumiens regionem, claritate doctrinæ, & concionibus illuſtravit. Factiones illæ funeſtæ Hoickſiorum, & Cabeliawiorum, ſic dictæ ab hamo, & aſello, piſce marino in Hollandia ad annum Domini MCCCL. exitio patriæ natæ, cum anno MCCCCXLIV. Amſtelodami, Harlemi, Lugduni Batavorum acerba recruduiſſent, & tamdem conſilio & prudentia Philippi Boni Burgundiæ & Brabantiæ Ducis eſſent utcumque compoſitæ, Theodoricus, ut pertinax illud odium iraſque partium eximeret e mentibus factioſorum, curru vectus per urbes, dextra ſiniſtraque mortuorum oſtentabat crania, inſtar tonitrui & fulgoris monens terrebat, mortem cogitarent, certam decretamque cunctis mortalibus, nec illam diſcernere pauperum inter caſas, Regumque turres; alioquin diſcernerent, utrius partis fuiſſent hæc capita. Proinde iras & exitialia diſſidia ponerent, ſi ſervari vellent, neque enim illis ingreſſum eſſe in cœlum, cujus portæ, muri, cunctique fines, ſacra conteſtante Scriptura, pax & caritas eſſe perhibentur. Fabulam eſſe hac incertam vitam; ſatagendum, ut ei bona apponatur clauſula. Ejuſmodi ſermonibus motus compoſuit, ut hactenus conſiluerint.

* *Mendum indicatum quo correctum fuit ad ann. 1495. n. 7. Reiſſen. in Actis ad 11. Decembr. Gonz. in Provin. Germaniæ infer. Conv. 1.*

Moritur Theodoricus a Monaſterio.

XX. Bruſſellæ cum anno MCCCCLXXXIX. gravis illa peſtilentiæ lues graſſaretur, mortuis paſtoribus, motus pietate, a Superioribus petita & obtenta licentia, ſuam obtulit operam; & ne Conventum ſuum periculo exponeret infectionis, in publico foro tentorium erexit, ac in eo menſam in modum Altaris ad reponenda Sacramenta ſtatuit, ibique ad ſe confugientibus infirmis, quibus licebat, Sacramenta adminiſtrabat: deinde totam Civitatem obæquitabat, ut morientibus ſuccurreret, illorum præſcius, qui præpropera morte morituri erant ante alios, quos prius curavit, ipſe a peſte intactus. Erat illi comes ſacriſta cujuſdam Eccleſiæ, qui lucerna & nola Sa-

Opitulatur peſtilentibus.

cramenta geſtantem præibat, donec & ipſe peſtilentia ſublatus, nullo alio qui id muneris præſtaret, invento, ipſe lucerna ad chordam, dextra ciborium, ſiniſtra nolam geſtans, utriuſque officium implevit. Cum hyemis tempore propter ventorum vehementiam lumen in tentorio ſervare non poſſet, a coctore cereviſiarum circa ſorum habitante, ad ædes ſuas invitatus, cubiculum obtinuit. Mirabile dictu! cum omnium braxatorum officinæ lue infectæ eſſent, hæc ſola non ſolum permanſit immunis, ſed experientia certa compertum eſt, omnes ex cereviſia hujus officinæ bibentes, ægros quidem ſanatos, ſanos vero a lue præſervatos, quod meritis hujus ſancti Patris adſcribendum nullus ſane dubitat. Perduravit hic peſtilentialis morbus annis duobus, quo tempore triginta tria millia abrepti ſunt, e quibus prædictus Pater triginta duobus millibus Sacramenta adminiſtravit. Cum lue ceſſante, pius Theodoricus ad gratiarum actionem populum adhortaretur, hoc addidit ſibi a Deo revelatum: ex illis triginta duobus millibus, duos dumtaxat damnatos, unum, quia in fine vitæ deſperaſſet, alterum, quod confiteri noluiſſet.

Prophetiæ dono illuſtratus. XXI. Prophetiæ ſpiritu multa prædixit: nam Guardianum agens Antuerpiæ, & *Hoochſtraeten* excurrens, aſſidentem habuit in curru virginem Catarinam ab Antuerpia jam deſponſatam, indutam coccinea tunica, pro qua ſollicita erat, ne luti adſperſione fœdaretur; cui Theodoricus: *Deſine filia, neque enim hoc veſtimento diu uteris, alio mox veſtienda*. Factum: cum Theodoricus ejus ſororem præmiſſa concione reciperet ad Ordinem ſanctæ Claræ Aſſiſiatis in Cœnobio *Hoochſtraeten*, Catarina Dei gratia & concionis energia adeo permota fuit, ut ſine ulla interpoſita mora, ſponſo remittens nuncium, ſeſe conſecraverit huic Monaſterio, in quo vita brevi explens tempora multa, nunc potitur æterna, prout beato Patri revelatum eſt. Cum enim quidam illi mortuam Catarinam renunciaret: Reſpondit, ſibi jam ante id probe cognitum, illique revelatum a Deo, quod magnum locum apud ſanctam Claram in cœlis obtineret, pro eo quod ſponſum corporalem pro ſpirituali reliquiſſet. Servatur hodie planeta ex illa Catarinæ tunica coccinea in Sacerdotum uſum conſecrata.

XXII. Inſuper hujuſce Cœnobii Moniales aliquando ſuaviter admonens, ut in propoſito Religionis conſtantes perſeverarent: *Eritis ſemper*, inquiebat, *perenniter filiæ Dei, qui veſtri curam habebit. Verumtamen a paupertate & egentia ad divitias numquam emergetis*. Verum id eſſe, res ipſa docet, & injuria temporis, Monaſterio earum (quod tamen numquam deſeruerunt) toties a Geuziis expilato, accedente ad hæc hominum malevolorum contra Sorores invidia, quæ tenuiſſime ab initio dotatæ, difficillime ſe poſſunt ſuſtentare.

XXIII. Memorabile etiam fuit, quod, illo in ſancti Petri ſumma æde concionante, contigit Lovanii. Media enim concione, raptus ſubſtitit paululum; cum ad ſe rediit, exclamavit, inquirens num adeſſet mulier quædam? ejus nomen exprimens: qua prodita, injunxit illi beatus Pater, ut quantocius domum pergeret, atque ab ancilla ſibi obviam futura, inquireret, quo tenderet? ejuſque ſinum diligenter perluſtraret. Pergit illico domum mulier: occurrit ancilla; quo pergat? inquirit: Reſpondet illa ſe ad Tiliam (fluvius is eſt Lovanium perfluens) immunda aliqua ablituram properare: *& cur*, inquit hera, *cum aquam propinquiorem habeas, ad Tiliam pergis, & quæ ſunt immunda illa quæ abluenda habes?* & diligentius ſinum ejus perſcrutans, invenit infantem natum recenter; quem aquis ſuffocaſſet, niſi Deus revelatione illa beato Patri facta, tantum facinus impediviſſet.

XXIV. Alio

XXIV. Alio tempore a nobili viro ad prandium invitatus, prandii apparatum magnum intuens, hoſpitem ſuum ſic affatus eſt: *Magna, mi hoſpes, hic ciborum eſt abundantia, & magna multis in locis eſt egeſtas*. Hoſpite, quid verbis illis vellet, non conſiderante; dum alia atque alia fercula iterum inferuntur, clare mentem ſuam explicans, ajebat: *Utinam mei gratia aliquid ex hac abundantia pauperibus egentibus mitteretur*. Hoſpite petitioni annuente, præcepit ex omnibus aliquid in ſcutella reponi, ac linteolo involvi, jubens portitorem in illam domum inferre, in cujus januam advolaret linteolum. Pergit famulus ad plateam, quæ a ſcrinariis vulgo dicitur *de Scrynſtraet*, linteolum vento dejicitur ad oſtium cujuſdam, qui hominum opinione dives habebatur, ſed inſciis omnibus, ad extremam paupertatem redactus erat. Servus domum hanc conſpicatus, non auſus fuit exequi, quod illi erat imperatum, ſed ad Patrem rediens, retulit quod factum fuerat; cui Beatus: *Scio, ſcio; ſed dictis meis obtempera*. Redit ſervus, domum ingreditur, videtque binas proles ex ſcutella una eſurientem ventrem ſatiare ſiliquis porcorum.

XXV. Denique variis Conventibus præfectus, etiam Lovanii Guardianus, cum mortem ſuam poſtrema ſua concione prædixiſſet, non ſine opinione magnæ ſanctitatis ibidem diem clauſit extremum hoc anno, cum plurimum laboraſſet pro reformatione Conventus ejuſdem. Reliquiæ ejus, licentia Superiorum exhumatæ ſunt, & in ornato ſcrinio poſitæ in ſacello Conventus Infirmariæ Lovanienſis anno MDCXVIII. die XII. Septembris. Aliquot ſcripſit pia opuſcula, quæ nos in Catalogo Scriptorum Minoritarum indicavimus. De illo ſcripſerunt noſtrarum rerum hiſtorici, & poſtremo Arnoldus de Raiſſe Duacenus in auctario, quod fecit ad Natales ſanctorum Belgii, a Joanne Molano conſcriptos, qui ex archivo Conventus Minorum Antuerpienſis, quæ hic enarramus, exſcripſit. Nos etiam de illo quædam alias indicavimus. *Tom. 2. anno 1228. n. 90.*

B. Petrus de Alcantara fit Minorita.

XXVI. Extinctis tot præclaris luminibus, aliud fulgentiſſimum ſidus exortum eſt in Hiſpania, Petrus de Alcantara, qui hoc ipſo anno adſcriptus eſt Sodalitio. Ortus anno MCCCCXCIX. in prædicto Alcantaræ oppido (a quo equeſtris militia apud Hiſpanos clariſſima, cognomen accepit) patrem habuit Juriſconſultum Garavitum, matrem Mariam Villellam, e Senabria, pietate & ſanguine illuſtres, ſub quorum oculis, & ſolerti diſciplina, litteris & virtutibus mirifice profecit. Ætatis ſexto decimo anno titillantis carnis fallaciſque mundi timens inſidias, Minoritis adſcribi voluit in Cœnobio ſancti Franciſci de Maniaretibus, olim cuſtodiæ ſancti Evangelii, nunc Provinciæ ſancti Gabrielis, ſubjecto, quod in confinibus Caſtellæ & Portugalliæ a frequenti & locuplete oppido Valentiæ Alcantarenſis unius leucæ diſtat itinere. Ita Deo placuiſſe, plane inde conſtitit, quod dum illuc proficiſceretur, deficiente cymba ad ripam Bazagonæ vehendis advenis adſueta, ad Tietaris fluvii ripam alteram inviſibili Angelorum miniſterio perquam citiſſime ſit tranſvectus.

Ejus tirocinium & virtutes.

XXVII. Religioſa veſte donatus, veſtiri & ornari virtutibus animam, præcipuum eſſe conſiderans, humilitati, abſtinentiæ, corpori macerando, aſſiduæ orationi, & promptiſſimæ obedientiæ ita ſe aſſuefecit, ut pleriſque in exemplum, omnibus eſſet admirationi. Externis rebus ſenſus habebat emortuos, Monaſticis & Divinis mire ferventes; nihilque ei videbatur difficile, quod in Fratrum obſequium aut cultum Divinum eſſet peragendum. Veſtis ei vilis & hiſpida, lectus nuda tabula, operimentum viliſſimum lacinium. Hoc vitæ genere adeo geſtiebat, ut nihil contriſtare poſſet, niſi me-

tus perdendæ, ſi a ſacro cœtu tamquam indignus pelleretur. Ut ſecurior hæc fieret felicitas, anhelabat ad ſolemnem votorum profeſſionem, inde etiam reputans ſopiendas vel minuendas eſſe dæmonis tentationes, quibus, ut a via iſta recederet, continuo affligebat. Emiſſis votis, primum fervorem non relaxavit, ſed ſemper ſe ipſo melior, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, de virtute in virtutem procedendi. Tempus quod humilibus officiis & orationi abundabat, ſacrorum Bibliorum lectioni applicabat, quæ tam diligenter revolvebat, ut ſingulos ferme ſacri codicis libros memoriter retineret. Hæc de Viri ſanctiſsimi primordiis nunc dixiſſe ſufficiet: reliqua ſub mortis annum commodius dabuntur collectim. Illud nunc indicandum duximus, diſcuſſis rite in ſacra Congregatione Rituum Eccleſiaſticorum ejus actis, virtutibus & miraculis, propediem expectari ejus canonizationem.

Breve origin. Chriſtoph. Forolivien. Nuncius Apoſt. confirmatur.

XXVIII. Chriſtophorum Forolivienſem Vicarium Generalem Obſervantum familiæ Ciſmontanæ, anno præterito, uti diximus, electum confirmavit hoc anno Pontifex in officio Nuncii & Commiſſatii Apoſtolici pro fabrica Baſilicæ Vaticanæ ſancti Petri promovenda, quod ſe illi cum ampliſſimis facultatibus injunxiſſe anno præterito, in hujus anni honorifico diplomate recenſet. Creatus eſt hoc anno Epiſcopus Eccleſiæ Monopolitanæ, Pontifici Romano immediate ſubjectæ, frater Theodorus Pius Romanus, obiitque anno MDXLVI. In vetuſtis quibuſdam ſchedis reperio, fratrem Nicolaum Olivam hoc anno Epiſcopum fuiſſe Aſſiſiatem. Sed in catalogo Epiſcoporum illius Eccleſiæ ad me tranſmiſſo, recenſetur ſub hunc annum Epiſcopus Zacharias Contugius Volaterranus.

Fr. Theodorus Epiſcop. Monopolit.

Fr. Nicol. Aſſiſias.

Fr. Franciſcus Abulenſis. *Avila in Eccleſ. Abulen. lib. 3. c. 6. Ann. 1509. n. 16.*

XXIX. Decedente ſub hunc annum, vel præcedentem, Alphonſo Carillo Epiſcopo Abulenſi, translatus eſt ad illam ſedem Franciſcus Ruizius, quem diximus ex Minorita aſſumptum ad Epiſcopatum Civitatenſem. Cum etenim Ferdinandus Rex Catholicus ante quadriennium promiſiſſet Cardinali Ximenio ſe ab illa Eccleſia ad aliam digniorem Ruizium evecturum, cum Abulenſis hoc tempore Pontifex defeciſſet, Didacus Lupus Ayala Ximenii procurator, atque Ruizio amicitia conjunctiſſimus, ad Regem in Segobiæ ſilvis venationi operam dantem acceſſit, & quod Madriti promiſiſſet, in memoriam revocavit. Cui verbis benevolentia & favore plenis, ad hunc modum reſpondiſſe ferunt: *Memineris tu potius Lupe de diplomatibus Roma aſportandis; nam ego me jam antequam tu venires, promiſsi Ruizio, ſive potius Ximenio exolveram, quem ego unum, propter ejus in me præclara beneficia, nulla unquam occaſione fallere vellem.* Vixit Ruizius in hoc Epiſcopatu uſque ad annum MDXXVIII. Diximus ſuperius Toleti, ubi natus eſt, eum compleviſſe fabricam templi ſancti Joannis de Pœnitentia, a Ximenio inchoatam, & ſacerdotiis magniſque donis inſtruxiſſe. In Eccleſia Abulenſi alia ejus conſpiciuntur donaria, mitra pretioſa, & Altaris ſacra vaſa aurea & argentea. Comitem ſe adhibuit itineris Adriano VI. quando ex Hiſpania poſt electionem ad Pontificatum Romam profectus eſt. Inde poſt Adriani coronationem, reverſus in patriam, Toleti ædes conſtruxit in parœcia ſancti Vincentii, in quibus aliquandiu habitare ſolebat. Ea in Civitate decedens, ſepultus eſt in ſacello majori prædicti templi ſancti Joannis. Sepulcri Epitaphium Hiſpanicum, ita ſe habet latine: *Sacellum hoc juſſit fieri Reverendiſs. Dom. frater Franciſcus Ruiz Epiſcopus Abulenſis, Regi a Conſiliis, comes Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domini Cardinalis Archiepiſcopi Toletani, Hiſpaniæ Gubernatoris, hujus Monaſterii fundatoris, ſui Domini, quamobrem hic voluit ſepeliri. Obiit anno* MDXXVIII. Ejus tempore inventum eſt corpus ſancti Secundi primi Epiſcopi Abulenſis.

An. 1521. n. 31.

XXX. Hoc

XXX. Hoc anno Pontifex die ultima Januarii emiſſo diplomate, deprecantibus civibus urbis Tuſcanellæ, conceſſit Vicario & Fratribus Provinciæ Romanæ Cœnobium ſanctæ Mariæ Quietis, ſive *del Riposò*, extra muros Civitatis ſitum, quod erat Fratrum Carmelitarum. Inter alia Provinciæ Romanæ Cœnobia apud Gonzagam iſtud non recenſetur; in eo tamen Fratres duodecim pacifice & commode commorantur.

Conv. Tuſcanellæ. *Breve origin.*

XXXI. Dum Leo Pontifex hoc anno Florentiam iret, inde tranſiturus Bononiam, cum Franciſco Galliarum Rege collocuturus, Aximani (vulgo de Anciſa) rogarunt, ut liceret ſibi ædiculam ſanctæ Mariæ de Axima, quæ ex ruinis vetuſti Monaſterii Monialium ſupererat, in Cœnobium Obſervantum evehere, ſub titulo ſanctorum Coſinæ & Damiani. Quorum petioni non ſolum Pontifex annuit, verum & voluit ſe ipſo præſente, illic erigi Crucem, tantumque terræ ſpatii Fratribus tribui, quantum pro opere hortiſque eſſet neceſſarium. Locum inſuper magnis indulgentiis, a Clemente VII. confirmatis, cohoneſtavit. Eccleſiam conſecravit Bonaventura Dalmata Minorita Epiſcopus Croocenſis anno MDXXXVIII. die XXVIII. Januarii.

Conv. Aximæ. *Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 42.*

XXXII. Monaſterium Monialium ſanctæ Claræ extra muros urbis Offidanæ in Piceno erectum, & a Sororibus alio translatis derelictum, ſoluto illis pretio a Senatu Offidano, Fratrum Regularis Obſervantiæ habitationi adaptatum eſt, annuente Leone Pontifice, dato diplomate III. Februarii, & locum acceptante Thoma Auximano, Fratrum Vicario Provinciali.

Conv. Offid. *Idem in Provin. March. Conv. 6.*

XXXIII. Non procul a Forentia, oppido Apuliæ, populi Univerſitas oppidique Dominus, volente eodem Leone, Cœnobium licet anguſtum, octo Fratrum receptaculum, ſive hoc anno, ſive ſequenti, ut habet Gonzaga, conſtruxerunt Fratribus ejuſdem Inſtituti, ſub titulo ſanctæ Catarinæ Virginis & Martyris. Totidem etiam Fratres inhabitant domum alteram ad Caſtrum Forolivii haud procul a Monte Gargano, apparitione ſancti Michaelis Archangeli celeberrimo, in aditu cujuſdam ſilvæ ab hominum conſortio ſemotam, circa hunc annum, a quodam fratre Salvatore, religioſo viro, paſſim *Diſcalceatus* nuncupato, pro ſe aliiſque ſui imitatoribus conſtructam, ſub nomine ſanctæ Mariæ de Gratiis, impetrato fundo a matrice Eccleſia. Sed cum tepeſcente ſpiritu in his pauculis *Diſcalceati* ſectatoribus, Sodalitio diſſoluto, iiſque hinc inde diſperſis, locus abſque habitatore remaneret, oppidani, qui domum ædificaverant, & Bartholomæus Caraffa illorum Dominus, collata matrici Eccleſiæ præſtiti fundi compenſatione, illam Fratribus Regularis Obſervantiæ Provinciæ ſancti Angeli contulerunt.

Conv. Forentiæ. *Gonz. in Provin. S. Nicol. Con. 16.*

Conv. Forolivii. *Idem in Prov. S. Angeli Conv. 24.*

XXXIV. In eadem Provincia aliam ſanctæ Mariæ Virgini dicatam, ad ſancti Angeli, ſive Gargani montis radices, in valle Stignana ſitam, ſimili modo a prædicto fratre Salvatore circa hunc etiam annum conſtructam, & poſtea derelictam, Fratres domum acceperunt. Sed multas moleſtias ab indevotis ruſticiſque quibuſdam ſecularibus perpeſſi, pacificam poſſeſſionem uſque ad annum MDLXI. non acquiſierunt, pleno eis tunc jure loci a Pio IV. conceſſo. Eſt hic locus ſolitarius & nemoroſus, ſicut & præcedens, ob frequentia miracula, quæ ad quamdam Virginis imaginem ibidem contingunt, ſecularibus commendatiſſimus. Vixit hic Ludovicus a Croneto laicus, dæmonibus formidabilis, ob ſummam ejus ſimplicitatem aſſiduamque orationem accepta a Deo magna in eos poteſtate.

Ibid. Conv. 25. Conv. Stignani.

Ludovicus a Croneto.

XXXV. Cremæ urbis novæ Tranſpandanæ, undequaque munitiſſimæ, pii quidam cives, cum magno ferrentur in ſanctum Bernardinum affectu, circa annum Domini MCCCCLV. ſub ejus nomine Conventum Regularis Obſer-

Idem in Provin. Brix. Conv. 9. Conv. Cremæ.

ſervantiæ extra urbem conſtruere cœperunt. Id factum ex conceſſione Eugenii IV. ait Gonzaga; ſed cum Eugenius obierit anno MCCCCXLVII. & Bernardinus non niſi anno MCCCCL. a Nicolao V. fuerit in Sanctorum numerum relatus, non potuit Eugenius facultatem illam tribuere, ut ſub ſancti Bernardini invocatione domus illo tempore conſtrueretur. Cœptum opus non ſolum dimittere, ſed & funditus evertere poſt aliquot annos oportuit, vigente ſæviſſimo bello inter Venetos, & Mediolanenſes. Hoc demum anno religioſos Cives dejectas imperfectas ædes reſtituiſſe intra Civitatem, viginti & amplius Fratrum habitationi opportunas, ſcribit idem Gonzaga, ſed non niſi poſt annum MDXIX. id factum docebit Apoſtolicum diploma eo anno in Regeſto exſcribendum.

Idem in Provin. Baſil. Conſt. 16. Conv. Rivelii.

XXXVI. Non longe ab oppido Rivelii in regione Baſilicatæ conſtructus eſt Conventus Fratrum Regularis Obſervantiæ ſub invocatione ſancti Antonii Patavini, ſumptus conferente oppidanorum Communitate, & licentiam Leone Pontifice, dato hoc anno diplomate die XXX. Januarii.

Idem in Provin. Gran. Conv. 17. Conv. Plicenſis.

XXXVII. Petrus Fernandez a Corduba, Marchio Plicenſis (vulgo Hiſpanico, del Pliego) hoc anno commodum triginta Fratrum Cœnobium ſub titulo ſancti Stephani in Provincia Granatenſi, aliquantulum a prædicti Plicenſis oppidi muris diſſitum, conſtruxit. Nobilem habet Sodalitatem, ſeu Confraternitatem Conceptionis beatæ Mariæ Virginis ab Adriano VI. antequam ex Hiſpania Romam proficiſceretur, gratiis plurimis & privilegiis condecoratam.

Indid. Conv. 18. Conv. Montiliæ. Bartholom. Guadalupen.

XXXVIII. Divo Laurentio ſacrum alium in ejuſdem regionis tractu prope oppidum Montiliæ elegantem conſtruxiſſe Conventum oppidanos hoc ipſo anno, illius gentis fert traditio. Hic ſepulti ſunt duo religioſiſſimi viri, frater Bartholomæus Guadalupenſis, & Petrus ab Angelis ſacerdotes; primus qui anno MDLXXXI. (ſive ut habent Monumenta MSS. illius provinciæ, anno MDLXXVII. in die ſanctæ Cæciliæ) in humanis eſſe deſiit, adeo Divinis contemplationibus & meditationibus aſſuetus erat, ut frequentes raptus extaſeſque pateretur; adeo ſenſibus & corporis appetitui imperaret, & virtutibus emicaret, ut primus in eo humani generis ſator non peccaſſe videretur. Dæmonem ab incendio Cœnobii, quod feraliter intentabat, compeſcuit, aliaque fecit mirabilia, propter quæ ab accolis & vicinis inter beatos connumeratur. Secundus primo moribus & vitæ ſanctimonia omnino ſimilis, adeo reverenter & religioſe ſacris operari aſſueverat, ut Deus oblationem ejus patentibus ſignis in ſuavitatis odorem acceptaſſe viſus ſit.

Petrus ab Angelis.

Idem in Provin. Caſtell. Mon. 6. Salaz. lib. 5. cap. 31. Monaſter. Occaniæ.

XXXIX. Hoc anno Catarina Roman Vidua Doctoris Nuñeſii relicta, Ferdinando Regi Catholico, & Franciſco Cardinali Ximenio ſupplicavit, ut in oppido Occaniæ, diœceſis Toletanæ, & juriſdictionis temporalis Militiæ divi Jacobi, cujus Rex erat magnus Magiſter, ſibi liceret domum propriam, intra oppidi mœnia conſtitutam, in Monaſterii formam ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu redigere, eamque tradere quibuſdam Sororibus Tertii Ordinis, in anguſta domo commorantibus; ea tamen lege, ut ad ſanctæ Claræ Inſtitutum tranſirent. Exaudita eſt pro voto, domumque & vitam piæ fœminæ mutaverunt. Eo autem numero paulo poſt excreverunt, ut adventantes pleraſque anguſtia domus excluderet. Secundæ itaque preces exhibitæ Carolo V. Ferdinandi nepoti, & Alphonſo a Fonſeca Toletano Archiepiſcopo, ut ab his ædibus ad alias ampliores abire liceret. Ita factum; ſed & hic etiam magnum ſenſerunt & numeri & virtutis incrementum. Tantum enim virtutis & pietatis inde emiſerunt odorem, ut mul-

multo plures, quam Monaſterium capere poſſet, ad earum conſortium recipi poſtularent.

XL. Ante annos tres, pauperes quædam mulieres tum virgines, tum viduæ, ad oppidum Spineti, Segobianæ diœceſis, in humili domo convenientes, quidquid proprio labore acquirere poterant, in medium conferebant. Dum vero aliæ ſibi conjungi cuperent, ſtatuerunt habitum ad Regulam Tertii Ordinis ſubire, prædictamque domum ad Monaſterii formam ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ reducere. Ædes quidem ampla ſatis & elegans pro oppidi conditione evaſit, ſed pauperrima, nullos habens annuos reditus, ditiſſima tamen religione, honeſtis moribus, caritate, ſanctimonia, miraque concordia Sororum.

Idem in Provin. Concept Mon. 18. Domus Sororum Tertii Ordinis Spineti.

XLI. Leo Pontifex hoc anno aliqua dubia circa obſervantiam Regulæ Clariſſarum, ipſis interpellantibus, diſſoluit, eiſque gratias aliquas conceſſit: *Cum ſicut nobis*. die XXIX. Martii. Eaſdem gratias ad Sorores Ordinis beatæ Mariæ Virginis, aliis additis indulgentiis extendit: *Dum præcelſa meritorum*. die XIX. Junii. Ordinem hunc Sororum eſſe Annunciatarum exiſtimo, qui ſub nomine beatæ Mariæ, ſed ab Angelo Annunciatæ, incœpit, & regulam unam ex duabus compactam ab ipſo Leone an. MDXVII. accepit, uti ſuperius enarravimus. Singulare illud eſt, & ab aliis auctoribus intactum, quod in hoc diplomate recenſetur: nimirum quatuor ex illis Sororibus in Baſilica ſancti Petri Vaticana recluſas fuiſſe, quæ in ſacello ſancti Andreæ perpetuam ſervabant clauſuram. Unde harum Recluſarum in ſacra hac Baſilica exordium acceperit? quod illarum ibidem poſſet eſſe miniſterium? aut quando illic eſſe deſierint? apud neminem comperio. Declarat inſuper Pontifex, omnes & quaſcumque exemptiones a Superiorum obedientia per Fratres Ultramontanos procuratas in Curia, omnino eſſe nullas, niſi prius habeatur in ſcriptis conſenſus Commiſſarii Fratrum familiæ Ultramontanæ: *Exponi nobis feciſti*. die XXVIII. Octobris.

Varia privilegia. Ordo B. Mariæ Virginis. Qualis?

Ann. 1501. n. 28.

Sorores recluſæ in Templo Vaticano.

RE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

INNOCENTIUS VIII.

ANNO CHRISTI 1492. PONTIFICATUS ANNO 8.

BULLA I.

Concedit quod poſſint fieri inhibitiones & citationes abſque inſertione totius privilegii ſeu Bullæ ad hunc effectum conceſſæ. Ex libro 150. fol.69.

Dilectis filiis Vicario provinciali, & Fratribus provinciæ Colonien. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. ORDINIS veſtri ſacra Religio &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod fel. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter univerſis Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, ubilibet per orbem conſtitutis, nonnullas gratias, privilegia & indulta per ejuſdem prædeceſſoris litteras, quas *Mare magnum privilegiorum* dicti Ordinis vos, & alii illius profeſſores nuncupatis, gratioſe conceſſit, & voluit quod quilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, & Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, qui per domorum dicti Ordinis Guardianos aut Fratres, ſeu ad eorum commodum conceſſos Romanæ Eccleſiæ ſyndicos requireretur, per ſe vel alium ſeu alios contenta in litteris prædictis, ubi & quando expedierit, ſolemnizare, publicare, ac eidem Ordini, ac illius domibus, & profeſſoribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere, & adverſus impedientes, in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, privilegiorum & gratiarum & conceſſionum hujuſmodi manutenere & defendere deberent, prout in eiſdem litteris dicitur plenius contineri, quodque vobis grave & diſpendioſum exiſtit, quoties expedit aliquod mandatum vel aliquam inhibitionem ſeu citationem, præmiſſorum occaſione decerni, in litteris ſuper mandato, inhibitione & citatione hujuſmodi conficiendis, ſeriem litterarum Sixti prædeceſſoris prædictarum, de verbo ad verbum inferere. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum ut, attenta arctiſſima, quam profeſſi eſtis, pauperie, vobis, quod de cetero mandata, inhibitiones & citationes, ſi quæ fieri contigerit, vigore dictarum litterarum, etiam illarum non inſerto tenore, ſed ſolum effectu clauſulæ prædictæ, per quam conceditur perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Canonicis præfatis facultas prædicta faciendi, perinde eos, quos concernent, arctent in poſterum, & proceſſus in vim mandatorum, inhibitionum & citationum hujuſmodi poſtea habiti, valeant, & plenam roboris firmitatem obtineant, & de invaliditate eo prætextu, quod non inſerto tenore delegationis & poteſtatis eorum fiant, impugnari nequeant, concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui votis, per quæ perſonarum Eccleſiaſticarum,

ſub Regulari habitu aſſidue vacantium ſtudio piæ vitæ, commoditatibus conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus mandata, inhibitiones & citationes hujuſmodi, ſi quæ fieri continget, ad veſtrum, ſeu alicujus veſtrum, ſeu ſyndicorum præfatæ Eccleſiæ ad veſtrum commodum ordinatorum inſtantiam, vigore dictarum litterarum, etiam illarum non inſerto tenore, ſed ſolum effectu clauſulæ prædictæ, per quam conceditur eiſdem perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Canonicis facultas præmiſſa faciendi, perinde eos, quos concernent, arctent in poſterum, & proceſſus in vim mandatorum, inhibitionum & citationum hujuſmodi poſtea habiti valeant, & plenam roboris firmitatem obtineant, & de invaliditate eo prætextu, quod non inſerto tenore delegationis & poteſtatis eorum, per quos fient, notari & redargui nequeant: dummodo in primo actu, antequam ad ulteriora procedatur, coram ipſo mandante, inhibente vel citante, litteræ exhibeantur, aut alias fiat de eis legitima fides; quodque præſentium litterarum tranſumpto, ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici, & Notarii inde rogati ſubſcriptione munito, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis litteris originalibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ, Apoſtolica vobis auctoritate concedimus, ſicque fieri & obſervari debere, eadem auctoritate decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCI. IX. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno VIII.

II.

Confirmat concordiam initam inter Fratres ſancti Hieronymi & Minores Obſervantes, circa modum tranſeundi illorum ad iſtos. Ibidem fol. 165.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Ea quæ pro ſtatus quiete &c. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Generalis, & aliorum Priorum, & Conventuum, Monaſteriorum Ordinis ſancti Hieronymi petitio continebat, ad evitanda ſcandala & diſſenſiones, quæ ob non obſervationem dictarum litterarum vigebant, dilecti filii Rodericus de Oreries tunc Prior Generalis prædicti ſancti Hieronymi, & Joannes Tholoſa, tunc Vicarius provincialis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Ordinum provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, ſuis, & Ordinum ipſorum ſuorumque ſucceſſorum, ac Cuſtodum & Guardianorum Ordinis Fratrum Minorum, & provinciæ prædictorum nominibus, ad hujuſmodi concordiam inter ſe devenerunt; videlicet, quod ſi aliquis dicti Ordinis ſancti Hieronymi frater, ſpiritu bono deductus, ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum hujuſmodi tranſire vellet, teneretur licentiam a Priore ſui Monaſterii, & ſi in hoc propoſito perſeveraret, iterum licentiam ab eodem Priore coram deputatis dicti Monaſterii, ſeu majori parte illorum petere deberet, & ſi rurſus perſeveraret, repeteret illam coram Capitularibus, ſeu majori parte illorum, & tunc Prior dicti Monaſterii per ſuas litteras dictum Generalem de licentia petita hujuſmodi certiorare, dictuſque Generalis ſub pœna Obedientiæ, Priori & Conventui Monaſterii, cujus dictus frater exiſteret, ut ſibi de vita ſua, & qua intentione ad petendum dictam licentiam moveretur, reſcriberent, mandare te-

teneretur: & ſi habita plena informatione, repertum foret, dictum religioſum bono zelo, & ſpiritu Dei ductum, talem licentiam petere, ſi videretur, eidem Priori, licentiam concederet, conformando ſe cum majori parte Conventus, alias ſibi licentiam denegaret, ejuſdem Prioris. ſub hoc conſcientiam onerando: quodque Provincialis dicti Ordinis Minorum ſub pœna Obedientiæ, omnibus & ſingulis ſubditis ſuis mandaret, quod directe, vel indirecte alicui religioſo dicti Ordinis ſancti Hieronymi non perſuaderent, ut ad dictum Ordinem Minorum tranſiret, ſed ſpiritui Dei hoc remitteretur.

§. II. Quæ omnia dicti Generalis & Provincialis ſuis Conventibus notificare, & omnia illa obſervari mandare deberent, prout notificata fuerunt. Et deinde poſt aliquot annos dilectus filius Petrus de Molinos, tunc Vicarius provincialis Ordinis Minorum, & provinciæ hujuſmodi, & certi alii Cuſtodes Ordinis & provinciæ prædictorum concordiam prædictam ratificarunt, prout in quibuſdam publicis inſtrumentis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte moderni Generalis, Priorum & Conventuum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras Pii prædeceſſoris approbare, & concordiam hujuſmodi confirmare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabeth Reginæ Caſtellæ & Legionis illuſtrium, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras Pii prædeceſſoris, ſine tamen præjudicio dictæ concordiæ, præfata auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus; concordiam vero hujuſmodi confirmamus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. VI. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

III.

Committitur eis diſcernenda cauſa circa ſuperioritatem Fratrum & Sororum Tertii Ordinis in Germania. Ibidem fol. 169.

Venerabilibus Fratribus Argentin. & Baſilien. ac Conſtantien. Epiſcopis.

§. I. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſorum Miniſtrorum & Fratrum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Matrum ſive Miniſtrarum & Sororum domorum in Germaniæ partibus conſiſtentium, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, petitio continebat, quod, licet juxta ſtatuta & conſuetudinem dicti Ordinis, Viſitatores perſonarum & domorum illius, non ejuſdem Tertii, ſed alterius Ordinum eſſe debeant: Et fel. record. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, quaſdam piæ memoriæ Innocentii Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri litteras, per quas perſonas prædicti Tertii Ordinis in Italia degentes, per Miniſtros provinciales pro tempore exiſtentes, & alios Fratres idoneos Ordinis Fratrum Minorum, & in Italia conſtitutorum viſitari voluit, ad Generalem, & etiam Provinciales Miniſtros, ac Vicarios, necnon omnes & ſingulas perſonas, & domos Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & Tertii Ordinis prædictorum ubilibet etiam extra Italiam conſiſtentes, extenderit, eaſque quoad illos obſervari mandaverit: tamen dilectus filius Henricus Bueſuſſ de Dephelt, frater dicti Tertii Ordinis falſo prætendens, prætextu quarumdam litterarum Apoſtolicarum, per eum a nobis ex certa noſtra ſcientia, ut dicebat, ſuper hoc ſubreptitie & obre-

obreptitie impetratarum, ſe in eiſdem partibus dicti Tertii Ordinis uſque ad illius futuram Generalis Miniſtri in dictis partibus electionem, legitimum Vicarium ejuſdem Tertii Ordinis perſonarum utriuſque ſexus viſitatorem & correctorem, inter alia eſse, ac omnes & ſingulos præfati Ordinis profeſsores tribus ſubſtantialibus Religionis votis aſtrictos, ac in præsbyteratus Ordine in eiſdem partibus conſtitutos, & in communi viventes, ad unum convenientem locum pro præfati Generalis Miniſtri dicti Tertii Ordinis celebranda electione hujuſmodi, die ad eligendum præfixa convocare, & eoſdem ſic convocatos & convenientes, unum ex eis in ejuſdem Tertii Ordinis Generalem Miniſtrum in prædictis partibus illa prima vice, & ſucceſſive toties, quoties opus ſit, perpetuis futuris temporibus eligere, ipſumque ſic pro tempore electum, in omnes dicti Tertii Ordinis profeſsores utriuſque ſexus, in partibus ipſis poteſtatem & ſuperioritatem ordinariam, talem, qualem habent Generales Magiſtri, Miniſtri, & Priores Ordinum Mendicantium, in eorum Ordinibus & profeſsoribus illorum habere, ac omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, quibus Generales Magiſtri, Miniſtri, & Priores præfati utuntur, potiuntur & gaudent, abſque Ordinariorum præjudicio, uti, potiri & gaudere poſſe; Vicariatus & viſitationis ac correctionis hujuſmodi officium in Argentinen. & Baſilien. ac Conſtantien. diœceſ. inter alia exercere, & præmiſsa ad effectum deducere, ac nonnulla alia minus licita & debita facere nixus fuit hactenus, & nititur minus juſte, in Miniſtrorum, Fratrum, Matrum & Sororum Tertii Ordinis prædictorum præjudicium non modicum, ac ſcandalum plurimorum & gravamen.

§. II. Quare pro parte Miniſtrorum, Fratrum, Matrum & Sororum eorumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſubreptionis & obreptionis dictarum litterarum illarum, omniumque & ſingulnrum per eumdem Henricum, & quoſcumque alios in Tertii Ordinis, & illius ſingularum perſonarum prædictorum præjudicium, circa præmiſſa geſtorum, invaliditatis & nullitatis; & quas ipſi Miniſtri, Fratres, Matres & Sorores, contra præfatum Henricum, & alios dicti Tertii Ordinis Fratres, ac clericos & laicos, & in hac parte adhærentes ſuper eis circa omnia & ſingula præmiſſa facienda perpetui ſilentii impoſitione, & alias ſuper ſuperioritate, facultatibus, & aliis præmiſſis, quas in illos, & illorum occaſione, movere intendunt, cauſas aliquibus probis viris in partibus illis committere, & alias in præmiſſis eis, & dicto Tertio Ordini opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, vocatis eodem Henrico & aliis qui fuerint evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernatis, & quod decreveritis, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari faciatis. Teſtes &c. Non obſtantibus recol. mem. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ mcccclxcii. Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno viii.

IV. Ut

IV.

Ut poſſit ædificare Cameraci Monaſterium Clariſſarum. Ex lib. 143. fol. 50.

Venerabili fratri Henrico Epiſcopo Cameracen.

§. I. INter univerſa opera &c. Sane pro parte tua & dilectorum filiorum Capituli Cameracen. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in Civitate Cameracen. ſunt nonnullæ devotæ perſonæ cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, quæ ob ſingularem, quem ad Ordinem ſanctæ Claræ gerunt devotionis affectum, ſummopere deſiderant ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, devotionis populi incrementum, & animarum ſalutem, in dicta Civitate, in aliquo loco honeſto & ad hoc magis accommodo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, juxta Regularem Obſervantiam, & reformationem quondam Coletæ, olim dicti Ordinis profeſſoris, & in humanis agentis, & ſub Obedientia Miniſtrorum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum degentis, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, pro unius Abbatiſſæ & nonnullarum Sororum ſeu Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ perpetuis uſu & habitatione erigere & conſtruere, ſeu erigi & conſtrui facere, ſi ipſis ad hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas: Pro tua & dictorum Capituli parte nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem perſonis Monaſterium ipſum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & Monialium prædictarum in aliquo loco honeſto & magis accommodo, in dicta Civitate conſiſtente, conſtrui & ædificari faciendi, & ipſis Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterium ipſum, poſtquam ſic erectum & conſtructum fuerit, pro ſuis perpetuis uſu & habitatione accipiendi & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos vero, qui piis votis eorum, qui ſumma prudentia præditi, & cœleſtis benedictionis rore conſperſi, terrena pro cœleſtibus, & tranſitoria pro æternis felici commercio commutare, & in benedictionibus ſeminare volunt in terris ea, per quæ æterna gloria perfrui valeant, libenter annuimus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus perſonis præfatis Monaſterium ipſum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in dicta Civitate & loco ad hoc, ut præfertur, honeſto & accommodo, juxta dicti Ordinis ſanctæ Claræ Obſervantiam, & inſtituta Regularia, & reformationem prædictam, pro uſu & habitatione prædictis, abſque aliorum præjudicio, erigendi & conſtruendi, ſeu erigi & conſtrui faciendi, ipſiſque Abbatiſſæ & Monialibus illud pro earum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi accipiendi, inhabitandi, & perpetuo retinendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te concedi, & alia præmiſſa fieri contingat, ut præfertur, dicto etiam erecto Monaſterio, & illius pro tempore Abbatiſſæ & Monialibus, ac perſonis aliis tam ſecularibus, quam regularibus, infra & circa ſepta dicti Monaſterii pro tempore commorantibus, & Abbatiſſæ & Monialium prædictarum ſervitiis inſiſtentibus pro tempore, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exem-

exemptionibus, libertatibus, gratiis & indultis, quibuſvis aliis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus Ordinis prædicti per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus utentur, potientur & gaudebunt etiam quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. XVII. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno VIII.

ALEXANDER VI.

Electus III. *Idus Auguſti, coronatus* III. *Kalend. Septembris.*

Anno Christi 1492. Alexandri VI. anno 1.

I.

Ut concedant facultatem conſtruendi Monaſterium in oppido Schuſen. Ex Regiſtro Alexandri VI. lib. 32. fol. 53.

Venerabilibus Fratribus Verden. & Lubicen. Epiſcopis, ac dilecto filio Decano Eccleſiæ ſancti Joannis Buſciducen. Leodien. diœceſis.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem ſel. record. Innocentio Papæ VIII. prædeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Claræ Mouves de Barbonna, Catarinæ Cornelii, Dorotheæ de domo Calvariæ, Luciæ Bellamaus, Catarinæ Strum, Mariæ de Scomhuperto, & Corneliæ Mouves de ſancta Catarina Virginum ſecularium, ac Alherdis de Mechlibia, alias de Antwerpia viduæ mulieris, Cameracen. diœceſis expoſito, quod ipſæ zelo devotionis accenſæ, cupientes temporalia in ſpiritualia, & tranſitoria in ſempiterna felici commercio commutare, apud Eccleſiam ſancti Jacobi Apoſtoli extra & prope muros oppidi Schuſen. Verden. diœceſ. vetuſtate collapſam, pluribus retroactis annis & temporibus pro deſerta habitam, cleroque & Divinorum ſolemniis fere orbatam, de bonis eis a Deo collatis, ac Chriſtifidelium eleemoſynis, cum licentia venerabilis fratris noſtri Bertholdi Epiſcopi Hildeſemen. qui Eccleſiæ Verden. ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica præerat, & cum beneplacito dilectorum filiorum nobilis viri Joannis Marchionis Brandeburgen. ſacri Romani Imperii Archicamerarii, & Electoris, Domini dicti oppidi, necnon Andreæ Vom de Nurberghe Proconſulis, Ludovici de Gener, Theodorici Volten. & Hereminighi Pleſſzen Conſulum, ac Communitatis dicti oppidi, unum Monaſterium Monialium pro earum & aliarum Sororum, Ordinem ſanctæ Claræ de Obſervantia, per piæ mem. Innocentium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum confirmatum, expreſſe profiteri, & ibi ſub Regulari illius Obſervantia, in congregatione Altiſſimo famulari volentium, necnon Sororum Virginum ſecularium fundatricum domus ſanctæ Mariæ in Corona de Hoegſtraeten. dictæ Cameracen. diœceſis, videlicet Dignæ Mouves de Hoegſtraeten. Claræ de Ghyrle, & Antoniæ de Slottinhers de Hoegſtraeten. quæ & dudum eis dictum Ordinem, ut aſſerebant, profiteri volentibus, per eumdem prædeceſſorem concedi obtinuiſſent, quod domus ipſa

ipſa in Monaſterium dicti Ordinis erigeretur, tamen ad effectum id nondum erat deductum... receptione, perpetuis uſu & habitatione, & Divini cultus augmento, & animarum ſalute conſtrui & ædificari, dictamque Eccleſiam pro Divinis officiis inibi peragendis in ſuis ſtructuris & ædificiis inſtaurari ſummopere affectabant.

§. II. Et pro parte dictarum mulierum eidem Prædeceſſori ſupplicato, ut dictam Eccleſiam cum campanili humili, campana, & cœmeterio inſtaurari & reformari, ac apud illam Monaſterium hujuſmodi cum decenti ſitu & clauſura, refectorio, dormitorio, clauſtro, horto, & aliis neceſſariis officinis fundari & erigi mandare, ac præfato & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Verden. necnon dilecto filio Suedero dicti Ordinis Minorum profeſſori, & Vicario Miniſtri Provincialis Fratrum Provinciæ Saxoniæ, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, ſub Regulari Obſervantia ejuſdem Ordinis, & obedientia tam Miniſtrorum, quam Vicariorum Provincialium Saxoniæ & Coloniæ viventium, ut quatuor Sorores de Antwerpia, dictæ Cameracen. diœceſis, ſive de aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia ad dictum Monaſterium ſancti Jacobi, poſtquam ſic erectum foret, pro informandis atque inſtituendis introducendis in ea mulieribus & Sororibus prædictis in his, quæ earum modum vivendi, ac laudabiles ritus, mores & Regularia inſtituta ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ concernebant, ab earum Superiore Provinciali Vicario Fratrum dicti Ordinis Minorum Provinciæ Coloniæ, in qua Antuerpien. & alia Monaſteria hujuſmodi conſiſtebant, nominatim poſtulare poſſent, quæ ſic poſtulatæ, etiam poſtulatione hujuſmodi ab eodem Superiore non admiſſa, nihilominus cum evocatæ forent, ſub excommunicationis pœna eiſdem Epiſcopo, Vicario, ſive Viſitatori in ea parte obedire, ac infra unius menſis ſpatium poſt hujuſmodi poſtulationem ad dictum novum Monaſterium ſe transferre tenerentur, concedere, & quod Sorores ſic evocatæ, ac introductæ de licentia & conſenſu dicti Suederi Vicarii ſive Viſitatoris unam ex eiſdem pro biennio tunc proxime futuro, & eo decurſu, juxta Regularia Inſtituta dicti Ordinis ſanctæ Claræ aliam dumtaxat in earum & dicti Monaſterii Abbatiſſam eligere, & tam propter ſpiritualia, quam propter alia exteriora neceſſaria dilectos filios Valentinum Braxatoris, Theodoricum Gaminerat, Ludovicum de Ulieren. & Henniacz Gacon Oliſicis, necnon de Provincia Coloniæ Martinum Heeſer de Lira, Franciſcum de Ghoſa, Bernardinum Van-Zeleer de Lovanio, & Arnoldum Mouves de Hoegſtraeten dicti Ordinis Fratrum Minnrum profeſſores in earum obſequium, pro earum directione, præſertim in principio huiuſmodi novæ erectionis habere, ipſique Fratres ad dictum novum Monaſterium conſilium pariter & auxilium in præmiſſis præbituri, & ibidem ſub obedientia dicti Suederi, & pro tempore exiſtentis Vicarii ſive Viſitatoris, ſeu ejus locum tenentis deinceps permanſuri, donec hujuſmodi nova erectio Regularis vitæ ibidem accepiſſet incrementum, ſe transferre debere, & ut ſufficienti erectione ac informatione hujuſmodi completis, quatuor Sorores ad Monaſteria, & Fratres de Provincia Coloniæ aſſumpti, ad domos, in quibus ſuas profeſſiones emiſiſſent, licite redire poſſent, ſi vellent, ordinare, præfatumque Monaſterium regendum, & ipſas includendas Sorores, & quæ eſſent illius pro tempore Moniales, ac prædictos Fratres in eorum obſequium exiſtentes, curæ, viſitationi, directioni, correctioni dicti Suederi, & pro tempore exiſtentis Vicarii ſive Viſitatoris Fratrum dicti Ordinis Minorum, Miniſtri Provincialis Provinciæ, in qua Monaſterium ipſum erigendum conſiſtit, correctioni mandare; necnon, ſi contingeret eaſdem Moniales dicti novi Monaſterii in futurum ad

laxiorem ſuæ profeſſionis ſtatum devenire, liceret tunc Conſervatoribus dicti novi Monaſterii ad dictum Monaſterium Antuerpien. & illius Moniales pro tempore recurrere, ſtatuere, ordinare & mandare, atque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur.

§. III. Idem prædeceſſor hujuſmodi, ac pro dictis mulieribus eidem prædeceſſori porrectjs Marchionis, Proconſulum & Conſulum prædictorum ſupplicationibus inclinatus, voluit & conceſſit, ſub data videlicet Idibus Januarii, Pontificatus ſui anno octavo: ſi ita eſſet, Eccleſiam prædictam ſancti Jacobi in ſuis ſtructuris & ædificiis, cum campanili humili, campana, cœmeterio, inſtaurari, & apud illam unum Monaſterium ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, cum convenienti clauſura, refectorio, dormitorio, clauſtro, horto, & aliis neceſſariis officinis, abſque alicujus præjudicio, & jure dictæ parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, erigi, ac præfato & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Verden. & dicto Suedero, ut quatuor Sorores hujuſmodi de Antuerpia, & aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, poſtquam ſic erectum foret, pro informandis atque inſtruendis mulieribus & Sororibus in eo introducendis in his, quæ earum modum vivendi, ac laudabiles ejus mores, & regularia inſtituta ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ concernerent, ab earum ſuperiore Provinciali Vicario Fratrum dicti Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Coloniæ, in qua Antuerpien. & alia Monaſteria hujuſmodi exiſtebant, nominatim poſtulare poſſent, quæ ſic poſtulatæ, etiam poſtulatione hujuſmodi ab eodem ſuperiore non admiſſa, nihilominus, cum evocatæ forent, ſub excommunicationis pœna, eidem Epiſcopo, & Suedero Vicario ſive Viſitatori in ea parte obedire, ac infra unius menſis ſpatium, poſt hujuſmodi poſtulationem, ad dictum novum Monaſterium ſe transferre tenerentur, concedi, ac quod Sorores ſic evocatæ, atque introductæ, de licentia atque conſenſu dicti Suederi, unam ex eiſdem pro biennio tunc proxime futuro, & eo decurſo, juxta inſtituta regularia dicti Ordinis ſanctæ Claræ, aliam in earum & dicti Monaſterii Abbatiſſam eligere, & tam propter ſpiritualia, quam exteriora alia neceſſaria, Joannem, Martinum, Franciſcum, Arnoldum Fratres prædictos Provinciæ Coloniæ in earum obſequium pro earum directione, præſertim in principio hujuſmodi erectionis, habere, ipſique Fratres ad dictum novum Monaſterium conſilium pariter & auxilium in præmiſſis præbituri, & ibidem ſub obedientia dicti Suederi Vicarii ſive Viſitatoris, ac ejus locumtenentis deinceps permanſuri, donec hujuſmodi nova erectio regularis vitæ ibidem acciperet incrementum, ſe transferre deberent, ac etiam ipſi Fratres inceptores una dumtaxat vice poſſent & valerent ſibi confeſſorem eligere, qui ipſos, cum id affectaſſent, ab omnibus ſuis peccatis, criminibus ſive cenſuris abſolveret, pœnitentiam ſalutarem ipſis impertiendo, quodque ſufficienti erectione ac informatione hujuſmodi completis, quatuor Sorores & Fratres præfati ad domos, in quibus profeſſionem emiſiſſent, redire poſſent, ſi vellent, ac quod præfatum novum Monaſterium, & illius pro tempore Abbatiſſa & Moniales, necnon Fratres præfati in eorum obſequiis pro tempore exiſtentes, curæ, viſitationi, correctioni & directioni dicti Suederi, ac pro tempore exiſtentis Vicarii ſive Viſitatoris Fratrum Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Saxoniæ prædictorum ſubeſſe deberent, & ſi contingeret eaſdem Moniales dicti Monaſterii ad laxiorem ſuæ profeſſionis ſtatum declinare, liceret tunc Conſervatoribus dicti novi Monaſterii ad dictum Antuerpien. Monaſterium pro reformatione hujuſmodi novi Monaſterii, ac illius pro tempore Abbatiſſæ & Monialium, habere recurſum; deberet quoque idem Suederus Vicarius, ſeu Viſitator

ſeu

ſeu ejus Locumtenens his viſis, omni excuſatione poſtpoſita, & abſque contradictione aliqua ad dictum oppidum ſe transferre, omnia & ſingula hujuſmodi novi Monaſterii ſtatum concernentia, & ſuæ curæ, ut præfertur, commiſſa diligenter executurus,ſtatuere & ordinare:necnon omnibus & ſingulis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, nobilitatis, ſeu præeminentiæ exiſtentibus, etiamſi Ducali, Epiſcopali, vel alia dignitate præfulgerent, ne contra præmiſſa vel eorum aliquod, directe vel indirecte facere, dicere vel venire quomodolibet præſumerent, ſub omnibus & ſingulis cenſuris Eccleſiaſticis, & pœna mille ducatorum auri, in auro boni & juſti ponderis, pro una Cameræ Apoſtolicæ, reliqua vero medietatibus dictæ ſummæ, Abbatiſſæ & Monialibus dicti novi Monaſterii pro illius fabrica, & ejus ſtructurarum reparatione applicandorum, per eos & eorum quemlibet, ſi contravenerint vel dictum in aliquo foret, ipſo facto incurrenda, dicta auctoritate inhiberi. Idem etiam prædeceſſor, ſi erectionem & alia præmiſſa fieri contingerent, ut præfertur, eiſdem Sororibus, ac Abbatiſſæ & Monialibus dicti novi Monaſterii pro tempore exiſtentibus, ac Fratribus eiſdem regulariter obſequentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus & gratiis, præfato Monaſterio Antuverpien. per Sedem prædictam, vel alias quomodolibet conceſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite valerent, dicta auctoritate conceſſit & indulſit. Non obſtantibus præmiſſis, ac privilegiis & indultis, & litteris Apoſtolicis dicto Ordini Fratrum Minorum per fel. record. Paulum II. Sixtum IV. Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros conceſſis, & concordatis inter de Obſervantia, & Conventuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis Fratrum Minorum, conſtitutionibus quoque & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim bon. mem. Clementis V. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, qui ad hoc ſpecialem fecit inhibitionem, necnon dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Ne autem de abſolutione, voluntate, conceſſione & indulto præfatis, pro eo, quod ſuper illis, ipſius Innocentii prædeceſſoris, ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, dictæque mulieres illarum fruſtrentur effectu, volentes, & Apoſtolica auctoritate decernentes, quod abſolutio, voluntas, conceſſio, & indultum Innocentii prædeceſſoris hujuſmodi, perinde a dicta die Idibus Januarii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Innocentii prædeceſſoris litteræ, ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius emanarunt; quodque præſentes litteræ ad probandum plene abſolutionem, voluntatem, conceſſionem, & indultum Innocentii prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur; diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, Eccleſiam ſancti Jacobi prædictam in ſuis ſtructuris, & ædificiis, cum campanili humili, campana, & cœmeterio inſtaurari, & apud illam unum Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, cum convenienti ſepta ſeu clauſura, refectorio, dormitorio, clauſtro, horto, & aliis neceſſariis officinis erigere; jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque; ac præfato etiam pro tempore exiſtenti Epiſcopo Verden. & dicto Suedero, ut quatuor Sorores hujuſmodi de Antuerpia, aut aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, poſtquam ſic erectum fuerit, pro informandis atque inſtruendis mulieribus & Sororibus in eo introducendis præfatis in his, quæ earum modum vivendi, ac laudabiles ritus, mores, ac regularia inſtituta ejuſ-

ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ concernentia,ab eorum ſuperiore Provinciali Vicario Fratrum dicti Ordinis Minorum Provinciæ Coloniæ, in qua Antuverpien. & alia Monaſteria hujuſmodi conſiſtunt, nominatim poſtulare poſſint, quæ ſic poſtulatæ, etiam poſtulatione hujuſmodi ab eodem ſuperiore non admiſſa, nihilominus cum evocatæ fuerint, ſub excommunicationis ſententia eidem Epiſcopo, & Suedero Vicario, ſeu Viſitatori in hac parte obedire, ac infra unius menſis ſpatium, poſt hujuſmodi poſtulationem, ad dictum Monaſterium ſancti Jacobi ſe transferre teneantur, concedere, & quod Sorores ſic evocatæ atque introductæ, de licentia atque conſenſu dicti Suederi unam ex eiſdem pro biennio tunc proxime futuro, & eo decurſo, juxta regularia inſtituta dicti Ordinis ſanctæ Claræ, aliam in earum, & dicti Monaſterii Abbatiſſam eligere, & tam propter ſpiritualia, quam alia exteriora neceſſaria, Joannem, Martinum, Franciſcum & Arnoldum Fratres prædictos Provinciæ Coloniæ in earum obſequium, pro earum directione, præſertim in principio hujus novæ erectionis habere, ipſique Fratres ad dictum novum Monaſterium conſilium pariter & auxilium in præmiſſis præbituri, & ibidem ſub obedientia dicti Suederi Vicarii, ſeu Viſitatoris, ac ejus Locumtenentis deinceps permanſuri, donec hujuſmodi nova erectio regularis vitæ ibidem acceperit incrementum, ſe transferre debeant, ac etiam quod ipſi Fratres inceptores una dumtaxat vice poſſint & valeant ſibi confeſſorem eligere, qui ipſos, cum id affectaverint, ab omnibus ſuis peccatis, criminibus, ſententiis, ſive cenſuris abſolveret, pœnitentiam ſalutarem ipſis impertiendo; quodque ſufficienti erectione & informatione hujuſmodi completis, quatuor Sorores & Fratres præfati, ad domos, in quibus profeſſionem emiſerint, redire poſſint, ſi voluerint, ac quod præfatum novum Monaſterium, & illius pro tempore Abbatiſſa & Moniales, necnon Fratres prædicti in earum obſequiis pro tempore exiſtentes, curæ, viſitationi, correctioni & directioni dicti Suederi, ac pro tempore exiſtentis Vicarii ſeu Viſitatoris Fratrum Ordinis Minorum in Provincia Saxoniæ prædictorum ſubeſſe debeant; & ſi contingat, quod abſit, eaſdem Moniales dicti Monaſterii ad laxiorem ſuæ profeſſionis ſtatum declinare, liceat tunc Conſervatoribus dicti novi Monaſterii, ad dictum Antuverpienſe Monaſterium pro conſervatione hujuſmodi novi Monaſterii, ac illius pro tempore Abbatiſſæ & Monialium habere recurſum; debeat quoque idem Suederus Vicarius, ſive Viſitator ſive ejus Locumtenens his viſis, etiam excuſatione poſtpoſita, & abſque contradictione aliqua ad dictum oppidum ſe transferre, omnia & ſingula hujuſmodi novi Monaſterii erectionem concernentia, & ſuæ curæ, ut præfertur, commiſſa diligenter executurus, ſtatuere & ordinare auctoritate noſtra curetis; necnon omnibus & ſingulis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ exiſtentibus, etiamſi Ducali, Epiſcopali, vel alia dignitate præfulgerent Eccleſiaſtica, contra præmiſſa vel eorum aliquod, directe vel indirecte dicere, facere vel venire quoquo modo præſumant, ſub omnibus & ſingulis cenſuris Eccleſiaſticis, ad pœnam mille ducatorum hujuſmodi, ut præfertur, applicandorum, dicta auctoritate inhibeatis juxta voluntatem & conceſſionem Innocentii prædeceſſoris noſtri dicti: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam ac expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. VII. Kal. Septemb. Pontificatus noſtri an. I.

II. *Su-*

II.

Subjiciuntur omnes Sorores Tertii Ordinis Bruxellenſes regimini Vicarii Obſervantum Provinciæ Coloniæ. Ex lib. 31. fol. 36.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem fel. record. Innocentio Papæ VIII. prædeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum domus, beatæ Mariæ in Bethleem nuncupatæ, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, oppidi Bruxellen. Cameracen. diœceſis, ſub tribus ſubſtantialibus votis Altiſſimo famulantium, expoſito, quod olim tunc Vicarius Generalis Ultramontanus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, provide attendens, quod aliquæ ex dictis Sororibus ſecundum morem dicti Ordinis Fratrum Minorum ſub Vicarii Provincialis Ordinis & Obſervantiæ, aliæ vero ſub Miniſtri Tertii Ordinis prædictorum cura & viſitatione vivebant, & a Fratribus Ordinis prædictorum viſitabantur: aliæ vero ſub eodem Miniſtro Tertii Ordinis vivere volebant, & propterea inter Fratres & Sorores domorum dicti Tertii Ordinis ejuſdem oppidi diverſæ contentiones oriebantur, omnes Sorores dicti Tertii Ordinis ejuſdem oppidi ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Vicarii Provincialis & Miniſtrorum ac Miniſtrarum dicti Tertii Ordinis, Provinciæ Franciæ, juxta morem dicti Ordinis, abſolverat & penitus liberaverat, eaſque juxta tenorem quarumdam litterarum piæ mem. Sixti Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri, quæ *Romani Pontificis providentia*, incipiebant, viſitationi, correctioni & directioni Vicarii Provincialis dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Provinciæ Coloniæ, juxta dictum morem, ut quiete Altiſſimo famulari poſſent, ſubmiſerat, prout in quibuſdam litteris authenticis ipſius Vicarii Generalis deſuper confectis dicebatur plenius contineri; ac in eadem expoſitione ſubjuncto, quod cum dictus Vicarius Generalis de triennio in triennium mutaretur, & ab ejus officio abſolveretur, dubitabant, ſi contingeret per alios futuros Vicarios Generales aliquid contra abſolutionem, liberationem & ſubmiſſionem prædictas innovari, quod altercationes & contentiones ſuſcitarentur; ac pro parte ipſarum Sororum eidem Innocentio prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut abſolutioni, liberationi & ſubmiſſioni prædictis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Innocentius prædeceſſor ipſas Sorores, earumque ſingulas, a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſterent, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, ipſarum ſerie abſolvens, & abſolutas fore cenſens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet XVI. Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui anno VI. abſolutionem, liberationem & ſubmiſſionem prædictas, ac, prout illas concernebant, omnia & ſingula in dictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica approbavit & confirmavit, ſuppletvitque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. II. Ne autem de abſolutione, approbatione, confirmatione & ſuppletione hujuſmodi, pro eo, quod ſuper illis, ipſius Innocentii prædeceſ-

ſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, dictæque Sorores illarum fruſtrentur effectu: volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod abſolutio, approbatio, confirmatio & ſuppletio prædictæ, perinde a dicta die decima ſexta Kal. Auguſti ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Innocentii prædeceſſoris litteræ, ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes litteræ ad probandum plene abſolutionem, approbationem & ſuppletionem Innocentii prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. VII. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno I.

III.

Ut poſſint ædificare domum Obſervantum in ſuburbiis Lugdunenſibus. Ex libro 19. fol. 222.

Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi, & cariſſimæ in Chriſto filiæ Annæ Reginæ Francorum illuſtribus.

§. I. Eximiæ devotionis ſinceritas &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Fratres Ordinis Minorum reformatos, ſub obedientia Generalis & Provincialium Miniſtrorum dicti Ordinis viventes, ob eorum bonos & exemplares mores, ac vitæ ſanctimoniam, necnon uberes fructus, quos continue prædicationibus verbi Dei, ac aliis bonis operibus & exemplis, docente experientia, afferre conſueverunt, & in dies afferunt, geritis, deſideratis unam domum pro uſu & habitatione dictorum Fratrum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis in Hoſpitali, duorum amentium nuncupato, in ſuburbiis Lugdunen. conſiſtenti, in quo pauca hoſpitalitas obſervatur, & quod ad regimen, adminiſtrationem & diſpoſitionem dilectorum filiorum Camerarii, & Capituli ſecularis & collegiatæ Eccleſiæ ſancti Pauli Lugdunen. pertinet, Hoſpitali prædicto, ac illius Capella & cœmeterio penitus ſuppreſſis & extinctis, & ſi opus fuerit, pro majori commoditate Fratrum prædictorum,& ædificiorum domus inibi conſtruendæ,ad profanos uſus redactis conſtruere. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Hoſpitale,capellam &cœmeteria hujuſmodi penitus ſupprimere & extinguere,ac eis inibi unam domum pro perpetuis uſu&habitatione Fratrum prædictorum reformatorum conſtruendi & ædificandi, & ſi opus fuerit, capellam, Hoſpitale & cœmeterium hujuſmodi, aut pretium ad profanos uſus redigendi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur,qui Religionis propagationem,& Divini cultus augmentum, & animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, pium & laudabile propoſitum veſtrum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, capellam, hoſpitale & cœmeterium hujuſmodi penitus ſupprimentes & extinguentes, vobis inibi unam domum prædictam, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus illam re-

recipiendi, & perpetuo inhabitandi, & ſi opus fuerit, capellam, cœmeterium & hoſpitale hujuſmodi pro commoditate dictorum Fratrum & ædificiorum dictæ domus ad prophanos uſus redigendi licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur, jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo; Camerarii, & Capituli prædictorum, de quo nobis per publicum documentum extitit legitime facta fides, ad hoc expreſſe accedente conſenſu: & inſuper domui prædictæ, ac Fratribus in ea parte pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, ejuſque Fratribus ſub quavis obedientia viventibus, ſeu aliorum Ordinum Mendicantium domibus in genere conceſſis & concedendis in poſterum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. XV. Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Ut Monaſterium ſancti Quirici derelictum convertat in domum Sororum Tertii Ordinis. Ex libro 18. fol. 258.

Venerabili fratri Epiſcopo Gajetan.

§. I. EX ſupernæ providentia &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium Monialium ſancti Quirici Gajetan. Ordinis ſancti Benedicti, Abbatiſſæ regimine deſtitutum exiſtat, &, ut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civitatis Gajetan. petitio continebat, ſi in Monaſterio prædicto, curæ Epiſcopi Gajetani pro tempore exiſtentis ſubjecto, in quo nulla Monialis per quatuor annos permanſit, & quod ex tunc inhabitatum, & Monialibus dicti Ordinis pro derelicto habitum fuit, nomen & titulus Monaſterii, ac Ordo prædictus ſupprimeretur & extingueretur, & inibi una domus Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, quæ inibi ſub cura Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub perpetua clauſura vitam ducerent, & Altiſſimo famularentur.... impendere valerent, illarumque orationibus, & interceſſionibus populus Gajetanus a Deo gratias quam plurimas conſequi ſperaret: pro parte dictæ Communitatis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut nomen & titulum Monaſterii, ac Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi penitus ſupprimere & extinguere, ac unam domum Sororum dicti Tertii Ordinis, ſub invocatione ſancti Montani Martyris erigere, dicti Monaſterii ſic tunc ſuppreſſi Eccleſiam eidem domui, poſtquam erecta fuerit, pro illius Oratorio, ac refectorium, dormitorium, clauſtrum, hortos, hortalitia, poſſeſſiones, & bona omnia dicti Monaſterii ſic tunc ſuppreſſi, eidem erigendæ domui aſſignare, appropriare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religioſorum locorum omnium ſtatum in melius dirigi, noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, de prædictis certam notitiam non habentes, necnon verum ultimæ dicti Monaſterii vacationis modum præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus,

mus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem ita eſſe repereris, Monaſterium prædictum, cujus fructus, reditus & proventus quinquaginta florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut Communitas præfati aſſerunt, non excedunt; etiamſi ejus proviſio diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter vel generaliter pertineat: dummodo tempore datæ præſentium ei de Abbatiſſa canonice proviſum non ſit, ac nomen, titulum & Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi, auctoritate noſtra penitus ſupprimas & extinguas, ac inibi unam domum Sororum dicti Tertii Ordinis, ſub invocatione hujuſmodi, in qua Sorores ipſæ, ſub illius Regula, ac cura Fratrum prædictorum, ex fructibus bonorum dicti tunc ſic ſuppreſſi Monaſterii, ac illis in ſuppetentibus, ex piis Chriſtifidelium ſuffragiis, ex incerta mendicitate proventibus, quæ per earum Converſas oſtiatim quærere valeant, Altiſſimi beneplacitis vacent, erigas, & dictam Eccleſiam eidem domui, poſtquam erecta fuerit, ut præfertur, pro illius Oratorio, ac refectorium, dormitorium, clauſtrum, hortos, hortalitia, poſſeſſiones, & bona omnia cum omnibus juribus, ac pertinentiis ſuis eidem domui aſſignes & applices, & poſtquam dicta domus erecta fuerit, ut præfertur, Sororibus pro tempore recipiendis, quas in perpetua clauſura degere, & Regulam prædictam ſancti Franciſci profiteri debeant, tam pro hac prima vice, quam deinceps, quoties domus ipſa Prioriſſa, per quam regi debeat, carere contigerit, Prioriſſam hujuſmodi eligendi licentiam & facultatem dicta auctoritate concedas, ipſamque domum ſic erectam, tunc cum illius pro tempore Prioriſſa & Sororibus, curæ, directioni, ſeu viſitationi & correctioni Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia hujuſmodi, per nos adinſtar aliarum dicti Tertii Ordinis domorum, eorum curæ, viſitationi & correctioni commiſſarum, viſitandam, corrigendam & dirigendam ſubjicias, illamque per eoſdem Fratres viſitari, & illius Prioriſſam, ac Sorores pro tempore exiſtentes corrigi & dirigi debere, eadem auctoritate ſtatuas & ordines. Nos enim ſi ſuppreſſionem, extinctionem, erectionem, & alia præmiſſa per te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, Prioriſſæ & Sororibus prædictis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus & indultis, dicto Tertio Ordini in genere conceſſis uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore earumdem præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. VII. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno 1.

V.

Ut poſſit ædificare in oppido Scalonæ Conventum Obſervantum. Ibidem fol. 90

Dilecto filio nobili viro Didaco Lupi Pacheco Marchioni Villenæ.

§. I. Piis ſupplicum votis &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu pia devotione ductus, cupiens temporalia in ſpiritualia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, illiuſque Fratres propter illorum claros mores, vitæ ſanctimoniam, verbi Dei prædicationem, & exemplarem vitam geris devotionis affe-

affectum, cupis in oppido tuo Scalonæ, Toletanæ diœceſis, loco ad id congruo & honeſto, unam domum pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ex bonis tibi a Deo collatis coſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, dummodo ad id Apoſtolicæ Sedis licentia tibi ſuffragetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi, qui etiam Dux Scalonæ exiſtis, unam domum in dicto oppido, loco ad id convenienti & honeſto, pro uſu & habitatione prædictis, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac domum hujuſmodi, & Fratres in ea pro tempore habitantes alicui Cuſtodiæ dicti Ordinis, de qua tibi melius viſum fuerit, de conſenſu Superioris, ſecundum morem dicti Ordinis, ſubmittendi, ac ipſis Fratribus domum ipſam recipiendi, ac perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus ſummopere affectamus, tuum pium & laudabile propoſitum hujuſmodi in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi unam domum in dicto oppido, loco ad id convenienti & honeſto, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, abſque alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac domum & Fratres hujuſmodi alicui Cuſtodiæ, de qua tibi melius viſum fuerit, de conſenſu tamen Superioris, ſecundum morem dicti Ordinis, ſubmittendi, necnon eiſdem Fratribus domum ipſam pro uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur. Nos enim domui prædictæ, ac Fratribus in ea pro tempore habitantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indulgentiis, favoribus, gratiis & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, per Sedem prædictam, ſeu alias quomodolibet in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus aliæ domus & Fratres hujuſmodi utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate & tenore prædictis, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifaci Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, aut aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII. pridie Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno 1.

Anno Christi 1493. Alexandri VI. anno 1. & 2.

VI.

Conceſſionem Alexandri V. de recipiendis eleemoſynis & bonis mobilibus teſtamento legatis aliis factam extendit ad domum Valentinenſem. Ex libro 23. fol. 143.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Pia decet conſideratione &c. Dudum ſiquidem fel. record. Alexandro Papæ V. prædeceſſori noſtro pro parte tunc Guardiani & Fratrum domus Ordinis Minorum de Gamberiaco, Gratianopolitanæ diœceſis

ceſis expoſito, quod nonnulli Chriſtifideles aliquas pecuniarum ſummas, res & bona alia eis & eorum domui annis ſingulis ſuper rebus & bonis ſuis exſolvenda tam pro anniverſariis, quam Miſſis celebrandis, & aliis piis ſuffragiis pro ſuarum animarum ſalute, per eos Altiſſimo effundendis, in eorum teſtamentis & ultimis voluntatibus, ac alias pias eleemoſynas legare, donare & erogare conſueverant, quæ, obſtantibus prohibitionibus Canonum, ac ſtatutis, & Regulis eorum Ordinis, eis recipere non licebat: præfatus prædeceſſor, eorumdem Guardiani & Fratrum ſupplicationibus inclinatus, ipſis Guardiano & Fratribus legata relicta in eleemoſynas hujuſmodi, necnon quaſcumque pecuniarum ſummas, res ac bona alia, quæ eis tunc in futurum pia largitione fidelium, per quaſcumque perſonas erogari & relinqui, ac legari contingeret, ut præfertur, dummodo res & bona hujuſmodi mobilia forent, per eos vel eorum Procuratores petere, exigere, recipere & habere, & in uſus, ad quos erogata vel donata forent, convertere libere & licite valerent, per ſuas litteras indulſit, prout in illis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus Valentinen. dicti Ordinis petitio continebat, ipſi cupiant conceſſionem & indultum hujuſmodi ad eos extendi: Pro parte Guardiani & Fratrum domus Valentinen. hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionem & indultum prædicta ad eos extendere & ampliare, ac alias ipſis ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem & indultum Alexandri prædeceſſoris hujuſmodi ad eoſdem Guardianum & Fratres dictæ domus Valentinen. auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus & ampliamus, ac omnia & ſingula præmiſſa ipſis de novo, ſalva in omnibus parochialium Eccleſiarum juſtitia, eadem auctoritate concedimus & indulgemus. Non obſtantibus piæ memoriæ Nicolai III. & Clementis V. Rom. Pontif. prædeceſſorum noſtrorum, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ præfatus Alexander prædeceſſor in dictis litteris voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. IV. Non. Maii, Pontificatus noſtri anno I.

VII.

Ut concedat facultatem erigendi in oppido Caſtillionis Monaſterium Clariſſarum. Ex libro 18. fol. 42.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Cremonen. in ſpiritualibus Generali.

§. I. Debitum paſtoralis officii &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis ac hominum terræ Caſtillionis, Cremonen. diœceſis, petitio continebat, quod cum in dicta terra, quæ admodum populo plena exiſtit, non ſit aliquod Monaſterium Monialium, & quod plures Virgines & adoleſcentulæ dictæ terræ deſiderent virginitatem ſuam Deo vovere, & in ea perſeverare, ac in prædicta terra in quarterio ſive contrata, Maſtalergii nuncupata, verſus muros ejuſdem terræ ſit quoddam hoſpitale, in quo pauperes & aliæ miſerabiles perſonæ recipi conſueverint, aptum & idoneum pro erectione unius Monaſterii Monialium, inibi Altiſſimo famulari volentium, ipſique Univerſitas, ad quos alias

alias gubernatio dicti hoſpitalis pertinet, cupiant in ipſo hoſpitali unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ pro earum uſu & habitatione erigi; & ne pauperes & aliæ miſerabiles perſonæ prædictæ careant loco, in quo recipi & habitare poſſint, intendunt quamdam domum eidem hoſpitali contiguam, ad hoſpitalitatem conſervatam, loco ipſius hoſpitalis deputare, ac aptari & reduci facere: pro parte eorumdem Univerſitatis, aſſerentium ſe per nonnullas Virgines & puellas dictæ terræ, ſuper hoc ſumma cum inſtantia requiſitos fore, nobis fuit humiliter ſupplicatnm, ut in dicto hoſpitali unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ erigere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, per te ipſum in prædicto hoſpitali unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis puellarum, & aliarum Virginum dictæ terræ inibi ſub perpetua clauſura Altiſſimo famulari volentium, ſine alicujus præjudicio, auctoritate noſtra erigas; & nihilominus eiſdem Univerſitati prædictam domum eidem priori hoſpitali contiguam, loco ipſius hoſpitalis ad hoſpitalitatem reducendi & reſtituendi, ita quod, ſicut pauperes & aliæ miſerabiles perſonæ prædictæ in ipſo priori hoſpitali recipiebantur, in prædicta domo ad hoſpitalitatem, ut præfertur, reducta recipiantur, licentiam & facultatem eadem auctoritate concedas.

§. III. Nos enim eidem Monaſterio, poſtquam ſic erectum fuerit, ut præfertur, ac Monialibus, quæ illud inhabitabunt pro tempore, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam nunc & pro tempore in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſanctæ Claræ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. VIII. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno I.

VIII.

Concedit eis jus patronatus quorumdam beneficiorum ſuæ Eccleſiæ. Ibidem fol. 207.

Dilectis in Christo filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſancti Franciſci a Cruce Venetiarum, Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. Sacræ Religionis &c. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet tempore quo Monaſterium veſtrum, quod tunc Prioratus ſanctæ Crucis, Cluniacen. Ordinis erat, per fel. record. Innocentium Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ, Obſervantiæ Regularis, ſecundum Inſtituta primæ Regulæ, ſuppreſſis inibi nominibus Prioratus, & Cluniacenſi Ordine,

ne, erectum, vobiſque cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis conceſſum fuit: in Eccleſia etiam dicti olim Prioratus tunc eſſent quatuor perpetua beneficia Eccleſiaſtica, quorum duo presbyteralia, & unum diaconale, & aliud ſubdiaconale exiſtunt, & ex ipſis presbyteralibus beneficiis unum primum, & aliud pro tempore obtinens, Vicarius nuncupabatur, ac curam animarum Parochianorum dictæ Eccleſiæ, quæ etiam parochialis Eccleſia exiſtit, habebat, prout habet de præſenti, dictuſque prædeceſſor etiam vobis jus præſentandi, conferendi ſeu inſtituendi, quod Priori dicti Prioratus pro tempore exiſtenti ad beneficia Eccleſiaſtica quomodolibet competebat, conceſſerit, & credatur jus patronatus & præſentandi perſonas idoneas ad dicta beneficia, quæ tunc pro tempore vacabant, ad dictum Priorem, qui etiam fructus, reditus & proventus dictorum duorum beneficiorum presbyteralium, qui adeo tenues & exiles erant, ut illa pro tempore obtinentes, incumbentia eis onera perferre non poſſint, ad valorem annuum triginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem in bonis immobilibus eis aſſignatis, adauxit, pertinuiſſe, & vobis conceſſum fuiſſe, tamen dubitatis deſuper moleſtari tempore procedente. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis jus patronatus & præſentandi Patriarchæ Venetiarum pro tempore exiſtenti perſonas idoneas ad primum nuncupatum, ad præſens vacans, & ad illud, ac alia beneficia prædicta, quoties illa deinceps perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, de novo, potiori pro cautela concedere & aſſignare, & quod dictum primum beneficium pro tempore obtinens, Vicarius nuncupetur, ac cuſtodia bonorum mobilium pretioſorum, & jocalium dictæ Eccleſiæ ad vos pertineat, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, quieti veſtræ conſulere volentes, dilecti filii nobilis viri Ducis Venetiarum nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, jus patronatus & præſentandi eidem Patriarchæ perſonas idoneas ad primum nuncupatum, etiam ex nunc, & ad illud ac alia beneficia prædicta, quoties illa deinceps perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, potiori pro cautela in perpetuum concedimus & aſſignamus, & quod dictum primum beneficium obtinens, etiam de cetero, prout hactenus nuncupatus fuit, Vicarius nuncupetur, ac cuſtodia bonorum mobilium pretioſorum, & jocalium dictæ Eccleſiæ ad vos pertineat, dicta auctoritate ſtatuimus & ordinamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. VI. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno 1.

IX.

Ut concedant facultatem ædificandi domum Amadeitarum in Eremitorio ſancti Geneſii. Ex Lib. 2. fol. 106.

Dilectis filiis Decano, & Majori, ac de Lorca Archidiaconis Eccleſiæ Carthaginen.

§. I. Juſtis &c. Dudum ſiquidem fel. record. Innocentio Papæ VIII. prædeceſſori noſtro pro parte dilecti filii nobilis viri Joannis Chacon. Præfecti Murciæ expoſito, quod ipſe ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ gerebat,

bat, cupiebat in Eremitorio ſancti Geneſii, de la Xara nuncupato, in quodam loco deſerto, & a Civitate Carthaginen. per decem milliaria vel circa diſtante, & circa littus maris conſiſtente, ac cujus idem Joannes patronus exiſtebat, unam domum ſub titulo aut invocatione Annunciationis beatæ Mariæ, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſuis ſumptibus & expenſis conſtrui & ædificari facere, ſi ſibi ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ licentia concederetur: Idem Innocentius prædeceſſor, ipſius Joannis in ea parte ſupplicationibus inclinatus, tibi fili Archidiacone de Lorca, tuo proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit litteris in mandatis, ut dicto Joanni in prædicto Eremitorio unam domum ſub dicta invocatione, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, ſine alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ac octo Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, de Cuſtodia Murciæ, provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem dicti Ordinis, quos idem Joannes duceret eligendos, & quos ad hoc voluntarios inveniret, in dictam domum introducendi & collocandi: eiſdemque Fratribus ſic eligendis ab eorum domibus dicti Ordinis, in quibus degerent ſeu habitarent, recedendi, & ad dictam domum beatæ Mariæ ſe transferendi, alicujus Superioris eorum licentia minime requiſita, licentiam & facultatem concederes, ipſamque domum, ac illius Fratres pro tempore, Congregationi ſive Societati quondam fratris Amadei aggregares: quodque dicta domus, & prædicti octo & alii Fratres in ea pro tempore degentes, ſub Obedientia Miniſtri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum immediate ſubjicerentur, prout & quemadmodum Fratres Ordinis & Societatis prædictorum ſubjiciebantur, & eidem Miniſtro Generali ac Viſitatori, per dictam Societatem pro tempore deputatis, & nemini alteri ſubeſſent, vel obedire tenerentur, ſeu a primæva eorum obedientia exempti eſſent, etiamſi Fratres in dictam domum introducendi antea ſub alia obedientia forent; quodque, ſi forſan, quod abeſſet, contingeret Fratres dictæ domus pro tempore exiſtentes a Regulari Obſervantia declinare & illam relinquere, aut modo Fratrum, Conventualium nuncupatorum dicti Ordinis, ſeu alias inhoneſte vivere, liceret eidem Joanni, & Succeſſoribus ſuis in majoratu domus ejuſdem Joannis ſuccedentibus, Fratres prædictos ſic Obſervantiam Regularem omittentes, ab eadem domo propria auctoritate expellere, & in eadem Fratres Ordinis & Obſervantiæ, ac Cuſtodiæ Murciæ prædictorum introducere, & domum ipſam Cuſtodiæ in eventum hujuſmodi ſubjicere & applicare, ſtatueres & ordinares, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Joannis petitio continebat, ipſe Joannes fervore devotionis accenſus, domum prædictam vigore licentiæ ſibi per te fili Archidiacone de Lorca conceſſæ, conſtrui & ædificari fecerit, ac in illam Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum introduxerit, qui cum odore bonæ famæ, ac Chriſtifidelium conſolatione, ſpiritualem inibi vitam ducunt; dubitetque, Fratres prædictos in dicta domo pro tempore degentes moleſtari: pro parte dicti Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, eiſdem Fratribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra præmiſſa omnia & ſingula in-

inviolabiliter obſervari, non permittentes eos, & dictum Joannem per quoſcumque deſuper quovis modo moleſtari. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia juris remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Et nihilominus legitimis ſuper his per vos habendis ſervatis proceſſibus, illos, quos vobis legitime conſtiterit cenſuras prædictas incurriſſe, quoties expedierit, iteratis vicibus aggravare curetis. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis litteris forſan per Nos &c. etiam præſentibus expreſſe derogantibus, conceſſis & concedendis in poſterum, quibus, tenores illarum pro ſufficienter expreſſis habentes &c. derogamus, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. pridie Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno 1.

X.

Ut concedat licentiam ædificandi in urbe Toletana domum Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia. Ex libro 22. fol. 133.

Dilectis filiis Decano, & Archidiacono, ac Scholaſtico Eccleſiæ Toletanæ.

§. I. His, quæ pro Divini cultus augmento &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Ferdinandi Alvari de Toledo, laici Toletani, & dilectarum in Chriſto filiarum Mariæ de ſancta Cruce, & aliarum Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in domo dicti Ordinis, in parochia Eccleſiæ ſancti Salvatoris Toletanæ conſiſtente, & de novo dicto Ordini conceſſa degentium petitio cuntinebat, quod olim quondam Didacus de Toledo Lupi laicus, tunc Rector Civitatis Toletanæ, præfati Ferdinandi frater, dum in humanis ageret, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia voluit & ordinavit, quod poſt ejus obitum in quadam domo in Parochia prædicta conſiſtente, ad eum legitime ſpectante, propriis expenſis ſuis una domus cum capella, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſaris officinis pro habitatione Sororum dicti Tertii Ordinis erigeretur, ac tam ex ſuis, quam præfatæ Mariæ ejus tunc uxoris, bonis ſufficienter dotaretur; quodque domus ipſa, & Sorores in ea pro tempore degentes, eſſent ſub viſitatione & correctione Cuſtodis pro tempore exiſtentis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Cuſtodiæ Toletanæ, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum; ipſaque Maria videns præmiſſa in maximum Dei ſervitium cedere, volenſque etiam auxilium in præmiſſis præſtare, ac cupiens poſt obitum dicti Didaci honeſte vivere, & ad ſecunda vota minime tranſire, domum ipſam, poſtquam fuit ad effectum hujuſmodi ædificata & conſtructa, una cum certis aliis Sororibus dicti Tertii Ordinis habitavit, in qua uſque ad numerum duodecim vel circa, aut ultra hactenus fuerunt Altiſſimo famulantes, ipſique Didacus & Maria etiam voluerunt & ordinaverunt, ut ipſa Maria, quoad viveret, eſſet patrona & adminiſtratrix dictæ domus, & poſt ejus obitum, adminiſtratio, & jus patronatus dictæ domus, ac deputandi ſive præſentandi Sorores, quæ in eadem domo pro tempore degerent, ad præfatum Ferdinandum, & ſucceſſores ſuos majores natu, ſucceſſionem domus ſuæ, majoratum nuncupatam pro tempore obtinentes, in perpetuum per-

pertineret: quodque ſi tempore procedente contingeret, quod aliquæ mulieres de parentela ſua, infra quartum conſanguinitatis gradum dicti Didaci, domum prædictam ingredi, & habitum earumdem Sororum recipere vellent, recipi & admitti deberent, dummodo ultra quatuor non eſſent, ita quod quatuor Sorores ex dicta parentela, & non amplius in eadem domo exiſterent, & aliqua ipſarum quatuor decedente, poſſet tunc patronus illius aliam nominare, uſque ad dictum numerum quatuor, ipſaque Maria tamquam Soror in dicta domo, & in habitu Sororum, aut ſeculari honeſto, prout ſibi videbitur, quoad viveret, permaneret, & Sorores, quæ dictam domum pro tempore ingredi voluiſſent, de conſenſu dictæ Mariæ reciperentur, ipſaque domus ad alium locum transferri, & illius bona per illius patronos pro tempore alienari, vendi, permutari, aut donari non poſſent, quodque capella prædicta eſſet pro prædictorum Didaci & Mariæ ſepulturis, & non alterius; ipſaque Maria pro dote domus & Sororum in ea pro tempore degentium, nonnulla bona & reditus tunc expreſſa, ad eam, & dum viveret, præfatum Didacum legitime pertinentia, pro totali ipſius domus dote dedit & conceſſit, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto dicitur plenius contineri. Et deinde dilectus filius Didacus Voltares, modernus cuſtos dictæ Cuſtodiæ, videns prædicta in maximum Dei ſervitium, & Divini cultus augmentum cedere, illa auctoritate ſui officii, prout tunc juxta dicti Ordinis Minorum conſtitutiones poterat, approbavit & confirmavit; domumque prædictam pro dicto Tertio Ordine & Sororibus illius recepit, ac ſub ſua protectione ſuſcepit; & dictæ Mariæ aliiſque Sororibus in dicta domo degentibus, habitum Sororum dicti Tertii Ordinis exhibuit, ac ab eis profeſſionem per Sorores dicti Tertii Ordinis emitti ſolitam, recepit, eaſque in dicta domo collocavit.

§. II. Quare pro parte tam Ferdinandi, qui, ut aſſerit, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimæ in Chriſto filiæ Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ & Legionis regnorum illuſtrium, Conſiliarius & Secretarius exiſtit, quam Mariæ & Sororum prædictarum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnibus & ſingulis præmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac potiori pro cautela dictam domum in domum dictarum Sororum cum capella, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo erigere, ac bona & reditus hujuſmodi illi pro ſuſtentatione domus & locorum prædictorum perpetuo applicare & appropriare, ac jus patronatus hujuſmodi dictæ Mariæ, quoad vixerit, & poſt ejus obitum, Ferdinando & ſucceſſoribus præfatis, ut præfertur, concedere & aſſignare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui de prædictis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam de præmiſſis vobis legitime conſtiterit, omnia & ſingula præmiſſa, ac prout illa concernunt, omnia in dicto inſtrumento contenta, approbare & confirmare, ac omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplere, & nihilominus, fortiori pro cautela, in dicta domo unam domum dictarum Sororum cum capella, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, ſine alicujus præjudicio, auctoritate noſtra curetis, illaque bona & reditus hujuſmodi pro ſubſtentatione prædicta applicetis & approprietis, ipſique Mariæ, quoad vixerit, & poſt obitum ſuum Ferdinando & ſucceſſoribus præfatis jus patronatus hujuſmodi in perpetuum concedatis & aſſignetis; ac decernatis, quod in dicta capella nul-

nullus præter Didacum, & poſtquam deceſſerit, Mariam prædictos, poſſit ſepeliri: quodque ipſa domus per quempiam, quavis auctoritate fungentem, ad alium locum transferri, illiuſque bona vendi & alienari aut permutari nequeant, domuſque & Sorores prædictæ in ea pro tempore degentes, etiam curæ, protectioni & viſitationi ac correctioni dicti Cuſtodis perpetuo ſubjiciantur: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. III. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno I.

XI.

Concedit facultatem ut poſſit ampliari & reædificari domus Sororum Tertii Ordinis Salmanticæ. Ex libro 47. fol. 240.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. EA quæ pro Religionis propagatione &c. Sane pro parte venerabilis fratris noſtri Alphonſi Archiepiſcopi Compoſtellani, ac dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus domus Annunciationis beatæ Mariæ Salamantin. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim præfati Abbatiſſa & Conventus provide conſiderantes, qund dicta dnmus aden anguſta erat, ut formam domus Monialium ſive Sororum non haberet, & in ea habitare non poſſent; quodque ipſe Archiepiſcopus, qui ad dictum Ordinem ſingularem gerebat, prout gerit, devotionis affectum, nonnulla ædificia pro ampliatione dictæ domus de propriis pecuniis ſuis emerat, quæ perfecta non erant, & quæ ipſe Archiepiſcopus perficere & ampliare etiam opere ſumptuoſo, domumque ipſam dotare propoſuerat, & pollicitus fuerat, ſalvis tamen conditionibus infraſcriptis; quodque ſi dicta ædificia imperfecta remanerent, eis ob tenuitatem fructuum dictæ domus, ac numerum Sororum in illa degentium, qui creverat, impoſſibile erat illa perficere poſſe, & in dicta domo tam anguſta remanere non poterant, neceſſeque erat illam relinquere; matura deliberatione præhabita, de tunc ſuperioris earum expreſſo conſenſu, ſuper hoc capitulariter congregato, ſitum dictæ domus eidem Archiepiſcopo pure & libere donarunt & conceſſerunt cum plena facultate de illo, ut de re propria diſponendi, ipſeque Archiepiſcopus donationem hujuſmodi recipiens, ſitum domus prædictæ eidem Abbatiſſæ & Cnnventui perpetuo gratioſe donavit, intendens dicta ædificia incepta perficere & etiam ampliare, ac bona dictæ domus augere: volens tamen & ordinans, etiam accedente conſenſu ſuperioris præfati, quod jus patronatus & præſentandi perſonam idoneam ad regimen & adminiſtrationem dictæ domus, dum illa Abbatiſſa careret, ad eum, quamdiu viveret, pertineret: quodque ſub ſua & eorum, quibus in ſua ultima voluntate ordinaret ſeu diſponeret, tutela, protectione ac juriſdictione immediate Abbatiſſa & Conventus præfati perpetuo remanerent, ac perpetuam clauſuram, quam Moniales Monaſterii ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem ſanctæ, in Civitate Salamantina degentes, obſervabant, obſervare tenerentur, & in eventum, in quem non obſervarent, domum prædictam, & reditus, & pias ſubventiones & eleemoſynas illius, abſque alicujus Judicis declaratione ſeu ſententia, amittere deberent, cederentque omnia in commodum & utilitatem Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Hieronymi: ita ut Fratres illius dictam domum

mum recipere & habitare, ac illa & reditibus ac eleemoſynis illius perpetuo uti poſſent, ac ſub eadem pœna Abbatiſſa & Conventus prædicti aliquam Sororem in dicta domo, niſi uſque ad numerum quinquaginta Sororum recipere nequirent, & omnes inſimul in ipſa domo ultra quinquaginta Sorores non eſſent; & cum aliquas Sorores infra dictum numerum recipere vellent, primo de genere, cognomine, ſeu de parentela de *Azevedo*, ſeu de *Fonſeca*, aut de *Ulloa*, ſi quæ idoneæ repirirentur, quæ dictam domum ingredi vellent, recipere tenerentur: ſi de cognominibus, aut de parentela hujuſmodi nullæ eſſent, tunc de cognomine aut de parentela de *Maldonado* recipere tenerentur & reciperent, & ſi nullæ parentelarum ac cognominum hujuſmodi, quæ dictam domum ingredi vellent, reperirentur, tunc alias ad id idoneas recipere poſſent. Et ſi dilectus filius Ludovicus de Azevedo, dicti Archiepiſcopi frater, aut ejus primogenitus, ſeu ab illis deſcendentes, hæreditatem domus eorum habentes, ſeu dilectus filius Didacus etiam de Azevedo, aut ejus primogenitus laici etiam hæreditatem domus habens, pro tempore filias haberent, & illas in dicta domo propter Sororum in illa pro tempore degentium bonos & exemplares mores, in earum commercio educari vellent, Abbatiſſa & Conventus prædicti, dicta clauſura non obſtante, illas recipere, & in dicta domo educare tenerentur; dummodo genitores earum expenſas neceſſarias ſolverent, ſi dicti Abbatiſſa & Conventus ſponte ſua eas de ipſius domus bonis ſive eleemoſynis manutenere nollent; & ſi filiæ prædictæ dictam domum, ut Moniales ingredi, aut in illa remanere vellent, Abbatiſſa & Conventus præfati illas recipere, & profeſſionem ab eis, ſi illam emittere vellent, admittere, abſque eo quod pro ingreſſu aut dote quidquam perſolvere tenerentur, ac Eccleſiæ dictæ domus, necnon capellæ, quam præfatus Archiepiſcopus in dicta domo ædificare cœpit, & concedente Domino, quantocies finire intendit, eiſdem modo & forma, quibus Divinum officium in dicto Monaſterio ſanctæ Claræ celebratur, in Divinis deſervire, ac quolibet die pro dicto Archiepiſcopo & progenitoribus ſuis commemoratio fiat, cum expreſſa oratione pro eo, tamquam benefactore & fundatore domus ejuſdem: ad dictam & in dicta capella, nullus, niſi ipſe Archiepiſcopus, aut quos ipſe in vita ſua, ſeu ultima voluntate ordinaverit ſeu deputaverit, poſſit ſepeliri; & ſi forſan Abbatiſſa & Conventus præfati aliquem inibi ſepelirent, reditus annales ſex mille morapetinorum, quos ipſe Archiepiſcopus pro manutentione ipſarum, & domus prædictæ reliquit & donavit, & quæ de cetero cum illis donare contigerit, amittent, cedantque omnia in dictæ capellæ, & presbyterorum illius utilitatem, illaque ex tunc in eventum hujuſmodi, eis perpetuo donavit. Quæ omnia & ſingula Archiepiſcopus, ac Abbatiſſa & Conventus præfati, interveniente etiam juramento, ac accedente conſenſu Superioris hujuſmodi, inviolabiliter obſervare promiſerunt, & nullo unquam tempore contra ea litteras Apoſtolicas impetrare, & illis impetratis uti; renunciantibus etiam præfatis Abbatiſſa & Conventu certis litteris Apoſtolicis eis alias ſuper non obſervanda clauſura conceſſis, prout in quibuſdam publicis inſtrumentis deſuper confectis dicitur plenius contineri.

§. II. Quare pro parte tam Archiepiſcopi, quam Abbatiſſæ & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationibus, ſtatutis, decretis, ordinationibus, promiſſionibus & aliis præmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & quod nulla de cetero dictæ domui in Abbatiſſam præfici poſſit, niſi de genere ſeu parentela præfati Archiepiſcopi, ſi aliqua fuerit, alioquin de aliis cognominibus & generibus hujuſmodi, quæ etiamſi non fuerint, tunc magis idonea eli-

eligatur & aſſumatur: quodque Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, domum prædictam per ſe, & non per alium, cum uno aut duobus ſociis dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, ætatis ſaltem quinquaginta annorum, & non citra, quando domum Fratrum Minorum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum ejuſdem Civitatis viſitaverit, viſitare debeat, ſi velit, & ſi Abbatiſſa & Conventus præfati eum ad viſitandum dictam domum elegerint, & quod dictus Vicarius viſitationem & correctionem in domum, ac Abbatiſſam & Conventum hujuſmodi, ac illius Sorores, & facultatem deputandi eis confeſſorem idoneum, duntaxat in eventum hujuſmodi habeat; ita tamen quod aliquam Sororem in dicta domo ponere, & ab illa extrahere, niſi de conſenſu præfati Archiepiſcopi, quamdiu vitam duxerit in humanis, & eo vita functo, cui idem Archiepiſcopus id duxerit committendum, cui votum obedientiæ præſtent, nequeat ſtatuere, ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ſtatum religioſorum locorum omnium in melius dirigi, noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, decreta, ordinationes, promiſſiones, ac alia præmiſſa, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in dictis inſtrumentis contenta, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. IV. Et nihilominus potiori pro cauteſa, illa omnia & ſingula de novo, modo & forma præmiſſis facimus & concedimus: ſtatuentes etiam & ordinantes, quod nulla de cetero dictæ domui in Abbatiſſam præfici poſſit, niſi de genere ſeu parentela præfati Archiepiſcopi, ſi aliqua fuerit, alioquin de aliis cognominibus & genere hujuſmodi, quæ etiam ſi non fuerint, tunc magis idonea eligatur & aſſumatur, quodque Vicarius præfatus domum prædictam per ſe ipſum, & non per alium cum uno aut duobus ſociis Ordinis Minorum de Obſervantia, ætatis ſaltem quinquaginta annorum, & non citra, quando domum Fratrum Minorum hujuſmodi viſitaverit, ſi velit, viſitare debeat, & ſi Abbatiſſa & Conventus præfati eum ad viſitandum dictam domum elegerint, ipſeque Vicarius viſitationem & correctionem in domum ac Abbatiſſam & Conventum hujuſmodi, & illius Sorores, ac facultatem deputandi eis confeſſorem idoneum, duntaxat in eventum prædictum habeat; ita tamen, quod aliquam Sororem in dicta domo ponere, & ab illa extrahere, niſi de conſenſu præfati Archiepiſcopi, & eo vita functo, ejus, cui ipſe Archiepiſcopus id duxerit committendum, cui votum obedientiæ præſtent, non poſſit, ut præfertur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus domus Annunciatæ, & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. VI. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

XII. *Ut*

XII.

Ut dent licentiam ædificandi domum Obſervantum prope villam de Jarandilla. Ex lib. 51. fol. 19.

Venerabili Fratri Epiſcopo Corduben. & dilectis filiis Theſaurario ac Scholaſtico Eccleſiæ Corduben.

§. I. Is fidelium nobis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Fernandi Alvarii de Toleto, Comitis de Oropeſſa petitio continebat, quod prope villam de Jarandilla, Placentinæ diœceſis, eſt unum Eremitorium ſub invocatione ſancti Dominici, in quo alias nonnulli Fratres Ordinis Minorum degebant, & quod deinde, cum ab ipſis Fratribus derelictum fuiſſet, Fratribus in domo ſancti Vincentii Placentin. Ordinis Fratrum Prædicatorum pro tempore degentibus Apoſtolica fuit auctoritate conceſſum; & cum præfati Fratres Ordinis Prædicatorum illud aliquamdiu tenuiſſent, tunc capitulum Provinciale Ordinis ejuſdem, partium illarum, ac Prior & Fratres dictæ domus illud libere dimiſerunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatus Fernandus fervore devotionis acceſſus, cupiat, quod in dicto Eremitorio, in temporali dominio ſuo conſiſtente, una domus pro Fratribus dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ad quos, ob eorum bonos & exemplares mores, ac vitæ ſanctimoniam, & uberes fructus, quos prædicationibus verbi Dei, & aliis bonis operibus continuo afferunt, ſingularem gerit devotionis affectum, conſtruatur & ædificetur, ac illam de propriis bonis ſuis conſtruere & ædificare proponat, ſi ſibi ad id Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſuffragetur; pro parte ejuſdem Fernandi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto Eremitorio unam domum, ſub invocatione ejuſdem Sancti, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, qui ſub cura, viſitatione & obedientia Cuſtodiæ de Angelis dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in partibus illis, ac Vicarii Generalis de Obſervantia dicti Ordinis degant, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dudum Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, ac animarum ſalutem noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, pium & laudabile propoſitum dicti Fernandi plurimum in Domino commendantes &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, eidem Fernando in dicto Eremitorio unam domum ſub dicta invocatione, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, qui ſub cura, viſitatione & obedientia Cuſtodiæ & Vicarii prædictorum degunt, ſine alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac tredecim Fratres ex quibuſcumque Provinciis, cuſtodiis, ſive domibus dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, pro prima vice evocandi, ipſiſque Fratribus ſe ad dictam domum conſtruendam cum libris & aliis rebus a Superioribus ſuis ad uſum ſuum eis

jam conceſſis, ſuperiorum prædictorum, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ſe transferendi, licentiam auctoritate noſtra largiamini; ac Cuſtodi ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut dictam domum recipiat, Fratribus prædictis ut ad illam ſe, omni dilatione ceſſante, & appellatione remota, ad requiſitionem dicti Fernandi transferant, illamque pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia percipiant, præfata auctoritate noſtra diſtricte præcipiendo mandetis: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, eidem domui ac Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indultis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, aliis domibus & Fratribus ejuſdem Ordinis per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet conceſſis & concedendis in poſterum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica præfata, earumdem tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. XVIII. Kalendas Octobris Pontificatus noſtri anno II.

XIII.

Conventus Obſervantum & Monaſterium Clariſſarum de Belalcazar ſubjiciuntur regimini Cuſtodis Angelorum. Ex libro 51. fol. 20.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Injunctum nobis deſuper &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, nobilium mulierum Mariæ de Velaſco, & Leonoræ, ac, quæ Comitiſſa de Coruveca exiſtit, Mariæ Manrique, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod domus Sanctorum Martyrum Berardi, Petri, Accurſii, Adjuti, & Octonis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ac Monaſterium ſancti Franciſci de la Columna ſanctæ Claræ, Obſervantiæ Regularis Ordinum, Corduben. diœceſis, ſub cura & obedientia Provincialis provinciæ de Sanctoyo, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, eſſe noſcuntur, & quia propter diſtantiam dictæ provinciæ, domus & Monaſterium hujuſmodi cum difficultate viſitantur, & propterea ſæpenumero detrimenta in ſpiritualibus patiuntur; ſi Cuſtodi pro tempore exiſtenti Cuſtodiæ de Angelis Ordinis Minorum, & Obſervantiæ prædictorum partium illarum, eiſdem domui & Monaſterio propinquiori ſubjicerentur, ex hoc profecto ſtatui & quieti & tranquillitati domus & Monaſterii prædictorum melius conſuleretur: pro parte Mariæ de Velaſco, Leonoræ, ac Mariæ Manrique prædictarum, aſſerentium earum progenitores domum & Monaſterium hujuſmodi de propriis eorum bonis fundaſſe, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium & domum hujuſmodi a cura & obedientia dictæ provinciæ perpetuo ſeparare & dimembrare, ac curæ & obedientiæ dictæ Cuſtodiæ ſubjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religioſorum locorum omnium ſtatum melius dirigi noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, domum & Monaſterium hujuſmodi a cura & obedientia dictæ provinciæ auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, te-

tenore præſentium perpetuo ſeparamus & dimembramus, ac curæ & obedientiæ dictæ Cuſtodiæ de Angelis ſubjicimus: Cuſtodi præfato, ut Monaſterium & domum hujuſmodi ſub cura & obedientia ſuis recipere debeat, ſub excommunicationis ſententiæ latæ pœna diſtricte præcipiendo mandantes: & ne domus prædicta ob abſentiam Fratrum, diſpendium patiatur, decernimus, quod Fratres, qui in Congregatione provinciali dictæ provinciæ in domo Segobien. dicti Ordinis Minorum, in feſto Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, anni Domini MCCCCXCII. celebrata, ad præfatam domum miſſi, vel in ea collocati, aut qui inibi uſque ad præſentium notificationem erunt, a dicta domo nullatenus mutari poſſint, & ſi mutati fuerint, ad illam redire teneantur, prout præfato Cuſtodi viſum fuerit expedire, in cujus arbitrio retentio vel remiſſio ad dictam provinciam omnino dependeat; necnon Monaſterio & domui præfatis, & Fratribus in domo & Monialibus Monaſterio prædictis pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, favoribus & indultis, aliis ejuſdem Ordinis domibus & Monaſteriis, Fratribus & Monialibus in genere, ſeu alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint ac debeant, dicta auctoritate indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. XVIII. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno II.

Anno Christi 1494. Alexandri VI. anno 2. & 3.

XIV.

Ut poſſit tradere domum Obſervantibus in oppido Bruellenſi. Ex originali.

Venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Colonienſi.

§. I. Dudum fel. record. Innocentius Papa VIII. proxime prædeceſſor noſter, tibi, ut in Civitate ſeu patria Colonien. unam domum, ſeu locum novum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum conſtrui facere poſſes, cum Eccleſia, Conventu, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, abſque tamen alieni juris præjudicio, Apoſtolica auctoritate facultatem, ac Fratribus Ordinis prædicti domum ipſam recipiendi, licentiam conceſſit, indulgens eiſdem Fratribus, qui pro tempore dictam domum inhabitarent, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis & indultis uti, potiri & gaudere poſſent, quibus alii dicti Ordinis & Obſervantiæ Fratres in genere potiebantur, utebantur & gaudebant, ac uti, potiri & gaudere poſſent quomodolibet in futurum, prout in litteris ipſius prædeceſſoris, in forma Brevis deſuper confectis plenius dicitur contineri.

§. II. Et deinde, ſicut pro parte tua fuit nobis nuper expoſitum, tu devotionis zelo motus, litterarum earumdem vigore unam domum ſeu locum novum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, provinciæ Colonien. ſub Vicario viventium, in oppido Bruell, tuæ Colonien. diœceſis, cum Eccleſia, Conventu, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de propriis bonis & impenſis tuis conſtrui & ædificari feciſti, ac Eccleſiam ipſam, una cum Altaribus pluribus in eadem materialiter conſtructis, in propria tui perſona conſecraſti, necnon prædictis Fratribus de Obſervantia, provinciæ Co-

Colonien. ſub Vicario viventibus domum antedictam recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam indulſiſti, ac etiam eiſdem Fratribus de Obſervantia, qui pro tempore domum ipſam incolerent, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indultis & præeminentiis, quibus alii dicti Ordinis & Obſervantiæ Fratres ſub Vicario viventes in genere utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt, uti, potiri & gaudere poſſent, conceſſiſti; ſed nondum domus & locus novus hujuſmodi, ſicut præfertur, conſtructus, erectus & conſecratus, ab antedictis Fratribus de Obſervantia provinciæ Colonien. ſub Vicario viventibus receptus fuit aut acceptatus. Quare nobis humiliter ſupplicare feciſti, ut facultatem & conceſſionem, necnon conſtructionem, erectionem, conſecrationem & indultum, ac alia præmiſſa confirmare & approbare, necnon perpetuum eis robur deſuper adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur tuum pium & laudabile deſiderium hujuſmodi affectu paterno confovere volentes, tuis ſupplicationibus inclinati, facultatem & conceſſionem, necnon conſtructionem, erectionem, ac conſecrationem & indultum prædicta, per te prætextu litterarum prædictarum facta, & prout illa concernunt omnia & ſingula inde ſecuta, una cum juris & facti, qui forſitan in eiſdem intervenerunt, defectuum ſuppletione, ex certa noſtra ſcientia confirmamus & approbamus, necnon perpetuum eis robur adjicimus, ac Fratribus Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi dictæ provinciæ, ſub qua domum ipſam fore volumus, eamdem domum recipiendi, & illam perpetuo inhabitandi, tibique per te vel alium ſeu alios eoſdem Fratres in dicta domo ponendi & introducendi licentiam dicta auctoritate concedimus, ac Vicario & Fratribus dictæ provinciæ, ut, cum eis opportunum fuerit, domum prædictam acceptent, recipiant & inhabitent, harum ſerie præcipimus & mandamus. Et nihilominus pro potiori cautela eidem domui & Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, concedimus per præſentes. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii VIII. Clementis V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, necnon omnibus illis, quæ Innocentius prædeceſſor antedictus in ipſis ſuis litteris voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXV. Februarii anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXCIV. Pontific. noſtri anno II.

XV.

Ut concedant facultatem ædificandi domum Fratrum Minorum in oppido Campi majoris. Ex libro 51. fol. 114.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Bracharen. & Portugalen. & Colimbricen. Epiſcopis.

§. I. Inter curas multiplices &c. Sane pro parte dilecti filii Georgii de Paiva Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe unam domum in loco Agri-majoris nuncupato re-

regni Portugalliæ, ſeu in alio aliquo loco ad hoc magis accommodo in regno Caſtellæ conſiſtente, ſub invocatione & in honorem ſancti Antonii de Padua confeſſoris, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum erigere & conſtruere, ſeu erigi & conſtrui facere deſiderat, & ut domum ipſam facilius conſtruere valeat, parentes ejus omnia eorum bona erogaverunt, & apud idoneas perſonas depoſuerunt, ac nonnulli alii, ejuſque conſanguinei & affines fervore devotionis accenſi, aliquid de eorum propriis bonis ad hujuſmodi conſtructionem pie erogare proponunt, ſi eidem Georgio ad hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti Georgii aſſerentis, quod ipſe de dicto regno Portugalliæ oriundus exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi domum ipſam ſub invocatione prædicta, in prædicto Agri-majoris, vel alio aliquo loco ad id magis accommodo, in altero dictorum regnorum conſiſtente, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum Minorum conſtrui & ædificari faciendi, ſibique illam, poſtquam ſic conſtructa & ædificata fuerit, nomine Fratrum prædictorum, & in illa Fratres prædictos introducendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, domumque ipſam, & Fratres in ea pro tempore degentes, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjicere, viſitatione tamen dictæ domus & Fratrum pro tempore in ea degentium, ejuſdem Ordinis Miniſtro Generali, & aliis ejus inferioribus Officialibus ejuſdem Ordinis reſervata; ipſum Georgium, quoad vixerit, in Guardianum dictæ domus, cum prorſus eadem facultate Fratres dicti Ordinis recipiendi & ejiciendi, quam habet præfatus Miniſter Generalis in aliis domibus ejuſdem Ordinis, conſtituere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis ſtatum, & Divini cultus augmentum propagari noſtris præſertim temporibus ferventibus deſideriis exoptamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios eidem Georgio unam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis in prædicto Agri-majoris, vel alio aliquo loco ad hoc magis accommodo, in altero dictorum Regnorum conſiſtente, pro uſu & habitatione, ac ſub invocatione prædictis, abſque alicujus præjudicio, & dummodo dicti Generalis Superioris ad hoc expreſſus accedat aſſenſus, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, & illam, poſtquam conſtructa & ædificata fuerit, dictorum Fratrum nomine, pro eorum uſu & habitatione prædictis, recipiendi & perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam elargiri, domumque ipſam Apoſtolicæ Sedi ſubjicere, viſitationem domus & Fratrum degentium prædictorum ejuſdem Ordinis præfato Miniſtro Generali, & aliis ejus inferioribus Miniſtris & Officialibus Ordinis ejuſdem reſervando, ipſumque Georgium, quoad vixerit, in Guardianum dictæ domus cum eadem poteſtate quoſcumque Fratres recipiendi, & etiam expellendi, quam habet in aliis domibus dicti Ordinis præfatus Miniſter Generalis, ita quod per prædictum Miniſtrum Generalem, ſeu quoſvis alios ab officio Guardiani hujuſmodi, quoad vixerit, abſque rationabili cauſa, ſuis culpis & demeritis exigentibus, invitus amoveri nequeat, de ſimili conſenſu, dicta auctoritate conſtituere & deputare curetis. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos concedi, & alia præmiſſa fieri con-

contigerit, ut præfertur, dictæ domui, & illius Guardiano & Fratribus in illa pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, & illarum Guardianis & Fratribus in genere per Sedem Apoſtolicam cenceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & debeant, dicta auctoritate concedimus & indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIII. VIII. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno II.

XVI.

Ut poſſint transferre domum oppidi Betonii ad locum commodiorem. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Provinciæ ſancti Franciſci Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. EXponi nobis fecerunt dilecti filii Vicarius & Fratres Provinciæ ſancti Franciſci, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & Univerſitas hominum Terræ Bettonii, Aſſiſinaten. diœceſis, quod domus ſancti Honufrii prope dictam Terram, dicti Ordinis, in ſuis ſtructuris vetuſta & ruinoſa, ac reparatione non modica indigens, ſita eſt in loco parum commodo parumque ſalubri, ſeque ſperare, quod ſi domus ipſa transferretur ad Eccleſiam ſine cura ſancti Manni dirutam, ſitam extra & prope dictam Terram, in loco commodiori, & juxta ipſam Eccleſiam ſancti Manni cum opportunis ædificiis conſtrueretur, dictaque domus ſancti Honufrii, ſuppreſſo in ea Ordine prædicto, cum ejus Eccleſia, hortis, hortalitiis, & allis officinis loco Eccleſiæ dictæ ſancti Manni ſurrogaretur, & Rectori ipſius Eccleſiæ ſancti Manni in recompenſam dictæ Eccleſiæ ſancti Manni, quam dimitteret, concederetur, exinde profecto commodiori habitationi Fratrum dicti Ordinis, ſine detrimento Rectoris dictæ Eccleſiæ ſancti Manni opportune conſuleretur.

§. II. Nos igitur, qui ad ea, quæ dicti Ordinis commoda concernunt, libenter intendimus, Vicarii & Fratrum, ac Univerſitatis prædictorum ſupplicationibus inclinati, vobis committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, de conſenſu venerabilis fratris Epiſcopi Aſſiſinaten. & Rectoris dictæ Eccleſiæ ſancti Manni, Vicario & Fratribus prædictis deferendi domum prædictam ſancti Honufrii licentiam concedere, & domum ipſam ſancti Honufrii ad dictam Eccleſiam ſancti Manni transferre, & apud illam domum ipſam cum opportunis officinis conſtrui facere, ac perpetuis uſibus dictorum Vicarii & Fratrum applicare; domum vero ſancti Honufrii prædictam, ſuppreſſo inibi dicto Ordine, loco dictæ Eccleſiæ ſancti Manni ſurrogare, & cum ſuis hortis, hortalitiis, & aliis ejus officinis ipſius Eccleſiæ ſancti Manni Rectori in recompenſam dictæ Eccleſiæ ſancti Manni concedere, auctoritate noſtra curetis: jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod dicta domus, quæ ſic conſtruetur apud dictam Eccleſiam ſancti Manni, & in ea pro tempore degentes Guardianus & Fratres, privilegiis, domibus & Fratribus dicti Ordinis in ge-

genere, & dictæ domui ſancti Honufrii in ſpecie conceſſis potiantur & gaudeant, facta per vos translatione prædicta.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. die VIII. Aprilis, Pontificatus noſtri anno II.

XVII.

Ut concedatur Sororibus Tertii Ordinis Monaſterium ſanctæ Claræ urbis Agienſis, donec reformetur. Ex lib. 50. fol. 27.

Dilectis filiis Mariæ de Molino, & Franciſco de Megano, ac Thomæ de Panleno Canonicis Eccleſiæ Agien.

§. I. Conſuevit Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas &c. Sane pro parte dilectorum filiorum, Guardiani & Fratrum domus ſancti Franciſci loci Caneæ, inſulæ Creten. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Agien. diœceſ. & dilectarum in Chriſto filiarum Joanninæ Moro, Miniſtræ & Sororum Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in Monaſterio Monialium ſanctæ Mariæ Virginis dicti loci, Ordinis ſanctæ Claræ commorantium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum olim quondam Gabriel Falerio, Canonicus Agien. Monaſterium prædictum Monialibus deſtitutum, in beneficium Eccleſiaſticum ſine cura, prætextu quarumdam litterarum fel. record. Sixti Papæ IV. prædeceſſoris noſtri erigi, & ſibi conferri obtinuiſſe prætendebat, & deſuper per dictos Guardianum & Fratres, quibus tunc Monaſterium ipſum ſubjici conſueverat, moleſtabatur, litteras prædictas ſubreptionis vitio ſubjacere coram certis Notario & teſtibus confeſſus fuiſſet, & omni juri ſibi in dicto Monaſterio, & quod ex illo erectum fore prætendebat, beneficio Eccleſiaſtico ceſſiſſet, & poſtea deceſſiſſet extra Romanam Curiam; Guardianus & Fratres in dicta domo tunc degentes, non valentes reperire Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quæ vellent in dicto Monaſterio habitare, ipſas Joanninam & Sorores in illo introduxerunt, quæ inibi expoſitæ, ſub cura eorumdem Guardiani & Fratrum, in communi laudabiliter vixerunt, & vivunt etiam de præſenti. Quare pro parte Guardiani & Fratrum, ac Joanninæ Miniſtræ & Sororum hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Miniſtræ & Sororibus, quod in dicto Monaſterio, uſquequo contingat illud reformari de Monialibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ, habitare & reſidere, & alias mulieres ſeculum fugientes in Sorores dicti Tertii Ordinis, quæ ſub cura prædicta ibidem degant, recipere, necnon fructus & proventus dicti Monaſterii, qui triginta duorum florenorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, ut Guardianus & Fratres, & Miniſtra & Sorores præfati aſſerunt, non excedunt, percipere & levare, & ex illis ſe ſuſtentare, ac onera dicti Monaſterii perferre, & illius jura, contra quoſcumque detentores bonorum dicti Monaſterii proſequi, illaque pro dicto Monaſterio recuperare valeant, concedere, aliaſque eiſdem Miniſtræ & Sororibus in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui vacantibus ſub Religionis habitu perſonis Apoſtolici favoris præſidium libenter impendimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam de conceſſione & ceſſione, & aliis præmiſſis vobis legitime conſtiterit, Miniſtræ & Sororibus præfatis, quod in dicto Monaſterio, uſquequo contingat illud reformari de Moniali-

bus dicti Ordinis ſanctæ Claræ, habitare, reſidere & alias mulieres ſeculum fugientes in Sorores dicti Tertii Ordinis, quæ ſub cura prædicta Guardiani & Fratrum prædictorum ibidem degant recipere, necnon fructus, reditus & proventus prædictos dicti Monaſterii percipere & levare, ac ex illis ſe ſuſtentare, & onera dicti Monaſterii perferre, illiuſque jura contra quoſcumque detentores bonorum ejuſdem proſequi, illaque pro dicto Monaſterio recuperare libere & licite valeant, in omnibus & per omnia prorſus, ſine ulla differentia, perinde ac ſi ipſæ Miniſtra & Sorores dicti Ordinis ſanctæ Claræ Moniales forent, & Miniſtra ejuſdem Monaſterii Abbatiſſa exiſteret, & Sorores prædictæ illius Conventum repræſentarent, auctoritate noſtra concedas. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. XVII. Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno II.

XVIII.

Ut concedat facultatem erigendi in oppido de la Coruña *domum Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia*. Ex lib. 39. fol. 214.

Dilecto filio Officiali Compoſtellan.

§. I. Pia fidelium deſideria &c. Siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ, nobilis mulieris Eliſabethæ Ozorio Comitiſſæ de Luna petitio continebat, quod in Oppido, Civitate nuncupato de la Coruña, Compoſtellanæ diœceſis, eſt quædam domus, in qua a quadraginta annis citra nonnullæ Sorores ſub habitu Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Altiſſimo famulantes, ſatis honeſte, & cum odore bonæ famæ & converſationis habitarunt, prout adhuc de præſenti habitant; & quia domus prædicta in domum dicti Ordinis hactenus erecta non fuit, tam Comitiſſa prædicta ob maximum devotionis fervorem, quem ad Sorores & Ordinem hujuſmodi gerit, quam dilectæ in Chriſto filiæ Sorores dictæ domus ſummopere deſiderant domum prædictam in domum dicti Ordinis, in qua prædictæ & aliæ honeſtæ Sorores, quarum una Vicaria nuncupetur, ſub Regulari habitu Domino famulentur, cum Eccleſia, in qua Miſſæ & alia Divina officia celebrentur, ac campanili, campana, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, dummodo eis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte tam Comitiſſæ, quam Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam hujuſmodi concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus ubique vigere & augeri, ſupremis affectibus deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eiſdem Comitiſſæ & Sororibus domum prædictam in domum dicti Tertii Ordinis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro earumdem Sororum uſu & habitatione, quarum una Vicaria exiſtat, quæ ſub obedientia & viſitatione pro tempore exiſtentis Vicarii Provincialis Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Compoſtellanæ, qui eiſdem Sororibus habitum dicti Ordinis exhibere, ac ab eis profeſſionem per Sorores ejuſdem Tertii Ordinis emitti ſolitam reci-

pere valeat, ſubſint, ſine tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, dictiſque Sororibus domum ipſam recipiendi, & ibidem perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam concedas, & quod Sorores in dicta domo pro tempore degentes, non poſſint per quempiam, quavis auctoritate fungentem, ad ſtrictiorem vitam, quam juxta Inſtituta dicti Ordinis tenentur, agendam invitæ compelli, eadem auctoritate decernas. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te, vigore præſentium concedi continget, ut præfertur, domui ac Sororibus præfatis in illa pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis, aliis dicti Ordinis domibus & Sororibus, in genere vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere licite & libere valeant, eiſdem auctoritate & tenore indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. VI. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno II.

XIX.

Ut poſſit ædificare domum Obſervantum in oppido Carpen. Ex lib. 49. fol. 11.

Dilecto filio nobili viro Alberto Pio de Sabaudia, Domicello Carpen. nullius diœceſis.

§.I. Piis ſupplicum votis &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu cupiens tranſitoria in æterna, & terrena in cœleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſocietatem quondam Amadei Hiſpani, & illius religioſas perſonas, propter eorum ſingularem vitam, prædicationes verbi Dei, aſſiduam & devotam Divinorum celebrationem, & audientiam confeſſionum, & exhortationes ab bene beateque vivendum, quibus perſonæ ipſæ animas Deo lucrifacere non ceſſant Creatori, geris devotionis affectum, intendas de bonis a Deo tibi collatis conſtrui facere in oppido tuo Carpen. nullius diœceſis, in loco ad id convenienti & honeſto, ac magis accommodo unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis & ſocietatis prædictorum, ſi tibi illam conſtrui faciendi, & dictis Fratribus illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi licentia concederetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in dicto oppido, in poſſeſſionibus vel ædibus tuis, in loco convenienti & honeſto conſtrui & ædificari faciendi, ac Fratribus prædictis illam pro eorum uſu & habitatione prædictis recipiendi, & perpetuo inhabitandi, ſub cura & obedientia Miniſtri Generalis dicti Ordinis, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſine præjudicio cujuſcumque, tibi domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, & eiſdem Fratribus Societatis prædictæ illam pro eorum perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi: jure tamen parochialis Eccleſiæ, infra cujus paro-

chiæ limites domus ipſa conſiſtet, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, licentiam auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore elargimur; ac dictæ domui, & Guardiano, necnon qui in illa pro tempore habitabunt Fratribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis, aliis dicti Ordinis domibus & Guardianis & Fratribus in genere conceſſis, & in poſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, dicta auctoritate concedimus per eaſdem. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. III. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno II.

XX.

Confirmat quamdam donationem factam Sororibus Tertii Ordinis domus oppidi Herdeslene. Ex lib.62. fol.85.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. HIs quæ pro perſonarum quarumdam &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Sororum domus oppidi Herdeslene, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Sleſwicen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dilecta in Chriſto filia Dorothea relicta quondam Benedicti de Alevelde laici dictæ diœceſis vidua zelo devotionis accenſa, quamdam domum ſitam in parte Orientali, juxta cœmeterium domus Ordinis Fratrum Prædicatorum dicti oppidi, quæ ad ipſam Dorotheam legitime ſpectabat & pertinebat, pro animæ ſuæ ſalute, Sororibus & earum domui prædictis, pia largitione, pure & libere donavit; & deinde venerabilis frater noſter Egerdus Epiſcopus Sleſuvicen. donationem hujuſmodi, ordinaria auctoritate approbavit & confirmavit, prout in diverſis litteris ſeu inſtrumentis publicis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Sororum & Dorotheæ prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, approbationi & confirmationi prædictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, approbationem & confirmationem prædictas, ac prout illas concernunt, omnia & ſingula in litteris ſeu inſtrumentis prædictis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. XV. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno II.

XXI.

XXI.

Ut dent facultatem Eremitorium Fulgeriarum convertendi in domum Regularem Obſervantum. Ex lib. 56. fol. 64.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii Montis-Morelii, Abruicen. diœceſis, & Scholaſtico Eccleſiæ Redonen.

§. I. SAcram Ordinis Fratrum Minorum Religionem &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Miniſtri provincialis provinciæ Turoniæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia regulari nuncupatorum, juxta morem eorumdem Ordinis & Obſervantiæ, & incolarum & habitatorum oppidi Fulgeriarum, Redonen. diœceſis, exhibita petitio continebat, quod a quamplurimis annis citra, in ſylva prope dictum oppidum per nonnullos Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ex piis fidelium eleemoſynis fuit conſtructum unum Eremitorium de conſenſu quorum intererat, in quo nonnulli Fratres eorumdem Ordinis & Obſervantiæ eremiticam vitam laudabiliter ducentes, expoſt continuo habitarunt, & ſucceſſive ex ſimilibus eleemoſynis, & piis eorumdem fidelium largitionibus, quædam ſatis honeſta Eccleſia cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis in eodem loco conſtructa & ædificata fuere, & Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum in eodem Eremitorio aliquantulum multiplicati ſunt, adeout locus ipſe ſit ſatis commodus & conveniens pro una domo, Conventus nuncupata, juxta morem Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, in qua commode & honeſte habitare & commorari poſſunt viginti, ſeu plures Fratres dictorum Ordinis & Obſervantiæ, qui etiam competentem ſuſtentationem recipere poſſunt ex eleemoſynis incolarum & habitatorum prædictorum, & aliorum locorum circumvicinorum.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, propter eorumdem Fratrum ſanctimoniam, exemplarem vitam, verbi Dei prædicationem, Miſſarum aſſiduas & devotas celebrationes, & ſalutares exhortationes, incolæ & habitatores præfati ad illos gerant ſingularem devotionis affectum, & propterea cupiant dictum locum deinceps per unum Guardianum & nonnullos Fratres, juxta eorum mores & regularia inſtituta, non tamquam Eremitorium, ſed tamquam domum, Conventum nuncupatam, perpetuo teneri & inhabitari, ipſumque locum in domum ſeu Conventum inſtitui & deputari; pro parte Miniſtri & incolarum ac habitatorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut locum ſeu Eremitorium prædictum in domum, Conventum nuncupatam, pro uſu & habitatione perpetuis unius Guardiani & nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi inſtituere & deputare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi eſt ita, locum ſeu Eremitorium prædictum in domum, Conventum nuncupatam, pro uſu & habitatione perpetuis unius Guardiani & aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, juxta illorum ritus & mores, auctoritate noſtra, abſque alicujus præjudicio inſtituatis & deputetis, ac Guardiano & Fratribus prædictis domum ipſam recipiendi & perpetuo inhabitandi, eadem auctoritate licentiam concedatis; & nihilominus ſi inſtitutionem & deputationem prædi-

dictas, per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, tam dictæ domui, quam Guardiano & Fratribus in illa pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus & gratiis, conceſſionibus & indultis, aliis domibus, Guardianis & Fratribus Ordinis prædicti per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet in genere conceſſis & concedendis in poſterum, uti & gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate indulgeatis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. XIV. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno III.

XXII.

Ut det facultatem domum beatæ Mariæ de Angelis oppidi Camberlaci erigendi in Conventum regularem Obſervantum. Ex lib. 69. fol. 165.

Dilecto filio Officiali Maurianen.

§. I. Sacræ religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, domum beatæ Mariæ de Angelis, alias ſanctæ Ægiptiacæ, oppidi Camberiaci eorumdem Ordinis & Obſervantiæ, Gratianopolitanæ diœceſis habitantium, petitio continebat, quod in dicta domo, quam olim de licentia Sedis Apoſtolicæ receperunt, & quam domui beatæ Mariæ loci de Myano, Ordinis & diœceſis prædictorum ſubjectam, poſtmodum de ſimili licentia ampliarunt, eſt locus ſufficiens pro una domo, juxta morem ipſius Ordinis Conventuali nuncupanda, in qua duodecim Fratres cum uno Guardiano Ordinis & Obſervantiæ prædictorum commode habitare poſſent, quodque, ſi dicta domus de Angelis a ſubjectione ipſius domus de Myano abſolveretur & liberaretur, & in domum, conventualem nuncupatam Ordinis & Obſervantiæ eorumdem, juxta illorum ritus & mores pro uſu & habitatione unius Guardiani & nonnullorum Fratrum dictorum Ordinis & Obſervantiæ ſubſtitueretur & deputaretur, ex eo profecto domus ipſa de Angelis melius & utilius gubernaretur, ac in illa Divinus cultus, cum fidelium devotione non modicum ſuſciperet incrementum. Quare pro parte dictorum Fratrum aſſerentium, quod dictæ domus per tria milliaria, vel circa ab invicem diſtant, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum de Angelis prædictam a ſubjectione dictæ domus de Myano penitus abſolvere & liberare, illamque in domum, Conventualem nuncupatam Ordinis & Obſervantiæ eorumdem ſubſtituere & deputare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, domum de Angelis prædictam a ſubjectione dictæ domus de Myano auctoritate noſtra penitus liberes & abſolvas, illamque in domum, Conventualem nuncupatam Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, per unum Guardianum & aliquos Fratres ipſorum Ordinis & Obſervantiæ, juxta illorum ritus & mores perpetuo tenendam, regendam & inhabitandam, eadem auctoritate deputes & inſtituas. Nos enim ſi liberationem, abſolutionem, deputationem & inſtitutionem prædictas, per te vigore præſentium fieri continget, eidem domui de

de Angelis, necnon Guardiano & Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, exemptionibus, libertatibus & indultis, aliis domibus, Guardianis & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & in futurum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIV. V. Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1495. Alexandri VI. anno 3. & 4.

XXIII.

Conceduntur aliqua privilegia Monaſterio Clariſſarum inſulæ Lignorum. Ex lib. 69, fol. 7.

Dilecto filio Officiali Ulixbonen.

§. I. EX injuncto nobis &c. Sane pro parte dilecti filii, nobilis viri Joannis Gundiſſalvi de Camera de Lobos, inſulæ Maderæ, nullius diœceſis, pro dilecto filio nobili viro moderno Duce Begiæ primi Capitanei & populatoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dictus Joannes cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ob ſingularem, quem ad Ordinem ſanctæ Claræ & illius perſonas gerit devotionis affectum, necnon pro conſolatione dilectæ in Chriſto filiæ Joannæ de Norogna Monialis Monaſterii villæ de Begia, dicti Ordinis, nullius diœceſis, ipſius Joannis natæ, de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, in præfata inſula, loco ad id convenienti & honeſto, ſuis propriis ſumptibus & expenſis unum Monaſterium cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione nonnullarum Monialium ſive Sororum dicti Ordinis ſub Regulari Obſervantia, & perpetua clauſura degentium conſtrui & ædificari fecit; ſed quia inſula prædicta propter ejus ſterilitatem nonnullis victualibus, & aliis rebus ad humanum uſum neceſſariis caret, Moniales in dicto novo Monaſterio degentes, quæ juxta ipſius Ordinis regularia inſtituta, per aliquas perſonas eis propitias neceſſaria mendicando quærere conſueverunt, nec reperiunt eleemoſynas, ex quibus commode ſuſtentari poſſint. Quare pro parte tam Joannis, quam Joannæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Joannæ, ac quatuor vel quinque aliis Monialibus dicti Monaſterii de Begia, quas ad id voluntarias invenerint, de præfato Monaſterio de Begia ad dictum novum Monaſterium ſe transferendi licentiam concedere, & Abbatiſſæ pro tempore exiſtenti dicti novi Monaſterii, & ſi contingat ipſis prædia, poſſeſſiones, fructus, reditus, proventus, & alia bona immobilia a Chriſtifidelibus in eleemoſynam erogari vel donari, illa recipere, ac ex eorum proventibus alia bona emere pro earum ſuſtentatione, dictique novi Monaſterii manutentione perpetuo retinere, necnon diebus, quibus eſus carnium aliis fidelibus de jure non eſt prohibitus, in dicto Monaſterio carnibus, ovis, caſeo & aliis lacticiniis veſci & uti valeant, indulgere; necnon Monaſterium ipſum illiuſque Abbatiſſam & Moniales nunc & pro tempore exiſtentes curæ & gubernationi Guardiani & Fratrum domus ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, ſeu Tertii Ordinis ejuſdem ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatorum in dicta inſula conſiſtentium committere & ſubjicere, aliaſque in præ-

præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ſacræ Religionis conſervationem & augmentum, & animarum ſalutem ſinceris deſideriis affectamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eidem Joannæ, & quatuor vel quinque aliis Monialibus dicti Monaſterii de Begia, quas ad id voluntarias invenerint, de prædicto Monaſterio de Begia ad dictum novum Monaſterium ſe transferendi licentiam auctoritate noſtra concedas, necnon de perſona ipſius Joannæ, ſi illam ad regimen & gubernationem dicti Monaſterii utilem & idoneam eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eidem novo Monaſterio, cujus fructus, reditus & proventus ad præſens nulli ſunt, ab ejus primæva erectione vacanti, eadem auctoritate provideas, ipſamque illi in Abbatiſſam præficias, curam, regimen & adminiſtrationem ipſius novi Monaſterii ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ſibi a dilectis filiabus dicti Monaſterii obedientiam & reverentiam debitas & devotas, necnon a dilectis filiis vaſſallis, & aliis ſubditis dicti Monaſterii, ſi quos pro tempore habuerit, ſervitia, & jura ab eis debita ſibi integre exhiberi. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

§. III. Et nihilominus eiſdem Abbatiſſæ & Conventui, ſi contingat ipſis prædicta poſſeſſiones, fructus, reditus, proventus, ac alia bona immobilia a Chriſtifidelibus in eleemoſynam erogari & donari, illa recipere, necnon ex proventibus eorum alia bona emere & acquirere, ac pro earum ſuſtentatione, & dicti earum Monaſterii manutentione perpetuo retinere, necnon diebus, quibus eſus carnium aliis Chriſtifidelibus non eſt prohibitus, in dicto Monaſterio carnibus, ovis, caſeo, & aliis lacticiniis uti & veſci libere & licite valeant, dicta auctoritate indulgeas; necnon Monaſterium prædictum, ac alteram Abbatiſſam & Moniales pro tempore exiſtentes, curæ & gubernationi Guardiani & Fratrum de Obſervantia, ſeu de Pœnitentia nuncupatorum in dicta inſula conſiſtentium prædictorum committas & ſubjicias, qui eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus præſentibus & futuris Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ac alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare teneantur; poſſintque Guardianus & Fratres prædicti tempore infirmitatis Abbatiſſæ ac Monialium earumdem clauſuras dicti Monaſterii intrare, & earumdem ægrotantium confeſſiones inibi audire, eiſque Sacramenta prædicta miniſtrare. Nos enim eidem Joannæ, ſi de perſona ſua eidem novo Monaſterio per te vigore præſentium provideri, ipſamque illi in Abbatiſſam præfici contingat, ut a quocumque maluerit Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, munus benedictionis recipere valeat, ac eidem Antiſtiti, ut illud auctoritate prædicta impendere libere ſibi poſſit, concedimus per præſentes; ac volumus, quod dictus Antiſtes, qui ſibi præfatum munus impendet, poſtquam illud ſibi impenderit, ab ea, noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ ſolitum recipiat juramentum, juxta formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, & formam juramenti hujuſmodi, quod ipſa Joanna præſtiterit, nobis de verbo ad verbum, per ejus patentes litteras ſuo ſigillo munitas, per proprium internuncium quantocius deſtinare procuret.

§. IV. Præterea cupientes, ut Eccleſia dicti Monaſterii à Chriſtifidelibus frequentetur, & in debita veneratione habeatur, ac in ſuis ſtructuris & ædificiis amplietur & manuteneatur, necnon libris, calicibus, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis fulciatur, ipſaque Abbatiſſa & Moniales commodius ſe ſuſtentare, & onera eis incumbentia facilius perferre poſſint, fideleſque ipſi

eo

eo libentius devotionis cauſa ad eamdem Eccleſiam confluant, & ad ampliationem, manutentionem, fulcimentum & ſuſtentationem prædicta manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis fidelibus prædictis vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam præfatam in Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & ejuſdem ſanctæ Claræ, necnon ſancti Franciſci feſtivitatibus a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas feſtivitatum earumdem devote viſitaverint, & ad ampliationem, manutentionem, fulcimentum & ſuſtentationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, quindecim annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis in Domino relaxamus: præſentibus quoad relaxationem hujuſmodi dumtaxat, poſt triennium minime valituris. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCV. III. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno III.

XXIV.

Convertit Beghinagium Aquenſe in domum Sororum Tertii Ordinis de Pœnitentia. Ex libro 79. fol. 159.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. De perſonarum omnium &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum, modernarum Matris & Sororum domus ſancti Matthiæ Apoſtoli, & undecim mille Virginum ſub Regulari Obſervantia tertiæ Regulæ ſancti Franciſci degentium, inſignis oppidi Aquen. Leodien. diœc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim pro parte tunc Matris & Sororum dictæ domus venerabili fratri noſtro Joanni Epiſcopo Leodien. expoſito, quod olim bonæ memoriæ Henricus Epiſcopus Leodien. ipſius Joannis Epiſcopi prædeceſſor, tunc in humanis agens, quoddam Beghinagium tunc prope & extra muros dicti oppidi, necnon infra eoſdem muros incluſum, ordinaria auctoritate conceſſerat, in quo quadringentæ, aut trecentæ vel circa Beghinæ reſidere conſueverant, ſingulæ ſingulas domos, & propria hoſpitia habentes; eratque in eodem Beghinagio pro eiſdem Beghinis Eccleſia, ſub vocabulo ejuſdem ſancti Matthiæ conſtructa, quæ per ſecularem perſonam, quæ inſtitui conſueverat per Archipresbyterum Eccleſiæ beatæ Mariæ, ejuſdem oppidi, & curam animarum dictarum Beghinarum habebat, regi ſolebat, quæ inſuper ibidem in Divinis deſerviebat, & in ipſo Beghinagio erat quoddam hoſpitale pro peregrinis & advenis fœminei ſexus dumtaxat inibi recipiendis: Idem Joannes Epiſcopus pro eo quod in dicto Beghinagio illius Beghinis decreſcentibus, plures illius domus per ſeculares perſonas occupabantur, & aliæ ruinæ contractæ erant, in certa parte ejuſdem Beghinagii, de expreſſo conſenſu quatuor illius Magiſtrarum, & aliarum Beghinarum in illis exiſtentium, quamdam domum pro uſu & habitatione Sororum dicti Tertii Ordinis ſub Regulari Obſervantia viventium, eadem auctoritate, ſub certis modo & forma erigi, conſtrui & ædificari fecit, necnon eiſdem Sororibus in dicta domo pro tempore habitantibus, ut Ora-

Oratorium, Eccleſiam, Altaria & cœmeterium infra ſepta dictæ domus erigere, habere & conſtrui facere, atque capitulum, culparum nuncupatum, & alia dicto Ordini congrua ſervare, habitum & velamen Regulæ hujuſmodi, ad inſtar Sororum illius incluſarum, & ſub clauſura perpetua viventium aſſumere, & in eodem Ordine tria ſubſtantialia vota profiteri, & inſuper unum a Prælatis approbati Ordinis in obſervatorem diſciplinæ regularis, ac in earum viſitatorem & reformatorem eligere, nominare & habere valeant, dicta auctoritate conceſſit; necnon viſitatori prædicto, & uni presbytero, per ipſas pro tempore nominando & eligendo, ut ipſi & eorum quilibet, vi & auctoritate dicti Epiſcopi eaſdem Sorores, & earum commenſales, ipſarum confeſſionibus diligenter auditis, etiam in caſibus eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervatis, in foro conſcientiæ abſolvendi, & eis pœnitentiam ſalutarem injungendi, Vota vero minora, ſi quæ emiſiſſent, in alia pietatis opera commutandi, Miſſaſque, & alia Divina Officia ſuper Altari portatili conſecrato, campanæ pulſu adhibito, per ſe vel alium ſeu alios presbyteros idoneos celebrandi & celebrari faciendi, in Oratorio ſeu Eccleſia dictæ domus Sacramenta Eccleſiaſtica, vel Sacroſanctæ Euchariſtiæ, Extremæ-Unctionis, & ſepulturam Eccleſiaſticam adminiſtrandi, aquam benedicendi, & verbum Dei in Oratorio ſive Eccleſia hujuſmodi prædicandi, juribus tamen Matris Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvis, licentiam conceſſit. Quibus omnibus Archipresbyter dictæ Eccleſiæ beatæ Mariæ Aquen. expreſſe conſenſit: ac eidem Joanni Epiſcopo poſtmodum ſimiliter expoſito, quod locus pro dicta domo, & earumdem Sororum habitatione approbatus, erat nimis ſtrictus, & perſonis ibidem Altiſſimo famulantibus minus ſufficiens, nec Eccleſiam congruentem, ſed minimam capellam e lignis conſtructam dumtaxat habebant: quodque ſi talis pars dicti Beghinagii, ac Eccleſia, & hoſpitale prædicta cum eorum bonis, fructibus & reditibus quatuor marcharum argenti puri ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedentibus, præfatæ domui perpetuo applicarentur & appropriarentur, ac præfatæ Eccleſiæ per Patrem ſeu Confeſſorem pro tempore exiſtentem dictarum Sororum in Divinis deſerviretur, profecto ex hoc non ſolum Divinus cultus, ſed etiam fidelium devotio plurimum augmentaretur; præfatus Joannes Epiſcopus, reſiduum, ſive reliquam partem dicti Beghinagii per eaſdem Sorores non obtentam, necnon priorem Eccleſiam, & hoſpitale prædicta una cum omnibus fructibus, reditibus, proventibus, domibus, juribus & pertinentiis ſuis, ſalva hoſpitalitate perſonarum fœminei ſexus dumtaxat ad ipſum hoſpitale pro tempore confluentium, inibi ſervari ſolita, præfatæ domui Sororum Tertii Ordinis hujuſmodi perpetuo eadem auctoritate applicavit, appropriavit, univit, annexuit & incorporavit; ita quod cedente vel decedente tunc Rectore dictæ Eccleſiæ, liceret eiſdem Sororibus ipſi Eccleſiæ per earum Patrem ſeu Confeſſorem pro tempore exiſtentem in Divinis deſerviri facere, ac ex tunc corporalem poſſeſſionem partis Beghinagii, domorum & hortorum tunc vacantium, & reliquorum tum per ceſſionem vel deceſſionem Beghinarum tunc ibidem exiſtentium vacantium, propria auctoritate libere apprehendere, illoſque in ſuos & dictæ earum domus uſus & utilitatem convertere; ita tamen, quod non liceret eiſdem Beghinis ex tunc in antea aliquas alias Beghinas inibi de novo recipere; quod dictus Joannes Epiſcopus ipſis ſub pœna excommunicationis interdixit & prohibuit, prout in litteris authenticis Joannis Epiſcopi, & tunc Archipresbyteri prædictorum deſuper confectis, eorum ſigillis munitis dicitur plenius contineri.

§. II. Quare pro parte modernarum Matris & Sororum prædictarum aſſerentium, quod fructus, reditus & proventus reliquæ partis Beghinagii, hor-

hortorum & pertinentiarum, necnon Eccleſiæ & hoſpitalis prædictorum quatuor Marcharum argenti puri, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut erectioni, applicationi, appropriationi, unioni, annexioni, incorporationi, interdictioni, prohibitioni, conceſſionibus, & aliis præmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac pro potiori cautela, reſiduum dicti Beghinagii cum illius domibus, hortis & pertinentiis, ac Eccleſia, & hoſpitale prædictis, domui Sororum hujuſmodi perpetuo applicare, appropriare, unire, annectere & incorporare, ac in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica &c. necnon fructuum, redituum & proventuum domus Sororum hujuſmodi verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, erectionem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, interdictionem, prohibitionem, conceſſiones, & alia præmiſſa, & prout illa concernunt, omnia & ſingula in ſingulis litteris prædictis contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: & nihilominus potiori pro cautela reſiduum dicti Beghinagii cum illius domibus & hortis, necnon Eccleſiam & hoſpitale hujuſmodi cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis præfatæ domui earumdem Sororum perpetuo eadem auctoritate applicamus, appropriamus, unimus, annectimus & incorporamus; ita quod liceat eiſdem Matri & Sororibus per ſe vel alium ſeu alios partis vacantis dicti Beghinagii ex nunc, reſidui vero cedentibus vel decedentibus ſimul vel ſucceſſive præfatis Beghinis inibi tunc exiſtentibus, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, & ea omnia in ſuos & earum domus hujuſmodi uſus & utilitatem convertere, necnon cedente moderno Rectore dictæ Eccleſiæ, illi per earum Patrem ſeu Confeſſorem pro tempore exiſtentem in Divinis deſerviri facere, diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Et inſuper Beghinis prædictis, & inibi tunc exiſtentibus, ne deinceps alias Beghinas inibi de novo recipere præſumant, ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus ſcienter fecerint, eo ipſo incurrant, diſtrictius inhibemus. Non obſtantibus voluntate noſtra prædicta, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCV. XVII. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno III.

XXV.

Multa ſtatuuntur circa clauſuram & reformationem Monaſteriorum Clariſſarum. Specul. Minor. tract. 2. fol. 56.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Abbatiſſis & Conventibus Monaſteriorum Monialium ſanctæ Claræ ultra montes conſiſtentium, & ſub cura & directione Vicarii Generalis & Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ degentium.

§. I. Exponi nobis fecit dilectus filius Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum, Regularis Obſervantiæ Ultramontanus, quod licet inter primæva inſtituta Regularis Ordinis ſanctæ Claræ, ſeu illorum mo-

modificationes, quæ a Sede Apoſtolica emanarunt, inter alia caveatur expreſſe, quod in quolibet Monaſterio Monialium veſtri Ordinis unum tantum oſtium habeatur ad intrandum clauſtrum, & exeundum, cum opportunum fuerit, in quo nullum ſit oſtiolum vel feneſtra, & illud fiat in ſublimiori parte Monaſterii, quantum fieri poſſit convenienter; ita quod ad ipſum oſtium per ſcalam levatoriam aſcendatur, quæ ſcala per catenam ferream, ex parte Sororum ſtudioſe ligata, & Completorio dicto uſque ad primam ſequentis diei, & tempore diurnæ dormitionis & viſitationis ſuſpenſa ſtare debeat, niſi interdum aliud evidens requireret neceſſitas, vel utilitas manifeſta; & propter neceſſitates aliquando imminentes, quæ non poſſent per ſupradictum oſtium vel rotam commode expediri, in eiſdem inſtitutis ſeu modificationibus permittatur, quod aliud oſtium inferius, in loco decenti in Monaſteriis fieri poſſit, per quod ceteris temporibus intromitterentur vel remitterentur, quæ forent opportuna, quod quidem continue eſſet clavibus ferreis, ſeris, & repagulis munitum, & muro a parte exteriori muratum, ita ut non poſſit aliquatenus aperiri, vel perſona inde loqui, & ipſarum neceſſitatum tempore murus ipſe dirui, & oſtium ipſum aperiri debeat, & tunc apertum teneri quanto minus fieri poſſet, ſub tamen fida cuſtodia, expeditiſque neceſſitatibus, clavibus, ſeris, & repagulis extrinſecus remuraretur, prout in eiſdem inſtitutis ſeu modificationibus plenius dicitur contineri.

§. II. Nihilominus ordinationes & modificationes hujuſmodi quoad oſtium habendum in ſublimi loco Monaſteriorum eorumdem cum ſcala levatoria, & quoad clauſuram oſtii inferioris, muro a parte exteriori remurandi, cum expediret, non fuerant a Monialibus utique recepta & admiſſa, nec hactenus obſervata: dubitatiſque ne propterea ſit veſtra onerata conſcientia, neve dicatur vos in ea parte inſtituta prædicta non obſervare. Paci igitur conſcientiarum veſtrarum, & Fratrum dicti Ordinis Minorum, qui ad audiendas confeſſiones veſtras deputati hactenus fuerunt, & pro tempore deputabuntur, in præmiſſis volentes opportune providere: vos, & quæ pro tempore fuerint, & in futurum perpetuo erunt, veſtrorum Monaſteriorum Abbatiſſas & Moniales ad habendum oſtium in ſublimi parte Monaſteriorum cum ſcala levatoria, & aliud inferius, muro a parte exteriori clauſum, obligatas hactenus non fuiſſe, nec eſſe in futurum, ac inſtitutorum hujuſmodi in ea parte obſervationem non tenere; & pro eo quod oſtia prædicta in dictis Monaſteriis modo prædicto hactenus non habueritis, nec impreſentiarum habeatis, & in futurum non habueritis, nullum conſcientiæ ſcrupulum habere, deque inobſervantia Regulæ veſtræ in ea parte moribus utentium non recepta, & non admiſſa notari non poſſe, auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore declaramus; & pro potiori cautela vobis quoad habendum oſtium prædictum de cetero in ſublimi parte Monaſteriorum veſtrorum cum ſcala levatoria, & tenendum oſtium inferius muro a parte exteriori muratum non teneamini, liceatque vobis habere oſtium, quod in inſtitutis ſeu modificationibus prædictis vobis conceditur in ſublimiori parte Monaſteriorum veſtrorum, in aliquo loco inferiori commodo & convenienti, & præter illud, etiam aliud oſtium majus muratum, a parte exteriori non clauſum, & ne illud totum pro cujuſlibet rei & perſonæ intromiſſione aperiri oporteat, in eo oſtiolum parvum, quæ quidem ambo oſtia ſint clavibus, ſeris, & repagulis, & alias, juxta inſtituta prædicta munita, eadem auctoritate concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum x. Kalend. Junii, an. MCCCCXCV. Pontif. noſtri anno III.

XXVI. *Ut*

XXVI.

Ut poſſint admittere Conventum in oppido Sermonetæ. Breve originale.

Dilectis filiis Vicario, & Fratribus Provinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi nobis feciſtis, quod alias dilecti filii Univerſitas & homines terræ Sermonetæ, Terracinen. diœceſis, ad Ordinem veſtrum ſingularem gerentes devotionis affectum, ac ſperantes quod ex veſtra exemplari vita, annunciatione verbi Dei, Miſſarum & Divinorum officiorum celebratione, audientia confeſſionum, aliiſque bonis operibus veſtris, uberes animarum fructus ibidem provenirent, unam domum cum Eccleſia ſub invocatione ſancti Franciſci, extra muros dictæ Terræ, in loco congruo & honeſto conſtrui & ædificari facere cœperunt, quam perficere, & vobis pro veſtro perpetuo uſu & habitatione aſſignare deſiderant.

§. II. Nos, qui Religionis propagationem, & Divini cultus incrementum ubique fieri, noſtris potiſſime temporibus deſideramus, veſtris ac Univerſitatis & hominum prædictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Univerſitas & homines præfati domum prædictam ſic conſtrui cœptam, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine juris alieni præjudicio perficere, & vobis aſſignare, utque vos illam pro veſtro perpetuo uſu & habitatione recipere & inhabitare, vobis & illis licentiam & facultatem Apoſtolica auctoritate concedimus: necnon eidem domui, & Guardiano & Fratribus in ea pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, domibus & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, harum ſerie, eadem auctoritate indulgemus: fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Julii MCCCCXCV. Pontificatus noſtri anno III.

XXVII.

Ut dent facultatem conſtruendi domum Obſervantum in loco Boſcimale herbati. Ex lib. 96. fol. 148.

Venerabili fratri Epiſcopo Albien. & dilectis filiis Cantori Rothomagen. ac Joanni de Standouck Canonico Belvacen. Eccleſiarum.

§. I. IN eminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula &c. Sane pro parte dilecti filii Vicarii Provincialis Provinciæ Franciæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Ludovicus de Granville, Franciæ Admiraldus, zelo devotionis accenſus, ob ſingularem quem ad Ordinem præfatum gerit devotionis affectum, ac propter eorumdem Fratrum exemplarem vitam, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare; & attendens quod

quod ſi in ſuo temporali dominio, & loco, qui *boſtus male herbatus* nuncupatur, Senonenſis diœceſis, aliqua domus pro perpetuis uſu & habitatione unius Guardiani & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis conſtrueretur, & ab eiſdem Fratribus inhabitaretur, incolæ & habitatores ipſius dominii, eorumdem Fratrum exemplari vita, aſſidua & devota Miſſarum, & aliorum Divinorum officiorum celebratione, audientia confeſſionum, prædicatione verbi Dei, ac aliis exhortationibus ad bene & virtuoſe vivendum, pro animarum ſuarum ſalute plurima commoda conſequerentur, ſuccederetque exinde Divini cultus augmentum, & Religionis propagatio; cupit & diſponit unam domum hujuſmodi in dominio & loco præfatis, ut præmittitur, conſtrui & ædificari facere, ac illam dictis Fratribus pro eorum uſu & habitatione concedere, ſi ſuper hoc, ac Fratribus ipſis ſuper illius receptione licentia concedatur. Quare pro parte Vicarii præfati nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſius ac præfati Ludovici pio deſiderio annuentes, eidem Ludovico domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis in dicto loco, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, ſub obedientia Generalis Ultramontani, ac Provincialis præfatæ Provinciæ Franciæ Fratrum prædictorum, nunc & pro tempore exiſtentium Vicariorum, ſubditorum, conſtrui & ædificari faciendi, ac Vicariis & Fratribus prædictis illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui inter ceteros Ordines in agro Domini plantatos, dictum Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia, claris ſuis exigentibus meritis, gerimus in viſceribus caritatis, ac ipſius propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris præſertim temporibus ſinceris deſideriis exoptamus: ipſius Ludovici & Vicarii deſiderium plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi ita eſt, præfato Ludovico unam domnm hujuſmodi cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis & hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis in dicto loco pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in præfato loco, ut præmittitur, conſtrui & ædificari faciendi, Vicariis vero & Fratribus ſupradictis domum ipſam pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam concedatis; jure tamen parochialis Eccleſiæ, infra cujus limites domum ipſam ædificari contigerit, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, faciatiſque eoſdem uſu & habitatione ejuſdem domus perpetuo gaudere; necnon, ſi ad evitandum litis anfractus atque controverſias, quæ inter curatum ſeu Rectorem Eccleſiæ parochialis, infra cujus limites ipſa domus conſtruetur, & Fratres in ea pro tempore habitantes poſſent exoriri de & ſuper juribus, quæ idem Curatus occaſione dictæ Eccleſiæ parochialis in ipſa ſic tunc conſtructa domo forſitan habere, ſeu ſibi deberi prætenderet, ipſæ partes per modum compromiſſi & concordiæ, ſeu amicabilis compoſitionis, ſuper ipſorum jurium vero annuo valore paciſcerentur, convenirent aut concordarent, pacta, conventiones, compromiſſa, & quæcumque inde ſequerentur arbitramenta, atque concordias hujuſmodi, quatenus honeſta fuerint, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis adjectis, dicta auctoritate approbare atque confirmare curetis. Contradictores cujuſcumque Ordinis, conditionis aut ſtatus, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita,

ſita, compeſcendo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi per vos, vigore præſentium concedi contigerit, dictæ domui, ac Guardiano & Fratribus in ea pro tempore habitantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, libertatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, Guardianis & Fratribus in genere, ſeu alias quomodolibet per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, & præſentium tenore concedimus & indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCV. VI. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno IV.

XXVIII.

Ut poſſint domum ædificare Fratrum Obſervantum. Ex libr. 93. fol. 163.

Dilecto filio, nobili viro Petro Duci, & dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Annæ etiam Conthorali Ducisſæ Borbonii.

§. I. Sacræ religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod tam vos, quam dilecti filii nobiles viri Ludovicus & Carolus de Bernard. domicelli Lingonen. diœceſis ex magno devotionis fervore, quem ad dictum Ordinem illiuſque Fratres, propter eorum exemplarem vitam & laudabiles mores gerere dignoſcuntur, ſummopere deſiderant in Eremitorio Valliſarden. jam Deo dicato, dictæ diœceſis, ſito in territorio Ludovici & Caroli prædictorum, apud quod ad decem & octo vel viginti milliaria nulla domus dictorum Fratrum reformatorum conſiſtit, unam domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, reformatorum nuncupatorum, conſtrui & ædificari facere, ſi ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia vobis concedatur. Quare pro parte tua fili Dux, & tua filia Duciſſa, quæ, ut aſſeritur, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis, illius ſoror germana exiſtis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, ac eiſdem Ludovico & Carolo de Bernard in dicto Eremitorio unam domum, cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſupradictis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædictorum conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ſacræ religionis propagationem ſinceris deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ac eiſdem Ludovico & Carolo de Bernard in præfato Eremitorio unam domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis eorumdem Fratrum reformatorum, abſque alicujus præjudicio conſtrui & ædificari faciendi, ac eiſdem Fratribus illam recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium elargimur: & nihilominus eidem domui, & Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus, conceſſionibus & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis ejuſdem per

Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet in genere conceſſis & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, concedimus per præſentes: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus autem, ac dilectis filiis Miniſtro provinciæ ſancti Bonaventuræ nuncupato, ſecundum morem dicti Ordinis, etiamque Vicario Obſervantiæ nuncupato, in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut ipſi nomine dicti Ordinis domum prædictam pro uſu & habitatione præfatis recipiant, & illi de Fratribus reformatis, ſicut ceteris domibus eorumdem Fratrum reformatorum, provideant. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulll ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCV. III. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno IV.

XXIX.

Ut ſeparent domos quinque a provincia Turoniæ, & uniant provinciæ Britanniæ. Ex libro 103. fol. 37.

Venerabilibus Fratribus Dolen. & Briocen. Epiſcopis.

§. I. AD Ordinem Fratrum Minorum &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Vicarii Generalis Fratrum Ultramontanorum dicti Ordinis petitio continebat, quod olim, cum dicti Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupati, in Britannia paucas aut nullas domos haberent, præter quinque, videlicet Elinii, Ancenſii, Somenaii, ſancti Martini, & Dubodelioni, fuit provide ordinatum, quod iſtæ quinque domus propter vicinitatem, de provincia Turoniæ, ſecundum morem dicti Ordinis, cenſerentur & eſſent, & Vicario Provinciali dictæ provinciæ, cum Guardianis & Fratribus in illis pro tempore degentibus ſubjicerentur. Cumque poſtmodum duæ domus dicti Ordinis in ipſa Britannia eſſent conſtructæ, primo quod ipſæ ſic conſtructæ domus ſub uno earum Cuſtode forent, qui Cuſtos Britanniæ nuncuparetur, & tamdem excreſcente paulatim numero earumdem domorum, quod Vicarium provincialem haberent, quæ provinciæ Britanniæ tunc, & pro tempore exiſtentes, prædictis quinque dumtaxat exceptis, de provincia Britanniæ noviter erecta forent, & proprio Vicario provinciali ſubeſſent, fuit provide ordinatum.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Domino benedicente, numerus tam domorum, quam Fratrum provinciæ Turoniæ valde creverit & creſcat in dies, convenientiuſque videatur, quod illæ quinque domus, & in illis pro tempore degentes Guardiani & Fratres ſint de provincia prædicta Britanniæ, & illius Vicario provinciali obediant, & ad Capitulum provinciale in illa cum aliis Fratribus ejuſdem provinciæ Britanniæ conveniant, quam quod ſeparatæ ab aliis permaneant, & Vicario dictæ provinciæ Turoniæ ſubjiciantur, præſertim cum jam ceſſare videatur cauſa, propter quam dictæ quinque domus dictæ provinciæ Turoniæ incorporatæ fuerint, poſſintque domus ipſæ commodius per Vicarium provincialem Britanniæ, quam Turoniæ viſitari, & in illis degentes Guardiani & Fratres pro tempore, in eorum opportunitatibus ad ipſum Vicarium provinciæ Britanniæ habere recurſum, quam ad Vicarium provinciæ Turoniæ, aliquando in locis valde diſtantibus ab ipſis quinque domibus reſidentem, & capitulum ſuum provinciale celebrantem. Quare pro parte dicti Vicarii Generalis eo-

eorumdem Fratrum Ultramontanorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum ut ſibi & pro tempore exiſtenti Vicario Generali, de conſilio aliquorum Patrum dicti Ordinis profeſſorum, zelum Religionis habentium, quos duxerit eligendos, ſi id ſibi pro pace, & manutenentia Religionis viſum fuerit, unamque ex dictis quinque domibus, cujus Guardianus & Fratres in ea pro tempore degentes, ſeu illorum major pars in hoc conſenſerint, a dicta Turoniæ provincia ſeparare, & ab illius Vicarii obedientia ſubtrahere, & dictæ provinciæ Britanniæ aggregare, ac illius Vicario provinciali pro tempore exiſtenti, ejuſque obedientiæ ſubjicere & ſubmittere, quodque non amplius de Turoniæ, ſed de Britanniæ provincia hujuſmodi, juxta morem dicti Ordinis exiſtant, ſtatuere & ordinare libere & licite valeat, licentiam & facultatem concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui vota perſonarum humilium Divinis laudibus, ſacræque religionis Obſervantiæ deditarum, libenter proſequimur favoris gratia ſpecialis, & de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, vocatis Vicario dictæ provinciæ Turoniæ, & in dictis quinque domibus degentibus Guardianis & Fratribus, de præmiſſis omnibus & ſingulis, auctoritate noſtra vos diligenter informetis, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereritis, præfato & pro tempore exiſtenti Vicario prædicto Ultramontano, de conſilio aliquorum Patrum dicti Ordinis profeſſorum, zelum Religionis habentium, quos duxerint eligendos, unamquamque ex dictis quinque domibus, cujus Guardianus & Fratres in ea pro tempore degentes, ſeu illorum major pars in hoc conſenſerint, a dicta provincia Turoniæ ſeparare, & ab illius Vicarii obedientia ſubtrahere, & dictæ provinciæ Britanniæ aggregare, ac illius Vicario provinciali pro tempore exiſtenti ſubjicere & ſubmittere, quodque non amplius de Turoniæ, ſed de Britanniæ provincia prædicta, juxta morem dicti Ordinis exiſtant, ſtatuere & ordinare libere & licite valeat, Apoſtolica auctoritate licentiam & facultatem, dicta auctoritate noſtra concedatis; & ſi per vos licentiam & facultatem hujuſmodi concedi, & illius vigore dictas quinque domus, aut aliquam earum a dicta provincia Turoniæ ſeparari, & ab illius Vicarii obedientia ſubtrahi, & dictæ provinciæ Britanniæ aggregari, & illius Vicario provinciali ſubjici contigerit, ut præfertur, ſeparationem, ſubtractionem, aggregationem & ſubmiſſionem hujuſmodi, quas per dictum Vicarium fieri contigerit, pro earum ſubſiſtentia firmiori, eadem auctoritate approbetis & confirmetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac per vos vel alium ſeu alios faciatis eaſdem ſeparationem, aggregationem & ſubmiſſionem per Guardianos & Fratres earumdem quinque domorum, ac Vicarios provinciales dictarum provinciarum inviolabiliter obſervari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus litteris, per quas fel. recordat. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter factam diviſionem & diſtinctionem provinciarum dicti Ordinis in Generali Capitulo dictorum Fratrum, præſente recol. mem. Gregorio Papa IX. etiam prædeceſſore noſtro approbatis & confirmatis, aliam diviſionem & diſtinctionem illarum fieri, & circa illas, quidquam ſine Sedis Apoſtolicæ, & Protectoris dicti Ordinis licentia ſpeciali innovari inhibuerint, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MCCCCXCV. VIII. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXX.

Ut concedant facultatem domum Obſervantum ædificandi in urbe Briocenſi. Ex lib. 103. fol. 39.

Venerabili Fratri Epiſcopo Trecoren. & dilectis filiis Joanni le Leizour, Canonico Eccleſiæ Trecoren. ac Officiali Trecorenſi.

§. I. AD fructus uberes &c. Sane pro parte venerabilis fratris noſtri Chriſtophori Epiſcopi Briocen. & dilectorum filiorum Vicarii Provincialis & Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, Provinciæ Britanniæ, ſecundum morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe Chriſtophorus Epiſcopus provide conſiderans, quod in Civitate & diœceſi Briocen. nulla domus Fratrum Mendicantium exiſtit, præter unam Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, a dicta Civitate longa diſtantia remotam, cupienſque fidelium animarum ſuæ curæ commiſſarum ſaluti conſulere, impellente etiam cleri & populi devotione, ac pro Divini cultus augmento, cupit unam domum pro uſu & habitatione aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, in certo loco extra & prope dictam Civitatem, ac infra ipſius Civitatis diſtrictum ſito, & ad hoc plurimum congruo & honeſto conſtrui & ædificari, locumque ipſum eiſdem Vicario & Fratribus, pro dicta domo conſtruenda concedere intendit: & quamvis ad conſtructionem dictæ domus, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris, & dilecti filii moderni Rectoris parochialis Eccleſiæ ſancti Michaelis Briocen. infra cujus parochiæ limites locus ipſe conſiſtit, conſenſus acceſſerit, totiuſque ipſius Civitatis populus, & quamplures etiam Canonici Eccleſiæ Briocen. domum ipſam ædificari intenſis deſideriis affectant; tamen nonnulli alii ejuſdem Eccleſiæ Canonici, ſub eo prætextu, quod aſſerunt dilectos filios capitulum ipſius Eccleſiæ jus percipiendi decimas prædiales ex fructibus in prædiis, in quibus dicta domus conſtruenda venit, excreſcentibus ad eoſdem capitulum pertinere, ac aliis exquiſitis mediis tam pium opus impedire conantur, licet ipſe Chriſtophorus Epiſcopus, pro jure decimarum hujuſmodi, ſeu alio, ſi quod dicti capitulum habere prætenderent, eis convenientem & ſufficientem recompenſam dare paratus ſit, eamque ipſis coram certis Judicibus, coram quibus, præmiſſorum occaſione, lis in partibus illis dependet, dare obtulerit.

§. II. Quare pro parte Chriſtophori Epiſcopi, ac Vicarii & Fratrum prædictorum, aſſerentium ipſis per litteras fel. rec. Innocentii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri licentiam recipiendi certa loca in partibus illis, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, conceſſam fuiſſe, quodque locus prædictus ultra ſex jugera terræ non continet, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis Vicario & Fratribus locum præfatum, ſeu alium infra metas dictæ parochiæ conſiſtentem, ad hoc convenientem & idoneum eis concedendum, alioquin hoſpitale beatæ Mariæ Magdalenæ Briocen. ad omnimodam diſpoſitionem dicti Epiſcopi pertinens, in quo numquam vel raro pauperes recipiuntur, alias juxta tenorem litterarum eis ſuper hoc conceſſarum prædictarum recipiendi, & in illo unam domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio & clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, illamque per-

perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur attendentes pium & meritorium fore, Religionem plantare, & plantatam modis omnibus confovere, ac de præmiſſis certam notitiam non habentes, cauſamque prædictam ad nos harum ſerie advocantes, & litem penitus extinguentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Vicario & Fratribus locum prædictum, ſeu alium infra limites dictæ parochiæ eis concedendum, ad hoc congruum & honeſtum, alioquin dictum hoſpitale recipiendi, & in illo unam domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, cœmeterio & clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, abſque tamen alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam auctoritate noſtra concedatis. Et nihilominus data eiſdem Capitulo debita recompenſa pro omni jure ſeu intereſſe, quod eos rationabiliter concernere poſſet ratione loci, in quo dicta domus conſtruenda eſt, ipſis eadem auctoritate diſtrictius inhibeatis, ne in præmiſſis aliquod impedimentum procreare & præſtare quoquomodo præſumant. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

§. IV. Nos enim, ſi domum prædictam conſtrui & ædificari contingat, eidem domui ac Fratribus in illa pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis, indultis & indulgentiis, aliis dicti Ordinis domibus & Fratribus in genere per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti & gaudere valeant, concedimus per præſentes: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCV. VI. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno IV.

Anno Christi 1496. Alexandri VI. anno 4. & 5.

XXXI.

Ut concedat facultatem ædificandi domum Obſervantum in oppido Eha-Kamevez. Ex lib. 117. fol. 95.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ Pragen.

§. I. Inter cetera &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Joannis Silkeniberg, Domini oppidi de Eha-Kamevez, Pragen. diœceſis, ac Regni Boemiæ Cancellarii nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipſe ob ſingularem devotionem, quam ad beatum Franciſcum & ejus Ordinem, ipſiuſque Ordinis profeſſores gerere comprobatur, ac etiam attendens, quod dicti profeſſores, verbum Dei populis illarum partium prædicando, non mediocrem fructum afferre valerent, unam Eccleſiam ſub invocatione S. Trinitatis in dicto oppido, cum certis domibus pro uſu & habitatione congruis Fratrum ejuſdem Ordinis, propriis ſumptibus conſtrui & ædificari fecit. Quare pro parte præfati Joannis nobis fuit humiliter ſup-

plicatum, ut eiſdem Fratribus Eccleſiam & domos prædictas, cum humili campana, necnon refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtructis & conſtruendis, pro Fratrum uſu & habitatione prædictis recipiendi & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, Fratribus ejuſdem Ordinis, de quibus eidem Joanni, & ſuperioribus Fratrum eorumdem videbitur, Eccleſiam & domum prædictas cum humili campana, necnon refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, pro uſu & habitatione congruis Fratrum hujuſmodi, ſine tamen cujuſcumque præjudicio, jureque parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. recordationis Bonifacii Papæ VIII. & quibuslibet aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim Fratribus prædictis in eadem domo pro tempore habitantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, favoribus, gratiis, libertatibus, immunitatibus, quibus aliæ dicti Ordinis domus & Fratres in genere potiuntur & gaudent, potiri & gaudere licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. III. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXXII.

Ut det licentiam fabricandi Monaſterium Clariſſarum in urbe Valentina. Ex lib. 117. fol. 90.

Dilecto filio Officiali Valentino.

AD hoc præcipue &c. Sane dilectus filius noſter Cæſar, ſanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis, tam ſuo, quam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Caſtellæ & Legionis Regis illuſtris nominibus, nobis nuper expoſuit, quod infra limites parochiæ parochialis Eccleſiæ ſancti Martini Valentinæ eſt quædam domus privata extra muros Valentinos, in qua nonnullæ mulieres, *Biſochæ* nuncupatæ, ſub Regula Tertii Ordinis B. Franciſci, de Pœnitentia nuncupati viventes, reſident, & inibi ſingulis diebus Miſſas & alia Divina officia celebrari faciunt, ac horas canonicas diurnas, pariter & nocturnas legunt, quam qnidem domum mulieres ipſæ cupiunt in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ, pro earum perpetuis uſu & habitatione erigi. Quare dictus Cæſar Cardinalis, qui etiam Eccleſiæ Valentinæ ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, nominibus prædictis, nobis humiliter ſupplicavit, ut præfatis mulieribus in dicta domo unum Monaſterium Ordinis ejuſdem Sanctæ, juxta Regulam fel. rec. Urbani Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſub invocatione & in honorem beatæ Mariæ de Spaſmo, quod Hieruſalem nuncupatur, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro illarum & Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ uſu & habitatione perpetuis, ad inſtar Monaſterii S. Trinitatis, prope & extra eoſdem muros conſtrui & erigi faciendi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Monaſteriorum propagationem, & ſacræ religionis ampliationem ſinceris deſideriis exoptamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, necnon ſingulas ex dictis mulieribus a quibuſcumque excommu-

municationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatis mulieribus in dicta domo unum Monaſterium Ordinis ejuſdem Sanctæ, ſecundum Regulam dicti prædeceſſoris, quod Hieruſalem nuncupatur, ſub invocatione & in honorem B. Mariæ de Spaſmo, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro earum & aliarum Monialium ejuſdem Ordinis uſu & habitatione perpetuis, adinſtar dicti Monaſterii S. Trinitatis, abſque alicujus præjudicio, conſtrui faciendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris, ac in Monaſterium erigas, ipſumque, ac illius pro tempore Abbatiſſam & Moniales curæ & directioni Generalis Ultramontani, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & Provincialis Provinciæ Valentinæ, ſecundum morem dicti Ordinis Vicariorum ſubjicias; necnon præfatis Vicariis, vel eorum alteri ut tres vel quatuor Monialea, quas ad id voluntarias reperetint, de Monaſterio, Gandiæ nuncupato, Ordinis ejuſdem Sanctæ, villæ de Gandia, Valentin. diœceſis, de licentia Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ dicti Monaſterii Gandiæ, quæ præfatas mulieres in cæremoniis, & regularibus diſciplinis Ordinis ſanctæ Claræ, & Regulæ Urbani prædeceſſoris hujuſmodi inſtruere, & cum illis ſub eiſdem regularibus inſtitutis vivendo, perpetuo remanere debeant, ad dictum regendum Monaſterium, poſtquam ſic erectum fuerit, ut præfertur, transferant, eadem auctoritate præcipias & mandes. Nos enim ſi erectionem hnjuſmodi fieri contigerit, ut præfertur, eidem ſic tunc erecto Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus & libertatibus, gratiis, favoribus & indultis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam, vel alias quoquomodo conceſſis, & in futurum concedendis, uti, potiri & gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Et cum, ſicut accepimus, pro conſtructione dicti novi Monaſterii, dictarum mulierum facultates non ſuppetant, ſed ad hæc Chriſtifidelium ſuffragia & eleemoſynæ ſint plurimum neceſſaria & opportuna: cupientes ut dictum erigendum Monaſterium & illius Eccleſia congruis frequententur honoribus,&in debita veneratione habeantur, utque Chriſtifideles eo libentius devotionis cauſa ad Eccleſiam ipſam confluant, & ad fabricam & conſtructionem dicti erigendi Monaſterii, necnon librorum, calicum, & aliorum ornamentorum ad Divinum cultum neceſſariorum manutentionem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc animarum ſuarum ſalutem ſperaverint adipiſci; de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi,omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam dicti erigendi Monaſterii, poſtquam conſtructa fuerit, & antea locum, in quo Eccleſia conſtruetur, in Conceptionis & Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis feſtivitatibus, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis poſt ſecundas Veſperas ſingularum feſtivitatum earumdem, devote viſitaverint annuatim, & ad fabricam & conſtructionem dicti erigendi Monaſterii, & poſtquam conſtructum fuerit, ad illius manutentionem, necnon librorum, calicum, & aliorum ornamentorum ad Divinum cultum neceſſariorum manutentionem, de bonis a Deo ſibi collatis, juxta eorum piam devotionem

& fa-

& facultates, manus porrexerint adjutrices, quindecim annos & totidem quadragenas de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Et inſuper ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero, in perpetuis futuris temporibus, eleemoſynæ & elargitiones, quæ tam ratione dictarum indulgentiarum, quam alias quomodolibet ad erigendum Monaſterium, & illius Eccleſiam hujuſmodi obvenerint, in præmiſſa opera, necnon etiam ſuſtentationem illius Monialium, & perſonarum pro tempore in illo degentium convertantur: teneantur tamen Abbatiſſa & Moniales dicti erigendi Monaſterii pro tempore exiſtentes, pro eleemoſynarum hujuſmodi perceptione, Rectori hujuſmodi pro tempore exiſtenti dictæ Eccleſiæ ſancti Martini, infra cujus limites dicta domus conſiſtit, ſingulis annis decem ſolidos monetæ illarum partium ſolvere & exhibere, ita quod præfatus Rector eleemoſinariæ elargitionis hujuſmodi occaſione, Abbatiſſam & Moniales prædictas moleſtare & inquietare nullatenus valeat & debeat. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. VII. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXXIII.

Ut concedant licentiam conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in terra Aſulæ.
Ex lib. 112. fol. 234.

Dilectis filiis Archidiacono, & Franciſco de Francis, ac Lucæ de Duchis Canonicis Eccleſiæ Brixien.

§. I. SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis & hominum terræ Aſulæ, Brixien. diœceſ. petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quem ad ſanctam Claram & Ordinem ejuſdem Sanctæ gerunt devotionis affectum, & pro ſuarum animarum ſalute, Religionis propagatione, & Divini cultus augmento, ex bonis eis a Deo collatis, & ex eleemoſynis, quas ad id pia largitione fidelium erogari contingeret, in eadem terra, & loco commodo, convenienti & honeſto, per eos aſſignando, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, Minoriſſarum nuncupatarum, ſub cura, directione, viſitatione & correctione Generalis Ciſmontani, & Provincialis illarum partium Vicariorum Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, nunc & pro tempore exiſtentium, ſecundum morem ipſius Ordinis Fratrum Minorum, cum Eccleſia, campanili humili & campana, cœmeterio pro tumulandis Monialibus ejus, & illarum obſequiis inſiſtentibus, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac decenti clauſura erigi ſummopere deſiderant. Quare pro parte Univerſitatis, & hominum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum ſtatuta, decreta, & ordinationem per eoſdem Vicarios facienda viventium, ac dignitatem inibi Abbatiſſalem, ſub invocatione, de qua eiſdem Univerſitati cum conſilio Vicariorum hujuſmodi videbitur, in dicta terra, & loco ad id commodo & honeſto, per eoſdem Univerſitatem, ut præfertur, aſſignando, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac decenti clauſura erigere, illudque ſic erectum, ac ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſeu Sorores, ſuperioritati, viſitationi, correctioni & directioni dicto-

ctorum Vicariorum, & deputandorum per eos ſeu alterum eorum, ſubjicere & ſubmittere, ipſiſque Vicariis, ut illud ſub eorum cura, directione, viſitatione hujuſmodi recipiant, & ad illud aliquas Moniales alterius Monaſterii dicti Ordinis ſanctæ Claræ, eorum curæ commiſſas, ætate provectas, & in Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ expertas, quas voluntarias invenerint, transferant, & unam ex illis in Abbatiſſam præficiant, per quam puellæ Virgines & Viduæ ſeculum fugientes, ſub Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ inibi vivere volentes, cum opportuna habitus Regularis, juxta ipſius Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem, exhibitione, et ſi profiteri voluerint, earum profeſſio recipiatur, mandare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum ſtatuta, decreta & ordinationem per dictos Vicarios facienda, viventium, ac dignitatem inibi Abbatiſſalem, ſub invocatiune, de qua Univerſitati, cum conſilio Vicariorum hujuſmodi videbitur, in dicta terra & loco ad id commodo & honeſto, per eoſdem Univerſitatem, ut præfertur, aſſignando, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac decenti clauſura, ſine alicujus præjudicio erigere, illudque ſic erectum, & ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſive Sorores ſuperioritati, viſitationi, correctioni & directioni dictorum Vicariorum, & deputandorum per eos ſeu alterum eorum, ſubjicere & ſubmittere, ipſiſque Vicariis, ut Monaſterium prædictum, & illius Abbatiſſam & Moniales, quæ pro tempore fuerint, ſub eorum cura, directione & viſitatione hujuſmodi recipiant, & ad illud aliquas Moniales alterius Monaſterii dicti Ordinis ſanctæ Claræ, eorum curæ commiſſas, ætate provectas, & in Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ expertas, quas voluntarias invenerint, pro inſtructione & directione earum, quæ inibi recipientur, ſaltem ad tempus opportunum, transferant, & unam ex eiſdem in Abbatiſſam præficiant, per quam puellæ Virgines & viduæ ſeculum fugientes, cum opportuna habitus Regularis, juxta ipſius Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem, exhibitione, ac profeſſionis per Moniales dicti Ordinis emitti ſolitæ, ſi illam emittere voluerint, emiſſiones recipiantur, præcipere auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, Monaſterio præfato, ac Abbatiſſæ & Monialibus in illo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, aliis dicti Ordinis ſanctæ Claræ Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus conceſſis in genere, ac alias quomodolibet per Sedem Apoſtolicam in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. XII. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno IV.

XXXIV.

Ut Monaſterium Ordinis ſancti Pauli primi Eremitæ derelictum tradi curet Minoritis. Ex lib. 117. fol. 272.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Tranſilvanen. in ſpiritualibus generali.

§. I. Ad uberes &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis Provinciæ Ungariæ Fratrum dicti Ordinis, ac Baltaſaris, Petri, & Gregorii Terchini de Rothualma nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Fratres Ordinis ſancti Pauli primi Eremitæ Monaſterium beatæ Mariæ Virginis in Rothualma, dicti Ordinis ſancti Pauli, Tranſſilvanen. diœceſ. quod progenitores ipſorum Baltaſaris, Petri & Georgii ſundarunt, & cujus Baltaſar, Petrus & Georgius prædicti patroni exiſtunt, non ſolum dereliquerunt, ſed quod gravius eſt, omnia illius bona mobilia pretioſa ac jocalia ad Divinum cultum, & dicti Monaſterii ordinata ex dicto Monaſterio aſportaſſent, & propterea dictum Monaſterium jam plurimis annis elapſis inhabitatum remanſiſſet, dictique Fratres Ordinis ſancti Pauli, quamvis ad hoc per venerabilem fratrem noſtrum Ladislaum Epiſcopum Tranſſilvanen. ac præfatos Baltaſarem, Petrum & Georgium requiſiti fuiſſent, ad rehabitandum redire recuſaſſent; dicti Baltaſar, Petrus & Georgius providere volentes, ne dictum Monaſterium ad totalem ruinam deveniret, ſed ut in eo Divina officia celebrarentur, quantum in eis fuit, dum tamen ad hoc Sedis Apoſtolicæ licentia accederet, dictum Monaſterium Fratribus dicti Ordinis ſancti Franciſci conceſſerunt, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Quare pro parte Miniſtri, Baltaſaris, Petri & Georgii præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Ordine ſancti Pauli prædicto in ipſo Monaſterio penitus ſuppreſſo & extincto, Vicario dictæ Provinciæ dictum Monaſterium cum illius Eccleſia, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Minorum recipiendi, & inibi domum cum clauſtro, refectorio, campanili humili, campana, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Minorum conſtruendi & ædificandi, ac Eccleſiam dicti Monaſterii ad inſtar Eccleſiarum domorum dicti Ordinis Fratrum Minorum reformandi, licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. tibi mandamus, quatenus ſi, vocatis dilectis filiis Conventu dicti Monaſterii, præmiſſa vera fore repereris, locum dicti Monaſterii præfato Vicario cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Minorum, ac dicti Monaſterii Eccleſiam, pro Eccleſia domus Fratrum dicti Ordinis Minorum recipiendi, & inibi unam domum cum clauſtro, dormitorio, refectorio, campanili humili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro uſu & habitatione prædictis, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ac dictam Eccleſiam ad inſtar Eccleſiarum domorum Fratrum dicti Ordinis ſancti Franciſci reformandi licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedas. Nos enim ſi licentiam hujuſmodi concedi, & alia præmiſſa per te, vigore præſentium fieri contigerit, dictæ ſic conſtructæ domui, & illius Guardiano ac Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis, exemptionibus & in-

& indultis, aliis ejuſdem Ordinis domibus, Guardianis & Fratribus in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & debeant, dicta auctoritate, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. VIII. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno IV.

XXXV.

Ut Monaſterium Sororum Ordinis ſancti Benedicti adaptetur in Conventum Fratrum Minorum de Obſervantia. Ex lib. 119. fol. 94.

Dilectis filiis in Burſfelde, & in Northem, Maguntin. diœceſis Monaſteriorum Abbatibus.

§. I. Ex injuncto &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici Senioris Ducis in Brunſwick, & Luneborch petitio continebat, quod fructus, reditus & proventus beatæ Mariæ extra & prope muros oppidi Gandershem, & in Brunshuſen nuncupati Monaſteriorum Monialium Ordinis ſancti Benedicti, Heldeſemen. diœceſis, ſunt adeo tenues & exiles, quod ad decentem ſuſtentationem dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſarum & Monialium eorumdem Monaſteriorum, eorumque alia onera perferenda non ſufficiunt: Verum ſi in dicto Monaſterio beatæ Mariæ, nomen, titulus & Ordo prædictus, ac Abbatiſſalis dignitas ſupprimerentur, & illius bona mobilia & immobilia, ſtructuris & ædificiis ejuſdem, ac illi contiguis hortis & hortalitiis dumtaxat exceptis, dicto Monaſterio in Brunshuſen. perpetuo applicarentur & appropriarentur, ipſius Monaſterii beatæ Mariæ Abbatiſſa & Moniales ad dictum Monaſterium in Brunshuſen. transferrentur, & ibidem reciperentur in Moniales & Sorores: ſtructuræ vero & ædificia prædicta ipſius Monaſterii beatæ Mariæ, cum illi contiguis hortis & hortalitiis, dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Saxoniæ, juxta morem dicti Ordinis Fratrum Minorum, ad effectum ut ibidem conſtrueretur & ædificaretur una domus cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, clauſtro, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis dictorum Fratrum concederentur; præfatus Henricus Dux, ut Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii in Brunshuſen, & ad illud tunc translatæ Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii beatæ Mariæ decentius ſuſtentari, & onera prædicta facilius perferre poſſent, quingentos florenos Remenſes de propriis pecuniis ſuis convertendos in emptionem cenſuum pro dicto Monaſterio in Brunshuſen. liberaliter elargiretur & donaret, ac in dictis ſtructuris & ædificiis ipſius Monaſterii beatæ Mariæ unam domum pro dictis Fratribus, cum Eccleſia, & officinis prædictis conſtrui & ædificari faceret ſuis ſumptibus & expenſis, & ſic decentiori ſuſtentationi Monialium utriuſque Monaſterii hujuſmodi, & etiam ſpirituali conſolationi ipſius Ducis, & incolarum dicti oppidi Grandershem, qui ad dictos Fratres de Obſervantia ſpecialem gerunt devotionis affectum, ac ſperant Guardiani & Fratrum, qui dictam conſtruendam domum pro tempore inhabitabunt, exemplari vita, aſſidua & devota Miſſarum & aliorum Divinorum officiorum celebratione, audientia confeſſionum, & præ-

prædicationibus verbi Dei, & exhortationibus ad laudabiliter vivendum, & Divinis beneplacitis vacandum, peramplius poſſe conſequi ſuarum ſalutem animarum. Quare pro parte ipſius Henrici Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, poſtquam ipſe Dux dictos quingentos florenos, ut præmittitur, convertendos, penes aliquam ædem ſacram depoſuerit, de expreſſo conſenſu Abbatiſſarum & Conventuum dictorum Monaſteriorum, & illorum Superiorum, quorum curæ & directioni Abbatiſſæ & Moniales prædictæ ſubeſſe noſcuntur, Abbatiſſam & Moniales dicti Monaſterii beatæ Mariæ, de illo ad præfatum Monaſterium de Brunshuſen. transferri, & ibidem in Moniales & Sorores recipi, & in eodem Monaſterio beatæ Mariæ nomen & titulum Monaſterii, ac Abbatiſſalem dignitatem, & Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi ſupprimi & extingui, ac omnia & ſingula bona mobilia & immobilia ipſius Monaſterii beatæ Mariæ, ſtructuris & ædificiis, ac hortis & hortalitiis ejuſdem dumtaxat exceptis, dicto Monaſterio in Brunshuſen. perpetuo applicari & appropriari, ac ſtructuras & ædificia ejuſdem Monaſterii beatæ Mariæ, cum hortis & hortalitiis illi contiguis, dictis Vicario & Fratribus pro conſtructione & ædificatione dictæ domus concedi; præfatoque Henrico Duci in eiſdem ſtructuris & ædificiis domum prædictam conſtrui faciendi, & eiſdem Vicario & Fratribus ſtructuras & ædificia prædicta, & ſic conſtruendam domum pro eorum uſu & habitatione perpetuis recipiendi & inhabitandi licentiam elargiri mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi eſt ita, poſtquam ipſe Henricus Dux dictos quingentos florenos, ut præfertur convertendos, penes aliquam ſacram ædem depoſuerit, ut præfertur, de expreſſo conſenſu Abbatiſſarum & Conventuum, & Superiorum prædictorum, Abbatiſſam & Moniales dicti Monaſterii beatæ Mariæ, de illo ad præfatum Monaſterium in Brunshuſen. auctoritate noſtra transferatis, ac ibidem in Moniales & Sorores recipiatis, ac in eodem Monaſterio beatæ Mariæ nomen & titulum Monaſterii, & Abbatiſſalem dignitatem, ac Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi, eadem auctoritate ſupprimatis & extinguatis, necnon omnia & ſingula bona mobilia & immobilia ejuſdem Monaſterii beatæ Mariæ, ſtructuris, ædificiis, ac hortis & hortalitiis præfatis dumtaxat exceptis, eidem Monaſterio in Brunshuſeſen. perpetuo applicetis & approprietis, ſtructuraſque & ædificia, cum hortis & hortalitiis hujuſmodi, eiſdem Vicario & Fratribus ad effectum conſtruendi & ædificandi domum prædictam, dicta auctoritate concedatis; necnon eidem Henrico Duci, in dictis ſtructuris & ædificiis unam domum, cum Eccleſia, & neceſſariis officinis prædictis, pro uſu & habitatione perpetuis decentis numeri Fratrum dicti Ordinis Minorum, abſque alicujus præjudicio conſtrui faciendi, ipſiſque Vicario & Fratribus ſtructuras & ædificia in domum conſtruendam hujuſmodi, pro eorum perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam auctoritate prædicta elargiri curetis.

§.III. Nos enim eidem domui conſtruendæ, necnon Guardiano & Fratribus, qui illam pro tempore inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis gratiis, libertatibus, favoribus & indultis, aliis dicti Ordinis domibus & Fratribus in genere conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ MCCCCXCVI. XII. Kalend. Martii, Pontif. noſtri an. V. XXXVI. Ut

XXXVI.

Ut dent facultatem Regi & Reginæ Datiæ conſtruendi Monaſterium Clariſſarum juxta primæva Ordinis inſtituta. Ex libro 126. fol. 292.

Dilectis filiis Præpoſito Roskilden. & Miſien. ac Caſſuen. Roskilden. diæceſis Decanis Eccleſiarum.

§. I. Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ gubernacula &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis, & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Chriſtinæ Reginæ Datiæ illuſtrium petitio continebat, quod ipſi ad Ordinem Monialium ſanctæ Claræ gerentes ſpecialem devotionis affectum, cupiunt in aliquo loco eorum Regni Datiæ convenienti & honeſto conſtrui & ædificari facere unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſecundum ejuſdem Ordinis primæva inſtituta regularia hujuſmodi, ſine proprio, & in communi ex incerta mendicitate viventium. Quare pro parte Regis & Reginæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum voto & deſiderio annuentes, eis conſtrui & ædificari faciendi infra Regnum prædictum, in loco convenienti & honeſto unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſecundum primæva inſtituta prædicta, ex incerta mendicitate viventium, licentiam concedere, & illud, poſtquam totum vel pro parte in ſuis ſtructuris & ædificiis, cum decenti clauſura conſtructum fuerit, in Monaſterium dicti Ordinis erigi, ipſumque ſic erectum, & ejus pro tempore Abbatiſſam & Conventum, ac ſingulares perſonas, curæ, directioni, viſitationi & correctioni, & omnimodæ ſuperioritati Generalis Ultramontani, & provincialis provinciæ Datiæ Vicariorum, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, & cuilibet eorum inſolidum committere, & cuilibet eorum Vicariorum aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta viventes, eorum curæ commiſſorum, quas opportunas eſſe putaverint & utiles, ac in Regulari Obſervantia, ritu & moribus dicti Ordinis ſanctæ Claræ inſtructas, & zelum Dei habentes, & ad id voluntarias invenerint, pro plantanda in dicto Monaſterio ſic conſtructo & erecto de novo Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ex eorum Monaſteriis ad ipſum Monaſterium ſic de novo conſtructum transferre, & inibi tam illas, quam alias mulieres ſeculum fugientes, præſertim Virgines Divinis beneplacitis vacare volentes, in Moniales recipere, & eis habitum juxta aliorum Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem exhibere, & profeſſionem per eaſdem Moniales dicti Ordinis regularem emitti ſolitam, ſi illam expreſſe emittere voluerint, recipere & admittere, ac unam ex eiſdem ſic translatis Monialibus ætate provectam, quam vitæ ſanctimonia & moribus, ac in regimine Monaſterii expertam & idoneam eſſe putaverint, hac prima vice eidem Monaſterio in Abbatiſſam, & alias ex eiſdem Monialibus ſic translatis, ſolitis officiis in ſimilibus Monaſteriis illorum Monialibus concedi ſolitis, ad tempus de quo eis videbitur, præficere, & de conſilio diſcretorum Patrum dicti Ordinis Fratrum Minorum ſtatuta convenientia, quæ pro manutentione Regularis Obſervantiæ in dicto Monaſterio ſic erigendo utilia & ſalubria, ac neceſſaria eſſe putaverint, ordinare, illaque, dum & quoties expedire putaverint, mutare, alterare & corrigere libere & licite valeant, facultatem dare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur Regis & Reginæ prædictorum laudabile deſiderium

prædictum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, Regi & Reginæ præfatis conſtrui & ædificari faciendi unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum primæva inſtituta prædicta, ſine proprio, etiam in communi ex incerta mendicitate viventium, cum Eccleſia ſive Oratorio, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, licentiam concedere, ac illud, poſtquam in ſuis ſtructuris & ædificiis in totum vel pro parte cum decenti clauſura conſtructum & ædificatum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine præjudicio cujuſcumque, erigere, illudque ſic per vos erectum, & illius pro tempore Abbatiſſam & Conventum, ac ſingulares perſonas, curæ, directioni, viſitationi & correctioni, ac omnimodæ ſuperioritati Generalis & provincialis Vicariorum prædictorum, & cuilibet eorum inſolidum pro tempore exiſtentium, præfata auctoritate committere, ſubjicere & ſubmittere, ac dictis Vicariis, & cuilibet eorum aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta viventes, eorum curæ commiſſorum, quas opportunas eſſe putaverint, & utiles invenerint, pro plantanda in dicto Monaſterio conſtructo & erecto de novo Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ex eorum Monaſteriis ad ipſum Monaſterium ſic de novo conſtructum transferendi, & inibi tam illas, quam alias mulieres ſeculum fugientes, præſertim Virgines, Divinis beneplacitis vacare volentes, in Moniales recipiendi, & eis habitum, juxta aliorum Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem exhibendi, & Regularem profeſſionem per eaſdem Moniales dicti Ordinis emitti ſolitam, ſi illam expreſſe emittere voluerint, recipiendi & admittendi, ac unam ex eiſdem ſic translatis Monialibus, ætate provectam, quam vitæ ſanctimonia & moribus, ac in regimine Monaſterii expertam & idoneam eſſe putaverint, hac prima vice eidem Monaſterio in Abbatiſſam, & alias ex eiſdem Monialibus ſic translatis ſolitis officiis in ſimilibus Monaſteriis eorum Monialibus concedi ſolitis, præficiendi, & de conſilio diſcretorum Patrum dicti Ordinis Fratrum Minorum ſtatuta convenientia, quæ pro manutentione Regularis Obſervantiæ in dicto Monaſterio ſic erigendo utilia & ſalubria, ac neceſſaria eſſe putaverint ordinandi, illaque, dum & quoties expedire putaverint, mutandi facultatem dare, auctoritate noſtra curetis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per vos, vigore præſentium, ut præfertur, concedi contigerit, dicto Monaſterio ſic tunc erecto, & in illis pro tempore Abbatiſſæ & Monialibus degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, conceſſionibus, libertatibus, gratiis, exemptionibus & indultis, quibus alia Monaſteria Ordinis ſanctæ Claræ prædicti in genere quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac in futurum, uti, potiri & gaudere poterunt, uti, potiri & gaudere libere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: Seu ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. V. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno V.

XXXVII.

XXXVII.

Ut concedant auctoritatem reædificandi domum Obſervantum oppidi Cervariæ. Ex libro 136. fol.238.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Toletano, & Epiſcopo Tiraſonenſi

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum univerſorum incolarum oppidi Cervariæ, Urgellen. diœceſis, petitio continebat, quod alias, cum vigentibus bellis in Principatu Cataloniæ, domus Ordinis Minorum dicti oppidi deteriorari cœpiſſet, nonnulli Fratres dicti Ordinis, de licentia Sedis Apoſtolicæ dictam domum demoliri fecerunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta domus, ut ex antiquis veſtigiis & ſcripturis creditur, per ſanctum Franciſcum conſtructa, & primarius lapis inibi per dictum ſanctum Franciſcum poſitus fuerit, & propterea ipſi incolæ ob ſingularem quem ad Ordinem prædictum gerunt devotionis affectum, cum oſſa parentum & progenitorum ſuorum inibi inhumata ſint, deſiderant de propriis bonis eis a Deo collatis, dictam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis reædificari, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur auctoritas. Pro parte dictorum incolarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis præfatam domum pro uſu & habitatione prædictis conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum eiſdem incolis domum præfatam, pro præfatis uſu & habitatione dictorum Fratrum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus domum hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam auctoritate noſtra largiamini. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem domui & Fratribus, qui dictam domum pro tempore inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus & indulgentiis, quibus aliæ dicti Ordinis domus & Fratres in genere utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere libere poſſint, auctoritate Apoſtolica per præſentes, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. IV. Non. Martii, Pontificatus noſtri anno V.

XXXVIII.

XXXVIII.

Ut tribuatur facultas Duciſſæ Alenconenſi conſtruendi Monaſterium Clariſſarum juxta primæva illarum inſtituta. Ex libr. 119. fol. 252.

Venerabili fratri Epiſcopo Cenomanen. & dilectis filiis Abbati Monaſterii de Perſegne, ac Decano Eccleſiæ Mauritaniæ Cenomanen. Sagien. diœceſis.

§. I. Inter univerſa opera &c. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Margaritæ Duciſſæ Alenconen. Sagien. diœceſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſa cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob ſingularem quem ad Ordinem Monialium ſanctæ Claræ, ſecundum primæva regularia inſtituta, ex incerta mendicitate viventium, gerit devotionis affectum, ſummopere deſiderat ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, devotionis populi incrementum, & animarum ſalutem, in aliquo loco honeſto, & ad hoc magis accommodo, temporalis dominii dilecti filii noſtri, nobilis viri Caroli Ducis Alenconen. unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili humili, campana, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis & hortalitiis, ac aliis neceſſariis officinis, pro unius Abbatiſſæ & nonnullarum Monialium dicti Ordinis perpetuis uſu & habitatione erigere & conſtruere, ſeu erigi & conſtrui facere, ſi ipſi ad hoc Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dictæ Margaritæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Monaſterium ipſum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione prædictis, in aliquo loco honeſto & magis accommodo in dicto Ducatu conſiſtente, conſtrui & ædificari faciendi, ac Monaſterium ipſum, poſtquam in totum vel pro parte, cum decenti tamen clauſura conſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſecundum inſtituta prædicta erigendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi ita eſt, Margaritæ præfatæ Monaſterium ipſum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in dicto Ducatu, in loco ad hoc, ut præfertur, honeſto & accommodo, juxta dicti Ordinis ſanctæ Claræ antiqua inſtituta, pro uſu & habitatione prædictis, abſque alicujus præjudicio, erigendi & conſtruendi, ſeu erigi & conſtrui faciendi, præfatæ Margaritæ, auctoritate noſtra licentiam largiamini; ac illud poſtquam in totum vel pro parte, cum decenti tamen clauſura conſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſecundum dicta regularia inſtituta erigere, ac illud ſic erectum, & illius pro tempore Abbatiſſam, Conventum & Moniales, ac perſonas, curæ, directioni, viſitationi, correctioni, & omnimodæ ſuperioritati dilectorum filiorum Vicariorum Generalis Ultramontani, & Provincialis Provinciæ Franciæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, & cujuslibet ipſorum perpetuo ſubjicere & ſubmittere, ac eiſdem Vicariis, & cujolibet eorum aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis eorum curæ, directioni & viſitationi commiſſorum, ætate provectas, ac in ritu & moribus,

bus, & Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta inſtructas, & ad ipſorum inſtitutorum obſervationem affectas, quas voluntarias invenerint, de eorum Monaſteriis ad Monaſterium prædictum ſic tunc erectum, pro plantanda in eo Regulari Obſervantia dicti Ordinis, transferendi; ac tam illas, quam alias mulieres ſeculum fugientes, præſertim virgines, Divinis beneplacitis ſub Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta, in dicto ſic erecto Monaſterio famulari volentes, in Moniales ejuſdem Monaſterii recipiendi, & habitum juxta aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta, ſub eorumdem Vicariorum cura viventium, exhibendi, ac profeſſionem per Moniales dicti Ordinis emitti ſolitam regularem, ſi illam emittere voluerint, recipiendi & admittendi, ac unam ex dictis Monialibus ſic translatis, quam ad hoc idoneam eſſe putaverint, prima vice eidem Monaſterio in Abbatiſſam, ac reliquas aliis officiis in ſimilibus Monaſteriis Monialibus illorum committi ſolitis, ad tempus, de quo eis videbitur, præficiendi, ac de conſilio dilectorum filiorum Patrum Seniorum Ordinis & Provinciæ prædictorum, ſtatuta, quæ Regulari Obſervantiæ dicti Ordinis ſanctæ Claræ in eodem ſic erecto Monaſterio utilia eſſe putaverint, ſacris canonibus non contraria, edendi & ordinandi, ac cum expedire putaverint, mutandi, corrigendi & alterandi, ac alia quæ ad manutentionem Regularis Obſervantiæ hujuſmodi, & ſalutem animarum cedere cognoverint, mandandi, ordinandi & faciendi, prout ſecundum Deum cognoverint expedire, facultatem concedere, eadem auctoritate noſtra curetis. Nos enim ſi licentiam, erectionem, facultatem, & alia præmiſſa hujuſmodi per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto Monaſterio ſic tunc erecto, & Abbatiſſæ ac Monialibus in illo pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, conceſſionibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis & indultis, aliis ejuſdem Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis ac Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum per Sedem prædictam concedendis, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, in omnibus & per omnia prorſus & ſine ulla differentia, ac ſi eis nominatim conceſſa forent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, ac pariter de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. V. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno V.

XXXIX.

Ut Monaſterium Benedictinum Terræ de Diano tranſmutetur in Clariſſarum domicilium. Ex lib. 129. fol. 224.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Caputaquen. in ſpiritualibus Generali.

§. I. EX debito paſtoralis officii &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, nobilis viri Antonelli Principis Salernitan. & Univerſitatis hominum terræ de Diano Caputaquen. diœceſis petitio continebat, quod olim quoddam Monaſterium Monialium ſub invocatione ſancti Benedicti, Ordinis ejuſdem Sancti, dictæ Terræ, eodem Ordine in eo auctoritate Apoſtolica ſuppreſſo, cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio,

rio, campanili, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſuis, dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum, ejuſque bona mobilia & immobilia hoſpitali pauperum ſanctæ Catarinæ dictæ terræ, eorum uſufructu tunc Abbatiſſæ dicti Monaſterii quoad viveret reſervato, conceſſa fuerunt; & deinde eadem Abbatiſſa vita functa, bona hujuſmodi dicto hoſpitali libere remanſerunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in dicta terra, quæ ſub temporali dominio dicti Antonelli Principis exiſtit, nullum Monaſterium Monialium ſit, & plures virgines & aliæ honeſtæ mulieres, ob melioris vitæ frugem, Religionem intrare deſiderantes, in eadem terra reperiantur, quæ propter Monaſterii defectum, hujuſmodi eorum laudabile deſiderium adimplere non poſſint; dictuſque Antonellus Princeps cupiens animarum ſaluti, & dictarum hujuſmodi conſolationi conſulere, certam ejus domum in dicta terra conſiſtentem, ad id commodam & idoneam pro ædificatione & erectione unius Monaſterii Monialium conceſſerit, ſeu concedere paratus exiſtat. Pro parte Antonelli Principis, & Univerſitatis eorumdem nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicta domo unum Monaſterium Monialium ſub invocatione ſanctæ Claræ, Ordinis ejuſdem Sanctæ, cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, quod poſtquam constructum, ædificatum & erectum fuerit, Vicario Provinciali pro tempore exiſtenti Ordinis Fratrum Minorum illius Provinciæ, ipſorumque Fratrum curæ & directioni ſubjectum ſit, conſtruendi, ædificandi & erigendi, ipſiſque Vicario & Fratribus, & ab eis pro tempore deputatis, in illo quaſcumque Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ introducendi, & unam ex eis ad id idoneam in Abbatiſſam dicti ſic erecti Monaſterii præficiendi licentiam concedere, necnon omnia & ſingula bona prædicta a dicto hoſpitali, quod pro obſervanda hoſpitalitate, & aliis inibi neceſſariis opportunos fructus habet, ſegregare & ſeparare, ac dicto erigendo Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, applicare & appropriare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dilectis filiis modernis adminiſtratoribus dicti hoſpitalis, & aliis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem præmiſſa vera eſſe repereris, Antonello Principi & Univerſitati præfatis in dicta domo unum Monaſterium Monialium ſub invocatione ſanctæ Claræ, Ordinis hujuſmodi, cum Eccleſia, campana, campanili, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, quod poſtquam conſtructum, ædificatum & erectum fuerit, Vicario Provinciali pro tempore exiſtenti hujuſmodi, ipſorumque Fratrum curæ & directioni ſubjectum ſit, ſine alicujus præjudicio, de conſenſu, quorum intereſſet, conſtruendi & ædificandi & erigendi, ipſiſque Vicario & Fratribus, & ab eo pro tempore deputatis in illo, poſtquam per te erectum fuerit, ſuper quo tibi concedimus facultatem, quaſcumque Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ introducendi, & unam ex eis ad id idoneam in Abbatiſſam dicti ſic erecti Monaſterii præficiendi, eiſque, & dictæ tunc præfectæ Abbatiſſæ communiter virgines, & alias honeſtas mulieres, Monaſterium erigendum hujuſmodi intrare volentes, in illo recipiendi, & Regularem habitum, juxta ipſius Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem, eis exhibendi, ac Regularem profeſſionem per Moniales ejuſdem Or-

Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, ſi illam in ſuis manibus emittere voluerint, ab eis recipiendi & admittendi plenam & liberam facultatem auctoritate noſtra largiaris, necnon omnia & ſingula bona prædicta ab eodem hoſpitali, de ſimili conſenſu ſegreges & ſepares, illaque dicto ſic tunc erecto Monaſterio, eadem auctoritate perpetuo appropries & concedas. Nos enim, ſi licentiam per te vigore præſentium concedi, & Monaſterium hujuſmodi erigi contigerit, ut præfertur, dicto ſic erecto Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, exemptionibus & indultis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis & Monialibus eorumdem in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1497. Alexandri VI. anno 5. & 6.

XL.

Conceduntur quædam privilegia Societati Pietatis urbis Januenſis. Ex lib. 132. fol. 125.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. INtenta ſemper ſalutis operibus &c. Sane accepimus, quod in Civitate Januen. de conſenſu dilectorum filiorum populi Civitatis ejuſdem, ac præſidente dilecto filio Michaele de Aquis, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſore, ſuis verbi Dei prædicationibus, quædam Societas, beatæ Mariæ de Pietate nuncupata, necnon una Confraternitas utriuſque ſexus fidelium, clericorum & religioſorum, ac laicorum pro conſervatione dictæ Societatis laudabiliter inſtituta & ordinata fuerit &c. Nos igitur &c. cupientes, ut Confratres ipſius Confraternitatis pro tempore exiſtentes, conſervationi dictæ Societatis, ex cujus pecuniis pauperibus in eorum neceſſitatibus, ut ipſi Confratres aſſerunt, ſubvenitur, eo magis intenti reddantur, & ad illius manutentionem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc animarum ſuarum ſalutem facilius valeant adipiſci, devotis eorumdem Confratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, ut omnes & ſinguli Confratres dictæ Confraternitatis nunc exiſtentes, & qui infra tres dies poſt publicationem præſentium immediate ſequentes in illa deſcripti fuerint: ita tamen, quod quam primum dicti Confratres nunc exiſtentes, infra tres prædictos dies deſcribendi ad numerum quadringentarum perſonarum, viro & uxore pro una perſona computatis, reducti fuerint, tunc loco decedentium, alii perpetuo valeant ſurrogari, aliquem idoneum presbyterum ſecularem, vel cujuſvis Ordinis regularem in ſuum poſſit eligere confeſſorem, qui, vita ejus comite, in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præterquam offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, ſemel dumtaxat in vita, in aliis vero quoties fuerit opportunum, confeſſione ſingulorum Confratrum eorumdem diligenter audita, pro commiſſis ſibi debitam abſolutionem impendat & injungat pœnitentiam ſalutarem: necnon vota quæcumque in alia pietatis opera mutare valeat; quodque con-

feſſor omnium peccatorum ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam remiſſionem eidem confitenti concedere poſſit: ſic tamen &c.

§. II. Et ne, quod abſit, propter gratiam, ſeu conceſſionem hujuſmodi, præfati Confratres reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus &c. præſentes litteræ, quoad remiſſionem hujuſmodi dumtaxat, eis nullatenus ſuffragentur; quodque ſinguli Confratres prædicti, qui nunc ſunt & recipientur, ut præfertur, diebus quadrageſimæ, & aliis anni temporibus, in quibus Eccleſiæ ſtationum Urbis viſitantur, viſitando duo vel tria Altaria Eccleſiarum, in quibus eos pro tempore morari contigerit, omnes & ſingulas indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, ſi Eccleſias prædictas Quadrageſimæ, & aliis temporibus hujuſmodi perſonaliter viſitarent. Et ſi contingat eos Confratres aut eorum aliquem in locis Eccleſiaſtico interdicto ordinaria auctoritate ſuppoſitis ab hac luce decedere, eorum corpora, abſque tamen ſolita pompa funerali, Eccleſiaſticæ tradi poſſint ſepulturæ: dummodo &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. III. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno V.

XLI.

Confirmatur Minoritis domus Horſuen. ab eis reædificata. Ex libro 119. folio 41.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Horſuen. Ordinis Fratrum Minorum, Aruſien. diœceſis.

§. I. Piis & honeſtis fidelium votis &c. Exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod licet domus veſtra in fundo per quemdam Nicolaum Bareshow militem, dum viveret, ad id præconceſſo, rite conſtructa & ædificata, de licentia Sedis Apoſtolicæ, per antedicti Ordinis Fratres recepta, & diu inhabitata fuerit, prout vos illam ad præſens inhabitatis; tamen olim eadem domus incendio deſtructa fuerit, & litteræ ſuper licentia, ac fundatione domus hujuſmodi confectæ minime reperiuntur, neque de illis alias, quam per poſſeſſionem hujuſmodi conſtare poteſt. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis domum hujuſmodi perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod in eadem domo, quæ, ut aſſeritis, poſt incendium prædictum reædificata fuit, perpetuo inhabitare, ac illam cum illius limitibus & pertinentiis, prout hactenus feciſtis & facitis, tenere libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. XIII. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno V.

XLII.

XLII.

Ut dent facultatem conſtruendi domum Minorum in Thorekou. Ex lib. 119. folio 40.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Lunden. & dilectis filiis Præpoſito Eccleſiæ Lunden. ac Archidiacono Vibergenſis Eccleſiarum.

§. I. SAcræ religionis honeſtas &c. Sane pro parte dilecti filii Miniſtri Provincialis Provinciæ Daciæ dicti Ordinis, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Ingerdis, relictæ quondam Tirionis de Kragetom, viduæ, Lincopen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias dictus Tirio de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, quamdam capellam ſanctæ Claræ de Tyorckou & Hellyou, Lunden. diœceſis, in certo ejus fundo conſtructam, cum fundo hujuſmodi, & terminis de Liſerum & Blequungiæ nuncupatum, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, dilectis filiis Fratribus Minoribus dictæ Provinciæ conceſſit & donavit, prout in publico inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri. Quare pro parte tam Miniſtri, quam Ingerdis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Miniſtro & Fratribus capellam, & fundum ac terminos hujuſmodi, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum recipiendi, & inibi perpetuo inhabitandi, ac in illa unam domum dicti Ordinis cum officinis inibi neceſſariis, pro uſu & habitatione hujuſmodi conſtruendi & ædificandi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis ampliationem ſinceris deſideriis exoptamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Miniſtro & Fratribus capellam, & fundum ac terminos hujuſmodi, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, pro eorum uſu & habitatione perpetuis recipiendi, ac in illa domum Fratrum dicti Ordinis cum campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Miniſtro & Fratribus illam perpetuo inhabitandi licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos, vigore præſentium concedi contingat, eidem ſic tunc conſtructæ domui, ac Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, libertatibus & indultis, quibus aliæ domus & Fratres Ordinis prædicti utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure parochialis Eccleſiæ, ac cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. XIII. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno V.

XLIII.

Confirmatur eis domus Neſtroerdenſis . Ibid. fol. 41.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus domus Neſtroerden. Ordinis Fratrum Minorum , Roſkilden. diœceſis .

PIis & honeſtis fidelium votis &c. Sane exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat , quod licet domus Neſtroerden. Ordinis Fratrum Minorum , Roskilden. diœceſis rite conſtructa & ædificata fuerit , ipſique Fratres illam de licentia Sedis Apoſtolicæ receperint , & per longum tempus inhabitaverint , prout vos illam ad præſens inhabitatis , tamen olim eadem domus incendio deſtructa fuerit , & litteræ ſuper licentia ac fundatione domus hujuſmodi confectæ minime reperiuntur , neque de illis alias , quam per poſſeſſionem hujuſmodi conſtare poteſt . Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum , ut vobis domum hujuſmodi perpetuo inhabitandi licentiam concedere , aliaſque in præmiſſis opportune providere , de benignitate Apoſtolica dignaremur . Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati , vobis & Fratribus prædictis , quod in eadem domo, quæ poſtea , ut aſſeritis , ædificata fuit , perpetuo inhabitare , ac illam prout hactenus feciſtis & facitis , tenere libere & licite valeatis , conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis , ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica , tenore præſentium indulgemus .

Datum Romæ apud ſanctum Petrum , anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. XIII. Kalendas Junii , Pontificatus noſtri anno V.

XLIV.

Ut dent licentiam ædificandi in oppido Mechlinii Monaſterium Clariſſarum , juxta primæva inſtituta . Ex lib. 156. fol. 162.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Michaelis Antwerpien. & Decano Eccleſiæ ſancti Rumoldi Mechlinien. oppidorum , Cameracen. diœceſis .

§. I. SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ gubernacula &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ , nobilis mulieris Joannæ , dilecti filii nobilis viri Philippi Archiducis Auſtriæ conjugis petitio continebat , quod dilecta in Chriſto filia Eliſabetha de Iſmerſele, relicta quondam Godefridi Villani militis , ob ſingularem , quem ipſa Eliſabetha ad ſanctam Claram , & Ordinem ejuſdem Sanctæ , gerit devotionis affectum , & pro animæ ſuæ ſalute , Religionis propagationem , ac Divini cultus augmentum , ex bonis ſibi a Deo collatis , in domo ſua , cum horto & oppido Mechlinien. Cameracen. diœceſis , Philippo & Joannæ prædictis in temporalibus ſubjecto , conſiſtente , quam dicta Eliſabetha inhabitat , & ad hunc effectum aſſignare proponit , unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis , ſine proprio , ſecundum primæva inſtituta Regularia Ordinis ejuſdem , in communi & paupertate viventium , erigi ſummopere deſiderat ; ſed obſtante teſtamento ſeu ultima voluntate dicti Godefridi ſui viri , quo ſeu qua , accedente conſenſu dictæ Eliſabethæ, domum eamdem cum horto, & toto fundo illius , quæ ipſis Godefrido & Eliſabethæ communis , & conſtante eorum matrimonio acquiſita erat , poſt eorum obitum , pro uſu & habitatione pauperum mulierum deputavit & ordinavit , ac pro earum ſuſten-

ta-

tatione certa bona per eas, poſt eorum obitum hujuſmodi poſſidenda reliquit; deſiderium ſuum in hac parte timet adimplere non poſſe, niſi ſuper hoc Sedis Apoſtolicæ ſibi ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dictæ Joannæ aſſerentis, ſe cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis, & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabethæ, Reginæ Hiſpaniæ illuſtrium filiam exiſtere, & ad Ordinem prædictum ſpecialem gerere devotionis affectum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Eliſabethæ de Imerſele in domo, horto & fundo hujuſmodi, locum pro uno Monaſterio dicti Ordinis inibi erigendo, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, & poſtquam locus ipſe in totum ſeu partem in ſuis ſtructuris & ædificiis, cum decenti clauſura conſtructus fuerit, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſecundum primæva inſtituta prædicta, ſine proprio, ex incerta mendicitate viventium, ac dignitatem inibi Abbatiſſalem, cum Eccleſia, Oratorio, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis inibi erigere, ac illud ſic erectum, ac ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſive Sorores, curæ, viſitationi, directioni, correctioni, & omnimodæ ſuperioritati Generalis Ultramontani, & Provincialis Provinciæ Colonien. Vicariorum dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, & cujuslibet eorum, & deputandorum per eos vel alterum eorumdem, ſubjicere & ſubmittere, ac ipſis Vicariis, ut illud ſub eorum cura, viſitatione, directione, correctione hujuſmodi recipiant, & ad illud aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta viventes, eorum curæ commiſſorum, ætate provectas, & in Regulari Obſervantia, ritu & moribus dicti Ordinis ſanctæ Claræ inſtructas, & zelum Dei habentes, quas voluntarias invenerint, pro plantanda in ipſo Monaſterio ſic tunc erecto Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ, & pro inſtructione ac directione earum, quæ inibi in Moniales recipientur, ſaltem ad tempus opportunum transferant, & unam ex eis ſic translatis, illi in Abbatiſſam, quæ mulieres ſeculum fugientes, præſertim Virgines Divinis beneplacitis ſecundum inſtituta prædicta vacare volentes, in Moniales ejuſdem Monaſterii recipere, ac eis habitum Regularem, juxta aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem, exhibere, & profeſſionem per Moniales ejuſdem Ordinis emitti ſolitam, ab eis, ſi illam expreſſe emittere voluerint, in eorum manibus recipere poſſit & valeat, ac alias eiſdem translatis, ſolitis officiis in ſimilibus Monaſteriis illorum Monialibus concedi ſolitis, præficiant, præcipere & mandare, ac bona prædicta per eumdem Godrefridum pro prædictarum peuperum mulierum ſuſtentatione relicta, pro victu & veſtitu & neceſſitatibus quorumdam pauperum virorum quibus idem Godefridus, accedente etiam conſenſu dictæ Eliſabethæ, quamdam aliam domum, pro illorum uſu & habitatione, ac certa alia bona pro eorumdem ſuſtentatione reliquit & donavit, & qui pluribus ex relictis eis bonis hujuſmodi, fraudati & fruſtati fuerunt, applicare & deputare, ac Moniales dicti Monaſterii tunc erecti, quæ pro tempore erunt, & ex inſtitutis prædictis nihil proprii habebunt, in locum dictarum pauperum mulierum in domo, horto & fundo prædictis pro illorum uſu & habitatione hujuſmodi deputatis, ſubſtituere & ſubrogare, dictamque piam voluntatem ejuſdem Godefridi, quoad hoc commutare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, vocatis Syndico

co pauperum, & aliis qui fuerint evocandi, ſi eſt ita, eidem Eliſabethæ de Iſmerſele, in domo, horto & fundo hujuſmodi, locum pro uno Monaſterio dicti Ordinis ſanctæ Claræ inibi erigendo, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, & poſtquam locus ipſe in totum ſeu partem in ſuis ſtructuris & ædificiis, cum decenti clauſura conſtructus fuerit, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum primæva inſtituta prædicta, ſine proprio, ex incerta mendicitate viventium, ac dignitatem inibi Abbatiſſalem, cum Eccleſia, Oratorio, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, alias ſine alicujus præjudicio, inibi erigere, ac illud ſic erectum, & ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſive Sorores, curæ, viſitationi, directioni, correctioni, & omnimodæ ſuperioritati dictorum Vicariorum, & cujuslibet eorum, & deputandorum per eos vel alterum eorumdem, ſubjicere & ſubmittere, ac ipſis Vicariis ut illud, Abbatiſſam & Moniales prædictas, ſub eorum cura, viſitatione, directione, correctione hujuſmodi recipiant, & ad illud aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſecundum inſtituta prædicta viventes, eorum curæ commiſſorum, ætate provectas, & in Regulari Obſervantia, ritu & moribus dicti Ordinis ſanctæ Claræ inſtructas, & zelum Dei habentes quas voluntarias invenerint, pro plantanda in ipſo Monaſterio ſic tunc erecto Regulari Obſervantia ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, ac pro inſtitutione & directione earum, quæ inibi in Moniales recipientur, ſaltem ad tempus opportunum transferant, & unam ex eiſdem translatis, illi in Abbatiſſam, quæ mulieres ſeculum fugientes, præſertim Virgines Divinis beneplacitis, ſecundum inſtituta prædicta vacare volentes, in Moniales ejuſdem Monaſterii recipere, ac eis habitum Regularem, juxta aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem exhibere, & profeſſionem per Moniales ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, ab eis, ſi illam in eorum manibus expreſſe emittere voluerint, recipere poſſit & valeat, ac alias ex eiſdem translatis, ſolitis officiis in ſimilibus Monaſteriis illorum Monialibus concedi ſolitis præficiant, committere & mandare, ac bona prædicta per eumdem Godefridum, pro dictarum pauperum mulierum ſuſtentatione relicta, pro victu & veſtitu, & aliis neceſſitatibus pauperum virorum prædictorum, applicare & deputare, ac Moniales dicti Monaſterii, quæ pro tempore erunt, & ex inſtitutis prædictis nihil proprii habebunt, in locum dictarum pauperum mulierum, in domo, horto & fundo prædictis ſubſtituere & ſubrogare, dictamque piam voluntatem ejuſdem Godefridi quoad hoc commutare, auctoritate noſtra curetis.

§. III. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per vos, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, Monaſterio prædicto, & illius pro tempore Abbatiſſæ, Conventui & Monialibus, oblatis, donatis & converſis, ac ejuſdem Monaſterii obſequiis inſiſtentibus pro tempore, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indulgentiis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. rec. Clementis Papæ IV. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. V. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XLV. *Con-*

XLV.

Conceditur ei facultas ædificandi domum Obſervantum in oppido Stricling. Ibidem fol. 65.

Cariſſimo in Chriſto filio Jacobo Scotorum Regi illuſtri.

§. I. Dum inter cetera &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu fervore devotionis accenſus, cupiens tranſitoria in æterna, & temporalia in cœleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub Viçariis degentium, & eorum perſonas, & propter eorum exemplarem vitam, ac uberes fructus, quos incolis locorum in quibus degunt, aſſidua & devota Divinorum officiorum celebratione, verbi Dei prædicatione, & confeſſionum diſcreta auditione, afferre ſolent, geris devotionis affectum, de bonis tibi a Deo collatis, unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Ordinis Fratrum Minorum hujuſmodi, in oppido Stricling. in tuo dominio conſiſtenti, ſancti Andreæ diœceſis, conſtrui & ædificari facere ſummopere deſideras, ſi tibi illam conſtrui & ædificari faciendi, & Fratribus prædictis illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, per Sedem Apoſtolicam licentia concederetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ac Fratribus prædictis illam, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum uſu & habitatione prædictis recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in dicto oppido, ſine cujuſcumque præjudicio, fundandi, & conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus prædictis ipſis illam pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim dictæ domui, ſi illam per te, vigore præſentium conſtrui & ædificari contigerit, ut præfertur, & illius pro tempore Guardiano & Fratribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, indulgentiis, gratiis, favoribus & indultis aliis ejuſdem Ordinis domibus, Guardianis & Fratribus per Sedem Apoſtolicam conceſſis, vel alias quomodolibet in poſterum per eamdem Sedem concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, præfata auctoritate concedimus. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVII. V. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XLVI.

Ut domum Sororum Tertii Ordinis de Saviliano transferant in Monaſterium Clariſſarum. Ex lib. 169. fol. 207.

Dilectis filiis Priori Prioratus ſancti Andreæ de Saviliano, & Præcentori beatæ Mariæ de Saluciis, Taurinen. diœceſis, ac Bartholomæo de Ogeriis Canonico Taurinen. Eccleſiarum.

§. I. Ut inter æternæ beatitudinis amatrices &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Sororum domus loci Saviliani, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Taurinen. diœceſis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ, quæ in communi, & ſub cura Fratrum dicti Ordinis degunt, ac plures & ſufficientes reditus, pro vitæ earum ſuſtentatione, ac Eccleſiam, dormitorium & ædificia pro earum habitatione ſufficientia habent, cupiunt ob melioris vitæ frugem, ſe & earum domum, ſecundum Obſervantiam & inſtituta Regularia Ordinis ſanctæ Claræ reformari, & in dicta domo ſub perpetua clauſura degere, ac Altiſſimo famulari. Quare pro parte earumdem Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut illas & domum prædictam, ſecundum Obſervantiam & inſtituta prædicta reformari, ac ad perpetuam clauſuram reduci mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, Sorores & domum præfatas, ſecundum Obſervantiam & inſtituta prædicta, auctoritate noſtra reformare, illaſque ſub perpetua clauſura reducere curetis. Et nihilominus, ſi reformationem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, aliquibus Superioribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, per eaſdem Sorores eligendis, duas aut tres vel quatuor Moniales ex Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ, in illius Obſervantia, inſtitutis & cæremoniis viventes, quas ad id benevolas invenerint, ad dictam domum, de ſuorum Superiorum licentia, ſe transferendi licentiam dicta auctoritate largiamini. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. VII. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VI.

XLVII.

Ut dent licentiam conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in urbe Panormitana. Ex libro 166. ſol. 292.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Regino, & dilectis filiis Archidiacono, & Bernardino de Bononia Canonico Eccleſiæ Panormitan.

§. I. Inter cetera cordis noſtri deſiderabilia &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Aloiſiæ de Septimo, mulieris viduæ Panormitanæ petitio continebat, quod olim ipſa de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, in quodam loco ad id commodo, intra muros Civitatis Panormitanæ quamdam Eccleſiam ſeu capellam ſub invocatione bea-

beatæ Mariæ de Gratia Montis Virginum, cum nonnullis aliis ædificiis & manſionibus circa hujuſmodi Eccleſiam, de bonis ſuis propriis conſtrui & ædificari fecit, quodque ſi apud dictam Eccleſiam ſeu Capellam Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ conſtrueretur, ac ædificia & manſiones hujuſmodi in Monaſterium pro perpetuis uſu & habitatione duodecim Monialium dicti Ordinis erigeretur, præfata Aloiſia Monaſterium ipſum annuis reditibus 20. unciarum monetæ illius patriæ dotaret, & ex hoc profecto Religio propagaretur, ac Divinus cultus inibi ſuſciperet incrementum. Quare pro parte dictæ Aloiſiæ, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi apud dictam Eccleſiam ſeu Capellam unum Monaſterium dicti Ordinis conſtruendi & ædificandi, ac Eccleſiam ſeu Capellam hujuſmodi cum humili campanili & campana pro illius Eccleſia concedere, necnon manſiones & ædificia prædicta in Monaſterium, cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro Abbatiſſæ & duodecim aut plurium Monialium dicti Ordinis inibi ſub regularibus ejuſdem Ordinis inſtitutis, & perpetua clauſura, ac habitus Clariſſarum delatione, Altiſſimo famulantium perpetuis uſu & habitatione erigere, &, ut præfertur, dotandi licentiam concedere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, præfatæ Aloiſiæ apud dictam Eccleſiam ſeu Capellam unum Monaſterium dicti Ordinis conſtrui & ædificari, ac Eccleſiam ſeu capellam hujuſmodi cum campanili humili & campana eidem Monaſterio aſſignare & concedere curetis, necnon manſiones & ædificia prædicta in Monaſterium cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & duodecim aut plurium Monialium dicti Ordinis, inibi ſub perpetua clauſura, ac delatione dicti habitus Altiſſimo famulantium, ſine cujuſquam præjudicio, erigendi, & eidem Aloiſiæ illud annuis reditibus viginti unciarum hujuſmodi dotandi, necnon ad ipſum Monaſterium, poſtquam conſtructum & ædificatum fuerit, ut præfertur, duodecim Monialibus ex quibuſvis Monaſteriis dicti Ordinis ad id voluntariis, de ſuorum ſuperiorum licentia, ſe transferendi & intrandi, quæ, & aliæ Moniales inibi pro tempore recipiendæ, ſub regularibus inſtitutis, & perpetua clauſura, ac cum habitus Clariſſarum delatione, ac alias juxta modum vivendi Monialium Monaſterii Montis Virginum, Meſſan. dicti Ordinis, degant, ac pro hac primæva vice dumtaxat eidem Aloiſiæ Abbatiſſam Monaſterii ſic conſtructi nominandi licentiam auctoritate noſtra concedatis: quod Abbatiſſa dicti conſtruendi Monaſterii temporalis eſſe, & poſt hanc primam vicem, perpetuis futuris temporibus, quoties illud vacare contigerit, per illius Conventum libere eligi, & per Superiores Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, electa ipſa) confirmari debeat; quodque Monaſterium ipſum, & in eo pro tempore degentes Abbatiſſa & Moniales, ut ſub cura, regimine & gubernatione dictorum ſuperiorum pro tempore eſſe debeant: quodque nulla perſona ſecularis in hujuſmodi Monaſterium ſic erectum, niſi pro inevitabili Monaſterii & Monialium prædictorum neceſſitate, præterquam dicta Aloiſia, quæ quoad vixerit, etiam ſub habitu ſeculari, cum aliquibus aliis honeſtis mulieribus, quas pro ſuo ſervitio duxerit eligendas, intrare, & ſub ſeculari habitu in eo remanere poſſit, clauſuram tantum hujuſmodi obſervare teneatur. Nos enim, ſi conceſſionem, ſtatutum & ordinationem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto eri-

erigendo Monaſterio, Abbatiſſæ & Monialibus in eo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis, immunitatibus, aliis ejuſdem Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus in genere conceſſis, vel alias concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. IV. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno VI.

XLVIII.

Ut poſſit conſtrui Monaſterium Clariſſarum in urbe Hiſpalenſi. Ex libr. 184. fol. 111.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Toletan. & dilectis filiis Archidiacono Eccleſiæ Hiſpalen. ac Officiali Hiſpalen.

§. I. Inter univerſa opera &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Alvari de Portugall. Domicelli, Elboren. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe, qui de illuſtri & regio genere procreatus, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabeth. Caſtellæ & Legionis Reginæ illuſtris frater conſobrinus exiſtit, devotionis fervore, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ gerit, accenſus, cupit unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſub primæva illius inſtitutione degentium, in Civitate Hiſpalen. in aliquo illius loco ad id condecenti & idoneo conſtrui & ædificari facere; intenditque expenſas ad id neceſſarias miniſtrare, ſi ad hoc ſibi Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte ejuſdem Alvari nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in prædicta Civitate, in aliquo illius loco ad id decente & idoneo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſub primæva inſtitutione hujuſmodi degentium, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi & ædificandi, necnon ſub inſtitutione hujuſmodi degentibus, ac Urbanis nuncupatis, & quibuſvis aliis dicti Ordinis Monialibus per eumdem Alvarum ad id nominandis, & quas ipſe ad id voluntarias invenerit, ex quibuſvis aliis Monaſteriis dicti Ordinis, ad dictum ſic conſtruendum Monaſterium, poſtquam conſtructum fuerit, abſque alicujus ſuperioris licentia, ſe libere transferendi, & illud recipiendi, ac in eo permanendi licentiam concedere, ipſumque conſtruendum Monaſterium Vicario Generali Ultramontano, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum pro tempore exiſtenti, perpetuo immediate ſubjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædicto Alvaro in dicta Civitate, in aliquo illius loco ad id condecenti & idoneo, ut præfertur, unum Monaſterium cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, necnon ſub prima inſtitutione degentibus vel Urbanis nuncupatis, ſeu quibuſvis aliis Monialibus dicti Ordinis, quas idem Alvarus duxerit nominandas, & ad id voluntarias invenerit, de earum Monaſteriis, ad dictum conſtruendum

dum Monaſterium, poſtquam conſtructum & erectum fuerit, abſque alicujus ſuperioris licentia, ſe libere transferendi, & illud recipiendi, ac in eo permanendi, auctoritate noſtra liberam & omnimodam licentiam concedatis; illudque poſtquam ſic conſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſub prima inſtitutione viventium hujuſmodi erigatis, ac Vicario Generali prædicto perpetuo immediate ſubjiciatis; & quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus tam ſic translatæ, quam aliæ Moniales dicti erigendi Monaſterii pro tempore exiſtentes, unam ex eis in earum & dicti erigendi Monaſterii Abbatiſſam de triennio in triennium eligere debeant: quodque idem Vicarius per ſe ipſum, ſi voluerit, aliter per Commiſſarium, Abbatiſſam pro tempore exiſtentem, & Conventum dicti erigendi Monaſterii, per Conventum hujuſmodi, & Moniales ſeu earum majorem partem eligendam, ipſum erigendum Monaſterium viſitare tam in capite, quam in membris reformare & corrigere, & nulli alteri, quam per eas ſic eligendæ ad id vices ſuas committere, neque alias, quam per ſe ipſum, vel ſic electum Commiſſarium de Monaſterio & illius Monialibus prædictis ſe impedire poſſit; & tam Generalis Vicarius, quam etiam pro tempore exiſtens Commiſſarius prædicti, quoad dictum erigendum Monaſterium parem, & omnimodam poteſtatem & auctoritatem habeant in omnibus & per omnia, abſque ulla differentia, quam dicti Ordinis Fratrum Minorum Protector pro tempore exiſtens in Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ habet, & habere poterit quomodolibet in futurum; quodque ipſa Abbatiſſa & Conventus, ſeu etiam major pars, quoties eis videbitur, Commiſſarium hujuſmodi, qui dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſor eſſe debeat, eligere, & quoties dictus Vicarius electionem Commiſſarii per eas pro tempore electi, confirmare, ſuper hoc pro earum parte requiſitus recuſaverit, poſt tres dies requiſitionem ipſam immediate ſequentes, ipſa electio Apoſtolica auctoritate confirmata, & ſic electus deputatus ſit, & eſſe cenſeatur eo ipſo; & inſuper, quod ſi dictum Vicarium Generalem in loco a prædicta Civitate ultra duas dietas remoto moram trahere contigerit, eo caſu, quicumque Cuſtos ſeu Guardianus cujuslibet Cuſtodiæ ſive domus dicti Ordinis Fratrum Minorum, electionem hujuſmodi confirmare valeat, & ſic pro tempore electus, ſub virtute ſanctæ Obedientiæ, onus officii Commiſſarii hujuſmodi acceptare, & illud exercere debeat, etiam cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, ac poſt electionis hujuſmodi confirmationem, Abbatiſſæ & Monialium dicti Monaſterii pro tempore exiſtentium prædictarum confeſſiones audire, eiſque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac unum vel duos ſocios dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſores, qui cum eo manere debeant, & cum per eum ſuper hoc requiſiti fuerint, etiam abſque alicujus Superioris licentia, ſub virtute Obedientiæ hujuſmodi, ad hoc omnino teneantur, ad id nominare, & ſecum aſſumere libere & licite valeat.

§. III. Præterea, quod Commiſſarius & ſocii cum eo pro tempore exiſtentes, ac Abbatiſſa & Conventus prædicti, ſuper præmiſſis & eorum ſingulis, vel eorum occaſione per quoſcumque dictorum Ordinum Superiores aut alias perſonas, cujuſvis gradus, ſtatus, Ordinis, conditionis & dignitatis exiſtentes, moleſtari nullatenus debeant ſive poſſint, prædicta auctoritate noſtra ſtatuatis & ordinetis, alias abſque alicujus præjudicio, ac jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Et nihilominus Abbatiſſæ & Conventui, ac Commiſſario & ſociis prædictis, eorumque & earum ſingulis per vos vel alium ſeu alios in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos & eas vel eorum ali-

quem vel earum aliquam, prædicta occaſione aliquatenus moleſtari ſeu inquietari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nos enim erigendo Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, ut præfertur, illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus præfatis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, exemptionibus, favoribus, gratiis & indultis, aliis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus Ordinis prædicti in genere per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica prædicta indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. VIII. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno VII.

XLIX.

Quod in inſula Sapientiæ conſtrui poſſit domus Obſervantium. Ex lib. 172. fol. 69.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Machovien. in ſpiritualibus Generali.

§. I. Piis ſupplicum votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Communitatis Civitatis Machovien. & Thomæ D'Aquila, ac Georgii de Augiò, Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum, de Obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, quod cum in inſula de Sapientia, prope dictam Civitatem conſiſtente, non ſit aliquorum hominum habitatio; ſi apud quamdam Eccleſiam in dicta inſula conſiſtentem, & penitus derelictam, ubi adhuc locus aptus & idoneus exiſtit, una domus cum campana, campanili, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis conſtrueretur & ædificaretur, ex hoc inibi Divinus cultus augmentum, & religio propagationem, necnon cives & habitatores dictæ Civitatis propter exemplarem vitam, & ſalubria monita Fratrum dicti Ordinis, pro animarum ſuarum ſalute ſalubria ſuffragia ſuſciperent. Quare pro parte eorumdem Communitatis, ac Thomæ & Georgii nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Communitati in dicto loco unam domum, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ut præfertur, conſtruendi & ædificandi, dictiſque Thomæ & Georgio illam nomine ejuſdem Ordinis recipiendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Communitati in præfato loco unam domum, cum campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub regulari Obſervantia, & ſub obedientia Miniſtri Generalis dicti Ordinis in virtute Altiſſimo famulentur, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ac eiſdem Thomæ & Georgio dictum locum pro uſu & habitatione prædictis, nomine dicti Ordinis recipiendi, necnon eamdem Eccleſiam ampliandi, licentiam concedere, auctoritate noſtra procures. Nos enim dictæ domui, poſtquam conſtructa fuerit, ut præfertur, ac Guardiano & Fratribus, qui eam inhabita-

tabunt pro tempore, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, favoribus, gratiis, indulgentiis & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis domus, Guardiani & Fratres in genere utuntur, potiuntur & gaudent, ac in futurum uti, potiri & gaudere poterunt, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. ac aliis conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. VIII. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno VII.

L.

Ut poſſit ædificari in urbe Panormitana Monaſterium Clariſſarum. Ex libro 175. fol. 101.

Venerabili fratri Epiſcopo Cephaluden. & dilectis filiis Abbati Monaſterii de Nemore, Agrigentin. diœceſis, ac Joanni Pujades Canonico Eccleſiæ Meſſanen.

§. I. Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ &c. Sane pro parte dilecti filii Jacobi de Leo, Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſoris, qui, ut aſſerit, Monaſterium beatæ Mariæ de Gripta Panormitan. Ordinis ſancti Baſilii ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica obtinet in commendam, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe, ob ſingularem, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ gerit devotionem, cupit ut Synagoga Judæorum, *Moſtheta* nuncupata terræ Termarum, Panormitan. diœceſis, quæ ad præſens, propter Judæorum a Regno Siciliæ ultra Pharum expulſionem vacua & deſtituta exiſtit, in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis & conſuetis, ſub invocatione ejuſdem Sanctæ erigatur. Quare pro parte ejuſdem Jacobi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Synagogam prædictam in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione hujuſmodi, cum hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis & conſuetis erigere, ſibique ut ad illud, poſtquam erectum fuerit, aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum circumvicinorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quas benevolas repererit, transferre, & alias puellas eumdem Ordinem ſanctæ Claræ profiteri affectantes, in Moniales ejuſdem ſic tunc erecti Monaſterii recipere, & pro hac prima vice aliquam in illius Abbatiſſam præficere valeat, concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi & poſtquam vobis de præmiſſis legitime conſtiterit, Synagogam prædictam in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſub hujuſmodi invocatione, cum hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis & conſuetis; jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, & ſine alicujus præjudicio, auctoritate noſtra erigatis: ipſique Jacobo, ut poſtquam illud ſic erectum fuerit, aliquas Moniales aliorum Monaſteriorum circumvicinorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quas ad id voluntarias repererit, ad illud transferre, ac alias puellas Ordinem ipſum ſanctæ Claræ profiteri affectantes, in Moniales ejuſdem Monaſterii ſic erecti recipere; ipſique ſic tunc erecto Monaſterio, aliquam ex dictis Monialibus ad

ad id idoneam, in Abbatiſſam præficere libere & licite valeat, eadem auctoritate indulgeatis, de conſenſu tamen eorum, quorum intereſt. Nos enim, ſi Monaſterium ipſum erigi contigerit, ut præfertur, illi, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, gratiis & indultis, aliis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus dicti Ordinis conceſſis, uti, potiri & gaudere valeant; auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno VII.

LI.

Ut concedant licentiam ædificandi Monaſterium in oppido de Palma. Ex libro 174. fol. 324.

Dilectis filiis Decano & Scholaſtico Eccleſiæ Corduben.

§. I. Inter univerſa opera &c. Sane pro parte dilecti filii Joannis Menos, alias laici Corduben. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ gerit, accenſus, cupit in quadam domo ſua prope parochialem Eccleſiam beatæ Mariæ oppidi de Palma Corduben. diœceſis, ſub temporali dominio dilecti filii nobilis viri Ludovici Porto-carrero Domini dicti oppidi exiſtentis, quoddam Monaſterium Monialium dicti Ordinis conſtruere, ædificare, ac in illius Eccleſia unam perpetuam capellaniam pro uno perpetuo capellano, qui Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, Miſſas & alia Divina officia celebrare poſſit, fundare & dotare, ſi ad id dictæ Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte ejuſdem Joannis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi ex eadem domo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis cum Eccleſia, cœmeterio, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, ædificandi & conſtruendi, ipſiſque Monialibus illud, poſtquam erectum fuerit, recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, necnon illud in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, & in illius Eccleſia hujuſmodi capellaniam pro quodam perpetuo capellano, qui Abbatiſſæ & Conventui prædictis Miſſas, & alia Divina officia celebrare debeat, erigere, ipſiſque Monaſterio & cappellaniæ ſic tunc erectis, reſpective pro illarum dote nonnullas domos, fructus, reditus, & alia bona, ad id per dictum Joannem aſſignanda, perpetuo applicare & appropriare, ac juſpatronatus, & præſentandi perſonam idoneam ad dictam capellaniam tam pro hac prima vice, quam quoties deinceps perpetuis temporibus vacare contigerit, ſibi, & ad id per eum nominando ſeu nominandis, eorumque ſic nominandorum hæredibus & ſucceſſoribus in perpetuum reſervare & concedere; necnon, quod dictæ Moniales unam ex eis in earum & dicti Monaſterii Abbatiſſam de biennio in biennium eligere, ac Monaſterium prædictum obedientiæ Cuſtodis Angelorum, ſeu Hiſpalen. Cuſtodiarum Ordinis Fratrum Minorum, ſecundum illius morem, perpetuo ſubjicere; necnon eleemoſynas, legata & bona, quæcumque eis & dicto Monaſterio, per dictum Joannem, & quoſcumque alios pro tempore legata, erogata & conceſſa recipere, & in communi perpetuo retinere, ipſeque Cuſtos electionem pro tempore factam hujuſmodi confirmare, & Abbatiſſam & Moniales & Monaſterium hujuſmodi regere & gu-

gubernare libere & licite poſſint & debeant, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ipſius Joannis propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ, cum Eccleſia Corduben. paſtore careat ad præſens, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, per vos ipſos præfato Joanni ex eadem domo unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi, cum Eccleſia, humili campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtruendi & ædificandi; ipſiſque Monialibus illud, poſtquam erectum fuerit, recipiendi & perpetuo inhabitandi, ac illud, cum conſtructum fuerit, ſi opus ſit, ampliandi, auctoritate noſtra liberam & omnimodam licentiam concedatis; necnnn illud cum ſic conſtructum fuerit, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ac in illius Eccleſia unam perpetuam capellaniam, pro quodam perpetuo capellano, qui Abbatiſſæ & Monialibus prædictis Miſſas & alia Divina officia celebrare, & earum confeſſiones audire, eiſque Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac Sacriſtiam ejuſdem Eccleſiæ cuſtodire, & dicto Cuſtodi, ac aliis presbyteris in dicta Eccleſia Miſſas celebrare volentibus, Altare ad illam celebrandum præponere, & neceſſaria ornamenta aſſignare teneatur, & non dicto Cuſtodi in aliquo, ſed loci Ordinario ſubjiciatur, abſque alicujus præjudicio erigere: necnon eiſdem ſic tunc erectis Monaſterio & capellaniæ, pro illorum dote, domos, vineas, fructus, reditus, & alia bona prædicta, ad id per ipſum Joannem aſſignanda, perpetuo applicare & appropriare, ac Joanni, & ab eo nominando ſeu nominandis, ipſorumque nominandorum hæredibus & ſucceſſoribus, qui etiam dicti Monaſterii curam habere debeant, jus patronatus, & præſentandi eidem Ordinario perſonam idoneam ad dictam capellaniam tam pro hac prima vice, quam quoties deinceps perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, perpetuo reſervare & concedere; quodque Moniales dicti Monaſterii pro tempore exiſtentes, unam ex eis in earum & dicti Monaſterii Abbatiſſam de biennio in biennium eligere, & obedientiæ Cuſtodis Angelorum, ſeu Hiſpalen. Cuſtodiarum hujuſmodi, ſe & dictum Monaſterium hujuſmodi ſubjicere, necnon eleemoſynas & legata & bona quæcumque eis & dicto Monaſterio, tam per dictum Joannem, quam quoſcumque alios ſibi pro tempore legata, erogata & conceſſa recipere, & in communi perpetuo retinere; ipſeque Cuſtos electionem hujuſmodi confirmare, ac eas & dictum Monaſterium regere & gubernare; ac dicta Abbatiſſa quaſcumque Novitias in eodem Monaſterio intrare volentes, recipere, & eis habitum dicti Ordinis S. Claræ exhibere, ac ab eis profeſſionem, per Moniales ejuſdem Monaſterii ſanctæ Claræ emitti ſolitam, ſi eam in ejus manibus ſponte emittere voluerint, recipere & admittere, libere & licite poſſint & debeant: præterea quod quæcumque mulier ex parentela dicti Joannis, infra quartum conſanguinitatis gradum, pro tempore exiſtens, etiamſi nihil dicto Monaſterio contulerit, in illius Monialem recipi valeat, ac Abbatiſſa & Moniales prædictæ illam recipere teneantur; necnon quod uxor patroni dictæ capellaniæ pro tempore exiſtentis cum alia muliere honeſta, quam ad id pro tempore duxerit eligendam, ſepties in anno dictum Monaſterium intrare, & inibi cum dictis Monialibus intertinere, cibum ſuſcipere, & per totum diem permanere libere & licite poſſint, dummodo inibi non pernoctent; quodque omnia & ſingula alia, capellaniam, & alia præmiſſa concernentia, per ipſum Joannem diſponenda & ordinanda, quæ tamen a ſacris canonibus non deviantia, & ho-

honeſta ſint, perpetuo inviolabiliter obſervari debeant, ſtatuere & ordinare prædicta auctoritate curetis.

§. III. Nos enim, ſi ædificationem, conſtructionem & erectionem hujuſmodi fieri contigerit, ut præfertur, Monaſterio ſic tunc erecto, ac illius Abbatiſſæ & Monialibus præfatis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, gratiis, immunitatibus, indultis, exemptionibus, indulgentiis & favoribus, aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus in genere conceſſis, & per Sedem Apoſtolicam in poſterum, ſeu alias quomodolibet concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVIII. XIII. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno VII.

LII.

Ut Monaſterium Terræ Boſchi Sororum Ordinis ſancti Auguſtini transferant ad Religionem ſanctæ Claræ. Ex lib. 184 fol. 181.

Dilecto filio Præpoſito Eccleſiæ S. Stephani de Leginoluno, Mediolanen. diœc.

§. I. Romanus Pontifex &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii ſanctæ Mariæ Chriſtus, Ordinis ſancti Auguſtini, Terræ Boſchi, Mediolanen. diœceſis, petitio continebat, quod cum ipſæ, quæ alias per presbyteros ſeculares regi conſueverant, ad Ordinem ſanctæ Claræ, Minoriſſarum nuncupatum, ſpecialem gerant devotionis affectum, cupiantque ſub ipſius Ordinis ſanctæ Claræ habitu, & Regulari Obſervantia perpetuo vacare, & Altiſſimo famulari: pro parte Abbatiſſæ & Monialium prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto Monaſterio Ordinem præfatum ſupprimere & extinguere, & in eo Ordinem ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ hujuſmodi erigere & inſtituere, & Abbatiſſæ & Monialibus præfatis, ut habitum per Moniales Ordinis ſanctæ Claræ Obſervantiæ hujuſmodi geſtari ſolitum, & virginum in dicto Monaſterio profeſſiones emittere volentium profeſſiones ſuſcipere, ac earum Superiorem, juxta morem dicti Ordinis ſanctæ Claræ eligere valeant, concedere & indulgere; quodque Monaſterium & Abbatiſſa & Moniales præfatæ, in dicto Monaſterio pro tempore exiſtentes, ſub cura & protectione Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Mediolanen. juxta morem dicti Ordinis Fratrum Minorum, qui earum confeſſiones audiant, & alia faciant, prout in aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ facere conſueverunt, ſint & eſſe cenſeantur, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, in dicto Monaſterio Ordinem præfatum ſancti Auguſtini penitus & omnino ſupprimere & extinguere, ac Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi erigere & inſtituere, ac Abbatiſſæ & Monialibus præfatis, ut habitum per Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ geſtari ſolitum, & virginum in eo profeſſionem emittere volentium, profeſſiones recipere, & Superiorem earum, juxta morem dicti Ordinis ſan-

ſanctæ Claræ, eligere valeant, concedere; necnon quod Monaſterium & Moniales in eo pro tempore exiſtentes, ſub cura & protectione dictorum Fratrum ſint & eſſe cenſeantur, qui earum confeſſiones audiant, & alia faciant, prout in aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ facere conſueverunt, ſtatuere & ordinare, ipſiſque Monialibus dictum habitum exhibeant, ac earum profeſſiones admittant, ſub excommunicationis ſententia præcipere & mandare; dummodo in omnibus præmiſſis, Ordinarii loci, ſub cujus juriſdictione & gubernatione Moniales dicti Monaſterii, ut aſſerunt, exiſtunt, expreſſus accedat aſſenſus, auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim ſi ſuppreſſionem, extinctionem, erectionem, inſtitutionem & conceſſionem præfatas per te vigore præſentium fieri contigerit, Monialibus præfatis in dicto Monaſterio pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, libertatibus, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus per nos vel Sedem Apoſtolicam, ac alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VII.

LIII.

Ut det facultatem conſtruendi domum Sororum Tertii Ordinis in urbe Averſana. Ex lib. 199. fol. 98.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Averſani in ſpiritualibus Generali.

§. I. Piis ſupplicum votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Philippæ Formatæ mulieris petitio continebat, quod alias quondam Julia Formata mulier etiam Averſana, ipſius Philippæ Soror, condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, inter alia voluit, quod de conſenſu & voluntate ipſius Philippæ, de omnibus bonis, quæ fuerant quondam Joannis de Formato, earumdem Philippæ & Juliæ genitoris, conſtrueretur una domus Sororum Tertii Ordinis beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, pro nonnullis Sororibus dicti Ordinis in communi viventibus, intra muros civitatis Averſanæ, dilectis filiis Joanne Medianæ Gorgano, & Tomaſio de Alto mari, nobilibus Averſan. deſuper executoribus deputatis, qui, dicta Julia defuncta, de conſenſu dictæ Philippæ, quamdam domum intra muros prædictos, pro eiſdem Sororibus, juxta ritum & morem dicti Ordinis, adinſtar aliarum domorum Sororum earumdem reformandam emerunt, & reformari fecerunt: ipſa vero Philippa Ordinem prædictum ingreſſa, ad dictam domum, cum duabus aliis mulieribus ſe contulit, & illam hactenus inhabitavit, prout inhabitat de præſenti, Divinis vacando beneplacitis, & eidem domui & Sororibus illam pro tempore inhabitantibus bona prædicta inter vivos, amore Dei; & pro obſervanda dictæ Juliæ voluntate irrevocabiliter donavit, prout in teſtamento, & ſuper emptione & donatione prædictis, confectis inſtrumentis dicitur plenius contineri. Quare pro parte tam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Friderici Siciliæ citra Pharum Regis illuſtris, quam executorum & Philippæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam in domum Sororum dicti Tertii Ordinis cum opportunis officinis erigi mandare, ac

ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, domum prædictam in domum Sororum dicti Ordinis in communi viventium, cum opportunis officinis, abſque alicujus præjudicio, ſalvo jure parochialis Eccleſiæ, eadem auctoritate erigas & deputes, necnon Generali & Provinciali Provinciæ Terræ Laboris Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, ſub excommunicationis pœna mandes & præcipias, ut domum ipſam, & in ea pro tempore degentes Sorores, ſub eorum cura, directione, viſitatione, correctione & punitione recipiant, & eidem, juxta ipſius Ordinis regularia inſtituta, de Miniſtra & Confeſſore idoneis provideant, ac alia quæ pro ipſius domus & ejus perſonarum ... neceſſaria, utilia, ſeu alias quomodolibet opportuna fore cognoverint, ſtatuant & ordinent. Nos enim, ſi erectionem prædictam per te vigore præſentium fieri contingat, eiſdem domui, Miniſtræ & Sororibus illam pro tempore inhabitantibus, ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, exemptionibus & indultis, quibus aliæ domus, Miniſtræ & Sorores Ordinis præfati in genere utuntur, potiuntur & gaudent, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus: Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. XII. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno VII.

LIV.

Ut dent licentiam Obſervantibus duas domos recipiendi. Ex lib. 172. fol. 273.

Dilectis filiis Petro de Coldrego Canonico Eccleſiæ Aquen. & Rothomagen. ac Ambianen. Officialibus.

§. I. SAcræ Religionis &c. Sane pro parte dilecti filii Joannis de Mailli Baronis & Domini temporalis loci ſeu oppidi de Mailli, Ambianen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe olim zelo devotionis accenſus, & ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem prædictum gerebat, ut etiam voluntati & diſpoſitioni parentum ſuorum, qui de hoc ipſum oneraverant, ſatisfaceret, de bonis ſibi a Deo collatis, infra diſtrictum dicti oppidi, loco ad id convenienti & honeſto, ex ſpeciali licentia & conceſſione venerabilis fratris noſtri Juliani tunc Sabinen. Epiſcopi, & in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legati, habentis ad hoc, ut aſſerebat, ſpecialem ab eadem Sede per ejus litteras facultatem, unam domum cum neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dictorum Ordinis & Obſervantiæ, conſtrui & ædificari fecit; & deinde eadem vocatione ductus, ex ſpeciali licentia præfati Juliani Epiſcopi Legati, tunc ſibi vivæ vocis oraculo facta, aliam domum pro ſimilibus uſu & habitatione, in loco, de Bontencourt nuncupato dictæ diœceſis, conſtrui & ædificari facere incepit.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de hujuſmodi poſteriori conceſſione ſeu licentia minime appareat, dictuſque Joannes cupiat domum hujuſmodi ad debitum finem perducere, ſi Sedis prædictæ licentia ad hoc ſibi ſuffragetur. Pro parte dicti Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi, ut inceptam domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, ac aliis neceſſariis offici-

cinis pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dictiOrdinis & Regularis Obſervantiæ, qui Miniſtro Provinciæ Franciæ, & ſuo Vicario immediate ſubeſſe debeant, perficiendi & conſtruendi, ſeu perfici & conſtrui faciendi, licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.III. Nos igitur, qui Religionem & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere & augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eidem Joanni inceptam domum hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officiuis, pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, qui Miniſtro Provinciæ Franciæ, & ſuo Vicario immediate ſubeſſe debeant, abſque alicujus præjudicio perficiendi & conſtruendi, ſeu perfici & conſtrui faciendi, ac ipſis Fratribus locum ipſum recipiendi, & perpetuo inhabitandi, licentiam dicta auctoritate concedatis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi conceſſeritis, ut præfertur, eidem domui & Fratribus in ea pro tempore morantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, exemptionibus, favoribus, immunitatibus & indultis, aliis domibus & Fratribus Ordinis prædicti per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & in futurum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. pridie Kalend. Maii, Pontificatus noſtri anno VII.

LV.

Ut Monaſterium Valentiæ oppidi ab Ordine Tertio ſancti Franciſci transferat ad ſecundum ſanctæ Claræ. E lib. 199. fol. 33.

Dilecto filio Abbati Monaſterii de Gauſei, Septen. diœceſis.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sororum domus, incluſarum nuncupatarum de Valentia, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, Septen. diœceſis, petitio continebat, quod ipſæ Sorores, quæ hactenus in dicta domo ſub Regularibus inſtitutis dicti Ordinis Altiſſimo famulantes, & victum ex eleemoſynis & labore manuum ſuarum ſibi quærentes, vixerunt & vivunt, pro Divini cultus augmento & Religionis propagatione, ac etiam ut animarum ſuarum ſalutem, Deo propitio, facilius conſequi poſſint, cupiunt in dicta domo ſeu apud illam, in aliquo loco commodiori & magis idoneo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ erigere, & ,in eo ſub cura Generalis Ultramontani & Provincialis Provinciæ Portugalen. Vicariorum, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac ſecundum primæva inſtituta ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ Altiſſimo perpetuo famulari. Quare pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta domo Ordinem prædictum ſancti Franciſci ſupprimere, ac in dicta domo ſeu apud illam, in aliquo alio loco commodiori & magis idoneo, unum Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, Regularis Obſervantiæ, cum

Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere &c. aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in dicta domo Ordinem prædictum ſancti Franciſci de Pœnitentia, auctoritate noſtra ſupprimere, ac in illa ſeu apud illam, in aliquo loco ad hoc idoneo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, Regularis Obſervantiæ, quæ ſub cura dictorum Vicariorum vivant, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis dictarum Monialium, ſine alicujus præjudicio erigere; ac dictis Vicariis, ut Monaſterium prædictum, illiuſque Prioriſſam & Moniales pro tempore exiſtentes, ſub eorum cura & viſitatione recipiant, eiſdemque Sororibus habitum per Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ geſtari ſolitum exhibeant regularem, ac ab eis profeſſionem per eaſdem Moniales emitti ſolitam, ſi illam in eorum manibus ſponte emittere voluerint, recipiant & admittant, ac eis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, & de Monaſterio, Prioriſſa & Monialibus prædictis pro tempore exiſtentibus, eam curam habeant, prout de aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ eorum curæ & viſitationi commiſſis habent, & habere conſueverunt & debent, ſub excommunicationis ſententiæ pœna præcipere & mandare auctoritate noſtra procures. Nos enim dicto Monaſterio, poſtquam ſic erectum fuerit, ut præfertur, ac illius Prioriſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, favoribus & indultis, quibus alia Monaſtria dicti Ordinis, Prioriſſæ & Moniales in genere utuntur, potiuntur & gaudent, ac in futurum uti, potiri & gaudere poterunt, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, eadem auctoritate Apoſtolica indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno VII.

LVI.

Ut permittant conſtrui Monaſterium Clariſſarum in oppido Xereſii. Ex libro 218. fol. 227.

Venerabili fratri Epiſcopo Pacen. & dilectis filiis Priori Monaſterii per Priorem ſoliti gubernari ſancti Martini Legionen. & Officiali Pacen.

Additio Aliorum.

" §. I. Regimini &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Majoris de Silva, & duarum ejus filiarum, ac nonnullarum aliarum Sororum domus beatæ Mariæ de Conſolatione Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, extra muros oppidi de Xeres, Pacen. diœceſ. petitio continebat, quod olim ipſæ, ob maximam devotionem, quam ad dictum Ordinem gerebant, prout gerunt, habitum Regularem per Sorores dicti Ordinis geſtari ſolitum, ſuſceperunt, ac profeſſionem per eaſdem Sorores emitti ſolitam, in manibus certi Ordinis Minorum profeſſoris, ſufficienti, ut aſ-

„ aſſerebat, facultate ſuper hoc ſuffulti, emiſerunt regularem; & tunc „ Epiſcopus Pacen. illis pro earum habitatione, unam Eccleſiam, Eremitorium nuncupatum, extra muros dicti oppidi ejuſdem diœceſ. conceſſit, „ in qua, ſub invocatione beatæ Mariæ de Conſolatione Divinis laudibus „ ſub Regulari Obſervantia & tribus votis ac clauſura inſiſtere non ceſſant, „ & in regularibus inſtitutis dicti Tertii Ordinis ſalubriter degunt: venerabilis frater noſter modernus etiam Epiſcopus Paeen. illas viſitationi, „ correctioni & ſubjectioni dilecti filii Bernardini de Guaza dicti Ordinis „ Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſoris, beatæ Mariæ oppidi de Tordeſillas, Palentin. diœceſ. ac nonnullorum aliorum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ in Caſtellæ & Legionis Regnis conſiſtentium, Congregationis ejuſdem Monaſterii beatæ Mariæ Viſitatoris, auctoritate Apoſtolica deputati, eo modo quo dicta Monaſteria ſuberunt, „ ad vitam dicti Bernardini dumtaxat, auctoritate ordinaria ſubjecit: cupiantque Major, filiæ & aliæ Sorores prædictæ, ut perfectiorem vitam „ ducere valeant, profeſſionem per Moniales ejuſdem Monaſterii emitti „ ſolitam, emittere, ac prope dictam Eccleſiam unum Monaſterium dicti „ Ordinis ſanctæ Claræ, ſub dicta invocatione beatæ Mariæ de Conſolatione, pro Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ perpetuis uſu & habitatione erigi & inſtitui facere, ac dicti Bernardini, & pro tempore exiſtentis dictorum Monaſteriorum Viſitatoris viſitationi, correctioni & ſubjectioni ſubjici. Quare pro parte Majoris, filiarum & aliarum Sororum „ earumdem aſſerentium dictam Eccleſiam in loco commodo & honeſto, „ prope & apud dictam Eccleſiam &c. unum Monaſterium dicti Ordinis „ ſanctæ Claræ ſub dicta invocatione, cum campanili humili, campana &c. pro perpetuis uſu & habitatione Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ erigere & inſtituere, ac Monaſterium ipſum, ac quæ pro tempore inibi erunt Moniales, & alias perſonas dicti Bernardini, ac dictorum „ Monaſteriorum Viſitatoris pro tempore exiſtentis viſitationi, correctioni „ & ſubjectioni hujuſmodi ſubjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

„ §. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus &c. ſi ita eſt, apud „ Eccleſiam prædictam unum Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſub „ dicta invocatione, cum cœmeterio, clauſura &c. hujuſmodi, pro Majoris, filiarum, & aliarum Sororum prædictarum, quæ profeſſionem per „ Moniales dictæ Congregationis emitti ſolitam emittere teneantur, & „ aliarum ejuſdem Congregationis Monialium perpetuis uſu & habitatione, ſine alicujus præjudicio erigere & inſtituere, ac Monaſterium „ ipſum & illius Moniales, & perſonas pro tempore exiſtentes, Bernardini „ ac dictorum Monaſteriorum pro tempore exiſtentis Viſitatoris viſitationi, correctioni & ſubjectioni hujuſmodi ſubjicere & ſubmittere auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi erectionem, inſtitutionem, ſubjectionem & ſubmiſſionem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto Monaſterio erigendo & Monialibus in eo degentibus, ac perſonis utriuſque ſexus inibi ſervientibus pro tempore, ut „ omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. jure tamen &c. auctoritate „ Apoſtolica concedimus &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. X. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno VII.

LVII.

LVII.

Ut det licentiam perficiendi Monaſterium Clariſſarum in oppido Giennenſi. Ex lib. 173. fol. 282.

Venerabili fratri Epiſcopo Antiſiodoren.

ADDITIO ALIORUM.

„ §. I. EXimiæ devotionis affectus &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper „ pro parte Petri Ducis & Annæ Duciſſæ Borbonii petitio con- „ tinebat, quod ipſi ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordi- „ nem ſanctæ Claræ & illius Moniales Regularis Obſervantiæ, ſub perpe- „ tua clauſura incertaque mendicitate viventes gerunt, ex ſuis & aliorum „ Chriſtifidelium piis eleemoſynis & ſuffragiis, in villa ſeu oppido de „ Gienno ſupra Lygerim, Antiſiodoren. diœceſis, temporalis dominii „ ipſorum Ducis & Duciſſæ unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis „ conſtrui & ædificari facere inceperunt, & ſi ſuper his eis licentia Sedis „ Apoſtolicæ ſuffragetur, perfici facere intendunt ad Dei laudem, Divini „ cultus augmentum, ac Religionis propagationem, & Puellarum volen- „ tium virginitatem & integritatem ſuam vovere Altiſſimo, animarum ſa- „ lutem. Quare pro parte ipſorum Petri Ducis & Annæ Duciſſæ nobis fuit „ humiliter ſupplicatum, ut in villa ſeu oppido hujuſmodi, in loco ubi jam „ per dictos Ducem & Duciſſam Monaſterium prædictum fabricari ince- „ ptum eſt, unum Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ Monialium, „ quæ inibi ſub perpetua clauſura & Regulari Obſervantia, ac ſub cura „ Generalis Ultramontani, & Provincialis Provinciæ Lugdunen. Vicario- „ rum Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſecundum mo- „ rem dicti Ordinis, ac Monaſteriorum Reformationis ſororis Coletæ nun- „ cupatæ, ac incerta mendicitate Altiſſimo famulantium, cum Eccleſia, „ campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, „ hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis erigere, dictiſque Duci ac „ Duciſſæ illud pro una Abbatiſſa & aliis Monialibus dicti Ordinis ſanctæ „ Claræ perficiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſ- „ ſis &c.

„ §. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraterni- „ tati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in dicta villa ſeu op- „ pido, in loco, ubi jam per dictos Ducem & Duciſſam Monaſterium præ- „ dictum fabricari inceptum eſt, unum Monaſterium Monialium dicti Or- „ dinis ſanctæ Claræ, pro una Abbatiſſa & Monialibus ejuſdem Ordinis, „ quæ inibi ſub Regulari Obſervantia & perpetua clauſura, ac ſub cura „ Generalis Ultramontani, & Provincialis Provinciæ Lugdunen. Vicario- „ rum Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſecundum mo- „ rem dicti Ordinis, ac Monaſteriorum Reformationis ſororis Coletæ nun- „ cupatæ, ac incerta mendicitate Altiſſimo famulentur, cum Eccleſia, „ campanili, campana &c. ſine alicujus præjudicio, auctoritate noſtra eri- „ gas, dictiſque Duci & Duciſſæ Monaſterium prædictum cum Eccleſia, & „ aliis officinis prædictis perficiendi, licentiam & facultatem auctoritate „ noſtra concedas: necnon Vicariis prædictis, ut Monaſterium prædictum „ ſic erectum, ſub eorum cura, viſitatione, correctione & ſuperioritate re- „ cipiant, ac in illud, poſtquam habitationes ad hoc opportunas habue- „ rint, Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ introducant, ſeu Virgines vel „ alias honeſtas mulieres inibi ſub regulari Obſervantia & perpetua clauſu- „ ra & incerta mendicitate Altiſſimo famulari volentes, in illius Moniales „ recipiant, eiſque habitum per Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ ge- ſtari

„ ſtari ſolitum exhibeant, ac ab eis profeſſionem per Moniales ejuſdem „ Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, ſi illam ſponte emittere voluerint, „ Regularem recipiant & admittant; ac unum vel duos Fratres, qui con- „ feſſiones earumdem Monialium audiant, ac eis Miſſas & alia Divina offi- „ cia celebrent, necnon alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inibi „ conſtituant & deputent, ac de Monaſterio necnon Monialibus prædictis „ curam habeant, prout de aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ „ eorum curæ ſubjectis habent, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub ex- „ communicationis ſententia, dicta auctoritate noſtra præcipias atque „ mandes. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi per te vigore præſentium „ fieri contigerit, ut præfertur, dicto Monaſterio ſic erecto, illiuſque Ab- „ batiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingu- „ lis privilegiis, exemptionibus &c. uti, potiri & gaudere poſſint & de- „ deant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure ta- „ men &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtoli- „ cis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domini- „ cæ MCCCCXCIX. XIV. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno VII.

LVIII.

Ut dent licentiam conſtruendi unum Cœnobium Obſervantum, & Monaſterium unum Clariſſarum in oppido de Alcaudete. Ex libr. 195. fol. 85.

Dilectis filiis Decano, & Archidiacono de Baeza Eccleſiæ Giennen. ac Officiali Giennenſi.

§. I. Piis ſupplicum votis &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Alphonſi Fernandi de Montemajore, Domini in temporalibus oppidi de Alcaudete, Giennen. diœceſis, & dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Mariæ de Velaſco ejus uxoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ob ſingularem, quem ad Fratrum Minorum, & ſanctæ Claræ Ordinem gerunt devotionis affectum, ſummopere deſiderant in eodem oppido unam domum Fratrum Minorum ſub ſancti Franciſci, & unum Monaſterium ſanctæ Claræ Ordinum, ſub ejuſdem ſanctæ invocationibus, ſuis propriis expenſis, favente Altiſſimo, conſtrui & ædificari facere, & in eis Fratres & Sorores dictorum Ordinum reſpective collocare, ſi eis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia concedatur. Quare pro parte Alphonſi & Mariæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum & Monaſterium hujuſmodi in eodem oppido, locis ad hoc congruentibus & honeſtis conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur pium & laudabile propoſitum Alphonſi & Mariæ prædictorum in hac parte in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Alphonſo & Mariæ domum & Monaſterium hujuſmodi, in oppido prædicto, aliquibus illius condecentibus & honeſtis locis, prout eiſdem conjugibus viſum fuerit expedire, unam domum Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & unum Monaſterium Monialium ſeu Sororum ejuſdem ſanctæ Claræ, etiam de Obſervantia Ordinum, cum Eccleſiis, humilibus campanilibus, cam-

campanis, clauſtris, refectoriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum & Sororum dictorum Ordinum & Obſervantiæ reſpective: quæ quidem domus & Monaſterium, ac Fratres & Sorores in eis pro tempore degentes, Cuſtodi Cuſtodiæ Hiſpalen. dicti Ordinis Fratrum Minorum, juxta morem dicti Ordinis Minorum, perpetuo ſubeſſe debeant, abſque alicujus & parochialis Eccleſiæ præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac quibuſcumque Fratribus & Sororibus dictorum Ordinum reſpective, domum & Monaſterium hujuſmodi, poſtquam conſtructa & ædificata fuerint, recipiendi & perpetuo inhabitandi, plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam concedatis. Nos enim, ſi conceſſionem prædictam per vos vigore præſentium fieri contigerit, domui & Monaſteriis prædictis, ac in eis pro tempore degentibus Guardiano & Fratribus, ac Abbatiſſæ & Monialibus ſeu Sororibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, immunitatibus & indultis, quibus aliæ domus & Monaſteria Ordinum prædictorum, ac Guardiani & Fratres, Abbatiſſæ ac Moniales in genere gaudent, potiuntur & utuntur, ac alias quomodolibet gaudere, potiri & uti poterunt, gaudeant, potiantur & utantur: dictæque Mariæ, ac pro tempore exiſtenti ejuſdem oppidi in temporalibus Dominæ, ut quater dumtaxat, anno quolibet, ipſum Monaſterium ſanctæ Claræ, poſtquam conſtructum fuerit, ut præfertur, de licentia tamen ipſius Abbatiſſæ pro tempore exiſtentis, cum una vel duabus ejus filiabus, aut aliis honeſtis mulieribus intrare, & inibi refectionem, dummodo ibidem non pernoctet, ſumere, libere & licite valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. XI. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno VIII.

LIX.

Ut poſſit ædificari Conventus Obſervantum in oppido Scalonæ. Ex libr. 205. fol. 181.

Dilecto filio Scolaſtico Eccleſiæ Toletan.

§. I. Injunctum nobis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri, Didaci Lupi Pacheco, Ducis de Scalona, Toletan. diœceſis, petitio continebat, quod ipſe cupiens terrena in cœleſtia, & temporalia ac tranſitoria in æterna felici commercio commutare, & ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, Regularis Obſervantiæ nuncupatorum, & dictos Fratres, propter eorum exemplarem vitam & mores gerit, in oppido de Scalona dictæ diœceſis, cujus ipſe Didacus Dux Dominus in temporalibus exiſtit, ſeu extra & prope illud, unam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ad Dei laudem & Religionis propagationem, ſuis ſumptibus & expenſis, cum officinis neceſſariis conſtrui & ædificari facere incepit, & illam, quæ pro majori parte conſtructa exiſtit, ad finem debitum perducere intendit, dummodo Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſibi quoad hoc ſuffragetur. Quare pro parte dicti Didaci Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi dictam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & ha-

& habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, perficiendi, & in eam Fratres dicti Ordinis introducendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ipſius Didaci Ducis in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Didaco Duci præfatam domum, ſub invocatione de qua ſibi videbitur, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, Regularis Obſervantiæ, ſine alicujus præjudicio perficiendi, & Fratres dicti Ordinis in eam introducendi, ac eiſdem Fratribus illam pro hujuſmodi uſu & habitatione perpetuis recipiendi, licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedas: & nihilominus ut domus prædicta de bono in melius dirigatur, & Fratres, qui illam pro tempore inhabitabunt, in obſequio Dei melius inſtruantur, quod dictus Didacus Dux unum Religioſum dicti Ordinis, ſanctæ & honeſtæ vitæ & converſationis, quem maluerit, eligere & nominare poſſit, qui ſic electus, per ſemeſtre, a die nominationis per ipſum Didacum Ducem de ipſo faciendæ, ipſius domus ſuperior, præſidens & gubernator exiſtat, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, teneatur officium præſidentis hujuſmodi ſtatim acceptare, & illud exercere; & ſi forſan dictus Religioſus, poſt acceptatum per eum officium hujuſmodi, ante lapſum dictum ſemeſtre, officium ipſum dimittere voluerit, ſeu dicto ſemeſtre elapſo, Fratres dictæ domus, ſi voluerint, illum, vel alium, aut unum Religioſum dictæ domus in eorum Guardianum & Superiorem biennalem, & non ultra, eligere poſſint: ne pro dicti Guardiani electione confirmanda, ad ipſius Ordinis Superiores accedere cogantur, in dicta domo unus Religioſus a majori parte Fratrum profeſſorum ſacerdotum eligatur, qui diſcretus nominetur, & in dicta domo electionem Guardiani prædicti, infra tres dies, a die electionis prædictæ computandos, confirmare teneatur, alioquin Guardianus prædictus, auctoritate Apoſtolica confirmatus cenſeatur eo ipſo, & poſſit ejuſdem domus regimen & adminiſtrationem ſuſcipere & exercere, ac de conſilio Religioſorum profeſſorum ſacerdotum domus prædictæ corrigere exceſſus, & delicta Guardiani prædicti; & quod nihilominus dicta domus, & illius diſcretus ac Guardianus & Fratres ſub cura, ac obedientia Vicarii Generalis ejuſdem Ordinis ac provincialis provinciæ Caſtellæ, necnon Cuſtodis Cuſtodiæ Toletanæ, ſecundum morem dicti Ordinis, ſolum exiſtant, & qui Superiores prædicti, & quilibet eorum ſemel in anno domum prædictam viſitare poſſint, dictaque viſitatio per ipſorum Superiores, ut præmittitur, facienda, juſta & honeſtiſſima, ac evidente cauſa ceſſante, ultra tres dies non duret; finitaque dicta viſitatione, annis ſingulis, ut præfertur, facienda, Superiores prædicti aut aliquis eorum, circa ejuſdem domus & Fratrum in ea pro tempore habitantium gubernationem & correctionem nullateous ſe intromittant, nec poſſint ullo unquam tempore Fratres ab eadem domo mutare ſeu amovere & expellere, ſeu alios alienigenas ab aliis domibus dicti Ordinis venientes ſeu expulſos, ut inibi reſideant, recipere ſeu admittere in eadem, nec etiam tollere licitum vivendi modum, aut conſuetudines & ſtatuta licita & honeſta dictæ domus mutare aut alterare vel minuere, ſeu eis addere aliquid; nec ipſos Fratres ut ſtatutis, ſeu modo vivendi per eos ordinandis utantur, ſeu illa adimpleant, ſub cenſuris aut aliis pœnis compellere, nec aliquod aliud obſtaculum vel impedimentum, ut ejuſdem domus ſtatuta &

conſuetudines non adimpleant & obſervent, eis imponere: & ut prædicta domus citius ſuſcipiat incrementum, Religioſiſque abundet, quod dictus Religioſus Præſidens, per ipſum Didacum Ducem, ut præfertur, eligendus, ſuo durante ſemeſtre, & Guardianus dictæ domus pro tempore exiſtens, perpetuo de conſilio & conſenſu diſcreti, aut majoris partis Fratrum dictæ domus, poſſint quoſcumque ejuſdem Ordinis & aliarum domorum Fratres & Religioſos ad ſe venientes, cujuſvis etiam Guardianorum & domorum, quarum ipſi Fratres & Religioſi venientes fuerint, & aliorum Superiorum licentia ſuper hoc minime requiſita, in dicta domo ſub ſua obedientia recipere; & ne Fratres ſeu Religioſi in dicta domo pro tempore habitantes, ſuper exceſſibus per eos forſan committendis, impuniti remaneant, & poſtquam exceſſerunt, ad pœnitentiam redierint, abſolutionis beneficio careant, quod Præſidens, ſuo ſemeſtre, ut præfertur, durante, & Guardianus ejuſdem pro tempore exiſtens, in domo prædicta plenam & liberam facultatem habeant, & quilibet eorum habeat, corrigendi & puniendi, etiam ſub quibuſvis cenſuris & pœnis, ac Fratres ipſos de omnibus & ſingulis eorum delictis, criminibus & exceſſibus, per ipſos Fratres ſeu Religioſos per eos pro tempore perpetratis, abſolvendi, ac eis poſtmodum pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, ac cum eis ſuper delictis, criminibus & exceſſibus pro tempore perpetratis, in omnibus caſibus, in quibus ipſius Ordinis Prælati diſpenſare poſſunt, diſpenſandi etiam ex proprio officio, ac cum omnibus gratiis Apoſtolicis dicto Ordini conceſſis & in poſterum concedendis, & quod ipſas diſpenſationem, abſolutionem, punitionem & correctionem facere poſſint etiam cum Fratribus & Religioſis extraneis, & aliunde ad domum prædictam venientibus, ibidemque morari volentibus & receptis; quodque Præſidens & Guardianus prædicti poſſint eoſdem Fratres & Religioſos mutare, & ad alias domos ejuſdem Ordinis transferre, eiſdemque Fratribus ab eadem domo, negotiationis cauſa vel quovis alio modo ſibi videbitur, exeundi, ac ad illam redeundi, ſeu ad alias domos ſe transferendi, ubi, quando, ac toties viderit eſſe neceſſarium, ac ipſis Fratribus, qui ad omnes etiam ſacros & presbyteratus Ordines ſe promoveri facere poſſint, licentiam concedere: quodque Guardianus dictæ domus pro tempore exiſtens, de conſilio & conſenſu majoris partis ſacerdotum domus prædictæ poſſit deputare ac ponere Religioſos, qui confeſſiones quarumcumque perſonarum ſecularium, cujuſvis qualitatis, ſtatus, gradus & conditionis exiſtentium, audiant, ipſaſque, & earum quamlibet a quibuſcumque eorum factis & delictis, dummodo talia non ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda, abſolvant, & eis, jure parochialis Eccleſiæ ſemper ſalvo, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, eadem auctoritate noſtra perpetuo ſtatuas & ordines: nihilominus per te vel alium ſeu alios eiſdem Guardianis, diſcretis & Fratribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, facias eos & eorum quemlibet, ſingulis prædictis, juxta præſentium tenorem gaudere, non permittens eos per quoſcumque deſuper quomodolibet moleſtari: Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Nos enim, ſi præmiſſa per te vigore præſentium fieri contigerit, eidem domui, & illius Guardiano & Fratribus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, gratiis, indultis, aliis domibus, Guardianis & Fratribus dicti Ordinis in genere conceſſis, & in poſterum per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet concedendis, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apo-
C ſto-

ſtolica indulgemus: jure parochialis ejuſdem Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. III. Non. Octobris, Pontificatus noſtri anno VIII.

LX.

Ut dent facultatem conſtruendi domum Obſervantum prope muros Civitatis Hydruntinæ. Ex libr. 189. fol. 243.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Hydruntin. & Epiſcopo Caſtren.

§. I. IN eminenti Apoſtolicæ dignitatis &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii provincialis & Fratrum provinciæ Apuliæ, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecti filii Communitas Hydruntina zelo devotionis accenſi, & ob ſingularem, quem ad dictum Ordinem Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum gerunt devotionis affectum, unam domum prope & extra muros dictæ Civitatis prope Eccleſiam ſancti Joannis, ſub invocatione ejuſdem Sancti, pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere ſummopere deſiderant, ſi eis ad hoc per nos licentia concedatur. Quare pro parte Vicarii provincialis, & Fratrum dictæ provinciæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſorum & dictorum Communitatis pio deſiderio annuentes, eiſdem Communitati eamdem Eccleſiam, quæ parva eſt, & cujus fructus, reditus & proventus, ut ipſe Vicarius & Fratres aſſerunt, nulli ſunt, demoliendi, & inibi unam domum ſub invocatione præmiſſa, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac cæmenta, rudera, ligna & lapides dictæ Eccleſiæ demoliendæ, in conſtructionem domus hujuſmodi convertendi, ac Vicario & Fratribus prædictis eamdem domum pro ſuis perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & eam inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, ſi ita eſt, præfatis Communitati dictam Eccleſiam demoliendi, & inibi unam domum, ſub invocatione prædicta, in qua ſolum Eccleſiæ demoliendæ hujuſmodi incorporatum remanere debet, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſine cujuſquam præjudicio, & de conſenſu venerabilis fratris Archiepiſcopi, & illius, ad quem dicta Eccleſia pertinet, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, & cæmenta, rudera, ligna & lapides dictæ Eccleſiæ, quæ in titulum conferri non ſolet, in conſtructionem dictæ domus convertendi, Vicario quoque & Fratribus præfatis eamdem domum pro ſuis perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & eam inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam concedatis: jure tamen parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo. Non ob-

obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. III. Non. Octobris, Pontificatus noſtri anno VIII.

LXI.

Ut confirmet erectionem domus Sororum Tertii Ordinis Venetiarum. Ex lib.219. fol.77.

Dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Nonen.

§. I. Regularem vitam profeſſis &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Sororum domus ſepulcri Ducum Venetiarum, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim quondam Helena, quondam Marci Vioni laici Venetiarum uxor, dum viveret, de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna, felici commercio commutare, ac condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, quamdam domum in Civitate Venetiarum conſiſtentem, & ad eam legitime ſpectantem, unam videlicet pro uſu & habitatione aliquarum mulierum, inibi vitam regularem ducere cupientium, prout executoribus dicti teſtamenti opportunum videretur, & aliam medietatem ejuſdem domus pertinentis pro pauperibus mulieribus ſepulcrum Dominicum Hieroſolymitanum, & limina Apoſtolorum Petri & Pauli de Urbe, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, & alia pia loca, peregrinationis cauſa viſitare volentibus reliquit, prout in quodam publico inſtrumento, ſuper teſtamento hujuſmodi confecto dicitur plenius contineri; & prædicta Helena vita functa, executores Sorores prædictas, juxta ipſius Helenæ voluntatem inibi introduxerunt, ac in ea ſub invocatione Præſentationis beatæ Mariæ Virginis quamdam capellam, in qua certum ſepulcrum, adinſtar & ſimilitudinem ſepulcri Domini Hieroſolymitani hujuſmodi conſtructum fuit, rite ædificari fecerunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, cupiant dictæ Sorores in eadem domo, quam pro earum, & dictarum peregrinantium mulierum inhabitatione ampliarunt, ſub perpetua clauſura & cura Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, virtutum Domino famulari, & perpetuo manere. Pro parte dictarum Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis & aliis Sororibus dicti Ordinis domum prædictam, cum capella hujuſmodi perpetuo retinendi, & in ea ſub cura & regimine Fratrum prædictorum, & perpetua clauſura permanendi & degendi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatis Sororibus domum eum capella hujuſmodi perpetuo retinendi, & in ea ſub cura dictorum Fratrum, & perpetua clauſura, ita quod ab eadem domo numquam exire debeant, permanendi & degendi, auctoritate noſtra, abſque alicujus præjudicio, liberam & omnimodam licentiam concedas; ipſiſque Sororibus in eadem domo pro tempore degentibus, ut dictis Fratribus earum peccata confiteri, ac Euchariſtiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, quodque capellam hujuſmodi, & illius Altare prædictum, necnon cœmeterium pro earum ſepulturis, per aliquem Catholicum Antiſtitem, in Civitate Venetiarum reſidentem, ac gratiam & communionem Sedis Apoſto-

ſtolicæ habentem, per eas eligendum, conſecrari, ac in ipſa capella, poſtquam conſecrata fuerit, congruis temporibus Miſſas, ac alia Divina officia celebrare facere, ac ad ea campanas pulſare, quodque tam ipſæ, quam domus & capella hujuſmodi omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, indulgentiis &c. & a votis per eas pro tempore emiſſis, abſolutionis favore, & etiam certis anni temporibus haberi ſolitis indulgentiis, aliis domibus & capellis dicti Ordinis, & Sororibus in illis degentibus in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere valeant, eadem auctoritate indulgeas: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. VII. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

LXII.

Ut Monaſterium beatæ Mariæ de Colomata Peruſinum Ordinis ſancti Benedicti detur Clariſſis. Ex lib. 226. fol. 276.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Peruſini in ſpiritualibus generali.

§. I. Paſtoralis officii debitum &c. Sane pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Franciſcæ Longæ de Peruſio, Sororis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ſi in Monaſterio Monialium beatæ Mariæ de Colomata, extra muros Peruſinos, Ordinis ſancti Benedicti, quod annis ſexaginta jam effluxis, vel circa, Abbatiſſa & Monialibus deſtitutum fuit, cujus ædificia & ſtructuræ, tamquam loci profani per diverſos laicos cives Peruſin. ac deinde per præfatam Franciſcam titulo emptionis de facto detenta fuerunt, Ordo prædictus ſancti Benedicti ſupprimeretur & extingueretur, & in eo Ordo ſanctæ Claræ inſtitueretur, ac ſtatueretur & ordinaretur, quod inibi illa Obſervantia regularis vigeat, quæ viget in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginaten. dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ex hoc profecto Divinus cultus, cum religionis propagatione ſuſciperet incrementum, ac puellis, præſertim virginibus ſub regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ Divinis beneplacitis vacare volentibus, & in dicto Monaſterio ſanctæ Luciæ, propter impletum Monialium numerum recipi non valentibus, juxta eorum deſiderium, opportune provideretur. Quare pro parte præfatæ Franciſcæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto Monaſterio beatæ Mariæ Ordinem ſancti Benedicti prædictum penitus ſupprimere & extinguere, in eoque Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi inſtituere, ac quod inibi illa vigeat Obſervantia regularis, quæ in dicto Monaſterio ſanctæ Luciæ viget, ſtatuere, & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religionis propagationem, Divini cultus augmentum, & animarum ſalutem, noſtris potiſſime temporibus, ſupremis deſideramus affectibus, de prædictis certam notitiam non habentes, necnon verum, & ultimum dicti Monaſterii beatæ Mariæ vacationis modum, etiamſi ex eo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, in di-

dicto Monaſterio beatæ Mariæ, Ordinem ſancti Benedicti prædictum penitus ſupprimere & extinguere, in eoque Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi inſtituere, & ad illud dilectas in Chriſto filias Annam, & Euſebiam, ac Benedictam Peruſinas, & alias novem Moniales dicti Monaſterii ſanctæ Luciæ, in quo eſt magnus earum numerus, quas ad hoc voluntarias invenerint, & Vicarius Provincialis Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ ſancti Franciſci, de qua Fulginaten. & Peruſina Civitates exiſtunt, & Abbatiſſa dicti Monaſterii ſanctæ Luciæ transferendas judicaverint, transferre; quodque in dicto Monaſterio beatæ Mariæ illa vigeat Obſervantia regularis, quæ viget in Monaſterio ſanctæ Luciæ hujuſmodi, ac Abbatiſſa & Moniales Monaſterii beatæ Mariæ hujuſmodi Regulam, a beato Franciſco eidem ſanctæ Claræ traditam, & a fel. rec. Innocentio IV. prædeceſſore noſtro confirmatam inibi obſervare perpetuo teneantur, ſtatuere & ordinare, dictumque Monaſterium beatæ Mariæ, ac ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales viſitationi, curæ & directioni dicti Vicarii Provincialis Ordinis & Provinciæ hujuſmodi pro tempore exiſtentis, ſeu alterius dicti Ordinis Minorum profeſſori, cui idem Vicarius vices ſuas pro tempore duxerit committendas, ſubjicere, & ſubmittere, eidemque Vicario, ut Monaſterium ipſum beatæ Mariæ, ejuſque pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſub ejus cura & directione, juxta morem dicti Ordinis Minorum recipiat, illaſque viſitet & dirigat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præcipere per te ipſum, auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. VIII. Non. Novembris, Pontificatus noſtri anno VIII.

LXIII.

Ut concedant licentiam fundandi in urbe Vincentina Monaſterium Clariſſarum. Ex lib. 213. fol. 48.

Venerabili Fratri Epiſcopo Agien. & dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Vincentini in ſpiritualibus Generali.

§. I. Inter univerſa &c. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis & hominum Civitatis Vincentin. petitio continebat, quod ipſi zelo devotionis accenſi, cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, deſiderant de bonis ipſis a Deo collatis, in Civitate Vincentina, in loco decenti & honeſto, unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ, ſub invocatione ſancti Franciſci, cum Eccleſia, campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ, & nonnullarum Monialium dicti Ordinis, quæ & Monaſterium ipſum ſub directione, cura, correctione & viſitatione Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum eſſe debeant, erigi & fundari facere, ſi ipſis per Nos licentia concederetur. Quare pro parte dictorum Communitatis & hominum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in dicta Civitate, in loco decenti & honeſto, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione præmiſſa, cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & nonnullarum Monialium præfati Or-

Ordinis ſanctæ Claræ, quod & Moniales in eo pro tempore degentes, ſub directione, cura, viſitatione & correctione dictorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum eſſe debeant, erigi & fundari faciendi, eiſdemque Monialibus illud recipiendi & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum ipſis Communitati in dicta Civitate, in loco decenti & honeſto unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ, ſub dicta invocatione ſancti Franciſci, cum Eccleſia, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & Monialium præfati Ordinis ſanctæ Claræ, quod & Abbatiſſa & Moniales in eo pro tempore degentes, ſub directione, viſitatione, cura & directione dictorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum eſſe debeant, ſine cujuſquam præjudicio, erigi & fundari faciendi, eiſdemque Abbatiſſæ & Monialibus illud recipiendi & inhabitandi auctoritate noſtra licentiam & facultatem elargiamini: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore præſentium concedi continget, ut præfertur, Monaſterio & Abbatiſſæ & Monialibus in eo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, & indultis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſis & Monialibus in genere conceſſis, vel alias concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. pridie Non. Februarii, Pontificatus noſtri anno VIII.

Anno Christi 1500. Alexandri VI. anno 8. & 9.

LXIV.

Ut dent licentiam fundandi Conventum Obſervantum prope locum de Mortiernelle. Ex lib. 217. fol. 212.

Dilectis filiis Vicario & Officiali Andegaven.

§. I. Inter curas multiplices &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii, nobilis viri Petri de Rohan. Vicecomitis de Frouſſar, temporalis Domini Caſtri ſeu loci Gye, Andegaven. diœc. petitio continebat, quod ipſe fervore devotionis accenſus, cupiens tranſitoria in æterna, & temporalia in cœleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & illius perſonas, propter eorum exemplarem vitam, prædicationem verbi Dei, aſſiduam & devotam Divinorum celebrationem, ac audientiam confeſſionum, & exhortationes ad bene beateque vivendum, quibus perſonæ ipſæ animas Deo lucrifacere non ceſſant, gerit devotionis affectum, intendit tam de ſuis ſibi a Deo collatis, quam per quondam Franciſcam de Panhovet ejus conjugem, pro unius domus dicti Ordinis conſtructione, bonis ſibi relictis, conſtrui facere in loco, ſeu prope locum de Mortiernelle, temporalis dominii, ſeu dictæ diœceſis, loco ad id accommodo & honeſto, unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, quæ Pro-

vin-

vinciali Provinciæ Turonen. pro tempore exiſtenti, juxta morem dicti Ordinis, ſubjecta exiſtat, ſi ſibi illam conſtrui faciendi, ac Fratribus prædictis illam pro uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte dicti Petri aſſerentis ſe etiam Regni Franciæ Mareſcallum exiſtere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei domum prædictam cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari faciendi, ac Fratribus prædictis illam, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum perpetuis uſu & habitatione prædictis recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem Petro domum prædictam cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum, in loco ſeu prope locum de Mortiernelle hujuſmodi convenienti & honeſto, prout eidem Petro videbitur, ſine alicujus præjudicio, fundandi & conſtruendi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus prædictis illam, poſtquam ſic conſtructa & ædificata fuerit, pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac domum ipſam eidem Provinciali perpetuo ſubjicere, auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno VIII.

LXV.

Ut Monaſterium Clariſſarum de Colomata Peruſinum ſub ſua juriſdictione recipiat. Ex brevi originali.

Dilecto filio Vicario Provinciali Provinciæ ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. Cum paſtoralis officii debitum &c. Cum autem pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Franciſcæ Longæ de Peruſio, Sororis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, nobis alias exhibita petitio contineret, quod ſi in Monaſterio Monialium beatæ Mariæ de Colomata extra muros Peruſinos, Ordinis ſancti Benedicti, quod annis ſexaginta jam effluxis vel circa, Abbatiſſa & Monialibus deſtitutum fuit, cujuſque ædificia & ſtructuræ tamquam loci profani, per diverſos laicos cives Peruſinos, & demum per præfatam Franciſcam titulo emptionis de facto detenta fuerunt, Ordo prædictus ſancti Benedicti ſupprimeretur & extingueretur, & in eo Ordo ſanctæ Claræ inſtitueretur, ac ſtatueretur & ordinaretur, quod inibi illa Obſervantia regularis vigeret, quæ viget in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginaten. dicti Ordinis ſanctæ Claræ; ex eo profecto Divinus cultus, cum religionis propagatione ſuſciperet incrementum, ac puellis præſertim virginibus ſub regulari Obſervantia dicti Ordinis vacare volentibus, & in dicto Monaſterio ſanctæ Luciæ, propter impletum ipſarum numerum, recipi non valentibus, juxta earum deſiderium opportune provideretur.

§. II. Nos &c. de præmiſſis certam notitiam non habentes, ejuſdem Franciſcæ ſupplicationibus inclinati, dilecto filio Vicario venerabilis fratris no-

noſtri Epiſcopi Peruſini in ſpiritualibus Generali per Apoſtolica ſcripta mandavimus, quatenus, ſi eſſet ita., in dicto Monaſterio beatæ Mariæ Ordinem ſancti Benedicti prædictum penitus ſupprimeret & extingueret, & in eo Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi inſtitueret, & ad illud dilectas in Chriſto filias Annam, & Euſebiam, ac Benedictam Peruſinas, & alias novem Moniales dicti Monaſterii ſanctæ Luciæ, quas ad hoc voluntarias inveniret, & tu & Abbatiſſa dicti Monaſterii transferendas judicaretis, transferret; quodque in dicto Monaſterio beatæ Mariæ illa vigeret Obſervantia Regularis, quæ viget in Monaſterio hujuſmodi ſanctæ Luciæ, ac Abbatiſſa & Moniales beatæ Mariæ prædictæ Regulam a beato Franciſco eidem ſanctæ Claræ traditam, & a fel. rec. Innocentio Papa IV. prædeceſſore noſtro confirmatam inibi obſervare perpetuo tenerentur, ſtatueret & ordinaret, dictumque Monaſterium beatæ Mariæ, ac ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales viſitationi, curæ & directioni tuæ & Vicarii ejuſdem Provinciæ pro tempore exiſtentis, ſeu alterius dicti Ordinis profeſſori, cui tu vel ſucceſſor tuus pro tempore duceret ſubmittendas, ſubjiceret & ſubmitteret, tibique, ut Monaſterium ipſum, ejuſque pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſub tua, & ſucceſſoris tui cura & directione, juxta morem dicti Ordinis Minorum reciperes, illaſque viſitares & dirigeres, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna præciperet per ſeipſum, auctoritate Apoſtolica curaret, prout in noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur.

§. III. Cum autem, ſicut nuper nobis pro parte ipſius Franciſcæ expoſitum fuit, licet præfatus Vicarius Peruſinus ad executionem earumdem litterarum, quantum in eo erat, procedens, dictum Ordinem ſancti Benedicti in eodem Monaſterio beatæ Mariæ ſuppreſſerit, & in eo Ordinem ſanctæ Claræ inſtituerit, & alia in eiſdem litteris contenta executus fuerit, tibique ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut eamdem Abbatiſſam & Moniales ſub tua cura & directione reciperes, illaſque viſitares & dirigeres, auctoritate noſtra mandaverit; tu tamen, neſcitur quo animo ductus, cenſuras Eccleſiaſticas, & mandata noſtra contemnendo, illis parere recuſaſti ac recuſas de præſenti, hujuſmodi excommunicationis latæ ſententiæ pœnam damnabiliter incurrendo, in animæ tuæ periculum, Religionis detrimentum, & ſcandalum plurimorum. Quocirca, cum firmæ intentionis ſimus, ut tam pium opus ſuum omnino ſortiatur effectum, tibi tenore præſentium, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſimilis excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ pœna, quam te, ſi contra feceris, incurrere volumus ipſo facto, & a qua niſi in mortis articulo, ab alio, quam a nobis vel ſucceſſore noſtro abſolvi non poſſis, præcipiendo mandamus, quatenus, viſis & receptis præſentibus, mandata noſtra hujuſmodi, ac contenta in illis exequi, & illis parere non differas, nec ulteriora præcepta expectes: quod ſi ſecus feceris, nos contra te, tamquam mandatorum Apoſtolicorum contemptorem ad graviores pœnas merito procedemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. die IX. Auguſti, Pontificatus noſtri anno VIII.

LXVI.

Applicantur emolumenta quædam Sacriſtiæ domus Terſati. Ex libro 259. fol. 231.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Divini cultus augmentum &c. Sane pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus Caſtri Terſati, Ordinis Fratrum Minorum, Modruſien. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias cum quondam Martinus de Frangapanibus, Veglæ, Segniæ, Modruſiæque Comes, licentia Sedis Apoſtolicæ ſibi ſuper hoc per litteras fel. record. Nicolai Papæ V. prædeceſſoris noſtri conceſſa, ad Dei laudem, & ipſius Religionis propagationem, Divinique cultus ejuſdem augmentum, & ſuæ & ſucceſſorum ac anteceſſorum ſuorum animarum ſalutem, in dicto Caſtro, ad ipſum Martinum Comitem pertinente, domum prædictam, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, propriis ſumptibus & expenſis conſtrui & ædificari feciſſet, & in eam Fratres dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ introduxiſſet, conſiderans, quod dictum Caſtrum confinibus Turcarum proximum exiſtebat, & quod forſan contingere poſſet, quod Fratres in dicta domo pro tempore habitantes, neceſſarias eleemoſynas ac ſubventionem pro eorum victu & veſtitu, quam etiam dictæ domus conſtructione, & aliis eorum neceſſitatibus a Chriſtifidelibus, dictum Caſtrum ſeu prope illud inhabitantibus, recipere non poſſent; ac volens in præmiſſis eorumdem Fratrum neceſſariæ ſubventioni, dictæque domus conſtructioni opportune providere & conſulere, etiam quibuſdam litteris piæ mem. Sixti Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ut dicti Fratres bona eis per dictum Martinum concedenda recipere poſſent, ſufficienti facultate munitis, proventus & emolumenta omnium apothecarum fieri ſolitarum intuitu ipſius Eccleſiæ in omnibus glorioſæ Virginis Mariæ feſtivitatibus, ſcilicet cum medietate omnium proventuum & emolumentorum nundinarum celebrandarum annuatim ſub clauſtro dictæ domus penes mare, & in feſto Aſſumptionis ejuſdem beatæ Mariæ Virginis, ac unam capellam ſive Oratorium, quæ ſeu quod proprium Rectorem habere non conſueverat, cum illius horto, pergulis, prato, & aliis emolumentis, quæ ipſe Martinus Comes percipere conſueverat, necnon certas alias poſſeſſiones & bona, & certos reditos annuos, & menſuras vini, ad præfatum Martinum Comitem legitime pertinentia, domui ac illius Fratribus, tam pro ſuſtentatione Guardiani & Fratrum dictæ domus, & eorum neceſſitatibus, quam domus & Eccleſiæ, ac officinarum prædictarum conſervatione, & aliis piis operibus tunc expreſſis, perpetuo & inviolabiliter donavit, conceſſit & aſſignavit, prout in quibuſdam litteris dicti Martini Comitis deſuper confectis, & ejus ſigillo munitis plenius dicitur contineri. Quare pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, conceſſioni & aſſignationi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis, ac pro potiori cautela, prædicta omnia eiſdem Guardiano & Fratribus donata & conceſſa, Sacriſtæ ejuſdem domus perpetuo applicare, appropriare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. bonorum & emolumentorum ſituationes, denomi-

minationes, quantitates, ac illorum, & dictæ Sacriſtiæ veros annuos valores, præſentibns pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem & aſſignationem prædictas auctoritate Apoſtolica, præſentium tenore approbamus & confirmamus, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſuppllemus: dictiſque Guardiano & Fratribus, quod reditus & bona hujuſmodi pro præmiſſis, abſque alicujus conſcientiæ ſcrupulo percipere & retinere libere & licite valeant, eadem auctoritate concedimus & indulgemus; & nihilominus potinri pro cautela, illa omnia Sacriſtiæ dictæ domus pro præmiſſis, eiſdem auctoritate & tenore perpetuo applicamus & appropriamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. III. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anuo IX.

LXVII.

Ut domum Sororum Tertii Ordinis Ubedenſem ſubjiciant regimini Viſitatoris quorumdam Monaſteriorum Clariſſarum. Ex lib. 247. fol. 193.

Venerabili fratri Epiſopo Giennen. & dilectis filiis Fernardo de los Arcos Canonico Eccleſiæ Giennen. & Officiali Giennen.

§. I. Univerſalis Eccleſiæ regimini &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Leonoræ de Molina, & aliarum Sororum domus beatæ Mariæ Virginis Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, oppidi de Ubeda, Giennen. diœceſis, petitio continebat, quod tam ipſæ, quam aliæ, quæ olim ibidem fuerunt in dicto oppido, de tunc Epiſcopi Giennen. licentia, etiam dictam domum, cum Eccleſia ſive Oratorio ſub dicta invocatione conſtrui & ædificari fecerunt, inibique ipſæ ſub Regulari habitu Divinis laudibus quotidie inſiſtere non ceſſant, & ut perfectiorem vitam ducere valeant, dictam domum in Monaſterium Ordinis prædicti, cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro earum quæ inibi profeſſionem emittent, perpetuis uſu & habitatione erigi, ac dilecti filii Bernardini de Guaza Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum profeſſoris, Monaſterii beatæ Mariæ Lareal, oppidi de Tordeſillas, Palentinæ diœceſis, ac nonnullorum aliorum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ in Caſtellæ & Legionis regnis conſiſtentium Viſitatoris, auctoritate Apoſtolica deputati, ac eorumdem Monaſteriorum Viſitatorum pro tempore exiſtentium viſitationi & correctioni ſubjici ſummopere deſiderant. Quare pro parte Leonoræ & aliarum Sororum aſſerentium dictam domum in loco commodo & honeſto pro earum habitatione exiſtere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam in Monaſterium Tertii Ordinis hujuſmodi, cum dicta Eccleſia, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, ipſumque Monaſterium ſic erectum, & quæ pro tempore inibi erunt, Moniales & alias perſonas, prædicti Bernardini, ac dictorum Monaſteriorum Viſitatorum pro tempore exiſtentium viſitationi & correctioni ſubjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcipta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, domum præ-

dictam in Monaſterium Tertii Ordinis hujuſmodi, cum dicta Eccleſia, ac cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine alicujus præjudicio erigere, ipſumque Monaſterium ac Moniales, & illius perſonas hujuſmodi, prædicti Bernardini, ac aliorum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi Viſitatorum pro tempore exiſtentium viſitationi & correctioni ſubjicere auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi Monaſterium hujuſmodi per vos vigore præſentium erigi contigerit, ut præfertur, Monaſterio conſtruendo, & illius Monialibus in eo pro tempore degentibus, & perſonis deſervientibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis, indultis, aliis dicti Ordinis Monaſteriis & Monialibus in genere conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere: jure tamen parochialis Eccleſiæ ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. VII. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno IX.

LXVIII.

Ut concedant licentiam fundandi Cœnobium Obſervantum in oppido de Truxillo. Ex lib. 252. fol. 100.

Venerabilibus fratribus Placentin. & Salamantin. ac Pacen. Epiſcopis.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectorum ſeu Gubernatorum, ac univerſorum incolarum & habitatorum oppidi de Truxillo, Placentinæ diœceſis, petitio continebat, quod ſi in dicto oppido, vel illius diſtrictu conſtrueretur & ædificaretur una domus pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, incolæ & habitatores præfati oppidi nunc & pro tempore exiſtentes, ex prædicationibus verbi Dei per Fratres dictæ domus pro tempore faciendis, ac eorumdem Fratrum exemplari vita, & etiam pro confeſſionibus per eoſdem incolas & habitatores faciendis, non parva commoda ſpiritualia conſequerentur, propter quod, ac etiam ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem & Fratres prædictos gerunt, cupiunt in oppido, vel illius diſtrictu hujuſmodi conſtrui & ædificari facere unam domum, pro uſu & habitatione prædictis Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, ſi eis ad id Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte dictorum Rectorum ſeu Gubernatorum & incolarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in aliquo loco ad id accommodo & idoneo oppidi vel diſtrictus hujuſmodi, unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædictorum conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Fratribus illam recipiendi, licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eiſdem Rectoribus ſeu Gubernatoribus, ac incolis & habitatoribus, in aliquo loco convenienti & honeſto oppidi vel diſtrictus hujuſmodi, unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis offi-

officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, abſque alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac ipſis Fratribus domum ipſam pro hujuſmodi uſu & habitatione perpetuis recipiendi, & perpetuo inhabitandi, necnon interim, dum domus hujuſmodi conſtruetur & ædificabitur, in hoſpitali ſancti Spiritus dicti oppidi inhabitandi, licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos concedi, & illius vigore domum prædictam conſtrui & ædificari contigerit, ut præfertur, dictæ domui & illius Guardiano & Fratribus etiam interim in dicto hoſpitali habitantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, gratiis, favoribus & indultis, quibus aliæ domus dicti Ordinis, Guardiani & Fratres in genere utuntur, potiuntur & gaudent, etiam uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. pridie Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno IX.

LXIX.

Ut permittant conſtrui domum Minoritarum in oppido Gandeſen. Ex lib. 259. folio 239.

Dilectis filiis Præpoſito ſancti Ciriaci extra muros oppidi Brunſwick, Hildeſemen. diœceſis, illiuſque, ac ſancti Mauritii extra muros Hildeſemen. Decanis Eccleſiarum.

§. I. Sacræ religionis honeſtas &c. Sane pro parte dilecti filii, nobilis viri Henrici Senioris Brunſwicen. & Lucemburgen. Ducis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad ipſum Ordinem, illiuſque Fratres propter eorum laudabiles mores, & exemplarem vitam gerere dignoſcitur, ſummopere cupit de bonis ſibi a Deo collatis, unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſub invocatione ſanctorum Franciſci, ac Petri & Pauli, necnon beatæ Mariæ Virginis, pro uſu & habitatione perpetuis unius Guardiani & viginti Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, in oppido ſuo Gandeſen. nuncupato, Hildeſemen. diœceſis, in loco decenti & honeſto conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere. Quare pro parte dicti Henrici nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi domum prædictam ſub invocatione hujuſmodi in dicto oppido, loco ad hoc convenienti & honeſto, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis dictorum Guardiani & Fratrum conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Guardiano & Fratribus domum prædictam recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, eidem Henrico unam domum ſub invocatione hujuſmodi, in

in dicto oppido, loco ad hoc convenienti & honeſto, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Guardiani & Fratrum, abſque tamen alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Guardiano & Fratribus illam recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam & facultatem auctoritate noſtra elargimini. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore præſentium concedi contigerit, eidem ſic tunc conſtructæ domui, ac Guardiano & Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, gratiis, exemptionibus, immunitatibus & indultis, aliis dicti Ordinis domibus, Guardianis & Fratribus in genere conceſſis, & per Sedem Apoſtolicam concedendis, uti, potiri & gaudere libere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MD. Idibus Decembris, Pontificatus noſtri anno IX.

LXX.

Ut dent licentiam ædificandi Conventum Fratrum in oppido Politii. Ex libro 288. fol. 344.

Venerabilibus Fratribus Agien. & Cephalonen. Epiſcopis, ac dilecto filio Vicario fratris noſtri Epiſcopi Cephalonen. in ſpiritualibus Generali.

§. I. Sacræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, moderni Vicarii & Fratrum Provinciæ Siciliæ dicti Ordinis petitio continebat, quod in oppido ſeu Caſtro Politii, Cephalonen. diœceſis, ſeu extra illud non ſit aliqua domus pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & ſi in dicto oppido ſeu extra illud, ac illius territorio, in aliquo loco ad hoc congruo & honeſto conſtrueretur una domus cum Eccleſia, & officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub regulari obſervantia, & obedientia Vicarii Generalis dictæ Provinciæ, ſecundum morem dicti Ordinis, Altiſſimo famularentur, profecto ex hoc inibi religio propagationem, & Chriſtifideles oppidi & territorii prædictorum ex exemplari vita, & ſalubribus documentis Fratrum in eadem domo pro tempore degentium, pro animarum ſuarum ſalute non parvum adjumentum ſuſciperent, hocque ad Dei laudem cederet ex frequenti Divinorum officiorum celebratione in Eccleſia hujuſmodi, poſtquam conſtructa foret. Quare pro parte mederni Vicarii & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto territorio ſive terra CaſtriPolitii in aliquo loco ad hoc congruo & honeſto, eidem moderno Vicario per homines dicti loci concedendo, conſtrui & ædificari faciendi unam domum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, per dictum modernum Vicarium ſeu de ejus mandato inibi introducendorum, & qui ſub obedientia moderni & pro tempore exiſtentis Vicarii dictæ Provinciæ ſub regulari obſervantia Al-

Altiſſimo famulentur, licentiam & facultatem concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus &c. eiſdem Vicario & Fratribus dictæ Provinciæ conſtrui & ædificari faciendi, ſine alicujus præjudicio, in dicto oppido ſeu extra illud, aut illius territorio, in loco ad hoc congruo & honeſto, eidem moderno Vicario per dilectos filios Univerſitatem hominum dicti oppidi concedendo, unam domum cum Eccleſia &c. pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, per eumdem modernum Vicarium, ſeu de ejus mandato inibi introducendorum, & qui ſub obedientia ejuſdem moderni & pro tempore exiſtentis Vicarii dictæ Provinciæ ſecundum morem dicti Ordinis, ſub regulari obſervantia Altiſſimo famulentur, ac locum pro hujuſmodi domo cum officinis, & aliis prædictis conſtruendi & recipiendi licentiam auctoritate noſtra concedatis. Nos enim, ſi licentiæ hujuſmodi vigore domum inibi conſtrui contigerit, ut præfertur, eidem domui, ac Guardiano & Fratribus, qui eam pro tempore inhabitabunt, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus: jure tamen &c. Non obſtantibus felic. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. III. Non. Januarii, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXI.

Ut dent facultatem ædificandi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ in Territorio de Fraxino. Ex bulla originali.

Dilectis filiis de Arevalo Abulen. & Pacen. Eccleſiarum Archidiaconis ac Officiali Pacenſi.

§. I. Chriſtianæ devotionis affectus, quem dilecta in Chriſto filia Elvira de Figueroa mulier Pacenſis diœceſis ad nos & Romanam gerit Eccleſiam, promeretur, ut petitionibus ſuis, illis præſertim, per quas Divinus cultus augmentum, & religio propagationem ſuſcipere poſſunt, & ipſius Elviræ animæ ſaluti conſulatur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus, ac eas favoribus proſequamur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictæ Elviræ petitio continebat, quod ipſa zelo devotionis accenſa, cupit ad Dei laudem, & hujuſmodi Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, in Eremitorio Conceptionis beatæ Mariæ Virginis loci ſeu Territorii de Fraxenal dictæ diœceſis unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ pro triginta tribus Monialibus, computata illarum Abbatiſſa, quæ inibi ſub perpetua clauſura, & regulari obſervantia, ac obedientia Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Altiſſimo famulentur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, & aliis officinis neceſſariis, erigi & inſtitui. Quare pro parte ejuſdem Elviræ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto eremitorio, aut in aliquo alio loco honeſto dictæ diœceſis, ad hoc alias idoneo, & per ipſam Elviram eligendo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ pro triginta tribus Monialibus, computata earum Abbatiſſa, quæ inibi ſub hujuſmodi regulari obſervantia, & perpetua clauſura, ac obedientia Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Al-

Altiſſimo famulentur, erigere & inſtituere; ac eidem Elviræ ſeptem Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ per ipſam Elviram eligendas, de aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis Caſtellæ & Legionis Regnorum, ad ipſum erigendum Monaſterium, poſtquam erectum fuerit, pro Regulari Obſervantia inibi inſtituenda & etiam conſervanda, tranſferendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religionem & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere & augeri ſinceris deſideriis affectamus, dictæ Elviræ, quæ, ut aſſerit, de nobili genere procreata exiſtit, propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, ipſamque Elviram a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum in dicto eremitorio (ſi Eremita careat) ſine alicujus licentia, ſi vero Eremitam habeat, de conſenſu illud obtinentis ſeu gubernantis, aut in aliquo alio loco honeſto dictæ diœceſis ad hoc alias idoneo, & per ipſam Elviram eligendo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ pro triginta tribus Monialibus, computata earum Abbatiſſa, quæ inibi ſub Regulari Obſervantia, & perpetua clauſura, ac obedientia Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Altiſſimo famulentur, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, hortis, hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis, ſine alicujus præjudicio erigere & inſtituere, ac Fratribus dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis, per eamdem Elviram eligendis & nominandis, ut dictum Monaſterium erigendum, & illius Abbatiſſam ac Moniales pro tempore exiſtentes, ſub eorum cura, viſitatione & correctione ſuſcipiant, & eis de Confeſſoribus idoneis, qui earum confeſſiones audiant, & de abſolutionis beneficio provideant, ac Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, provideant, ac de eis prout de aliis Monaſteriis Monialium eorum curæ ſubjectis, curam habeant, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis ſententia præcipere & mandare; ac eidem Elviræ ſeptem Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, Ordinem ipſum expreſſe profeſſas, per ipſam Elviram eligendas, de aliis Monaſteriis dicti Ordinis ſanctæ Claræ Caſtellæ & Legionis Regnorum, ad ipſum erigendum Monaſterium, poſtquam erectum fuerit, pro regulari obſervantia inibi inſtituenda & etiam conſervanda, de licentia earum Superioriſſarum, tranſferendi licentiam & facultatem concedere; ac eiſdem ſeptem Monialibus eligendis, ut præfertur, ut ad præfatum Monaſterium erigendum de earum Monaſteriis ſe transferant, præcipere & mandare; ac quod Moniales in ipſo erigendo Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, pro tempore exiſtentes, poſt veſperas unam orationem ſpecialiter pro ſtatu felici dictæ Elviræ, quamdiu in hoc ſeculo fuerit, ac poſtquam deceſſerit, pro animæ ſuæ ſalute dicere teneantur & obligatæ exiſtant, & quod numerus ipſarum Monialium in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui triginta tribus annis in hoc ſeculo fuit, triginta trium Monialium excedere non poſſit ſine licentia Sedis Apoſtolicæ: ac quod ſtatuta & ordinationes, quæ ipſa Elvira circa felicem ſucceſſum dicti Monaſterii, ac etiam circa modum receptionis Monialium, alias licita & honeſta, & ſacris canonibus non contraria, fecerit & ordinaverit, perpetuo obſervari debeant, & dictum Monaſterium, ac quod

illius

illius Abbatiſſa & Moniales pro tempore exiſtentes, ab obedientia, ſub qua Elvira illud & illas conſtituerit, per quoſvis etiam dicti Ordinis Minorum, etiam Regularis Obſervantiæ Prælatos, amoveri non poſſint neque debeant, decernere auctoritate noſtra curetis.

§. III. Nos enim, ſi Monaſterium hujuſmodi vigore præſentium erigi contigerit, ut præfertur, eidem Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ ac Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, conceſſionibus, indultis, prærogativis & exemptionibus, quibus de *Tordeſillas*, domus Regia nuncupatum, Salamantin. & alia Monaſteria Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, etiam ſub cura dictorum Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Regularis Obſervantiæ inventum, in genere conceſſis, ſeu in poſterum concedendis, de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus: jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus conſtitutionibus ac ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; necnon quibuſvis privilegiis & indultis eidem Ordini Fratrum Minorum ſub quibuſcumque tenoribus conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. XV. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXII.

Ut concedant facultatem ædificandi Monaſterium Sororum Tertii Ordinis in oppido de Baza. Ex Regeſt. Vaticano lib. 259. fol. 349.

Venerabilibus Fratribus Toletano & Granaten. Archiepiſcopis, ac dilecto filio officiali Guadicen.

§. I. Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ gubernacula &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici Henriquez, loci dicti de Villada, Legionen. diœceſis, petitio continebat, quod ipſe cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, deſiderat in oppido de Baza, Guadicen. diœceſis, in certo ad id commodo & idoneo loco unum Monaſterium, ſub invocatione ſanctæ Annæ, pro aliquibus Sororibus ſeu Monialibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, ſeu alterius Ordinis per Sedem Apoſtolicam approbati, ſuis propriis ſumptibus, prout jam incepit, conſtrui & ædificari facere, illudque ſufficienter dotare, ſi ad hoc ſibi Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte ejuſdem Henrici nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in oppido & loco hujuſmodi unum Monaſterium cum Eccleſia, campanili &c. conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, illudque in Monaſterium Tertii, vel alicujus alterius approbati Ordinis hujuſmodi, erigi mandare, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſum Henricum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus quatenus vos &c. eidem Henrico in oppido & loco hujuſmodi unum Monaſterium, ſub invocatione ſanctæ Annæ hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili &c. conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, illudque, poſtquam ſic conſtructum fuerit, in Monaſterium Tertii, vel alicujus alte-

alterius approbati Ordinis hujuſmodi, ſine alicujus præjudicio erigere, eique procuretis dicta bona per eumdem Henricum ad id aſſignanda & tribuenda perpetuo applicare & appropriare; quod Sorores ſeu Moniales in eo pro tempore degentes tria ſubſtantialia, & perpetuæ clauſuræ vota emittere, & inibi ſub perpetua clauſura hujuſmodi, & Regulari Obſervantia, & viſitatione & correctione Vicarii provincialis, & Cuſtodis pro tempore exiſtentium provinciæ & Cuſtodiæ illarum partium, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſecundum morem ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum, vivere, & horas beatæ Mariæ cum novem pſalmis, ac ſancti Spiritus, ac ſanctæ Crucis, necnon officium defunctorum etiam cum novem lectionibus loco majoris officii, ad quod alias minime teneantur, quotidie cum cantu ſeu alias, prout eidem Henrico videbitur, dicere & recitare, ac veſtes & calceamenta prout Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci hujuſmodi deferre, induere & calceari, & Quadrageſimæ & Adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti jejunia, prout Moniales Ordinis ſanctæ Claræ, illa obſervare teneantur, & tribus diebus cujuslibet hebdomadæ carnibus veſci non debeant; quodque pro tempore exiſtens Guardianus domus ſancti Franciſci dicti oppidi, Ordinis Fratrum Minorum hujuſmodi, eis de confeſſore, ſeu confeſſoribus qui earum confeſſiones audire, & eis abſolutionis beneficium impendere poſſit ſeu poſſint, providere teneatur; & poſtquam Sorores ſeu Moniales prædictæ Monaſterium hujuſmodi ingreſſæ fuerint, & profeſſionem regularem emiſerint, fructus, reditus & proventus, & quæcumque alia bona in communi poſſidere, & Vicarius ipſe ſeu alius Viſitator ad viſitationem hujuſmodi faciendam, aut aliqui alii Religioſi aut presbyteri, ſeu aliæ perſonæ, niſi ad miniſtrandum ipſis Sororibus Eccleſiæ Sacramenta tempore infirmitatis, & tunc ornamentis presbyteralibus, provide, & ſi Miſſam celebrare volent, induti, dictum Monaſterium intrare non poſſint, ſed idem Vicarius ſeu Viſitator viſitationem hujuſmodi ab extra per turnum ſive rotam, aut ferratam ipſius Monaſterii facere debeat, ipſæque Sorores ſeu Moniales nullum præter patrem, matrem, ſorores, avos, avias, avunculos & patruos, materteras & amitas ſuos, & eos bis in hebdomada dumtaxat per ferratam hujuſmodi alloqui; tempore tamen infirmitatis per aliquas perſonas neceſſarias, omni ſuſpicione carentes, viſitari poſſint; & ſi dictus Henricus præfatus Monaſterium pro ſubſtentatione quinquaginta Sororum ſeu Monialium ibidem degentium ſufficienter dotaverit, quotieſcumque aliqua de numero quinquaginta hujuſmodi defecerit, teneantur ipſæ Sorores ſeu Moniales, cum ſuper hoc fuerint requiſitæ, alias mulieres honeſtas & idoneas uſque ad complementum dicti numeri, abſque eo quod pro earum ingreſſu aliquid recipiant ſeu petant, niſi ipſæ recipiendæ aliqua bona propria habeant, vel earum parentes aut propinqui eis aliquid gratioſe tradere voluerint; & poſtquam ipſæ mulieres dictum Monaſterium, ut præfertur, ingreſſæ fuerint, illæ vel earum ratione ipſum Monaſterium, in bonis parentum vel aliquorum aliorum jure hæreditario ſuccedere, vel ratione ſucceſſionis hujuſmodi aliquid petere nequeant, ſtatuere & ordinare, auctoritate noſtra curetis.

§. III. Nos enim, ſi Monaſterium hujuſmodi conſtrui, ædificari & erigi contingat, ut præfertur, vobis ſuper præmiſſis, ac pro bono & ſalubri regimine Monaſterii & Sororum hujuſmodi, & circa earum vivendi modum, & quæcumque alia ſtatuta & ordinationes honeſtas, & a ſacris Canonibus non deviantia, juxta ejuſdem Henrici voluntatem edendi & ordinandi liberam & omnimodam facultatem concedimus per præſentes; ac eiſdem Monaſterio & Sororibus ſeu Monialibus in eo pro tempore degentibus, ut omni-

omnibus & ſingulis gratiis uti &c. valeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus: jure parochialis &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, anno &c. MDI. X. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXIII.

Concedit Fratribus Minorum de Obſervantia omnia privilegia alias conceſſa Ordinibus Mendicantibus. Roderic. in Bullario num.9.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis.

SAcræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibere ſtudetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut vos ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos volentes quieti & commoditati veſtræ pro benemeritis veſtris paterna caritate conſulere, vobis, ut de cetero omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus tam Fratrum Prædicatorum, quam Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmeli, omnibuſque aliis Mendicantibus per Sedem Apoſtolicam, vel per Legatos ejuſdem, etiam per litteras Apoſtolicas, *Mare magnum* nuncupatas, etiam quoad exceptionem a ſolutione Quartæ locorum Ordinariis, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, a qua vos potiori pro cautela eximimus, hactenus conceſſis, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & debeatis in omnibus & per omnia, perinde ac ſi vobis ſpecifice conceſſa fuiſſent: Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris prædictis conceſſa ſunt, non obſtare, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, illaque vobis de novo concedimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die V. Februarii MDI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXXIV.

Quod det facultatem ædificandi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ. Ex Regeſt. Vatic. lib.255. fol.318.

Dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Spiritus extra muros Abulen.

§. I. SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Mariæ de Avila, relictæ quondam Ferdinandi de Acugna, Siciliæ ultra Farum Vice-Regis petitio continebat, quod ipſa Maria, quæ ſub ſuavi religionis jugo virtutum Domino famulari, & ſeculo relicto, contemplationi vacare intendit, ob ſingularem, quem ad ſanctam Claram & Ordinem ejuſdem Sanctæ gerit devotionis affectum, ac pro animæ ſuæ ſalute, religionis propagatione, & Divini cultus augmento, ex bonis ſibi a Deo collatis, in aliquo honeſto & convenienti loco, in Abulen. vel Salamantin. aut Segobien. diœceſ. conſiſten. per ipſam Mariam aſſignando, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſub invocatione *beatæ Mariæ de Jeſu*, ſub cura, directione, viſita-

ſitatione & correctione alicujus Vicarii provincialis, ſeu alterius Prælati Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, pro tempore exiſtentis, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, per eamdem Mariam eligendi, cum Eccleſia, campanili &c. erigi, & inibi ſub ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ habitu regulari Altiſſimo famulari ſummopere deſiderat. Quare pro parte dictæ Mariæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, ſub invocatione hujuſmodi, ac dignitatem inibi Abbatiſſalem, in aliquo honeſto & convenienti loco, in Abulen. vel Salamantin. aut Segobien. diœceſ. conſiſtente, per ipſam Mariam, ut præfertur, aſſignando, cum Eccleſia, campanili &c. erigere, illudque ſic erectum, & ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſuperioritati, viſitationi, correctioni & directioni alicujus Vicarii provincialis, vel alterius Prælati dicti Ordinis Fratrum Minorum per eamdem Mariam eligendi ſubjicere & ſubmittere, ipſique Vicario vel Prælato, ut illud ſub ejus cura, directione & viſitatione hujuſmodi recipiat, mandare; ac illi pro ejus dote omnia & ſingula bona ad id per ipſam Mariam aſſignanda applicare & appropriare, dictæque Mariæ, ut quatuor Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ætate provectas, ac in regulari obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ expertas, quas elegerit, & voluntarias invenerit, prout ipſi Vicario & Prælato videbitur, de conſenſu Superioris dictarum quatuor Monialium, ad dictum Monaſterium erigendum, pro directione, & inſtructione earum, quæ inibi recipientur in Moniales, transferre poſſit, concedere; quodque de cetero perpetuis futuris temporibus, quævis Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ de earum Superioris licentia ad dictum Monaſterium erigendum ſe transferre, & inibi perpetuo Domino famulari, ac in choro ejuſdem Monaſterii erigendi Sacramentum Euchariſtiæ tenere, nec per quemcumque Superiorem hoc eis prohiberi nullo modo poſſit, ſtatuere & ordinare, ac alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. eamdem Mariam a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi &c. mandamus quatenus, ſi eſt ita, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione hujuſmodi, ac dignitatem inibi Abbatiſſalem in aliquo honeſto & convenienti loco, in Abulen. vel Salamantin. aut Segobien. diœceſibus conſiſtente, per ipſam Mariam, ut præfertur, aſſignando, cum Eccleſia &c. ſine alicujus præjudicio, erigere, illudque ſic erectum, & ejus pro tempore Abbatiſſam & Moniales ſuperioritati, viſitationi, correctioni & directioni alicujus Vicarii Provincialis, vel alterius Prælati dicti Ordinis Minorum per eamdem Mariam eligendi ſubjicere & ſubmittere, ipſique Vicario vel Prælato, ut illud ſub ejus cura, directione & viſitatione hujuſmodi recipiat, mandare, ac illi pro ejus dote omnia & ſingula bona ad id, ut præfertur, aſſignanda, perpetuo applicare & appropriare; dictæque Mariæ, ut quatuor Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ætate provectas, & in Regulari Obſervantia ejuſdem Ordinis expertas, quas ipſa Maria elegerit & voluntarias invenerit, prout ipſi Vicario & Prælato videbitur, de conſenſu Superioris dictarum quatuor Monialium, ad dictum Monaſterium erigendum pro inſtructione & directione earum, quæ inibi in Moniales recipientur, transferre poſſit, concedere; quodque de cetero perpetuis futuris temporibus quævis Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ, de earum Superioris licentia ad dictum Monaſterium ſe transferre, & inibi perpetuo Domino famulari, ipſæque Abbatiſſa & Moniales in choro ejuſdem Monaſterii erigendi, Sacramentum Euchariſtiæ tenere valeant, & per quemcumque Superiorem hoc eis prohiberi nullo modo poſſit, ſtatuere & or-

& ordinare: Et nihilominus ſi erectionem prædictam per te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eamdem Mariam, ſi ſit idonea, & aliud canonicum impedimentum non obſiſtat, in Monialem dicti Monaſterii recipere, ſibique habitum Regularem, juxta ipſius Ordinis ſanctæ Claræ conſuetudinem exhibere, ac Regularem profeſſionem per alias Moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, ab eadem Maria, ſi illam in ejus manibus ſponte emittere voluerit, etiam recipere & admittere, ac ea recepta & admiſſa, de hujuſmodi meritis & idoneitate dictæ Mariæ te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi eamdem Mariam ad regimen & adminiſtrationem dicti Monaſterii utilem & idoneam eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, de perſona dictæ Mariæ, eidem Monaſterio tunc erecto, a primæva illius erectione hujuſmodi vacanti providere, ipſamque illi in Abbatiſſam præficere auctoritate noſtra procures, curam, regimen & adminiſtrationem dicti Monaſterii ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDI. III. Idus Martii, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXV.

Eximit eas ab omnibus impoſitionibus & collectis. Ex Brevi originali.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis & ſingulis Abbatiſſis & Monialibus ſanctæ Claræ primæ & ſecundæ Regulæ, ac Sororibus Tertii Ordinis, de Pœnitentia nuncupati, viventibus in Congregatione Ordinis, ſub cura Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. Expoſitum fuit nobis nuper pro parte veſtra, quod licet juxta privilegia & indulta nonnullorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, vobis & Monaſteriis veſtris conceſſum ſit, ut nullus, cujuſcumque dignitatis vel conditionis exiſtat, vos aut Monaſteria veſtra, occaſione cujuſcumque taxæ, decimæ, collectæ, vel cujuſcumque alterius impoſitionis vel exactionis, etiam Apoſtolica auctoritate impoſitæ vel imponendæ, moleſtare vel inquietare, aut dictorum Monaſteriorum bona mobilia vel immobilia capere vel occupare præſumat, etiam ſub certis pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis in ipſis privilegiis, ac deſuper confectis litteris contentis, & quas contra facientes incurrant: Nihilominus dubitatis, ne occaſione decimæ per Nos pro expeditione contra immaniſſimum Turcam, & in ſubſidium univerſalis Catholicæ Eccleſiæ impoſitæ, aliqua gravamina vobis inferantur. Quare humiliter nobis ſupplicari feciſtis, ut cum majori parte ex eleemoſynis Chriſtifidelium, & labore manuum veſtrarum, victum ac veſtitum recipiatis, providere vobis in præmiſſis, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur veſtræ commoditati, & ut quietius Altiſſimo famulari poſſitis, quo a quibuſcumque exactionibus exemptæ fueritis, providere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis ac univerſis & ſingulis Abbatiſſis & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ tam primæ, quam ſecundæ inſtitutionis, ſub cura & diſciplina Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, nunc & pro tempore exiſtentibus, quod ad ſolutionem alicujus decimæ ſeu taxæ aut collectæ, vel cujuſcumque alterius exactionis per nos vel Sedem Apoſtolicam, vel Legatos ſeu Nuncios ejus, aut

aut quoſcumque alios, quavis auctoritate, ut præfertur, impoſitæ, ſeu etiam in ſubſidium Terræ ſanctæ imponendæ, cogi aut compelli nequeatis, quodque propterea bona veſtra mobilia ſeu etiam immobilia capi, detineri vel arreſtari nequeant, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes: decernentes etiam, tranſumpto præſentium litterarum, manu alicujus Notarii publici ſubſcripto, & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ſeu Curiæ etiam Eccleſiaſticæ munito, eamdem fidem in judicio & extra adhiberi debere, quæ ipſis litteris originalibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis clauſulis & derogationibus ac ſuſpenſionibus indultorum & privilegiorum quibuſvis perſonis, etiam Ordinis Mendicantium conceſſorum in litteris Apoſtolicis ſuper hujuſmodi executione decimarum vel collectarum confectis, appoſitis ſeu in poſterum apponendis, quas, illarum tenore pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quoad vos ac alias Abbatiſſas & Moniales prædictas etiam futuras, veſtraque & illarum Monaſteria, ſpecialiter & expreſſe derogamus, & hujuſmodi decimas & collectas ac exactiones ad vos & illas ac illa minime ſe extendere decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Maii MDI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXXVI.

Varia præſcribit circa Monaſterium Raguſinum ſanctorum Apoſtolorum, Ordinis ſanctæ Claræ. Ex Reg. Vatic. lib. 246. fol. 181.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſini in ſpiritualibus Generali.

§. I. Injunctum nobis deſuper &c. Dudum ſiquidem per Nos accepto, quod Eccleſia ſancti Petri Majoris Raguſin. quæ de jure patronatus laicorum exiſtebat, & quam quondam Franciſcus de Gradis ipſius Eccleſiæ Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Franciſci, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacaverat & vacabat tunc, & pro parte dilectorum filiorum Rectoris & Conſilii Civitatis Raguſin. nobis expoſito, quod ipſi Rector & Conſilium ex ordinatione quondam Martini Quperii Civis Raguſini, unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, Regularis Obſervantiæ nuncupatarum illarum partium, dum viverent, conſtrui facere tenebantur, & tam pro adimplenda pia voluntate dicti Martini, quam etiam ad hoc ut puellæ virgines, & aliæ mulieres ſub Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ Divinis officiis vacare poſſent, locus ejuſdem Eccleſiæ commodus & honeſtus exiſtebat pro erectione unius Monaſterii Monialium Regularis Obſervantiæ dicti Ordinis ſanctæ Claræ.

§. II. Nos tunc dictorum Rectoris & Conſilii in ea parte ſupplicationibus inclinati, tibi aliis noſtris litteris dedimus in mandatis, quatenus per te vel alium ſeu alios in dicta Eccleſia, quæ ſine cura erat, dummodo illa ad prophanos uſus non reduceretur, & ad hoc dictorum patronorum expreſſus accederet aſſenſus, nomen & titulum beneficii ſupprimere & extinguere, ac dictis Rectori & Conſilio apud eamdem Eccleſiam, in qua aliquando Divina officia celebrarent, unum Monaſterium, cum Oratorio, Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, & hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis conſtrui & ædificari faciendi licentiam & facultatem concedere, & illud poſtquam ſufficienti clauſura munitum foret,

ret, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quæ inibi ſub Regulari Obſervantia, & ſub cura dicti Vicarii Provincialis Altiſſimo famularentur, ſub invocatione ſanctorum Apoſtolorum, ſine alicujus præjudicio erigere, illique ſic erecto ſtructuras & ædificia, ac bona omnia dictæ Eccleſiæ perpetuo applicare & appropriare, dictumque Monaſterium ſic erectum cum illius Abbatiſſa pro tempore, ac Conventu, Monialibus & perſonis, curæ, directioni & viſitationi & correctioni dicti Vicarii ſubjicere & ſubmittere, & ab aliorum quorumlibet viſitatione, correctione & ſuperioritate prorſus eximere & liberare; necnon dicto Vicario Provinciali, ut Monaſterium ipſum ſub ejus cura reciperet, & aliquas Moniales alicujus alterius Monaſterii dicti Ordinis ſanctæ Claræ Regularis Obſervantiæ, & ejus curæ commiſſi, quas ad hoc voluntarias inveniret, ex eorum Monaſterio ad dictum Monaſterium ſic erigendum, poſtquam erectum foret, ut præfertur, transferret, & eis Abbatiſſatus, & alia officia in hujuſmodi Monaſteriis conſueta ad tempus, de quo ſibi videretur, committeret, ac quod in eodem Monaſterio recipiendas Moniales in ritu, moribus & Regulari Obſervantia dicti Ordinis ſanctæ Claræ inſtruerent, eis injungeres, & quod per eas cum effectu fieret, procurare mandares, & nonnulla alia tunc expreſſa facere auctoritate noſtra curares, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

§. III. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte eorumdem Rectoris & Conſilii petitio continebat, cum tu ad earumdem litterarum executionem, illarum forma ſervata, procedens, in dicta Eccleſia nomen & titulum ſuppreſſiſſes, & eiſdem Rectori & Conſilio hujuſmodi Monaſterium conſtruendi licentiam earumdem litterarum vigore conceſſiſſes, ipſi Rector & Conſilium dictum Monaſterium alias juxta voluntatem dicti Martini conſtrui & ædificari fecerunt, ſeu ſaltem pro majori jam parte dictum Monaſterium conſtructum exiſtit; & quia bona per dictum Martinum ad hoc relicta non ſufficiebant, ipſi Rector & Conſilium magnam partem pecuniæ ex bonis dilectorum filiorum Communitatis Raguſin. expoſuerunt: tuque dictum Monaſterium poſtquam convenienti clauſuræ munitum fuerat, in Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ earumdem litterarum vigore erexiſti.

§. IV. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, præfatus Martinus voluerit, quod in dicto Monaſterio novo Moniales viverent ſub Regulari Obſervantia, & in eodem ſecundum primævam inſtitutionem dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quibus non licet habere bona in communi; attenta conditione dictæ Civitatis, quodammodo impoſſibile foret quod in dicto Monaſterio novo Moniales pro tempore degentes ſub ita arcta & ſtricta Regulari Obſervantia viverent; ſed cupiunt ipſi Rector & Conſilium, ut voluntas dicti Martini in reliquis adimpleatur, ut in dicto Monaſterio novo per illius Moniales pro tempore illi modi & ritus obſerventur, qui obſervantur in Monaſterio ſanctæ Claræ Raguſin. dicti Ordinis ſanctæ Claræ: & ad hoc ut in dicto Monaſterio novo Moniales honeſte vivant, & inſtitutionibus regularibus inſtituantur, opus ſit aliquas Moniales ex dicto Monaſterio ſanctæ Claræ transferre ad ipſum Monaſterium novum, & niſi ipſæ Moniales cenſuris cogentur, ſe transferre forte recuſabunt: pro parte Rectoris & Conſilii prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur Rectorem & Conſilium præfatos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi &c. mandamus quatenus, ſi eſt ita, quatuor ex Monialibus dicti Monaſterii ſanctæ Claræ ad hoc idoneas, quas ipſi Rector & Conſilium ſuper hoc requiſive-

verint, illis tamen, ac dicto Monaſterio novo, & aliis introducendis ſeu recipiendis Monialibus ſub cura & viſitatione & correctione dicti Vicarii Provincialis alias remanentibus, ut ad præfatum Monaſterium novum ſe transferant, ita quod una ex illis quatuor transferendis Monialibus per triennium ipſi Monaſterio novo Abbatiſſa exiſtat, & tam ipſas, quam alias tres Moniales prædictas ad permanendum inibi per triennium hujuſmodi pro inſtitutionibus regularibus inibi inſtituendis; ita tamen quod ſi poſt dictum triennium noluerint in dicto Monaſterio novo remanere, poſſint ad dictum Monaſterium ſanctæ Claræ redire, cenſuris & aliis juris remediis, eadem auctoritate noſtra cogas & compellas, contradictores &c. Nos enim Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, ut quæcumque legata eidem Monaſterio novo facienda, ac bona mobilia & immobilia illi quomodolibet donanda ſeu relinquenda acceptare, ac jam forſan relicta & illi applicata retinere, necnon bona hujuſmodi in communi juxta ſecundam inſtitutionem dicti Ordinis ſanctæ Claræ habere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & pariter indulgemus. Non obſtantibus voluntate dicti Martini, & aliis præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii ſanctæ Claræ, & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. IV. Non. Junii, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXVII.

Largitur ei poteſtatem ejiciendi & puniendi incorrigibiles. Ex Brevi origin.

Dilecto filio Hieronymo de Torniellis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia citra Montes Vicario Generali.

Cum ſicut nobis exponi feciſti, interdum contingat, in Ordine veſtro aliquos Fratres adeo, humani generis hoſte procurante, in reprobum ſenſum datos reperiri, ut nulla ex re corrigi, & rectam ad ſemitam reduci poſſint; Nos attendentes dicti Ordinis quieti, & conſervationi Obſervantiæ veſtræ omnino conducere, ut perſonæ ſic incorrigibiles, ne alios corrumpant & inficiant, a vobis ejiciantur, tibi & Generali Vicario pro tempore exiſtenti per voſmetipſos dumtaxat, & aliis Vicariis Provincialibus dicti Ordinis per eos, cum conſenſu majoris partis Capituli Provincialis, Religioſos dicti Ordinis, quos ſic incorrigibiles reperietis, tamquam membra putrida, habitu veſtro ſpoliandi, & a vobis ejiciendi, ac contra quoſcumque eis forſan auxilium, conſilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore ſuper dicti habitus delatione portantes, etiam cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, procedendi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria quomodolibet & opportuna faciendi, gerendi & exequendi, auxilium quoque brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocandi, plenam, liberam & omnimodam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. die XV. Junii, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXVIII.

LXXVIII.

Varia conceduntur & explicantur pro meliori Ordinis regimine. Ex Reg Ultram. Curiæ fol. 1.

Eidem.

§. I. INtelleximus aliquos ex religioſis Ordinis tui, aliis aſſerere velle, quod Vicarius quilibet, vel Provincialis dicti Ordinis, ſeu Guardiani domorum Ordinis ejuſdem, caſus de occultis ſibi reſervare non poſſunt. Quare nobis ſuper hoc de remedio ſupplicari feciſti opportuno.

§. II. Nos igitur felici & perpetuo ſtatui dicti Ordinis & Obſervantiæ veſtræ paterna caritate conſulere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, Vicarium Generalem, vel Provincialem, aut Guardianos pro tempore exiſtentes præfatos, caſus de occultis inter Religioſos dicti Ordinis veſtri ſibi poſſe reſervare, & poſt reſervationem hujuſmodi nullum dicti Ordinis inferiorem ab eis abſolvere poſſe, & ſi abſolvat, nullam eſſe abſolutionem, & incidere in pœnam abſolventium a caſibus non conceſſis: nec Miniſtrum Generalem dicti Ordinis abſolvere, nec licentiam concedere poſſe abſolvendi ab hujuſmodi caſibus ſic reſervatis per Prælatos familiæ veſtræ: nullumque profeſſorem dictæ familiæ, ſi illam ingrediatur, parentibus, propinquis vel affinibus ſuis quovis modo ſuccedere, ac aliquo indulto Fratribus Conventualibus ad hoc conceſſo gaudere poſſe: nec etiam Conventus occaſione profeſſionis ſuæ egredientes, jus aliquod in hæreditate, vel quavis alia ſucceſſione propinquorum quomodolibet acquirere & conſequi poſſe.

§. III. Et quia intelleximus ſæpe numero contingere, quod tempore Paſchatis navigantes ad partes Sclavoniæ ſe conferant, qui a Rectoribus parochianis nullam habent Eccleſiaſtica Sacramenta recipiendi licentiam; ut religioſis dicti Ordinis tui in dictis inſulis degentibus, & in Paſchate dictis navigantibus confeſſis Euchariſtiam miniſtrare libere & licite poſſint, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Et quia decrevimus Moniales S. Claræ primæ & ſecundæ Regulæ, ac Sorores Tertii, de Pœnitentia nuncupati, viventes in Congregatione ſub cura veſtra, cum pro majori parte ex eleemoſynis Chriſtifidelium, & labore manuum ſuarum victum & veſtitum recipiant, ad ſolutionem alicujus decimæ ſeu taxæ aut collectæ per Nos impoſitarum cogi non poſſe; & reperiuntur aliquæ ex eis, quæ licet aliquid proprii habeant, tamen non ſufficit eis ad quotidianas expenſas, etiam volumus illas ſic proprium habentes, ut ad quotidianas expenſas non ſufficiat, ad ſolutionem hujuſmodi ob earum paupertatem cogi non poſſe. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, præſentes litteras deferre, volumus, & auctoritate præfata decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo tuo, vel aliorum Commiſſariorum ac ſubſtitutorum & ſubſtituendorum, ſeu alicujus Prælati, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. Julii MDI. Pontificatus noſtri anno IX.

LXXIX.

Ut dent Fratribus de Obſervantia Conventum beatæ Mariæ de Arançaçu. Ex Reg. Vatic. lib. 244. fol. 238.

Venerabilibus Fratribus Calagurritan. & Calmen. Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati ſecularis & Collegiatæ Eccleſiæ beatæ Mariæ de Cenaruca, Calagurritan. diœceſis.

§. I. Sacræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Petri de Oñate Miniſtri, & Fratrum domus beatæ Mariæ de Arançaçu, Comitatus de Oñate, Ordinis Fratrum Minorum, Calagurritan. diœceſis, petitio continebat, quod alias venerabilis Frater noſter modernus Archiepiſcopus Toletan. qui Reformator omnium Monaſteriorum & domorum, ac aliorum locorum Ordinum quorumcumque partium illarum Apoſtolica auctoritate deputatus exiſtit, & habens ad hoc, ut aſſerebat, a Sede Apoſtolica per illius litteras facultatem, illius vigore in Eremitorio beatæ Mariæ de Arançaçu hujuſmodi, quod alias nonnulli Fratres beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum propria auctoritate receperant, & poſtea dimiſerunt, dictum Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum inſtituit, ac dictum Petrum in Miniſtrum ſeu Superiorem ejuſdem domus, cum facultate recipiendi Fratres ejuſdem Ordinis ſub habitu Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, deputavit; ac poſtea voluerat, quod domus, Miniſter & Fratres prædicti, *Fratres de Pœnitentia* nuncuparentur, Miniſtro & Fratribus prædictis habitum Fratrum, de Pœnitentia nuncupatorum hujuſmodi mutandi, & habitum per Fratres dicti Ordinis Minorum geſtari ſolitum ſuſcipiendi, ac in dicto Eremitorio unam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, ac aliis officinis neceſſariis conſtruendi & ædificandi, ſeu jam inceptam perficiendi, licentiam & facultatem conceſſit; cujus licentiæ vigore, Petrus Miniſter & alii Fratres prædicti habitum Ordinis Fratrum Minorum ſuſceperunt, ac inibi unam domum pro uſu & habitatione prædictis conſtrui fecerunt, ſeu inceperunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ab aliquibus de viribus prædictorum hæſitetur; pro parte tam venerabilis fratris noſtri Georgii Epiſcopi Tuſculan. dicti Ordinis Viceprotectoris, quam prædictorum Petri Miniſtri & Fratrum in eadem domo commorantium, aſſerentium quod domus hujuſmodi in loco admodum montuoſo & aſpero ſita exiſtit, & quod Fratres ad mendicandum pro eorum ſuſtentatione, præſertim tempore hyemali exire non valent, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni & aliis præmiſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & pro potiori cautela dictum Ordinem Fratrum Minorum inibi de novo conſtituere, & alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. Petrum Miniſtrum & Fratres prædictos & eorum ſingulos a quibuſcumque excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi &c. diſ. V. &c. mandamus quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, inſtitutionem prædictam auctoritate noſtra approbetis & confirmetis, ſuppleatiſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: & nihilominus pro potiori cautela in dicto Eremitorio præfatum Ordinem Fratrum Minorum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum

trum dicti Ordinis Minorum, qui inibi ſub regulari Obſervantia Altiſſimo famulentur, & per Miniſtrum Generalem, ſeu Provincialem Provinciæ Caſtellæ ac Cuſtodem Cuſtodiæ, ſub qua dicta domus exiſtit, dicti Ordinis Minorum protempore exiſtentes, viſitentur, & ſi exceſſerint, corrigantur & puniantur, inſtituere; ac eiſdem Petro & Fratribus inibi unam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Minorum, non autem dicti Tertii Ordinis de Pœnitentia, & quæ per Guardianum, non autem Miniſtrum regatur & gubernetur, cum Eccleſia &c. conſtruendi & ædificandi, ſeu jam inceptam perficiendi licentiam & facultatem concedere; ac Generali & Provinciali ac Cuſtodi prædictis, & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, ut domum, & illius Guardianum ac Fratres prædictos ſub eorum viſitatione & correctione recipiant, præcipere & mandare: ac quod ipſa domus per Guardianum triennalem, per illius Fratres ſeu eorum majorem partem eligendum, & quod eo ipſo, quo electus fuit, ut præfertur, abſque aliqua alia confirmatione dictam domum regat & gubernet: & quod Guardianus & Fratres hujuſmodi bona in communi habere, & aliquas perſonas, quæ pecuniam in eleemoſynis, aut alias quomodolibet recipiant, ac arcam ſeu cippum; ubi pecunia hujuſmodi pro eorum ſuſtentatione reponatur, ita tamen, quod Guardianus aut Fratres ejuſdem Ordinis pecuniam manualiter recipere non poſſint: ac etiam unam domum, in qua venientes tam peregrinationis, quam viſitationis ſeu devotionis cauſa, & hoſpites recipiantur & hoſpitentur, habere; necnon in alia domo ſeu oratorio Sorores ejuſdem Ordinis, ſub eorum cura, regimine & adminiſtratione viventes, recipere libere & licite valeant, decernere eadem auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi approbationem, confirmationem, ſuppletionem, & licentiam hujuſmodi, & alia præmiſſa per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem domui, & illius Guardiano ac Fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, indulgemus: jure tamen &c. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. XII. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno IX.

LXXX.

Ut poſſit ædificare pro Fratribus Obſervantibus Conventum in oppido Montiſfortis de Lemos. Ibidem lib. 284. fol. 292.

Dilecto filio nobili viro Roderico Henrici Oſſorio Comiti de Lemos, Lucenſis diœceſis.

§. I. EXimiæ devotionis affectus &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu fervore devotionis accenſus, cupiens tranſitoria in æterna, & temporalia in cœleſtia felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum & ejus perſonas, propter eorum exemplarem vitam, ac uberes fructus, quos incolis locorum, in quibus degunt, aſſidua & devota Divinorum officiorum celebratione, verbi Dei prædicatione, ac confeſſionum diſcreta auditione afferre ſolent, geris devotionis affectum, de bonis tibi a Deo collatis unam domum, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, in oppido de Monforte de Lemos, in tuo dominio conſiſtenti, Lucen. diœceſis, ſeu prope illud, aut alio loco tui Comitatus, con-

conſtrui & ædificari facere ſummopere deſideras, ſi tibi illam conſtruendi & ædificari faciendi, ac Fratribus prædictis illam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam cum Eccleſia, campanili humili &c. conſtrui & ædificari faciendi, ac Fratribus prædictis illam, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum perpetuis uſu & habitatione perpetuis recipiendi, eamque perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. te a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi domum prædictam cum Eccleſia &c. pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum prædictorum in dicto oppido vel prope illud, aut alio loco tui Comitatus per te eligendo, alias convenienti & honeſto, ſub invocatione, de qua tibi videbitur, & quod Fratres inibi pro tempore degentes Vicario Provinciali illius Provinciæ ſecundum morem dicti Ordinis pro tempore exiſtentis ſubjecti exiſtant, ſine alicujus præjudicio, conſtrui & ædificari faciendi, necnon Fratribus prædictis illam, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim dictæ domui &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDI. pridie Non. Septembris, Pontificatus noſtri anno x.

LXXXI.

Ut dent facultatem quibuſdam viduis nobilibus ædificandi Monaſterium Tertii Ordinis Peruſii. Ibid. lib. 259. fol. 155.

Dilectis filiis Valterano de Coppolis & Cinadræ Caroli Canonicis Eccleſiæ Peruſinæ Ordinis ſancti Auguſtini, ac Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Peruſini in ſpiritualibus generali.

§. I. Paſtoralis officii &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum Hippolytæ, Lucretiæ, & Camillæ de Balllionibus viduarum Peruſin. ſororum domicellarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ſi prope Eccleſiam ſine cura ſanctæ Mariæ de Virginibus Peruſin. in qua Confratres certæ Confraternitatis etiam Peruſin. pro certis piis operibus faciendis convenire conſueverunt, una domus Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati conſtrueretur & ædificaretur, ac dicta Eccleſia cum ſuis membris & aliis pertinentiis eidem domui pro ejus Eccleſia concederetur, ſtatueretur que & ordinaretur, quod de cetero in dicta domo vigerent ritus, mores & inſtituta regularia dicti Ordinis, & illius obſervantia, quæ vigent in domo ſanctæ Agnetis etiam Peruſin. ejuſdem Ordinis, ex hoc profecto Divinus cultus cum religionis propagatione ſuſciperet incrementum, ac mulieribus præſertim virginibus ſub regulari obſervantia dicti Ordinis Divinis beneplacitis vacare volentibus, & in dicta S. Agnetis & aliis domibus etiam Peruſin. ejuſdem Ordinis commode recipi non valentibus, de loco in quo recipi, & Divinis beneplacitis hujuſmodi vacare valerent, juxta eorum deſiderium opportune provideretur.

tur. Quare pro parte Hippolytæ, Lucretiæ & Camillæ prædictarum aſſerentium, quod ipſæ ob ſingularem, quem ad ſanctum Franciſcum & Ordinem hujuſmodi gerunt devotionis affectum, ac ſpiritualem earum conſolationem, de bonis eis a Deo collatis, ac ex eleemoſynis, quas ad id pia largitione fidelium erogari contingeret, domum hujuſmodi conſtrui & ædificari ſummopere deſiderant, dictamque Eccleſiam ab eiſdem Confratribus ad effectum prædictum obtinuerunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Hippolytæ, Lucretiæ & Camillæ prope dictam Eccleſiam unam domum Sororum dicti Ordinis cum cœmeterio pro tumulandis cadaveribus Sororum, & aliarum illarum obſequiis inſiſtentium perſonarum utriuſque ſexus, ac dormitorio, refectorio, convenienti clauſura, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam, dictamque Eccleſiam eidem domui pro ejus Eccleſia concedere, ac ad præfatam domum tunc conſtructam dilectas in Chriſto filias Thomaſiam Nicolai Procoli & Gabriellam Antonii de la Fiore Sorores dictum Ordinem a triginta annis circa expreſſe profeſſas, & quaſcumque alias Sorores dicti Ordinis in eadem Civitate per domos privatas, & domos Ordinis hujuſmodi habitantes, quas ad hoc voluntarias invenerint, transferre: quodque in dicta domo perpetuis futuris temporibus vigere debeant ritus, mores & regularia inſtituta, ac regularis Obſervantia, quæ vigent & vigere conſueverunt in ſanctæ Agnetis prædicta, & aliis domibus Ordinis & Civitatis hujuſmodi, ac dictæ Sorores ad audiendam Regulam dicti Ordinis extra domum prædictam, vel ad exequias mortuorum exire minime teneantur, ſtatuere & ordinare: dictamque domum, & ejus pro tempore Miniſtram ſeu Superioriſſam & Sorores viſitationi, curæ & directioni Guardiani pro tempore exiſtentis, & Fratrum domus ejuſdem ſancti Franciſci de Monte, extra muros Peruſin. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum ſubjicere & ſubmittere, ipſiſque Guardiano & Fratribus ut domum ipſam tunc conſtructam, ejuſque pro tempore Miniſtram ſeu Superioriſſam & Sorores, ſub eorum cura, viſitatione & directione hujuſmodi recipiant, eaſque viſitent & dirigant, ſub excommunicationis ſententia præcipere, ac alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſas Hippolytam, Lucretiam & Cammillam a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus hujuſmodi &c. mandamus quatenus vos &c. per vos ſeu alium vel alios, ſi eſt ita, eiſdem Hippolytæ, Lucretiæ & Cammillæ, dummodo ad hoc dictorum Confratrum expreſſus accedat aſſenſus, prope dictam Eccleſiam unam domum Sororum dicti Tertii Ordinis, cum cœmeterio, refectorio, dormitorio, convenienti clauſura, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi ſeu &c. licentiam, dictamque Eccleſiam eidem domui conſtruendæ pro ejus Eccleſia concedere, ac ad eamdem domum tunc conſtructam Thomaſiam & Gabriellam prædictas, ac quaſcumque alias Sorores dicti Tertii Ordinis in eadem Civitate per domos privatas extra domos Tertii Ordinis hujuſmodi habitantes, quas ad hoc voluntarias invenerint, transferre, eiſdemque Sororibus in dicta domo conſtruenda pro tempore degentibus, ut ad inſtar dictæ domus ſanctæ Agnetis, Miniſtram & alias Superioriſſas ſibi eligere valeant, indulgere: quodque in dicta domo conſtruenda perpetuis futuris temporibus ritus, mores & regularia inſtituta, ac Regularis Obſervantia, quæ vigent & vigere conſueverunt in ſanctæ Agnetis prædicta, & aliis domibus Tertii Ordinis & Civitatis hujuſmodi, erigere debeant, ac Miniſtra & Sorores præ-

prædictæ ad audiendam Regulam dicti Tertii Ordinis extra eamdem domum, vel ad exequias mortuorum exire minime teneantur, ſtatuere & ordinare: dictamque domum tunc conſtruendam, & ejus pro tempore Miniſtram & Superioriſſas ac Sorores viſitationi, curæ & directioni Guardiani pro tempore exiſtentis, & Fratrum domus ſancti Franciſci hujuſmodi, ſine præjudicio Generalis Miniſtri pro tempore exiſtentis Ordinis Minorum, a quo viſitari valeant, ſubjicere & ſubmittere: ipſiſque Guardiano & Fratribus, ut domum eamdem, ejuſque pro tempore Miniſtram, Superioriſſam & Sorores prædictas ſub eorum cura, viſitatione & directione hujuſmodi recipiant, illaſque viſitent & dirigant, ſub excommunicationis ſententia diſtricte præcipere, auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per vos vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, eiſdem domui, ac illius pro tempore Miniſtræ & Superioriſſæ & Sororibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. valeant indulgemus: jure tamen &c. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDI. V. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno X.

LXXXII.

Ut permittant ædificari domum Fratrum Minorum in Monte ſancti Jodoci. Ibid. ex lib. 273. fol. 174.

Dilectis filiis Theſaurario Padeburnen. & Decano Padeburnen. diœceſis Eccleſiarum.

§. I. Piis ſupplicum votis &c. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Wilhelmi Ducis Juliacen. & Monten. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe zelo devotionis, quam ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum gerit, accenſus, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, deſiderat pro Religionis propagatione, & Divini cultus augmento, in Monte ſancti Jodoci prope Bilefeldiam, Padeburnen. diœc. unam domum pro uſu & habitatione perpetuis dictorum Fratrum conſtruere, ædificare, ſeu &c. ſi ad id ſibi Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte dicti Ducis, qui etiam Comes Ravensbergenſis exiſtit, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto monte, in aliquo loco ad id conveniente & idoneo unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana &c. juxta morem dicti Ordinis pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum conſtruendi & ædificandi ſeu &c. licentiam concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. præfatum Ducem a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi &c. mandamus quatenus vos vel alter veſtrum præfato Duci in dicto monte, in aliquo loco ad id conveniente & idoneo unam domum cum Eccleſia &c. & aliis officinis hujuſmodi juxta morem dicti Ordinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum, ſine alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu &c. ipſiſque Fratribus dictam domum, poſtquam conſtructa fuerit, pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & in ea perpetuo habitandi plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam concedatis. Nos enim domui hujuſmodi, poſtquam ſic conſtructa & ædificata fuerit, ac omnibus & ſingulis Fratribus in ea pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti, potiri &c. valeant, auctoritate Apoſtolica indulgemus. Jure ta-

tamen &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, anno MDI. VII. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno x.

Anno Christi 1502. Alexandri VI. anno 10.

LXXXIII.

Ut det licentiam fabricandi Conventum in oppido Montis Muri. Ibidem lib. 273. fol. 208.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſanctæ Mariæ de Sagittario, Anglonen. diœceſis.

§. I. Sacræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii moderni Vicarii Provinciæ Baſilicatæ, ſecundum morem Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, petitio continebat, quod cum in terra ſive oppido Montis Muri, ſeu illius Territorio, Tricaricen. diœceſis dictæ Provinciæ, ſecundum morem dictæ Religionis, non ſit aliqua domus Fratrum ejuſdem Ordinis Regularis Obſervantiæ, & ſi in dicta terra ſeu oppido, aut illius territorio, in aliquo loco ad hoc congruo & honeſto conſtrueretur & ædificaretur una domus, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub Regulari Obſervantia, & obedientia Vicarii Provincialis dictæ Provinciæ pro tempore exiſtentis Altiſſimo famularentur, profecto ex hoc inibi Religio propagationem, & Chriſtifideles dicti Territorii ſeu loci Montis-Muri ex exemplari vita, & ſalubribus documentis Fratrum in eadem dnmo pro tempore degentium, pro animarum ſuarum ſalute non parvum adjuvamentum ſuſciperent, hocque etiam ad Dei laudem cederet, ex frequenti Divinorum officiorum celebratione in Eccleſia dictæ domus conſtruenda, poſtquam conſtructa fuerit. Quare pro parte ejuſdem moderni Vicarii nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto oppido ſive Terra, aut illius territorio, in aliquo loco ad hoc congruo & honeſto, etiam moderno Vicario per dilectos filios Univerſitatem hominum dicti oppidi concedendo, unam domum, cum Eccleſia, campanili humili &c. pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis &c. conſtruendi & recipiendi licentiam concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita, eidem Vicario unam domum, cum Eccleſia, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, per Vicarium eumdem, ſeu de ejus mandato inibi introducendorum, in terra ſeu oppido, aut Territorio prædicto, abſque alicujus præjudicio, conſtruendi & recipiendi licentiam auctoritate noſtra concedas. Nos enim &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDII. VI. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno x.

LXXXIV.

LXXXIV.

Revocantur quædam litteræ Apoſtolicæ Miniſtro Generali conceſſæ. Ex brevi origin.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis.

CUm ſicut accepimus, nonnulli Fratres Conventuales Ordinis Minorum, etiam ſub prætextu reformationis, aut alias dudum inter vos & dictos Fratres Conventuales concordatis, ac diverſis litteris Apoſtolicis ſuper hoc per diverſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & etiam per Nos editis & approbatis, etiam graves ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas in contrafacientes latas & promulgatas in ſe continentibus, contravenire præſumant, prætendentes id licite facere poſſe, prætextu quarumdam aliarum noſtrarum in forma Brevis litterarum dilecto filio moderno dicti Ordinis Miniſtro Generali per Nos nuper conceſſarum: & ſi concordatis & litteris prædictis quovis modo directe vel indirecte contraveniretur, veriſimiliter exinde inter vos, & dictos Fratres Conventuales gravia diſſenſiones & ſcandala exorirentur. Nos qui ſcandalis & diſſenſionibus hujuſmodi, ne eveniant, præſertim inter perſonas religioſas, quas ab omni contentione, ut liberius Divinis vacare poſſint beneplacitis, decet eſſe ſemotas, libenter, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, volentes deſuper debite providere, ac paci & quieti veſtræ paterna caritate conſulere, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium declaramus, numquam intentionis noſtræ fuiſſe vel eſſe, concordatis & litteris prædictis etiam per litteras præfato Generali Miniſtro, ut præfertur, conceſſas, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, in aliquo derogare, ſed illas inviolabiliter juxta eorum continentias & tenorem obſervari debere, prout etiam hactenus obſervata fuerunt. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in ſingulis litteris prædictis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens foret, deferre, volumus & præfata auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra, ac alias ubilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII. Januarii MDII. Pontificatus noſtri anno X.

LXXXV.

Declarat Obſervantes, etiamſi ad Conventuales tranſeant, eſſe incapaces hereditatis. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

CUm intellexerimus, quamplures Fratres veſtri Ordinis, aviditate in bonis parentum, propinquorum vel affinium ſuorum ſuccedendi, familiam veſtram egredi, & ad Fratres Conventuales ob indulta illis deſuper con-

conceſſa, ſe transferre, in grave periculum animarum ſuarum (quoniam paupertate, quam ſemel Deo voverunt, neglecta, in poſſidendi cupiditates relabuntur) malum exemplum, & Religionis veſtræ vilipendium, ac ſcandalum plurimorum. Nos tranquillitati dicti Ordinis & Obſeruantiæ veſtræ paterna caritate conſulere volentes, ſupplicationibuſque pro parte veſtra nobis deſuper porrectis inclinati, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimus, nullum profeſſorem dictæ familiæ, qui egrediatur, parentibus, propinquis vel affinibus ſuis in bonis eorumdem quovis modo ſuccedere, nec aliquo indulto Fratribus Conventualibus dicti Ordinis ad id conceſſo, neque etiam Conventus occaſione profeſſoris ſic egredientis, jus aliquod in hæreditate, vel quavis alia ſucceſſione bonorum parentum & propinquorum prædictorum quomodolibet acquirere & conſequi poſſe ſeu debere: præmiſſis indultis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Et quoniam difficile eſſet, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus forte opus eſſet, deferri, volumus, & pariter eadem auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti munitis, ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi originaliter exhibitæ vel oſtenſæ eſſent.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die v. Aprilis MDII. Pontificatus noſtri anno x.

LXXXVI.

Conceditur eis facultas dandi Minoribus Obſervantibus Eccleſiam Annunciatæ. Ex Bulla originali.

Dilectis filiis Univerſitati & hominibus Caſtri Fortis Cajetanen.

§. I. Dilecti filii &c. Exponi nobis feciſtis, quod vos pro veſtra ſpirituali conſolatione, & animarum ſalute deſideratis, quod in Eccleſia Annunciatæ dicti Caſtri, in qua quædam laicorum Confraternitas inſtituta eſt, & illam gubernare conſuevit, aliqui Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum inducantur & degant, ſperantes ex eorum exemplari vita, aſſidua Divinorum celebratione, annunciatione Divini verbi, & aliis bonis operibus uberes animarum fructus iſtic proventuros. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in dicta Eccleſia, ſeu apud illam unam domum, cum neceſſariis officinis pro perpetuo uſu & habitatione dictorum Fratrum ædificandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum, & Religionis propagationem noſtris potiſſimum temporibus ubique fieri, vehementer deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod in dicta Eccleſia ſeu apud illam, unam domum, cum dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ſine juris alieni præjudicio, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum conſtruere & æſtificare, ſeu jam conſtructam aut inceptam perficere & ampliare libere & licite valeatis: quodque domus prædicta & Fratres in ea pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, favoribus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis ſpiritualibus & temporalibus, gratiis & indultis, qui-

bus aliæ domus & Fratres dicti Ordinis utuntur, potiuntur & gaudent, poterunt & poſſint quomodolibet in futurum uti, potiri & gaudere, tenore præſentium concedimus, pariter & indulgemus: Fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente, ne Mendicantium Ordinum profeſſores nova loca ad inhabitandum recipere, ſeu jam recepta mutare præſumant, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Abſolventes nihilominus dictos Fratres ab excommunicationis ſententia per eos forſan incurſa, ſi abſque licentia Apoſtolicæ Sedis dictam domum receperunt.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Aprilis MDII. Pontificatus noſtri anno X.

Succeſſit Alexandro Pius III. & poſt dies XXVI. *Julius II. electus Kal. Novembris, coronatus* VI. *Kal. Decembris.*

Anno Christi 1503. Julii II. Anno I.

I.

Confirmatur ſodalitas Joannis Guadalupenſis, & ſociorum. Ex Regiſtro Julii II. lib. 14. fol. 402.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem poſtquam fel.record. Alexandro VI. prædeceſſori noſtro pro parte dilecti filii noſtri Joannis de Guadalupe, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, expoſitum fuerat, quod aliqui pro uberiori animarum ſuarum ſalute in humilitatis ſpiritu, & vera paupertate, prout ſanctus Franciſcus inſtituerat, vivere deſiderabant, & ſi ſibi in aliquo loco Regni Granatæ ad id commodo & idoneo pro uno pauperculo Eremitorio ſeu domo conſtruenda pro ſuis & aliorum Fratrum dicti Ordinis uſu & habitatione perpetuis, in quo dicti Fratres habitare, & in ſimplici Obſervantia ſancti Evangelii Dominici, & Regulæ ejuſdem Sancti vivere poſſent, licentia concederetur; Joannes & alii Fratres prædicti, in eo pro tempore degentes Divinis beneplacitis aſſiduis vacarent, & exinde Divinus cultus ſuſciperet incrementum: & idem Alexander prædeceſſor eidem Joanni in ad id commodo & idoneo loco dicti Regni unum Eremitorium ſeu domum cum neceſſariis officinis pro ſuis & aliorum Fratrum prædictorum, qui ſub ſimplici obſervantia ſancti Evangelii Dominici, & ſecundum Regulam ac modum vivendi hujuſmodi vivere deberent, uſu & habitatione propriis, abſque cujuſvis licentia, ſine alicujus præjudicio, jure tamen &c. conſtruendi & ædificandi, ſeu &c. ac in ea pro conſtructione hujuſmodi ſex Fratres dicti Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupatos, cujuſcumque Provinciæ ſeu Cuſtodiæ forent, ſuorum Superiorum petita, licet non obtenta licentia, & alias prædictum Ordinem noviter profiteri, & hujuſmodi Eremitorium intrare volentes recipiendi, & eis habitum regularem juxta certam formam tunc expreſſam exhibendi licentiam conceſſerat: quodque Joannes & alii Fratres prædicti in dicto Eremitorio pro tempore degentes, Miniſtro Generali dicti

ſti Ordinis pro tempore exiſtenti, & non alteri ſubjicerentur, ac privilegiis, gratiis & indulgentiis, domibus dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatis, & illarum Fratribus conceſſis & concedendis potirentur & gauderent: dictuſque Joannes in Fratribus prædictis eaſdem ſuperioritatem & poteſtatem haberet, quas habebant Miniſtri Provinciales dicti Ordinis in domibus & Fratribus Provinciarum ſuarum, per quaſdam litteras indulſerat.

§. II. Et deinde pro parte tunc Generalis & Provincialium Vicariorum Ultramontanorum dicti Ordinis, etiam de Obſervantia nuncupatorum, eidem Alexandro prædeceſſori etiam expoſitum fuerat, quod nonnulli Fratres Ultramontani Ordinis & Obſervantiæ prædictorum in aliquibus locis extra domos Fratrum prædictorum permanere, & beneficiis Eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus deſervire, & alii ad Eremitoria ſe transferre, ut inibi perpetuo famulari poſſent, a Sede Apoſtolica impetraverant: & alii prætextu licentiarum ſeu facultatnm, ſibi, ut aſſerebant, conceſſarum, ſecundum eorum deſideria viventes, in Eremitoriis & aliis locis reſidebant, ac facultatibus ſibi conceſſis abutendo, plura in contemptum Religionis committebant: Ac idem Alexander prædeceſſor, quod ex tunc de cetero nullus ex Fratribus familiæ, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, etiam quacumque auctoritate munitus, niſi de licentia Generalis, & Provincialium Vicariorum aut Commiſſarii Ultramontanorum tunc & pro tempore exiſtentium petita & obtenta, ab obedientia & ſubjectione ſuorum ſuperiorum Prælatorum, ſicut per piæ mem. Eugenium IV. Pium II. ac Paulum etiam II. necnon Sixtum IV. & Innocentium VIII. Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos declaratum & ſtatutum erat, ſe ſubtrahere nec abdicare, nec alii Prælato etiam Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictorum, niſi ſecundum ſtatuta Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, etiam prætextu arctioris vitæ, obedientiam dare, ſeu illius ſubjectioni ſe ſubmittere valerent, niſi Generali, & Provincialibus Vicariis & Commiſſario Ultramontanis tunc & pro tempore exiſtentibus, & certis aliis tunc expreſſis, pro obſervatione ſtatuti, ordinationis & declarationis prædictorum deputatis, per alias ſuas litteras inter alia ſtatuerat, admonuerat & declaraverat. Et poſtremo pro parte dicti Joannis & ſociorum ejus eidem Alexandro prædeceſſori ſimiliter expoſitum fuerat, quod ad executionem priorum litterarum prædictarum proceſſum fuerat, ipſique Joannes & alii Fratres ejus ſocii prædicti dubitabant, ne per Generalem, & Provinciales Vicarios ac Commiſſarios Ultramontanos præfatos aſſereretur, eoſdem Joannem & ſocios ejus, ac eis per priores litteras prædictas conceſſa in poſterioribus litteris prædictis includi, & illa verba, *ſine præjudicio* in litteris dicto Joanni conceſſis, ad eorumdem familiæ & Obſervantiæ prædictarum Fratres non referantur: & idem Alexander prædeceſſor per alias ſuas litteras, priores litteras prædictas, & habitos deſuper proceſſus approbando & confirmando, ac illas firmitatis robur habere decernendo, necnon omnes & ſingulos defectus, ſi qui in dictis proceſſibus interveniſſent, ſupplendo, declaraverat intentionis ſuæ non fuiſſe, dictum Joannem & ejus ſocios, & alios Fratres dictæ ejus domus tunc & pro tempore exiſtentes, & ſibi per priores litteras conceſſa, & proceſſus ſuper illis habitos, ſub poſterioribus litteris prædictis nullatenus comprehendi, ac illis in aliquo detrahere & derogare, & quatenus includerentur & eis detraheretur, ipſos tunc & pro tempore exiſtentes, & contenta in eiſdem poſterioribus litteris exceperat, & quod ad eos vim & effectum ſortiri non poſſe voluerat: & non ſolum ſex de quibuſcumque Fratribus dicti Ordinis, familiæ & Obſervantiæ prædictarum, petita, licet non obtenta licentia Guardianorum domorum, in quibus eos pro tempore ge-

gere contigiſſet, ad obtentam domum per dictum Joannem, utpote arctioris Obſervantiæ Regularis, ſe transferendi liberam & omnimodam licentiam conceſſerat, dictaſque priores litteras ad hoc extenderat, illaque verba, *ſine præjudicio*, ad præjudicium aliorum quam dicti Ordinis profeſſorum referri, privilegiiſque dicti Ordinis, per quæ profeſſio & austeritas vitæ Fratribus hujuſmodi novæ domus in aliquo relaxaretur, & illis in aliquo præjudicaretur, quoad ipſam novam domum & Fratres ejuſdem non includi debere, per alias ſuas litteras etiam conceſſerat & declaraverat; certis deſuper executoribus deputatis, quod Joanni & Fratribus ſociis ſuis prædictis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent eos per dicti Ordinis profeſſores, aut eorum Prælatos, & alios quoſcumque, contra litterarum ipſarum tenorem moleſtari, eiſque ne id facerent, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ſi non parerent, ipſo facto incurrerent, & a qua ab alio, quam a Sede prædicta, & ore proprio Romani Pontificis pro tempore exiſtentis abſolvi nequirent, diſtricte præcipiendo inhiberent, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c.

§. III. Et deinde pro parte dicti Joannis & ejus ſociorum prædictorum eidem Alexandro prædeceſſori ſimiliter expoſitum fuerat, quod, forſan in Regno Granatæ locus idoneus pro conſtruenda dicta nova domo haberi non poterat, idem Alexander prædeceſſor tunc tam Joannis, quam ſociorum ejus prædictorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, eidem Joanni, ut non ſolum in dicto Regno Granatæ, ſed in aliis partibus Hiſpaniarum illam conſtrui ſeu ædificari facere, illamque recipere conceſſerat, & ad hoc priores litteras prædictas per quaſdam ſuas in forma Brevis litteras extenderat & ampliaverat, prout in eiſdem litteris in forma Brevis dicebat plenius contineri. Succeſſive pro parte dicti Joannis eidem Alexandro prædeceſſori expoſito, quod dictus Joannes unam *ſancti Evangelii* prope oppidum *de Villanova*, vigore dictæ facultatis ædificaverat, ſeu ædificari fecerat vel inceperat, & tres alias, videlicet *Montis Sion de Salvaleon*, *& ſanctæ Mariæ de Luce de Alconchel loca Pacen. diæceſ. & ſanctæ Mariæ de Pietate* prope oppidum *de Villa vitioſa*, *Elboren.* diœceſ. ex licentia Sedis Apoſtolicæ ſibi conceſſa, & Eremitorium *Matris Dei loci del Moyo de Merida*, nullius diœceſ. a fundatoribus eorum ſibi largientibus canonice receperat, & in illis Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, ſecundum inſtituta ejuſdem beati Franciſci introduxerat: & tunc totius Ordinis prædicti Miniſter Generalis, quod domus hujuſmodi per Cuſtodem regi & gubernari deberent, ordinaverat: ac pro parte Joannis & ſociorum ejus Fratrum prædictorum eidem Alexandro prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut ordinationi prædictæ Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere, aliiſque &c. dignaretur: Idem Alexander prædeceſſor &c. Joannem & ſocios prædictos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſens, hujuſmodi &c. ſub data videlicet Kalend. Aprilis, Pontificatus ſui anno x. ordinationem & deputationem Miniſtri, videlicet, quod domus per Joannem & ſocios præfatos erectæ prædictæ, ex tunc perpetuis futuris temporibus per Cuſtodes regerentur & gubernarentur, Apoſtolica auctoritate confirmavit & approbavit, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decrevit, ſupplevitque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem. Inſuper, quod domus hujuſmodi, quas per Cuſtodem regi debere ordinatum fuerat, & in illis tunc & pro tempore degentes Fratres, omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis &c. uti, potiri ac gaudere valerent, ac ſi eis ſpecialiter conceſſa forent: quodque volentes ingredi domus Cuſtodiæ hujuſmodi, tenerentur

tur vovere Regulam ejuſdem ſancti Franciſci, abſque tamen relaxatione privilegiorum conceſſorum & concedendorum dicto Ordini Minorum, pront idem beatus Franciſcus inſtituerat, dicta auctoritate conceſſit & indulſit, non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Ne autem de abſolutione, confirmatione, approbatione, decreto, ſuppletione, conceſſione, indulto & derogatione prædictis, pro eo quod ſuper illis ipſius Alexandri prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, & Joannes & ejus ſocii ac Fratres hujuſmodi illarum fruſtrenrur effectu: Volumus, & præfata Apoſtolica auctoritate decernimus, quod abſolutio, confirmatio &c. perinde a dicta die Kalend. Aprilis ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis dicti Alexandri prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDIII. VI. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno I.

II.

Concedit Inſtitutum ſancti Auguſtini in Monaſterio Narnienſi mutari in Clariſſarum. Ibid. fol. 78.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & viginti ex Monialibus Monaſterii tunc ſanctæ Crucis Narnien. Ordinis ſancti Auguſtini fel. record. Alexandro Papæ VI. prædeceſſori noſtro expoſito, quod licet ipſæ & aliæ ejuſdem Monaſterii Moniales numerum triginta trium inter omnes conſtituentes, in Monaſterio, & Ordine prædictis ſub odorem bonæ famæ ſemper vixerint, & tunc viverent: tamen Abbatiſſa & viginti Moniales prædictæ zelo religionis accenſæ, ſummopere cupiebant, ut in dicto Monaſterio, Ordine ſancti Auguſtini ſuppreſſo & extincto, Ordo ſanctæ Claræ ſecundæ inſtitutionis, ad quam ipſæ ſingularem gerebant devotionis affectum, introduceretur, & pro parte Abbatiſſæ & viginti Monialium prædictarum aſſerentium litem inter eas, & venerabilem Fratrem noſtrum, tunc ſuum Epiſcopum Narnien. & dilectos filios Fratres Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini ſuper ſuperioritate, cura & gubernatione dicti Monaſterii tunc pendere, eidem prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut in dicto Monaſterio Ordinem ſancti Auguſtini ſupprimere & extinguere, ac inibi Ordinem ſanctæ Claræ introducere, dictiſque Abbatiſſæ & quæ ad id expreſſe conſentiebant, viginti, cum omnibus mobilibus & immobilibus ad dictum Ordinem S. Claræ, aliis vero Monialibus, quæ ad id conſentire recuſarent, ad alia loca ejuſdem ſancti Auguſtini, vel alterius Ordinis prioris vel arctioris vitæ, cum mobilibus bonis de dicto Ordine ſancti Auguſtini ſe transferendi licentiam concedere, ac alias &c. dignaretur, præfatus prædeceſſor &c. quique dudum inter alia ſtatuerat & ordinaverat clauſulam generalis abſolutionis a cenſuris Eccleſiaſticis in litteris Apoſtolicis ad illarum conſequendum effectum apponi ſolitam non ſuffragare &c. & in cujus manibus Abbatiſſa & viginti Moniales prædictæ liti & cauſæ hujuſmodi ſponte & libere tunc ceſſerant, ipſeque prædeceſſor ceſſionem ipſam duxerat admittendam, Abbatiſſam & Moniales præfatas, & earum quamlibet a quibuſcumque excommunicationis &c. abſolutas fore cenſens, omnemque ab eis inhabilitatis ma-

maculam ſive notam ex præmiſſis provenientem abolens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub data videlicet x. Kalendas Januarii, Pontificatus ſui anno XI. in dicto Monaſterio Ordinem ſancti Auguſtini auctoritate Apoſtolica ſuppreſſit & extinxit, ac inibi Ordinem ſanctæ Claræ erexit & inſtituit, eiſdemque Abbatiſſæ, & quæ ad id expreſſe conſenſerant, cum mobilibus ac immobilibus ad ipſum Ordinem ſanctæ Claræ, illis vero, quæ translationi hujuſmodi conſentire nollent Monialibus, ad alia loca ejuſdem ſancti Auguſtini, vel alterius Ordinis prioris vel arctioris vitæ, in quibus benevolas reperiſſent receptrices, cum mobilibus dumtaxat bonis earum ſe transferendi, & ſub alterius Ordinis, ad quem alias Moniales prædictas conferri contingeret, ut præfertur, regulari habitu perpetuo remanendi eadem auctoritate licentiam & facultatem conceſſit: ac ſtatuit & ordinavit, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus dictum Monaſterium non ſanctæ Crucis, ſed ſanctæ Claræ vocaretur.

§. II. Et inſuper eidem Monaſterio ſanctæ Claræ, & in eo ſub ipſo Ordine pro tempore degentibus Abbatiſſæ & Monialibus, quod ipſæ omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. libere & licite valerent præfata auctoritate indulſit: non obſtantibus præmiſſis, ac prioribus ſtatuto & ordinatione prædictis hujuſmodi, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c. Ne autem de abſolutione, abolitione, ſuppreſſione, extinctione, erectione, inſtitutione, ſtatuto, ordinatione & derogatione prædictis, pro eo, quod ſuper illis ipſius Alexandri prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, ipſaque Abbatiſſa & viginti Moniales illarum fruſtrentur effectu: volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod abſolutio, abolitio &c. perinde a dicta die x. Kalendas Januarii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDIII. VI. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno I.

III.

Confertur Sororibus Tertii Ordinis Monaſterium ſanctæ Claræ veteris Segobien. Ibid. lib. 16. fol. 284.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem fel. recor. Alexandro Papæ VI. prædeceſſori noſtro pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Antonii Regalis Ordinis ſanctæ Claræ, ac Sororum domus ſanctæ Eliſabethæ Tertii Ordinis S. Franciſci extra muros Segobiæ, expoſito, quod, poſtquam alias tunc Vicarius Provincialis Provinciæ de Santoya Ordinis Fratrum Minorum, ſub cujus obedientia Abbatiſſa, Conventus & Sorores prædictæ exiſtebant, provide attendens, quod Abbatiſſa & Conventus tunc exiſtentes Monaſterii, *ſanctæ Claræ veteris* nuncupatæ, ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, extra dictos muros, certa reformatione tunc indigebant, & inibi reformari, ac regularem Obſervantiam ſervare commode non poterant; ipſe Vicarius ex ſpeciali commiſſione tunc Generalis dicti Ordinis Minorum deſuper ſibi facta, Abbatiſſam & Moniales Conventus Monaſterii *ſanctæ Claræ veteris* prædictas cum omnibus earum bonis mobilibus & immobilibus, rebus, juribus & actionibus, quæ inibi habebant & poſſidebant, ad ipſum Monaſterium ſancti

cti Antonii tranſtulit, & Sorores Tertii Ordinis, quæ in altera domo ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ vivebant, juſſit ad Monaſterium relictum ſanctæ Claræ tranſire.

§. II. Cum vero Sororum, quæ inde receſſerant ad Monaſterium S. Antonii, requireretur conſenſus, ac etiam translatæ, & Sorores hujuſmodi in dicto Monaſterio inſimul ad ſonum campanæ, ut moris erat, ſuper rebus & negotiis Monaſterii ipſius pertractandis congregatæ, provide attendentes, quod domus Sororum prædictarum Tertii Ordinis, pro earum habitatione, anguſta nimis & incommoda erat, domum & ædificia Monaſterii *ſanctæ Claræ veteris* hujuſmodi cum hortis illi adjacentibus, quæ Abbatiſſa & Moniales translatæ prædictæ ante translationem hujuſmodi inhabitabant & poſſidebant, eiſdem Sororibus pro earum perpetuis uſu & habitatione, de licentia ſui ſuperioris concorditer donaverant & conceſſerant, reliquis omnibus & ſingulis bonis mobilibus & immobilibus, reditibus, proventibus, juribus & actionibus univerſis, quæ ad ipſum Monaſterium *ſanctæ Claræ veteris*, tempore translationis, eiſdem Monaſterio ſancti Antonii, ac Abbatiſſæ pro tempore exiſtenti, ac Conventui ejuſdem perpetuo remanentibus; ita quod illa Monaſterio, Abbatiſſæ & Conventui præfatis ex tunc de cetero legitime pertinerent, quodque ſuper illis Abbatiſſa & Conventus præfatæ a dictis Sororibus, vel quibuſvis aliis aliquo modo, verbo vel facto, in judicio vel extra, quacumque ratione vel cauſa moleſtari ſeu inquietari non valerent, nec ſuper eiſdem in futurum audirentur; hac etiam conditione adjecta, quod dictæ pro tempore exiſtentes Sorores dictæ domus non poſſent alienare domum, hortos & bona hujuſmodi in toto vel in parte: quodque ſi ſecus per dictas Sorores contra prædicta aliquid attentarent, aut domum & Monaſterium ſanctæ Claræ prædictum relinquerent, & ad aliam domum ſe transferrent, dictaque domus per ſex menſes continuos, ceſſante tamen impedimento ruinæ & incendii, vel alterius caſus fortuiti, a dictis Sororibus vacua maneret; ex tunc in hujuſmodi eventum, domus prædicta ad ipſum Monaſterium ſancti Antonii libere reverteretur, ipſæque Sorores de licentia ſui Prælati domum & donationem prædictas, cum omnibus & ſingulis pactis & conditionibus ſupradictis pro ſe & ſuis in poſterum ſucceſſoribus Sororibus acceptaverint, prout in quodam publico inſtrumento deſuper confecto dicebatur plenius contineri. Et pro parte Abbatiſſæ, Monialium & Sororum prædictarum eidem prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut donationi & conceſſioni prædictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque &c. dignaretur: idem prædeceſſor &c. Abbatiſſam, Moniales & Sorores præfatas, & earum quamlibet, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſens, ac domus & hortorum hujuſmodi confines, vocabula, dictique inſtrumenti tenorem pro expreſſis habens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, conceſſionem & donationem prædictas auctoritate Apoſtolica, ſub data videlicet XIII. Kalendas Junii, Pontificatus ſui anno XI. confirmavit & approbavit, ſupplevitque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interveniſſent in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinis prædictorum &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Ne autem de abſolutione, confirmatione, approbatione, ſuppletione prædictis, pro eo, quod ſuper illis ipſius Alexandri prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, ipſæque Abbatiſſa & Moniales, Conventus ac Sorores illarum fruſtrentur effectu, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod abſolutio &c. prædictæ perinde a dicta die XIII. Kalendas Junii ſuum ſortian-

tiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Alexandri prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Domini MDIII. VI. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Confirmat ſeparationem Hoſpitalis ſancti Petri in Galatina a Conventu Minorum. Ibid. lib. 13. fol. 261.

Dilectis filiis venerab. fratrum noſtrorum Archiep. Hidruntini & Nardonen. ac Galipolitani Epiſcoporum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus.

§. I. His, quæ pro Hoſpitalium &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, moderni Abbatis & Conventus Monaſterii beatæ Mariæ Ordinis ſancti Benedicti, Congregationis Montis Oliveti, Pientinæ diœceſis, petitio continebat, quod olim poſtquam Raimundus de Urſinis tunc Princeps Tarentin. in oppido ſancti Petri in Galatina quamdam Eccleſiam ſub invocatione ſanctæ Catarinæ cum clauſtro, dormitorio, & aliis officinis neceſſariis, ad inſtar domus Conventualis, & prope illam unum Hoſpitale pro pauperibus recipiendis conſtrui & ædificari fecerat, & competenter de bonis ſuis dotaverat, ac præfatam Eccleſiam cum domo, & aliis officinis prædictis Fratres Ordinis Minorum Provinciæ Boſnæ pro eorum uſu & habitatione receperant, illamque & dictum Hoſpitale cum bonis, tam per prædictum Principem, quam alios per Chriſtifideles relictis, per quinquaginta annos & ultra tenuerant, licet indebite, & poſtmodum ad obedientiam Vicarii Generalis Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum dicti Ordinis Minorum Provinciæ Apuliæ, ſecundum morem dicti Ordinis Minorum, ſe reduxerant, & fel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter quondam Joannis Antonii etiam tunc Principis Tarentin. & præfati Raimundi nati, in ea parte ſupplicationibus inclinatus, omnia bona, quæ tunc Fratres ab hoſpitali tenebant, ac relicta, ab Eccleſia & domo præfatis ſegregaverat & diſmembraverat, illaque ſic diſmembrata prædicto hoſpitali libere & perpetuo conceſſerat; per bon. mem. Joannem tituli ſanctæ Suſannæ presbyterum Cardinalem, tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legatum accepto, quod dictum hoſpitale, quod de jure patronatus Regis Siciliæ pro tempore exiſtentis exiſtebat, Rectore carebat, ac pro parte quondam Leonardi Imperialis de Janua tunc Abbatis dicti Monaſterii & Conventus prædictorum eidem Joanni Cardinali & Legato inter alia expoſito, quod ſi hoſpitale dicto Monaſterio perpetuo uniretur &c. pauperum ſeu miſerabilium perſonarum ad hoſpitale prædictum pro tempore confugientium utilitatibus conſuleretur, dictus Joannes Cardinalis & Legatus habens ad id, ut aſſerebat, per litteras ejuſdem Sedis ſpecialem facultatem, Epiſcopo Galiponen. ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis litteris dedit in mandatis, quatenus vocatis, quorum intereſſet, de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis ſe diligenter informaret, & ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe reperiret, dictum Hoſpitale præfato Monaſterio, dummodo ad id claræ mem. Alphonſi Regis Siciliæ accederet aſſenſus, auctoritate Apoſtolica perpetuo uniret: ita quod liceret prædicto & pro tempore exiſtenti Abbati ejuſdem Monaſterii & ejuſdem Conventus corporalem poſſeſſionem dicti Hoſpitalis propria auctoritate apprehendere, ac illius fructus in ſubſtentationem pauperum & infirmorum juxta

juxta conſtitutionem piæ mem. Clementis Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri ſuper hoc in Concilio Viennenſi editam convertere: & demum tunc Epiſcopus Galipolitan. ad executionem dictarum litterarum præfati Joannis Cardinalis & Legati, alias illarum forma ſervata, procedens, quia ſibi de præmiſſis conſtitit, Hoſpitale prædictum eidem Monaſterio perpetuo, de conſenſu præfati Alphonſi Regis univit &c. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſe Abbas & Conventus unionis &c. prædictarum vigore poſſeſſionem dicti Hoſpitalis aſſecuti fuerint, illudque per novem annos & ultra tenuerint & poſſederint, prout etiam tenent & poſſident: pro parte eorumdem moderni Abbatis & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem unioni &c. pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & dictum Hoſpitale eidem Monaſterio de novo perpetuo unire &c. aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui inter alia voluimus &c. D. V. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus &c. unionem &c. prædictas &c. approbare & confirmare, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decernere, & pro potiori cautela Hoſpitale prædictum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio de novo unire &c. eadem auctoritate noſtra curetis: ita quod liceat &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDIII. Kalendis Januarii, Pontificatus noſtri anno 1.

V.

Ut concedant facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum Montis-Acuti. Ibid. fol. 280.

Venerabilibus Fratribus Terracinen. & Aſculano Epiſcop. & dilecto filio Officiali Seguntino.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Petri de Mendoza Comitis de Monte agudo, & Domini in temporalibus oppidi de Almazan, Seguntin. diœceſis petitio continebat, quod extra muros ipſius oppidi eſt quoddam Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, quod præſertim tempore guerrarum, ut veriſimiliter creditur, maxima damna & ſcandala ſuſtinere poterit, & ejus ædificia ſunt adeo debilia & vetuſta, quod forſan non minus grave eſſet ea reparare, quam de novo conſtruere. Unde cum ipſe Petrus cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, proponat in dicto oppido, in aliquo loco ad hoc idoneo & convenienti, unum Monaſterium Monialium ad Dei laudem, & religionis propagationem, ac Divini cultus augmentum, & ipſius Petri animæ ſalutem, de bonis ſuis a Deo collatis conſtrui & ædificari facere, & ſi in dicto oppido unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis erigeretur, & inſtitueretur, ac poſtquam ſic erectum fuerit, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii extra muros ſiti hujuſmodi ad Monaſterium, ut præfertur, erigendum ſe transferendi, ac inibi ſub regularibus inſtitutis, & obſervantia regulari dicti Ordinis ſanctæ Claræ habitandi licentia concederetur, profecto ipſe Petrus unum Monaſterium in dicto oppido ædificari faceret, illudque congruis ſtructuris decoraret, ex quo in eodem erigendo Monaſterio Abbatiſſa & Moniales præfatæ ferventius & quietius, ac aliquæ virgines, & aliæ mulieres honeſtæ ſeculum relinquere volentes, gratum exhibe-

rent Altiſſimo famulatum. Quare pro parte dicti Petri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto oppido unum Monaſteri um Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ pro una Abbatiſſa & Monialibus, quæ in eo ſub perpetua clauſura, & regulari Obſervantia, & aliis inſtitutis regularibus dicti Ordinis Altiſſimo famularentur, cum dormitorio, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis ſub invocatione per eumdem Petrum eligenda erigere, eidemque Petro Monaſterium hujuſmodi in aliquo loco competenti dicti oppidi conſtruendi & ædificandi, ac poſtquam conſtructum fuerit, eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus de Monaſterio extra muros ſito hujuſmodi ad dictum conſtruendum & erigendum Monaſterium ſe transferendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſumque Petrum, a quibuſvis excommunicationis &c. hujuſmodi, ac etiam dilecti filii noſtri Bernardini tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyteri Cardinalis, qui Eccleſiæ Seguntin. ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica præeſt, quique, ut aſſerit, opus erectionis & conſtructionis hujuſmodi novi Monaſterii adjuvare proponit, nobis ſuper hoc etiam humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, D. V. &c. mandamus, quatenus &c. ſi eſt ita, in dicto oppido, in aliquo loco ad hoc idoneo & convenienti, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ pro una Abbatiſſa & Monialibus, quæ in eo ſub perpetua clauſura, ac regulari Obſervantia, ac aliis regularibus inſtitutis Altiſſimo famulentur, cum dormitorio &c. ſub invocatione per præfatum Petrum eligenda, abſque alicujus præjudicio, erigere & inſtituere, dictoque Petro Comiti Monaſterium erectum hujuſmodi in aliquo loco competenti dicti oppidi conſtrui & ædificari faciendi, & poſtquam conſtructum & ædificatum fuerit, Abbatiſſæ & Monialibus præfatis, ſi ſe de dicto Monaſterio extra muros prædictos ſito ad Monaſterium conſtruendum & erigendum hujuſmodi ſe transferre voluerint, ſe transferendi, necnon Monaſterium extra muros ſitum hujuſmodi demoliendi, deſtruendi, vendendi, alienandi, ad firmam ſeu annuam penſionem concedendi, & alias de eo ejuſque ædificiis & circumadjacentiis diſponendi, illius Eccleſia, ſeu Capella, in qua aliquando Miſſæ & alia Divina officia celebrentur integra remanente, licentiam & facultatem concedere, necnon illorum pretium, ac alia ejuſdem Monaſterii demoliendi reditus, poſſeſſiones & bona, eidem Monaſterio erigendo pro illius dote perpetuo applicare & appropriare auctoritate noſtra curetis.

§. III. Nos enim, ſi erectionem hujuſmodi fieri, ac licentiam & facultatem prædictas concedi vigore præſentium contigerit, ut præfertur, eiſdem erigendo Monaſterio, ac Abbatiſſæ & Monialibus in eo pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica &c. indulgemus: jure tamen &c. Et inſuper, ut hujuſmodi fabrica citius perfici poſſit, & Chriſtifideles eo libentius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos: de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui durante hujuſmodi fabrica, aliquam eleemoſynam eidem conſtruendo Monaſterio erogaverint, omnes & ſingulas indulgentias & peccatorum remiſſiones etiam in participatione ſacramentorum & Divinorum officiorum conſequantur, quas conſequerentur largientes eleemoſynam aliis Monaſteriis & domibus prædictæ ſanctæ Claræ, & Minorum Ordinum, eadem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: eiſdemque, ac omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque

ſexus

ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, qui erigendum & conſtruendum Monaſterium hujuſmodi in ſequenti feſto Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac ſanctæ Claræ feſtivitatum diebus, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ſequentium dierum viſitaverint, ac pro illius fabrica, illa durante, & ornamentis manus porrexerint adjutrices, decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus quoad decem annorum ſpatium, & alias indulgentias hujuſmodi conſequendas poſt decennium minime valituris. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDIII. VII. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno I.

VI.

Ut concedat licentiam ædificandi Monaſterium Clariſſarum in oppido Villæ novæ Scaphæ ruptæ. Ibid. lib. 10. fol. 105.

Dilectis filiis Decano & Priori ac Theſaurario Eccleſiæ Pacen.

§. I. Eximiæ devotionis affectus &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia, Eremitorium ſeu oratorium nuncupata beatæ Mariæ, Siteranæ nuncupata oppidi de Villanova de Varcarota, Pacen. diœceſis, certo modo vacet ad præſens; &, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Laurentii Xuares de Figueroa de Mendoça, Domini oppidi de Arcos, & dilectæ in Chriſto filiæ Iſabellæ de Aguilar ejus uxoris petitio continebat, cum ipſi prole legitima careant, quæ ſibi in eorum bonis & hæreditate ſuccedat, & cupiant terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, proponantque aliquod Monaſterium Monialium de dictis ſuis bonis competenter dotare, ad Dei laudem, Divini cultus augmentum, & religionis propagationem, & ipſorum Laurentii & Iſabellæ animarum ſalutem, & ſi in dicta Eccleſia, quæ per clericos parochialis Eccleſiæ dicti oppidi gubernatur, apud illam erigeretur unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, quæ inibi ſub regularibus inſtitutis dicti Ordinis, ac ſub obedientia, viſitatione, correctione & ſuperioritate Epiſcopi Pacen. & ejus officialium pro tempore exiſtentium Altiſſimo famularentur, deputarenturque aliqui Capellani idonei ad celebrandum Divina officia, ac miniſtrandum Eccleſiaſtica Sacramenta Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, amovibiles ad nutum & voluntatem præfatorum Laurentii & Iſabellæ, vel eorum altero defuncto ad voluntatem alterius eorum tunc ſuperſtitis, ſuorumque hæredum, ſeu aliarum perſonarum affinium, vel per ipſos Laurentium & Iſabellam eligendarum & nominandarum; & dicta Eccleſia eidem Monaſterio, cum erectum fuerit, perpetuo annecteretur & incorporaretur, ita ut illius fructus, ejuſque Monaſterium, donec perfectum foret, fabricæ cederent, & poſtquam perfectum fuerit, in illius ac Abbatiſſæ & Monialium ejuſdem pro tempore exiſtentium uſus & utilitatem converterentur, ipſi Laurentius & Iſabella ædificia dicti Monaſterii ſuis ſumptibus & expenſis conſtrui & ædificari facerent, ipſumque Monaſterium congruis reditibus pro ſuſtentatione Abbatiſſæ & Monialium, ac Capellanorum prædictorum dotarent, ex quo in eodem Monaſterio aliquæ Virgines, & aliæ mulieres honeſtæ volentes ſeculum derelinquere, & Deo

in ejus beneplacitis deſervire, recipi, & integritatem ſuam Domino conſervare poſſent, ad ipſius Dei laudem, & religionis propagationem. Pro parte eorumdem Laurentii & Iſabellæ aſſerentium, fructus, reditus & proventus dictæ Eccleſiæ 24. floren. auri de camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicta Eccleſia, ſeu apud illam unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis pro una Abbatiſſa & Monialibus, quæ in eo ſub obedientia, viſitatione, correctione & ſuperioritate Epiſcopi, & ejus Officialium prædictorum, & regularibus inſtitutis dicti Ordinis Altiſſimo famulentur, cum dignitate Abbatiſſali, ac dormitorio, clauſtro, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, ſub invocatione, de qua eiſdem Laurentio & Iſabellæ videbitur, erigere; dictamque Eccleſiam, eidem Monaſterio pro illius Eccleſia perpetuo concedere, ac eamdem Eccleſiam Monaſterio prædicto, cum erectum fuerit, perpetuo unire, annectere & incorporare: necnon eiſdem Laurentio & Iſabellæ, ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus jus patronatus dicti Monaſterii, ita quod electio Abbatiſſæ per Conventum ejuſdem Monaſterii pro tempore facta, eiſdem Laurentio & Iſabellæ, ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus, aut aliis perſonis per eum nominandis, præſentetur, poſtmodum per eos ſeu hæredes & ſucceſſores, aut alias perſonas nominandas, ut præfertur, dicto Epiſcopo, vel ejus Officiali ſeu Vicario in ſpiritualibus generali per eum confirmanda, ſi canonica fuerit, præſentationem concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus &c. ipſoque Laurentium & Iſabellam a quibuſcumque excommunicationis &c. necnon verum & ultimum dictæ Eccleſiæ vacationis modum præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate hujuſmodi &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus quatenus &c. ſi eſt ita, in dicta Eccleſia, ſeu apud illam unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis pro una Abbatiſſa & Monialibus dicti Ordinis, quæ in eo ſub obedientia, viſitatione, correctione & ſuperioritate Epiſcopi, vel ejus officialium prædictorum, ac regularibus inſtitutis dicti Ordinis Altiſſimo famulentur, cum dignitate Abbatiſſali, ac dormitorio &c. ſub invocatione, de qua eiſdem Laurentio & Iſabellæ videbitur, ſine alicujus præjudicio erigere, dictamque Eccleſiam eidem Monaſterio pro illius Eccleſia, cum poteſtate illam ampliandi, ſeu reformandi ad inſtar aliarum Eccleſiarum aliorum Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis, perpetuo aſſignare; & ut Monaſterium ipſum, ultra impenſas per ipſos Laurentium & Iſabellam propterea faciendas in ejus ſtructuris & ædificiis citius perfici & compleri, ac poſtquam completum fuerit, illius Abbatiſſa & Moniales pro tempore exiſtentes ultra dotem per eoſdem Laurentium & Iſabellam aſſignandam, ut commodius ſuſtentari poſſint, eamdem Eccleſiam, quæ ſine cura eſt, quovis modo &c. cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio, cum erectum fuerit, ut præfertur, perpetuo unire &c. ita quod fructus, reditus & proventus dictæ Eccleſiæ in fabricam dicti Monaſterii, donec fabrica hujuſmodi perficiatur, & demum cum perfecta fuerit, in uſus & utilitatem Monaſterii & Eccleſiæ, Abbatiſſæ & Monialium prædictorum convertantur; liceatque Abbatiſſæ & Conventui præfatis per ſe vel alium ſeu alios corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, ac illius fructus, reditus & proventus in fabricam & utilitatem ac uſus Monaſterii, Eccleſiæ, Abbatiſſæ & Monialium prædictorum reſpective convertere, Diœceſani loci, ac cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita: Et nihilominus eidem Laurentio & Iſabellæ ſuiſque hæredibus

& ſuc-

& ſucceſſoribus jus patronatus dicti Monaſterii: ita quod electio Abbatiſſæ dicti Monaſterii per Conventum præfatum pro tempore facta, eiſdem Laurentio & Iſabellæ, ſeu hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, aut aliis perſonis per per eum nominandis, præſentetur, poſtmodum per eos ſeu hæredes & ſucceſſores, aut alias perſonas nominandas, ut præfertur, præfato Epiſcopo, vel ejus Officiali ſeu Vicario in ſpiritualibus præſentanda, & per eum, ſi canonica fuerit, confirmanda; ac facultatem deputandi capellanos idoneos ad nutus amovibiles, ut præfertur, ad celebrandum, & miniſtrandum Eccleſiaſtica Sacramenta eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus; necnon eidem Laurentio condendi & faciendi cum conſilio & aſſenſu prædicti Epiſcopi, ſeu ejus officialis ſtatuta rationabilia & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, pro felici directione & conſervatione dicti Monaſterii, concedere auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi erectionem, conceſſionem, unionem, annexionem, incorporationem hujuſmodi, & alia præmiſſa per vos fieri contingat, ut præfertur, eidem Monaſterio, & illius Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. quomolibet in futurum uti &c. poſſint & debeant &c. indulgemus: jure &c. Non obſtantibus voluntate noſtra prædicta, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. contrariis quibuſcumque, aut ſi &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDIV. XVII. Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno I.

VII.

Concedit celebrari poſſe officia Divina tempore interdicti in feſto ſancti Bonaventuræ. Ex Speculo Min. tract. 2. fol. 49.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Ferdinando Regi, & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabethæ Reginæ Hiſpaniarum Catholicis.

§. I. Exponi nobis nuper feciſtis, quod vos ex magno devotionis fervore, quem ad beatum Bonaventuram, & Ordinem Fratrum Minorum, cujus idem Bonaventura profeſſor fuit, ac ejuſdem Ordinis domos geritis, tam vos, quam Fratres dicti Ordinis deſideratis magnopere, quod quemadmodum juxta privilegia Apoſtolica Fratribus dicti Ordinis & eorum domibus conceſſa, ſi tempore quo dies, in qua feſtum beati Franciſci, qui ejuſdem Ordinis primus inſtitutor fuit, interdictum etiam Apoſtolica auctoritate appoſitum fuerit, Fratres ipſi, excommunicatis & interdictis excluſis, a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei incluſive, in eorum domibus Miſſas & alia Divina officia, ac ſi interdictum appoſitum non eſſet, celebrare poſſint, id ad feſtum Divi Bonaventuræ extendi poſſe. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut huic pio deſiderio veſtro paterna benignitate annuere dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Fratres ipſos, præſertim illos, qui poſt curſum hujus vitæ de manu Dei coronam palmæ habere meruerunt, & eorum domos ſingulari prærogativa præ ceteris in viſceribus caritatis gerimus: quod de cetero perpetuis futuris temporibus in die ſancti Bonaventuræ, ſi eadem die interdictum, etiam dicta auctoritate appoſitum fuerit, omnes & ſinguli Fratres dicti Ordinis in eorum domibus a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei incluſive, quemadmodum in die ſancti Franciſci Fratres ipſi facere poſſunt, Miſſas & alia Divina officia in dictis eorum domibus, excommunicatis & interdictis excluſis, celebrari facere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica præfata, tenore præſentium ſtatuimus & ordina-

dinamus, ac Fratribus prædictis ſimiliter indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunique.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. Maii MDIV. Pontificatus noſtri anno I.

VIII.

Ut dent facultatem fabricandi Conventum in Terra Montagnanæ pro Fratribus Obſervantibus. Ex reg. Julii II. lib. 3. fol. 148.

Dilectis filiis Archipresbytero de Londenaria, Ferraricn. diœceſ. & Joanni de Roma Paduan. ac Bono de Flumine Brixien. Eccleſiarum Canonicis.

§. I. Dum fructus uberes &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis hominum Terræ Montagnanæ, Paduan. diœc. petitio continebat, quod ipſi ob ſingularem, quem ad dictum Ordinem gerunt devotionis affectum, & pro ſuarum animarum ſalute, religionis propagatione, ac Divini cultus augmento, ex bonis eis a Deo collatis, in eadem terra ſeu ejus territorio, in aliquo loco commodo, convenienti & honeſto per eos aſſignando, unam domum ſub invocatione ſancti Franciſci, pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſeu &c. ſummopere deſiderant, ſi eis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte Univerſitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Univerſitati in loco prædicto, ut præfertur, aſſignando unam domum ſub dicta invocatione cum Eccleſia &c. pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi conſtruendi & ædificandi ſeu &c. ac Generali Ciſmontano, & Provinciali Provinciæ ſancti Antonii, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum Vicariis ſecundum morem dicti Ordinis, illam pro Fratrum eorumdem perpetuis uſu & habitatione recipiendi, ipſiſque Fratribus illam perpetuo inhabitandi licentiam concedere, ac alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. Univerſitatem prædictos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi &c. mandamus, quatenus &c. ſi eſt ita, eiſdem Univerſitati in dicto loco per eos, ut præmittitur, aſſignando, unam domum ſub dicta invocatione cum Eccleſia &c. pro perpetuis uſu & habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, ſine alicujus præjudicio, conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, ac Vicariis illarum pro Fratrum eorumdem perpetuis uſu & habitatione recipiendi, & Fratribus prædictis eam perpetuo inhabitandi licentiam concedere auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi vigore præſentium conceſſeritis, dictæ domui, & Fratribus in ea pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis &c. uti &c. valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus per præſentes: jure tamen &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDIV. Pridie Non. Junii, Pontificatus noſtri anno I.

IX. *Sub-*

IX.

Subjicit Conventum Alfararæ fratri Fortunio Victorienſi. Ibidem lib. 9. fol. 331.

Venerabili fratri Epiſcopo Terracinenſi, & dilectis filiis Archidiacono de Niebla, & Sancio Ortiz de Stuñiga Canonico Eccleſiæ Hiſpalen.

§. I. HIs per quæ Chriſtifidelium &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parre dilecti filii Fortunii Victorienſis, Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris petitio continebat, quod olim dilectus filius Ægidius Delfin, Artium & ſacræ Theologiæ profeſſor, & dicti Ordinis tunc Miniſter Generalis, ex certis cauſis tunc expreſſis, eumdem Fortunium quoad viveret, in Guardianum ſeu Viſitatorem domus ſancti Joannis de Alferara, Hiſpalen. diœceſis, dicti Ordinis, provinciæ Caſtellæ, ſecundum morem eorumdem, tunc ſub obedientia immediata Generalis dicti Ordinis exiſtentis, conſtituit & deputavit, ac ipſam domum ejus curæ commiſit; ac voluit, quod eadem domus & illius Fratres omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, quibus aliæ domus ejuſdem Ordinis Generali Miniſtro ſubjectæ, de jure vel conſuetudine utebantur & gaudebant, uterentur, potirentur & gauderent in futurum: dictoque Fortunio domum de Alferara & illius Fratres regendi & corrigendi, ac alia omnia & ſingula faciendi, quæ ipſemet Miniſter facere poſſet, ſi in ipſa domo præſens eſſet, faciendi auctoritatem & liberam facultatem conceſſit; necnon eidem Fortunio, & in ipſa domo de Alferara pro tempore degentibus Fratribus, quod ter in anno idoneum poſſent eligere confeſſorem dicti Ordinis, qui eos & eorum quemlibet ab omnibus caſibus pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali dicti Ordinis reſervatis abſolvere valeret, indulſit: Fratribus quoque in ipſa domo de Alferara pro tempore degentibus, quod eidem Fortunio, tamquam eorum Guardiano obedirent, injunxit, ac omnibus ipſo Miniſtro inferioribus, ne præfatum Fortunium in præmiſſis moleſtarent, inhibuit, prout in eiſdem Generalis Miniſtri deſuper confectis litteris plenius dicitur contineri. Quare pro parte dicti Fortunii nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſtitutioni, deputationi, voluntati, conceſſioni, indulto, præcepto, & inhibitioni prædictis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ confirmationis robur adjicere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur præfatum Fortunium a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi &c. mandamus &c. quatenus &c. conſtitutionem &c. ſi & poſtquam vobis de illis conſtiterit, ac prout illa concernunt, omnia in dictis litteris Ægidii Miniſtri Generalis hujuſmodi contenta, auctoritate noſtra approbetis & confirmetis, ſupplentes &c. contradictores &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum &c. anno MDIV. XV. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno I.

X. De-

X.

Declarat multa dubia circa Regularem Obſervantiam, & confirmat privilegia. Ibid. lib. 7. fol. 62.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. IN militantis Eccleſiæ agro &c. Sane pro parte cariſſimi in Chriſto filii Ferdinandi Regis & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ & Legionis, ac Siciliæ illuſtrium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias fel. record. Alexandro Papæ VI. prædeceſſori pro parte eorumdem Regis & Reginæ expoſito, quod etiam cla. mem. Caſtellæ, Legionis & Aragonum Reges, dictorum Regis & Reginæ prædeceſſores, qui pro tempore fuerunt, quamplurima in Caſtellæ, Legionis & Aragonum hujuſmodi eorumque Regnis & dominiis Monaſteria, domos, & alia loca Regularium Ordinum diverſorum tam virorum, quam mulierum, ex eorum pia devotione, & ut in illis mera vigeret Religio, ac nomen Altiſſimi, ad cujus gloriam & honorem inſtituta fuerunt, debite laudaretur, de propriis eorum bonis fundaſſent & dotaſſent, ac poſt hujuſmodi fundationem in aliquibus Monaſteriorum, domorum, & locorum in Regnis & dominiis prædictis conſiſtentium Regularis Obſervantia fuiſſet obſervata: tamen a nonnullis temporibus citra, Monachis, Fratribus, Monialibus, ceteriſque Religioſis eorumdem Monaſteriorum, domorum & locorum paulatim vivendi modum & normam relaxantibus, & a ſuavis contemplationis jugo ſepoſitis, in eis Regularis Obſervantia tepuerit; idem Alexander prædeceſſor ſuper his providere volens, Apoſtolicas ſuper hoc Archiepiſcopo Toletano, & nonnullis aliis tunc expreſſis Prælatis litteras conceſſit ſeu direxit, quarum quidem litterarum vigore nonnullæ domus dicti Ordinis Fratrum Minorum ad Regularem Obſervantiam reductæ fuerunt. Et quia aliqui Fratres dicti Ordinis pluſquam oportet forſan ſcrupuloſe dubitabant aliquas cenſuras incurriſſe, timentes vel ſuſpicantes prædictas litteras minus ſufficientes fuiſſe, & aliquos ex Fratribus directe vel indirecte forſan contra privilegia dicti Ordinis, vel contra concordiam inter Conventuales & de Obſervantia nuncupatos dicti Ordinis Fratres factam, & per Sedem prædictam confirmatam, aut hujuſmodi reformationi, & litterarum ſollicitationi conſilium præbuiſſe, & ſe intermiſiſſe, vel in recipiendo eaſdem domos mandato prædictorum judicum, ſeu reformationem in aliquo exceſſiſſe, vel aliquibus aliis cautelis uſos fuiſſe, aut aliqua verba comminativa ex parte prædictæ Reginæ Fratribus Conventualibus dixiſſe, aut aliqua alia de neceſſariis ad prædictam reformationem minus bene feciſſe; quamvis vivæ vocis oraculo ab eiſdem cenſuris ſeu ſcrupulis per dictum prædeceſſorem abſoluti fuerint; & contingit quod aliquando in una Provincia, ſecundum morem dicti Ordinis ædificentur domus dicti Ordinis, quæ ſub aliena obedientia quam Miniſtri ſeu Vicarii Generalis ejuſdem Provinciæ degunt, ex quo nonnumquam ſcandala inter eoſdem Fratres dicti Ordinis concitentur: ac etiam, cum piæ mem. Sixtus Papa IV. etiam prædeceſſor noſter, privilegia dicti Ordinis confirmans, illa de novo conceſſit, ab aliquibus dubitetur, an privilegia antea dicto Ordini alias quam per dictum Sixtum prædeceſſorem conceſſa, & quomodolibet revocata, cenſeantur iterum conceſſa per illa verba *de novo concedimus*, ac eadem verba referantur ſolummodo ad privilegia, quæ prædicto Ordini uſque ad Sixtum prædeceſſorem præfatum conceſſa, & non revocata fuerunt.

§. II. Et

§. II. Et cum etiam in eiſdem privilegiis dicto Ordini conceſſis contineatur, quod Fratres dicti Ordinis vocati a populo poſſint ædificare domos pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædicti Ordinis, non obſtante prohibitione rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, ab aliquibus dubitaretur, an ſi a particulari perſona avocati fuerint, domos prædictas ædificare poſſint. Sæpius etiam contingit, quod domus dicti Ordinis in tali loco ſituatæ exiſtunt, quod de jure non comprehenduntur in interdicto in oppido appoſito; & quod licet dictum oppidum ſit interdictum, ipſi Fratres poſſint Divina officia celebrare; tamen Prælati vel eorum officiales etiam aliquando odio vel laboribus ipſos Fratres fatigent, vel ut eis injurias inferant, Civitatem vel alium locum cum duobus vel tribus milliaribus in circuitu exiſtentibus Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciunt, ut ſic etiam domus Fratrum prædicti Ordinis ſub hujuſmodi interdicto includantur, in grave præjudicium Fratrum prædictorum. Continetur etiam in privilegiis prædictis, quod Fratres prædicti Ordinis per Prælatos ſuos, & Prælati ab aliis Fratribus ab omni excommunicatione etiam Sedi Apoſtolicæ reſervata, exceptis hereſis lapſus, ſchiſmatis, deferentium prohibita ad infideles, & falſitatis litterarum Apoſtolicarum caſibus, abſolvi poſſint, & hoc ut omnis materia evagandi dictis Fratribus auferatur: & aliquando in aliquibus litteris Apoſtolicis, vel dictis Fratribus vel aliis conceſſis continetur, quod contrafacientes aliquibus in eiſdem litteris contentis, excommunicationis ſententiam incurrant, a qua abſolvi non poſſint, niſi a perſona Romani Pontificis, vel per alia ſimilia verba, quæ auferre videntur omnem poteſtatem a dictis Prælatis abſolvendi, & abſolvi committendi eoſdem Fratres: ex quo mentes dictorum Fratrum, quandoque conturbantur; tam ſcrupuloſæ conſcientiæ ſint, putantes ſe a Prælatis ſuis abſolvi non poſſe, procurant ad Sedem præfatam accedere, ex quo a ſuavi contemplatione Divinorum retrahuntur, & eis vagandi occaſio, imo quaſi neceſſitas præbetur & infertur. Dubitatur etiam, quod ſi aliqui habitum per habitatores dicti Ordinis ſuſceperint, aut propter auſteritatem Regulæ, vel alias ante lapſum anni probationis a dicto Ordine receſſerint, & deinde meliori ſpiritu ducti, iterum ad dictum Ordinem rediverint, habitum probationis hujuſmodi reſumentes, an tempus prioris receptionis habitus cum tempore poſterioris in anno probationis computari debeat, an vero integrum annum probationis poſterioris habere debeat, non computato hujuſmodi tempore priori. Inſuper, cum in privilegiis & litteris prædictis dicto Ordini Minorum conceſſis contineatur, quod quando eis expedire videbitur, poſſint eligere quem voluerint in ſuum Conſervatorem ſeu judicem, qui contra inferentes eis injurias juxta privilegia & litteras hujuſmodi procedere poſſit, ſæpe contingit, quod taliter requiſiti, juriſdictionem hujuſmodi ob contemplationem aliquarum perſonarum ſibi conjunctarum, ſeu odio, amore aut aliis de cauſis acceptare nolunt, in grave dictorum Fratrum, & ſuorum privilegiorum detrimentum. Præterea, cum in litteris Apoſtolicis ſuper indulgentiis, domibus dictorum Fratrum per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſis, verba, *ut illas conſequantur, manus porrigentes adjutrices*, continentur: ſi hujuſmodi verba de largientibus ibi pecunias intelligerentur, aliqui Fratres cum eas recipere nullo modo poſſint, aliquam altercationem haberent, dubitatur, utrum manus adjutrices hujuſmodi, de eis, qui alias Fratribus in pane & aliis pro eorum victu & veſtitu & domorum ſuarum reparatione neceſſariis, eleemoſynam fecerint, intelligantur? Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Ferdinandus Rex & Eliſabetha Regina præfati, qui ad ipſum Ordinem ſingularem gerunt de-

devotionis affectum, cupiant omnia & ſingula privilegia, litteras & conceſſiones Fratribus & Ordini prædictis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſa confirmari & approbari, ac ſuper præmiſſis pro ipſorum Fratrum pace & tranquillitate opportune provideri; pro parte eorumdem Ferdinandi Regis & Eliſabethæ Reginæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut omnibus & ſingulis privilegiis quarumcumque gratiarum dicto Ordini conceſſis, & præſertim per Concilium Conſtantienſe, ac ſanctæ mem. Eugenium IV. & Nicolaum V. Calixtum III. Pium II. ac Sixtum IV. necnon Innocentium VIII. & eumdem Alexandrum VI. & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, necnon proceſſibus per Nos, quondam Cardinalatus honore fungentes, etiam dum præfati Ordinis Minorum protectionis officio fungeremur, auctoritate Apoſtolica robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias ſtatui dictorum Fratrum in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ad Ordinem ipſum, dum in minoribus conſtituti eramus, ſingularem geſſimus devotionis affectum, quique nunc paſtorali officio fungentes, eumdem Ordinem propter uberes fructus, quos in militanti Eccleſia producit, ſpeciali dilectionis affectu proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia & indulta quarumcumque gratiarum dicto Ordini conceſſa, & præſertim per Concilium, ac Eugenium, Nicolaum, Calixtum, Pium, Sixtum, Innocentium, Alexandrum, & alios prædeceſſores hujuſmodi noſtros, necnon proceſſus per Nos, dum in minoribus ageremus, & dicti Ordinis protectionis officio fungeremur, ut præfertur, dicta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, confirmamus, & illa perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus: & inſuper Fratres, ſi qui ſint, qui expeditionem dictarum litterarum præfatæ confirmationis procurarunt ſeu ſollicitarunt, vel in aliquo forte exceſſerunt, tantummodo circa domos ejuſdem Ordinis uſque ad diem obitus prædicti Alexandri prædeceſſoris reformatas, ab excommunicationis ſententia, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, præterquam a labe Simoniæ, ſi quas etiam juxta privilegia, ſeu inſtitutiones regulares dicti Ordinis, vel etiam contra concordiam, vel in aliis ſupradictis caſibus incurrerint, auctoritate & tenore prædictis abſolvimus, ſupplentes &c. & quod in una Provincia, ſecundum morem dicti Ordinis, domus Fratrum Ordinis hujuſmodi, qui ſub aliena obedientia vivunt, de cetero de novo conſtrui & ædificari numquam, niſi de licentia Vicarii Generalis, perpetuo prohibemus, ac quidquid in contrarium attentari contigerit, irritum & inane decernimus, & per confirmationem dictorum privilegiorum per ipſum Sixtum prædeceſſorem factam, & eorumdem privilegiorum novam conceſſionem per verba *de novo concedimus*, ſimili modo eſſe confirmata privilegia dicto Ordini conceſſa, & alias non revocata; & per Fratres ipſos, ſi a Principe, Duce, Marchione, Comite, ut aliquam domum dicti Ordinis ædificent, requiſiti fuerint, domum hujuſmodi, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ conſtrui & ædificari, ac locum pro hujuſmodi conſtructione oblatum recipi poſſe: ac quod, ſi contingat aliquam Civitatum ſeu oppidum cum duobus vel tribus milliaribus circumvicinis, infra quæ milliaria domus Fratrum Minorum dicti Ordinis & Obſervantiæ exiſtant, Eccleſiaſtico eſſe interdicto ſubjecta ſeu ſuppoſita, Fratres Ordinis hujuſmodi, niſi cauſam interdicto dederint, vel eis ſpecialiter exiſteret legitime interdictum factum, hujuſmodi interdictum ſervare non teneantur, ſi alias de jure domus ipſorum Fratrum in interdicto talis oppidi non comprehendatur; ſed poſſint in eorum Eccleſiis & domibus, Miſ-

Miſſas & alia Divina officia, alias juxta privilegia eis conceſſa celebrare: & quod quæcumque perſona ſeu perſonæ, alias de jure capaces, pro parte dictorum Fratrum requiſitæ, niſi legitimo impedimento detentæ fuerint, juriſdictionem & conſervationem eorumdem Fratrum vigore præfatorum privilegiorum ſub excommunicationis pœna ſuſcipere teneantur: quodque verba in privilegiis ſuis contenta hujuſmodi, ſcilicet, quod viſitantes ſua loca, & *manus porrigentes adjutrices*, indulgentias eis conceſſas conſequantur, & ſcrupulum Fratribus, qui ſcrupulum formaverint totaliter, & ad facientes ſibi eleemoſynas de pane & aliis, pro eorum victu & veſtitu, & domorum ſuarum reparatione neceſſariis referantur; ac quod etiam Prælati dicti Ordinis, & alii Fratres, quibus ipſi commiſerint, alios Fratres Ordinis ejuſdem uſque ad diem datæ præſentium dumtaxat, a quacumque excommunicationis ſententia, quantumcumque, & ſub quibuſvis verbis ac clauſulis, tam per uſus in jure expreſſos, quam per litteras Apoſtolicas Sedi Apoſtolicæ reſervata, etſi contineant in ſe clauſulam, quod qui contrafecerint, non poſſint abſolvi, niſi ab ore proprio Romani Pontificis, vel ſimilia, aut majora verba, hæreſis lapſus, ſchiſmatis, delationis prohibitorum ad infideles, ac falſitatis litterarum Apoſtolicarum caſibus dumtaxat exceptis, alias juxta privilegia eis conceſſa de præterito dumtaxat, & non aliter abſolvere poſſint. Et cum aliis Fratribus, qui annum probationis inceperint, & deinde habitu dimiſſo, ad ipſum Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitus cum tempore poſterioris in anno probationis ſibi imputari vel etiam computari poſſit, juxta diſcretionem & determinationem ſuorum Prælatorum, eiſdem auctoritate & tenore decernimus & declaramus: & ulterius omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, conceſſiones, indulgentias & indulta tam vivæ vocis oraculo, quam alias ſub quibuſvis tenoribus & formis Fratribus Ordinis prædicti Regularis Obſervantiæ Regnorum prædictorum, & eorum domibus ſeu piis locis per Nos, & prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut dictam Sedem conceſſa, Fratribus dicti Ordinis Minorum eorum domibus, ac ſi eis conceſſa forent: & quod, ſicut per prædeceſſores noſtros conceſſum eſt, quod viſitantes domum Fratrum Minorum in die ſancti Franciſci, conſequantur certum numerum indulgentiarum, & viſitantes prædictas domos in feſtis ſancti Antonii & Bernardini, alium licet minorem numerum, qui etiam viſitantes domos Fratrum Minorum in die ſancti Bonaventuræ, eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequerentur viſitantes in die videlicet prædictorum Sanctorum, videlicet Antonii vel Bernardini, eadem auctoritate Apoſtolica concedimus; & hujuſmodi privilegia, immunitates, exemptiones, conceſſiones, indulgentias & indulta eiſdem Fratribus Ordinis prædicti Regularis Obſervantiæ, ut præfertur, conceſſa, ad dictos Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Regnorum eorumdem illorumque domos extendimus: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictorum, juramento &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod Confeſſor, quem ſinguli dictorum Fratrum Ordinis Minorum, qui excommunicationes, aliaſque cenſuras & pœnas prædictas, præmiſſorum occaſione, forſan incurrerint, duxerint eligendum, eis per exceſſus prædictos pœnitentiam ſalutarem injungat, quam ipſi omnino debeant adimplere, alioquin præſentes litteræ quoad eamdem abſolutionem, nullius ſint roboris, vel momenti.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDIV. XV. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno I.

XI.

Ut concedant facultatem ædificandi Cœnobium Obſervantum prope Villamnovam de Fraxino. Ibid. lib. 14. fol. 53.

Venerabilibus fratribus Corduben. Pacen. ac Marrochitano Epiſcopis.

§. I. Piis petentium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Puerto-Carrero laici Hiſpalen. diœceſis petitio continebat, quod ipſe cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum gerit, cupit ad Dei laudem, & Religionis propagationem, ac Divini cultus augmentum de bonis ſibi a Deo collatis unam domum, cum officinis neceſſariis extra muros oppidi de Villa-nova de Fraxino, Pacen. diœceſ. in loco ad id commodo & idoneo, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum conſtrui & ædificari facere, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſibi ſuffragetur. Quare pro parte dicti Petri aſſerentis ſe de nobili genere procreatum fore, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi unam domum in dicto loco, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione prædictis dictorum Fratrum conſtrui & ædificari faciendi licentiam & facultatem concedere, ac alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſumque Petrum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi &c. fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus &c. ſi eſt ita, eidem Petro unam domum in dicto loco cum Eccleſia &c. pro uſu & habitatione prædictorum Fratrum, qui in ea ſub Regulari Obſervantia hujuſmodi, ac ſub obedientia Cuſtodis Cuſtodiæ, de Angelis nuncupatæ ſecundum morem dicti Ordinis, Altiſſimo famulentur, abſque alicujus præjudicio, conſtrui & ædificari faciendi licentiam & facultatem concedere: ac dilecto filio moderno & pro tempore exiſtenti Cuſtodi dictæ Cuſtodiæ, ut domum prædictam ſub ejus obedientia & cuſtodia recipiat, ac in eamdem domum Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictorum introducat, ſub excommunicationis pœna præcipere & mandare auctoritate noſtra procuretis: non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDIV. VI. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno I.

XII.

Ut dent licentiam fabricandi Conventum Obſervantum in oppido de Moguer. Ibidem folio 75.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Hiſpalen. & Marrochitano, ac Tyberiadis Epiſcopis.

§. I. Piis fidelium votis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Puerto-Carrero laici Hiſpalen. diœceſis petitio continebat, quod ipſe qui, ut aſſerit, de nobili genere procreatus exiſtit,

zelo

zelo devotionis quam ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum gerit, accenſus, ac cupiens terrena in cœleſtia, tranſitoria in æterna felici commercio commutare, pro religionis propagatione, & Divini cultus augmento, de bonis ſibi a Deo collatis, ſummopere cupit in Hoſpitali alias per eum ſub invocatione Corporis Chriſti in oppido de Moguer dictæ diœceſis canonice fundati, unam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ac Hoſpitale hujuſmodi in alio loco ad id commodo & idoneo, in dicto oppido pro receptione & ſubventione pauperum ſub dicta invocatione Corporis Chriſti conſtrui & ædificari facere, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſibi ſuffragetur. Quare pro parte dicti Petri nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto Hoſpitali, ſuppreſſis inibi nomine & hoſpitalitate, unam domum cum Eccleſia &c. ad inſtar aliarum domorum dicti Ordinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, qui ſub Cuſtodia Hiſpalen. perpetuo eſſe debeant, necnon unum aliud Hoſpitale pro receptione & ſubventione pauperum, & aliarum miſerabilium perſonarum, in aliquo alio loco dicti oppidi ad hoc commodo, ſub dicta invocatione Corporis Chriſti conſtrui & ædificari faciendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſumque Petrum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi &c. fraternitati veſtræ &c. mandamus, quatenus &c. ſi eſt ita, præfato Petro in dicto Hoſpitali, ſuppreſſis inibi nomine & hoſpitalitate, unam domum cum Eccleſia &c. ad inſtar aliarum domorum dicti Ordinis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Obſervantiæ prædictorum, qui ſub Cuſtodia Hiſpalen. perpetuo eſſe, & ſub illius obedientia debeant, necnon unum aliud Hoſpitale pro receptione & ſubventione pauperum & miſerabilium perſonarum, in aliquo alio loco ad id commodo & idoneo dicti oppidi ſub dicta invocatione Corporis Chriſti, ſine alicujus præjudicio, reſpective conſtrui & ædificari faciendi, ac Cuſtodi dictæ Cuſtodiæ ipſam domum pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum & Obſervantiæ prædictorum recipiendi licentiam & facultatem concedere auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDIV. III. Non. Auguſti, Pontificatus noſtri anno I.

XIII.

Ut dent licentiam ædificandi domum Obſervantum prope locum ſanctæ Euphemiæ. Ibid. fol. 384.

Dilectis filiis Archidiacono, & Scholaſtico, ac Chriſtophoro de Velenzuela Canonico Eccleſiæ Corduben.

§. I. Sancto ac pio deſiderio &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Gondiſalvi Mexiæ, Domini locorum ſanctæ Euphemiæ, & de la Guardia, Corduben. diœceſis, petitio continebat, quod ipſe de propria ſalute cogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ſummopere cupit, apud quamdam Eccleſiam, quam ipſe alias ſub invocatione ſancti Alberti prope dictum locum ſanctæ Euphemiæ de bonis ſibi a Deo collatis conſtrui & ædificari fecit, ob ſingularem, quem ad Fratres Ordinis Minorum, de Obſer-

Obſervantia nuncupatorum gerit devotionis affectum, unam domum pro perpetuis uſu & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis propriis ſumptibus conſtrui & ædificari facere, ſi ad hoc ſibi Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte dicti Gondiſalvi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi unam domum apud ipſam Eccleſiam ſub eadem invocatione, cum cœmeterio, campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis juxta morem dicti Ordinis pro perpetuis uſu & habitatione novem Fratrum dumtaxat Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, in honorem novem menſium, quibus B. Virgo Maria Jeſum Chriſtum filium ejus Dominum noſtrum in utero ſuo portavit, conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. præfatumque Gundiſalvum a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus &c. per vos vel alium ſeu alios præfato Gundiſalvo unam domum apud ipſam Eccleſiam ſub dicta invocatione pro perpetuis uſu & habitatione novem Fratrum hujuſmodi, cum cœmeterio &c. de conſenſu quorum intereſt, & ſine alicujus præjudicio, conſtruendi, ipſiſque Fratribus illam recipiendi, & in ea perpetuo habitandi licentiam concedere; & poſtquam conſtructa fuerit, illam ſub eadem Cuſtodia, ſub qua domus Fratrum dicti Ordinis loci de Belalcazar ejuſdem diœceſis exiſtit, ſubjicere, ac dilecto filio moderno & pro tempore exiſtenti Cuſtodiæ hujuſmodi Cuſtodi, ut ipſam domum ſic conſtructam, & Fratres in ea pro tempore exiſtentes, ſub ejus gubernio & cuſtodia ad inſtar dictæ domus de Belalcazar recipiat, committere, & mandare, quod in ea pluſquam novem Fratres recipi non poſſint, cum locus ipſe, ut idem Gundiſalvus aſſerit, non multum fertilis exiſtat, ſtatuere & ordinare auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi licentiam concedi hujuſmodi, ac alia præmiſſa per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eidem domui & Fratribus in ea pro tempore degentibus hujuſmodi, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. valeant auctoritate Apoſtolica &c. indulgemus: jure &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDIV. VII. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno I.

XIV.

Ut tribuat facultatem ædificandi Conventum de Oliveira. Ibid. lib. 12. fol. 81.

Venerabili Fratri Epiſcopo Elboren.

§. I. Sedes Apoſtolica pia Mater &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Philippæ, relictæ quondam Alvari, Ducis de Bragança nati, Bracaren. diœceſis petitio continebat, quod olim ipſe Alvarus, dum viveret, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum gerebat devotionis affectum, quamdam domum in honorem ſancti Franciſci ejuſdem Ordinis, prope oppidum de Oliveira dictæ diœceſis pro uſu & habitatione aliquorum Fratrum Ordinis ejuſdem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia conſtrui & ædificari cœperit; & nonnulli ex Fratribus dicti Ordinis dictam domum inhabitarunt, & in quadam capella inibi conſtructa, Miſſas & alia Divina officia

cia celebrari fecerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta domus adhuc perfecta non ſit, & ipſa Philippa domum hujuſmodi de bonis ſibi a Deo collatis perficere, & in eo unam Eccleſiam cum campanili humili &c. pro uſu & habitatione perpetuis dictorum Fratrum conſtruere & ædificare ſeu &c. ſummopere deſiderat. Quare tam pro parte ejuſdem Philippæ, quam Fratrum, qui dictam domum inhabitarunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Alvarum & Fratres ipſos ab exceſſu hujuſmodi & excommunicationis ſententiæ, quam propterea incurrerant, abſolvere, ac etiam cum eiſdem Fratribus ſuper irregularitate, quam Miſſas & alia Divina officia inibi celebrando contraxerunt, diſpenſare, ac præfatæ Philippæ domum hujuſmodi perficiendi, ſeu perfici, ac inibi unam Eccleſiam cum campanili &c. juxta morem dicti Ordinis, in dicto loco pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis prædicti conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere, ac alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. Philippam & Fratres prædictos domum eamdem inhabitantes, ac eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi &c. fraternitati tuæ &c. mandamus &c. quatenus Fratres qui domum hujuſmodi ſine licentia præfata receperint ſeu inhabitaverint, ſi id humiliter petierint, ac ſi in eis ſigna contritionis apparuerint, ab excommunicationis ſententia, aliiſque cenſuris & penis Eccleſiaſticis, ſi quas propterea incurrerint, abſolvas in forma conſueta, injuncta eiſdem Fratribus pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda; ac cum Fratribus præfatis ſuper irregularitate, quam Miſſas & alia Divina officia celebrando contraxerint, diſpenſes, aboleaſque ab eis omnem inhabilitatem, & infamiæ maculam ſive notam exinde provenientem: necnon dictæ Philippæ domum hujuſmodi perficiendi ſeu perfici, ac Eccleſiam cum campanili humili &c. juxta morem dicti Ordinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum, abſque alicujus præjudicio, ædificandi & conſtruendi, ſeu &c. Fratribus vero prædictis domum hujuſmodi pro eorum uſu & habitatione recipiendi, & in ea perpetuo inhabitandi plenam & liberam auctoritate noſtra licentiam largiamini. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Magliani, Portuen. diœc. anno MDIV. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno I.

XV.

Multa ſtatuit in favorem Petri de Valentia, & Conventus Scalabitani. Ibid. lib. 10. fol. 301.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Rationi congruit &c. Dudum ſiquidem fel. recor. Alexandro Papæ VI. Prædeceſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum Gometii Fernandi de Solis, & Joannis de Chaves, ac Alvari della Inojoſa laicorum Placentinæ civitatis ſeu diœceſis, expoſito quod ipſi fervore devotionis, quam ad ſanctum Franciſcum, & Ordinem Fratrum Minorum & Fratres ipſos, qui eorum exemplari vita, verbique Dei prædicationibus, aſſiduaque & devota Divinorum celebratione, & aliis ſuis bonis operibus non ceſſabant animas Domino lucrifacere, gerebant, accenſi, cupienteſque terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, deſiderabant de eis a Deo collatis, & aliis ad id pie elargiendis bonis, quamdam

dam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ſecundum primævam ipſius Ordinis inſtitutionem, & Regulæ puritatem viventium, in aliquo ad id commodo condecentique loco, infra terminos oppidi de Truxillo dictæ diœceſis conſtruere & ædificare, ſeu &c. ſi ad id eis Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſuffragaretur; dictus prædeceſſor ipſorum Gometii, Joannis & Alvari in ea parte ſupplicationibus tunc inclinatus, Epiſcopo Placentin. & de Maguela, ac de Gadamyre Toletan. & prædictæ Placentin. Monaſteriorum per Priores gubernari ſolitorum, Prioribus, eorum propriis nominibus non expreſſis, ſuis litteris dedit in mandatis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum Gometio, Joanni & Alvaro prædictis in aliquo ad id commodo & condecenti loco, infra terminos oppidi hujuſmodi, unam domum cum Eccleſia &c. pro perpetuis uſu & habitatione octo Fratrum dicti Ordinis, qui inibi juxta Regulæ puritatem, & evangelicam paupertatem, ac primævam inſtitutionem hujuſmodi ſimpliciter vivere deberent, conſtruendi & ædificandi, ſeu &c. ac eiſdem Fratribus domum prædictam pro eorum uſu & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica liberam & omnimodam licentiam largiretur: & nihilominus quod Gometius, Joannes & Alvarus prædicti nonnullos Fratres ex aliis domibus dicti Ordinis, quos ad id voluntarios invenirent, ad eamdem conſtituendam domum, vocare & accerſire; ipſique ſic vocandi Fratres, qui dictam Regulam obſervare vellent, abſque alicujus Superioris licentia, ad eamdem conſtruendam domum ſe transferre, & inibi perpetuo permanere: quodque Fratres conſtruendæ domus hujuſmodi unum ex eis in ſuum Vicarium ſeu Cuſtodem eligere poſſent: quodque ſic electus per Miniſtrum Generalem dicti Ordinis, vel ejus Vicarium in Galliæ, Alemaniæ, & Hiſpaniæ provinciis ſuper Fratribus dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatis, pro tempore deputatum viſitari ſeu confirmari deberet, aut Vicario per eumdem Miniſtrum Generalem pro tempore deputato poſt Generalem Miniſtrum Ordinis hujuſmodi, cui per omnia ſicuti alia loca dicti Ordinis ſubſunt, eadem conſtruenda domus & illius Vicarius & Fratres immediate ſubjecti eſſe deberent, quodque Vicarius dictæ conſtruendæ domus infirmos viſitare, & Fratres ejuſdem conſtruendæ domus pro tempore exiſtentes induere; necnon conſtruendam domum hujuſmodi intrare volentes, ac ab eis profeſſionem regulatem, ſi illam in ſuis manibus ſponte emittere vellent, recipere & admittere, ac tam illos, quam alios Fratres dictæ conſtruendæ domus pro tempore exiſtentes corrigere, abſolvere & ligare, ac omnia alia facere libere poſſet, quæ Miniſtri provinciales dicti Ordinis pro tempore exiſtentes, tam ex privilegiis & indultis dicto Ordini conceſſis, quam conſtitutionibus & inſtitutis regularibus dicti Ordinis facere poſſunt: & inſuper, quod Miniſter ſive Prælatus, ſub cujus obedientia Vicarius ſeu Cuſtos & Fratres conſtruendæ domus hujuſmodi etiam pro tempore viverent, aliquos Fratres in dicta conſtruenda domo ultra jam tunc poſitos ſeu introductos ponere ſeu introducete, nec jam introductos ſeu poſitos amovere abſque conſenſu & voluntate Vicarii ſeu Cuſtodis & Fratrum dictæ conſtruendæ domus pro tempore exiſtentium nullatenus poſſet: quodque Vicarius ſeu Cuſtos & Fratres domus conſtruendæ pro tempore exiſtentes hujuſmodi, unum Prælatum ejuſdem Ordinis qui eos juxta prædictæ Regulæ puritatem corrigere & emendare valeret, eligere deberent, & per quoſcumque dicti Ordinis Fratres, aut alias perſonas cujuſvis ſtatus, Ordinis, conditionis & dignitatis exiſtentes nulla occaſione moleſtari poſſent, prædicta auctoritate ſtatuerent & ordinarent, auctoritate & præeminentia Generalis Miniſtri Ordinis hujuſmodi, ac jute particularis Eccleſiæ & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Et

Et deinde dicto prædeceſſori pro parte dilectorum filiorum Petri de Valentia Cuſtodis, & Fratrum domus *beatæ Mariæ de Luce*, oppidi, Ordinis & diœceſis prædictorum etiam expoſito, quod præfati Judices, ſeu duo aut unus eorum, juxta formam dictarum litterarum, eamdem licentiam conceſſerant, & alia præmiſſa ſtatuerant & ordinaverant; ipſaque domus poſtmodum conſtructa, ſeu jam conſtrui cœpta, & in ea ipſi Petrus & Fratres uſque ad dictum numerum introducti, dictuſque Petrus in Cuſtodem ejuſdem novæ domus electus fuerat, quodque in eadem nova domo plures quam octo Fratres habitare poterant: præfatus prædeceſſor, Petri & Fratrum prædictorum in ea parte ſupplicationibus tunc inclinatus, eidem Petro & Fratribus, quod ipſe Petrus, & pro tempore Cuſtos exiſtens ipſius domus, alias juxta formam litterarum earumdem, plures Fratres quam octo, & tot, quot viderent, in eadem nova domo recipere valerent, quodque Miniſter Generalis pro tempore exiſtens ſolum, & non Vicarius prædicti, juxta formam litterarum hujuſmodi, eidem novæ domui præeſſe, & de illa ſe impedire poſſent, per alias ſuas litteras indulſit. Et ſucceſſive eidem prædeceſſori pro tempore tunc Generalis & Vicariorum provincialium Ultramontanorum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, ſimiliter expoſito, quod nonnulli Fratres familiæ Ultramontanæ Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ut in aliquibus locis extra domos Fratrum prædictorum ſtare & permanere, ſeu beneficiis Eccleſiaſticis, cum cura vel ſine cura ſecularibus & regularibus deſervire, & alii vel ad diverſas Provincias, ſeu domos dicti Ordinis, aut ad alios Ordines etiam prætextu arctioris vitæ ſe transferre; alii vero Fratres Ordinis, familiæ & Obſervantiæ hujuſmodi, ut ad Eremitoria aliqua ſe conferre, & inibi perpetuo ſeu ad tempus Domino famulari valerent, a Sede Apoſtolica facultatem ſeu licentiam impetraverant: alii vero aſſerentes ſe prætextu litterarum ſeu facultatum eis aut aliquibus perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus ab eadem Sede conceſſarum, reſidendi facultatem habere, ſecundum eorum varia deſideria, ſui voti & religionis immemores, Deique timore poſtpoſito, diverſimode in multis Eccleſiis, Eremitoriis aut locis etiam ubi Studia vigebant generalia, reſidebant, & moram trahebant, inſolenter dictis facultatibus & licentiis abutendo, & ſæpe ſcandaloſe vivendo, unde eis vagandi & apoſtatandi, & plura in contemptum Religionis committendi præbebatur occaſio; idem prædeceſſor, Generalium & provincialium Vicariorum prædictorum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, ut Fratres Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ prædictorum hujuſmodi, per ipſum Prædeceſſorem vel Sedem prædictam etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & cum quibuſvis verborum formis & expreſſionibus, ac etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus & efficacioribus clauſulis, inſtantibus decretis in poſterum concedendis eiſdem Fratribus, & eatenus conceſſæ licentiæ & facultates hujuſmodi illis ex dictis Fratribus, qui licentiis & facultatibus prædictis, eis ſeu perſonis præfatis jam conceſſis de novo in futurum uterentur ſeu uti incipiebant, ac illis qui ſcandaloſe & male viventes, dictis licentiis & facultatibus pro dictis eis ſeu perſonis præfatis jam conceſſis, de novo in futurum uterentur ſeu uti incipiebant, ac illis, qui ſcandaloſe & male viventes dictis licentiis & facultatibus eiſdem Fratribus jam, ut præfertur, conceſſis, tunc utebantur, ac ſub habitu dicti Ordinis extra domos ejuſdem Ordinis manebant, ita demum ſuffragarentur, ſeu ſuffragari poſſent & deberent, ſi ad hoc Generalium ſeu Provincialium Vicariorum vel Generalis Commiſſarii Ultramontanorum tunc & pro tempore exiſtentium hujuſmodi, in ſcriptis expreſſus accederet aſſenſus, & non alias nec alio modo, & per omnia perinde ac ſi in li-

centiis & facultatibus prædictis, ut præfertur, conceſſis & in poſterum concedendis, hoc nominatim & ſpecifice caveretur: ſicque ubi & quando de illarum viribus & efficacia agi contingeret, per quoſcumque interpretari & judicari deberet, ſublata qualibet alia judicandi & interpretandi facultate, necnon irritum & inane ſi ſecus ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Quodque Fratres ſub habitu, & extra domos Ordinis hujuſmodi tunc & pro tempore degentes, ac male & ſcandaloſe viventes, ac licentiis & facultatibus prædictis abutentes, per Generales ſeu Vicarios provinciales, aut Commiſſarios Ultramontanos pro tempore exiſtentes hujuſmodi corrigi & puniri poſſent, per ſuas litteras dicta auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia decrevit & declaravit, quod ex tunc de cetero nullus ex Fratribus Ordinis, Familiæ & Obſervantiæ prædictorum quacumque etiam Apoſtolica auctoritate munitus, niſi de Generalis, ſeu provincialium Vicariorum aut Commiſſarii Ultramontanorum tunc & pro tempore exiſtentium hujuſmodi, petita & obtenta licentia, ab obedientia & ſubjectione eorumdem ſuorum Superiorum Prælatorum, ſicut per Eugenium IV. Pium II. ac Paulum etiam II. ac Sixtum etiam IV. & Innocentium VIII. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, tunc ſuos, declaratum & inſtitutum erat, ſe ſubtrahere & abdicare, necnon alteri Prælato etiam Ordinis Minorum & Obſervantiæ prædictnrum, niſi ſecundum inſtituta Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, etiam prætextu arctioris vitæ obedientiam dare, ſeu illius obedientiæ & ſubjectioni ſe ſubmittere & ſubjicere valeret, præfata auctoritate ſtatuit & ordinavit, certis deſuper executoribus deputatis, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur.

§. II. Poſtmodum vero dicto Alexandro prædeceſſori pro parte Petri & Fratrum novæ domus hujuſmodi ſimiliter expoſito, quod poſt etiam dictarum priorum litterarum, & anteactam conſtructionem novæ domus, poſteriores litteræ prædictæ ab ipſo Alexandro prædeceſſore emanaverunt, ac Petrus & alii Fratres ejus ſocii prædicti, qui in dicta domo degebant, & inibi in ſpiritu humilitatis, ac Regulæ puritate, & Evangelica paupertate, juxta primævam dictæ Regulæ inſtitutionem, prout religioſius poterant, vivebant & vivere intendebant, dubitabant ne per Generalem & provinciales Vicarios ac Commiſſarium Ultramontanos prædictos aſſereretur eos, & conceſſam eis per priores, & earum vigore illarum forma ſervata habitum per unum ex judicibus prædictis proceſſum, ac inde ſecuta, alias ne eidem Petro conceſſas litteras prædictas ſub poſterioribus litteris hujuſmodi includi, ac pro parte tam venerabilis Fratris noſtri, tunc ſui, Georgii Epiſcopi Portuen. dicti Ordinis Viceprotectoris, quam eorumdem Petri & aliorum Fratrum ejus ſociorum, eidem Prædeceſſori humiliter ſupplicato, ut domum, ac Petrum & ejus ſocios prædictos in eadem domo pro tempore degentes, necnon omnia & ſingula in prioribus Gometio, Joanni & Alvaro, ac aliis Petro præfatis, ut præfertur, conceſſis litteris contenta, ſub poſterioribus litteris, Generali, provincialibus Vicariis, & Commiſſario Ultramontanis conceſſis hujuſmodi, & in eis contentis comprehenſa non eſſe, nec illis in aliquo detrahere vel derogare, ac pro potiori cautela domum, Petrum & ſocios prædictos, qui tunc & pro tempore forent, a contentis in eiſdem poſterioribus litteris excipere, aliaſque &c. dignaretur: præfatus Alexander prædeceſſor &c. Petrum, & ejus ſocios prædictos, & eorum ſingulos, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſens, Georgii Epiſcopi Viceprotectoris, ac Petri & ejus ſociorum prædictorum in ea parte ſupplicationibus tunc inclinatus, ſub data videlicet pridie Non. Maii, Pontificatus ſui anno II. auctoritate Apoſtolica ſupradicta conceſſit, indulſit &c. inten-

tentionis ſuæ fuiſſe in dictis poſterioribus litteris Generali, provincialibus Vicariis, & Commiſſario Ultramontanis prædictis, ut præſertur, conceſſis, domum & Petrum & ejus ſocios prædictos, necnon alios Fratres ejuſdem domus tunc & pro tempore exiſtentes, ac omnia & ſingula eis in prioribus Gometio, Joanni & Alvaro, & aliis Petro præfatis, ut præmittitur, conceſſis litteris contenta, nullatenus includi, & illis in aliquo non derogare vel detrahere; & quatenus forſan includerentur, & eis forſan detraheretur, litteras priores, ac domum, Petrum & ejus ſocios prædictos, qui tunc erant, & pro tempore eſſent Fratres dictæ domus, in perpetuum a contentis in eiſdem poſterioribus litteris, Generali, Provincialibus Vicariis, & Commiſſario Ultramontanis prædictis conceſſis, eadem Apoſtolica auctoritate excepit, & quoad eos iniri, & effectum ſortiri & ſibi vendicare non poſſe, ac ejuſdem intentionis ſuæ etiam fore, per quaſcumque alias litteras & conceſſiones, quæ in futurum ab eodem Alexandro prædeceſſore, vel Sede prædicta quomodolibet etiam cum motus proprii, & certæ ſcientiæ, ac plenitudinis poteſtatis, & aliis derogatoriarum fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis emanarent, poſteriorem conceſſionem, indultum, decretum, declarationem, ſtatutum & ordinationem hujuſmodi nullatenus revocare, vel illa modificare, aut eis detrahere quoquo modo, etiam ſi de hujuſmodi ſua intentione non revocandi in litteris revocatoriis prædictis expreſſa mentio fieret, & in eis conceſſio, indultum &c. hujuſmodi de verbo ad verbum inſererentur. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Ne autem de abſolutione, conceſſione, indulto &c. prædictis, pro eo quod ſuper illis ipſius Alexandri prædeceſſoris litteræ, ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, & Petrus, ac ejus ſocii & Fratres prædicti illorum fruſtrentur effectu, volumus &c. quod abſolutio, conceſſio &c. Alexandri prædeceſſoris hujuſmodi perinde a dicta die pridie Non. Maii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis dicti Alexandri prædeceſſoris litteræ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDIV. VI. Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno I.

XVI.

Ut Sororibus Tertii Ordinis Vallis ſanctæ Eliſabethæ concedant Regulam ſanctæ Claræ. Ex reg. Vatic. lib. 57. fol. 110.

Venerabili fratri Epiſcopo Leodien. & dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Michaelis Antuerpien. ac Decano Eccleſiæ in Boextel, Cameracen. & Leodien. diœceſum.

§. I. Votis Domino ſub regulari caſtimonia &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Matris & Sororum domus per Matrem regi ſolitæ, Vallis ſanctæ Eliſabethæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupati, Leodien. diœc. petitio continebat, quod licet ipſæ tria ſubſtantialia religionis vota emittant, & ſtatuta dicti Ordinis obſervent, ac ſub cura & regimine Vicarii Provincialis Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Colonien. per plures annos reddiderint Altiſſimo famulatum, in communi vivendo, & labore manuum ſuarum victum ſibi querendo; nihilominus volentes eo ferventius Domino deſervire, quo per vitæ auſteritatem a mundo ma-

magis fuerit ſegregatæ, cupiunt domum prædictam in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ erigi, & in eo juxta ſel. rec. Urbani Papæ IV. prædeceſſoris noſtri inſtituta in ſtricta illius Obſervantia ſub perpetua clauſura, & ſub cura & directione & obedientia Vicariorum Generalium Ultramontanorum Fratrum prædictorum, ac Provincialis dictæ Provinciæ Colonien. perpetuis futuris temporibus Domino famulari. Quare pro parte earumdem Matris & Sororum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum prædictam in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ cum Eccleſia, campanili humili &c. erigere, ac eaſdem Matrem & Sorores ad Monaſterium prædictum, poſtquam erectum erit, & ipſum Ordinem ſanctæ Claræ transferre, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſas Matrem & Sorores, ac earum ſingulas, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus &c. ſi eſt ita, dictam domum in Monaſterium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, cum Eccleſia &c. ac opportuna & decenti clauſura, ſine alicujus præjudicio erigere, ac Matrem & Sorores prædictas ad ipſum Monaſterium poſtquam erectum fuerit, & dictum Ordinem ſanctæ Claræ transferre, eiſque ut ad electionem futuræ inibi Abbatiſſæ tam hac prima vice, quam quoties Monaſterium ipſum vacare contigerit, juxta regularia inſtituta ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ procedere poſſint, concedere, ipſumque Monaſterium, & illius pro tempore Abbatiſſam ac Moniales, & earum obſequiis inſiſtentes, curæ, viſitationi, directioni, correctioni ac obedientiæ Generalis & Provincialis Vicariorum prædictorum perpetuo ſubjicere auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi erectionem, translationem, conceſſionem & ſubjectionem hujuſmodi per vos vel aliquem veſtrum vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem Monaſterio, ac illius pro tempore Abbatiſſæ & Monialibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti &c. valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus, jure tamen &c. non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDIV. V. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno II.

XVII.

Confirmat quoſdam cenſus in favorem Monaſterii ſanctæ Claræ Toletani. Ibid. lib. 58. fol. 261.

Dilectis filiis Franciſco Ortiz, & Joanni Muñoz de Ferrera Canonicis Eccleſiæ Toletanæ.

§. I. EX injuncto nobis deſuper &c. Dudum ſiquidem a fel. record. Paulo Papa II. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis. *Paulus &c. Cum in omnibus judiciis &c.* Et deinde pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernæ Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Claræ Toletan. Ordinis ſancti Franciſci, & dilectorum filiorum Petri de Sahagun Clerici, necnon Garſiæ de Vaſtumnia, ac Joannis de Lucena civium etiam Toletan. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias ipſa Abbatiſſa & Conventus utilitati dicti Monaſterii conſulere cupientes, quaſdam hæreditates ſeu poſſeſſiones, unam videlicet in villa de Torrijas, Toletan. diœceſis, in qua quadringenta & quadraginta olivæ, & quædam vineæ exiſtebant, pro pretio ſeu annuo cenſu quatuor millium morape-

rapetinorum, & quindecim arrobarum olei, alias per genitorem dilecti filii Joannis Gondiſalvi de ſancta Clara, civis Toletan. cum certis aliis rebus eidem Conventui in ejus teſtamento relictis, eidem Joanni pro ſatisfactione certæ conventionis ſeu concordiæ inter eos tunc habitæ & factæ locarunt & conceſſerunt: & poſtquam idem Joannes illam per viginti annos pacifice poſſederat, cum lis ſuper hujuſmodi conceſſione, tamquam in præjudicium dicti Monaſterii propter cenſus medietatem facta, exorta foret, cum dicto Joanne ſuper hoc amicabiliter concordarunt, & illam pro eodem cenſu quatuor millium morapetinorum, ac quindecim arrobarum olei ſibi conceſſerunt: Aliam vero in villa de Aleam dictæ diœceſis conſiſtentem, & ad dictum Monaſterium legitime pertinentem, olim cuidam Joanni de Sahagun pro annuo cenſu nonaginta arrobarum olei, & novem millium & quingentorum morapetinorum ad ejus vitam conceſſam, & ad dictum Monaſterium, per obitum ejuſdem Joannis converſam, Garſiæ & Joanni de Lucena præfatis pro annuo cenſu centum arrobarum olei, & decem millium morapetinorum, centum & triginta arrobarum vini, & duarum canecarum olivarum eiſdem Abbatiſſæ & Conventui perſolvendo conceſſerunt: ita quod altero eorum decedente, pretium decedentis ſuperſtiti accreſcat, cum onere ſolvendi integrum cenſum. Necnon cum lis inter Petrum & Abbatiſſam & Conventum prædictos coram tunc officiali Toletan. ſuper quibuſdam domibus per dictum Petrum tunc poſſeſſis, & quarum occaſione idem Petrus certum annuum cenſum eiſdem Abbatiſſæ & Conventui perſolvebat, exorta, & per dictum officialem definitiva pro eiſdem Abbatiſſa & Conventu, & contra dictum Petrum ſententia promulgata, & ab ea pro parte dicti Petri appellatum, cauſaque appellationis hujuſmodi uni ex cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus commiſſa, & in ea nonnullos actus, citra tamen concluſionem, proceſſum fuiſſet, Abbatiſſa & Conventus & Petrus præfati laboribus & expenſis parcere volentes, intervenientibus nonnullis viris probis, eorum amicis communibus, ad certam honeſtam concordiam devenerunt, prout in inſtrumentis publice reſpective deſuper confectis dicitur plenius contineri. Pro parte Abbatiſſæ & Conventus, ac Joannis, Gondiſalvi, Garſiæ, & Joannis de Lucena, ac Petri prædictorum aſſerentium hæreditates & poſſeſſiones & terras hujuſmodi tam priorum, quam poſteriorum conceſſionum tenuiſſe, & adhuc tenere, dictaſque Abbatiſſam & Conventum conceſſiones ad vitam hujuſmodi, abſque Superioris licentia facere conſuevisse, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſionibus & concordiæ hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis &c. ipſaſque Abbatiſſam & Conventus hujuſmodi ſingulares perſonas, necnon Garſiam, & Joannem de Lucena ac Petrum, a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutos fore cenſentes, necnon poſſeſſionum, hæreditatum, domorum hujuſmodi confines, ſituationes &c. præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi &c. diſcretioni veſtræ &c. mandamus quatenus, ſi & poſtquam vobis conjunctim procedentibus, ſervataque forma litterarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, & ſpecificatis prius coram vobis terris, poſſeſſionibus, hæreditatibus & domibus prædictis, de conceſſione & concordia hujuſmodi, & quod illæ in evidentem dicti Monaſterii ceſſerint & cedant utilitatem, legitime conſtiterit, conceſſionem & concordiam prædictas &c. auctoritate noſtra approbetis & confirmetis, ſuppleatiſque &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDIV. IX. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno II. XVIII.

XVIII.

Communicat Fratribus Ultramontanis quæcumque privilegia & gratias conceſſas Ciſmontanis. Ex Regeſto Ultramon. Curiæ fol. 6.

Dilecto filio Vicario Ultramontano Ordinis Minorum de Obſervantia.

§. I. EXponi nobis feciſti, quod, licet fel. record. Sixtus IV. & Innocentius VIII. Romani Pontifices, prædeceſſores noſtri, exemptiones, immunitates, gratias, indulgentias, libertates & privilegia omnia domibus & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis familiæ Ciſmontanæ, a Sede Apoſtolica eatenus in genere per diverſas litteras conceſſa & in poſterum concedenda, domibus & Fratribus Familiæ Ultramontanæ ejuſdem, vivæ vocis oraculo communicaverunt, & ad eamdem familiam Ultramontanam extenderunt, quia tamen nullam a præfatis prædeceſſoribus ſcripturam authenticam deſuper habent, a multis de validitate communicationis & extenſionis hujuſmodi dubitari dicitur, & propterea deſideras a nobis deſuper opportuno remedio nunc provideri.

§. II. Nos igitur, qui Fratres hujuſmodi Familiæ Ultramontanæ, ſuis meritis ita exigentibus, paterna caritate proſequimur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod tu & Fratres dictæ Familiæ Ultramontanæ pro tempore exiſtentes præmiſſis omnibus indultis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indulgentiis & libertatibus præfatæ Familiæ Ciſmontanæ, ut præmittitur, conceſſis & in poſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite prorſus abſque ulla differentia in omnibus & per omnia valeatis, perinde ac ſi illa omnia tibi & eidem Familiæ Ultramontanæ nominatim ac ſpecialiter & expreſſe conceſſa fuiſſent, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Regula noſtra in Cancellaria Apoſtolica publicata, qua volumus, quod Indulgentiæ non concedantur ad inſtar, niſi exprimantur, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xv. Aprilis MDV. Pontificatus noſtri anno II.

XIX.

Confirmat conſtructionem & inſtitutionem Monaſterii ſanctæ Claræ Ordinis Conceptionis urbis Conchenſis. Ex Reg. Vatic. lib. 56. fol. 27.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. REgimini univerſalis Eccleſiæ &c. Sane pro parte dilecti filii Alvari Petri de Monte-majore Canonici Eccleſiæ Toletanæ, & dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii Conceptionis Virginis Mariæ Ordinis ſanctæ Claræ prope & extra muros Conchen. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dictus Alvarus cupiens ſaluti animæ ſuæ conſulere, ac terrena in cœleſtia, ac tranſitoria in æterna felici commercio commutare, de bonis ſuis a Deo collatis, juxta quamdam Eccleſiam ſanctiſſimæ Trinitatis prope & extra dictos muros dirutam, & vetuſtate collapſam, Monaſterium prædictum ad inſtar Monaſterii Conceptionis Toletan. cum Eccleſia, campanili &c. a fundamentis de licentia Miniſtri

ſtri Provincialis Provinciæ Caſtellæ, & Cuſtodis Cuſtodiæ de Murcia Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem dicti Ordinis, aſſerentium ſe ad id a Sede Apoſtolica ſufficientem facultatem habere, pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ, & aliarum Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ conſtrui & ædificari fecit, illudque ſufficienti dote dotavit, ac ſeptem Moniales præfati Ordinis ſanctæ Claræ ſub obedientia Provincialis & Cuſtodis prædictorum cum ſimili licentia de illarum Monaſteriis ad dictum Monaſterium, ut præfertur, noviter conſtructum ſe tranſtulerunt, ac unam ibidem ex eis in præfati Monaſterii noviter conſtructi Abbatiſſam, quæ aliis Monialibus præeſſet, elegerunt, ipſæque Abbatiſſa & Moniales in Monaſterio, ut præfertur, noviter conſtructo per aliquod tempus pacifice permanſerunt, prout de præſenti permanent, & Provincialis & Cuſtos præfati Abbatiſſam & Moniales, ac Monaſterium conſtructum hujuſmodi ſub obedientia & correctione Provincialis & Cuſtodis hujuſmodi, aliorumque Prælatorum dicti Ordinis Minorum, pro tempore exiſtentium, poſuerunt & ſubmiſerunt, & nonnulla ſtatuta licita & honeſta, ſacris Canonibus non contraria, pro felici regimine & gubernatione Monaſterii noviter conſtructi, & Abbatiſſæ & Monialium prædictarum condiderunt & ordinarunt, prout in quibuſdam litteris concordiæ inter Alvarum, & Provincialem ac Cuſtodem præfatos deſuper confectis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, inter nonnullos de viribus conſtructionis Monaſterii, & translationis & ſubmiſſionis Monialium, ac ſtatutorum prædictorum hæſitetur; pro parte tam Alvari, quam Abbatiſſæ & Monialium prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſtructionem, donationem, translationem, ſubmiſſionem, & ſtatutorum prædictorum ordinationem approbare & confirmare, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. Alvarum, Abbatiſſam & Moniales præfatas, & earum ſingulas, a quibuſvis excommunicationis &c. hujuſmodi, & prout illa concernunt, omnia & ſingula alia in ipſis litteris contenta, licita & honeſta, ſacriſque Canonibus non contraria, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo confirmamus & approbamus, ſupplemuſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: & nihilominus pro potiori cautela, quod Abbatiſſa & Moniales in dicto Monaſterio de novo erecto remanere, & perpetuo cohabitare, & ſub obædientia, regimine & adminiſtratione Provincialis & Cuſtodis & Superiorum Provinciæ Caſtellæ dicti Ordinis Minorum, nunc & pro tempore exiſtentium vivere & ſtare poſſint, regularibuſque inſtitutionibus dicti Monaſterii Conceptionis Toletan. Ordinis ſanctæ Claræ ſe conformare debeant & teneantur, auctoritate & tenore præfatis ſtatuimus & ordinamus; dictiſque Alvaro quoad vixerit, & poſt ejus obitum ipſius hæredibus & ſucceſſoribus, & ut decedentibus Monialibus Monaſterii noviter conſtructi hujuſmodi, aut ab eo pro tempore deſcendentibus, alias honeſtas mulieres profeſſas, etiam abſque aliqua dote, & prout eis videbitur, in eodem Monaſterio noviter conſtructo introducere, & inibi recipi facere, cujuſvis licentia minime requiſita: ac Monaſterio noviter conſtructo, illiuſque Abbatiſſæ & Monialibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. uti, potiri & gaudere valeant, eiſdem auctoritate & tenore de ſpeciali dono gratiæ indulgemus: jure tamen &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDV. XIII. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno II.

XX. *Ut*

XX.

Ut concedat facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in oppido de Utrera. Ibid. lib. 77. fol. 409.

Dilecto filio Officiali Hiſpalenſi.

§. I. Votis fidelium perſonarum &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Menciæ de ſancta Maria, & Leonoræ de los Angelos, ac Conſtantiæ de ſancto Franciſco, mulierum Recluſarum in Eccleſia ſancti Michaelis Hiſpalenſi nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ pro religionis propagatione, ad augmentum Divini cultus, necnon ex ſingulari devotione, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ gerunt, cupiunt in certis domibus conſulari ſeu portuali, ac Eccleſia illis contiguis, in oppido de Utrera, Hiſpalen. diœceſis, alias ſibi per quondam Rodericum Alvari Chamorro laicum dictæ diœceſis, tunc in humanis agentem, ob earumdem exemplarem vitam, & bonum modum vivendi gratioſe donatis, ſeu alio loco ad id accommodo & idoneo, ædificia pro uno Monaſterio ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia ſuis propriis expenſis ædificari, ſeu jam incepta ad totalem perfectionem deduci facere, ſi eis ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis licentia concedatur. Quare pro parte Menciæ & Leonoræ ac Conſtantiæ prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſtructuras & ædificia pro uno Monaſterio Monialium hujuſmodi in dictis domibus, ſeu alio loco ad id magis accommodo & idoneo, ſub invocatione ſanctæ Claræ, pro uſu & habitatione perpetuis unius Abbatiſſæ & Sororum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ conſtrui & ædificari faciendi, ſeu jam per eaſdem inceptam ad totalem perfectionem deducendi licentiam concedere, inibi unum Monaſterium erigere, ac alias &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. ipſaſque Menciam & Leonoram ac Conſtantiam, & earum quamlibet, a quibuſcumque excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi &c. diſcretioni tuæ &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Menciæ, Leonoræ & Conſtantiæ in dictis domibus, ſeu alio loco ad id accommodo & idoneo, ædificia pro uno Monaſterio Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ ſub ejuſdem ſanctæ Claræ invocatione pro perpetuis uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & Monialium, & aliarum religioſarum dicti Ordinis, quæ in eo ſub regulari Obſervantia Domino famulentur, cum Eccleſia, campanili humili &c. juxta morem dicti Ordinis, ſine alicujus præjudicio conſtrui & ædificari faciendi, ipſiſque Menciæ & Leonoræ ac Conſtantiæ ædificia hujuſmodi, poſtquam perfecta fuerint, pro earum perpetuis uſu recipiendi, & in eo perpetuo inhabitandi licentiam & facultatem concedere, ac inibi unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis erigere: ac quod capellanus certæ capellæ, olim per dictum Rodericum inſtitutæ, & eis relictæ pro tempore exiſtens, libere & ſine aliquo impedimento in Eccleſia ejuſdem Monaſterii, ac dictæ capellæ deſervire poſſit, ipſæque Abbatiſſa & Sorores in eodem Monaſterio pro tempore degentes, poſtquam capellanus ipſe Miſſam finierit, unum reſponſorium pro ſalute animæ ſuæ dicere teneantur, eadem auctoritate ſtatuere procures. Nos enim, ſi conceſſionem, erectionem & ſtatutum hujuſmodi per te vigore præſentium, fieri contigerit, Monaſterio & Abbatiſſæ & Monialibus hujuſmodi in eo pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus &c. uti &c. valeant, quodque dictæ Mencia & Leonora ac Conſtantia Monaſterium ipſum, poſtquam conſtructum & erectum fuerit, ſi voluerint, illud

illud ſub obedientia Provincialis ſancti Franciſci Provinciæ Hiſpalen. ſubmittere poſſint, ipſeque Provincialis illud recipere teneatur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDV. V. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri an. III.

XXI.

Ut concedant facultatem transferendi Cœnobia Minorum & Prædicatorum Conimbricen. Ibid. lib. 81. fol. 30.

Venerabilibus Fratribus Colimbrien. & Cepten. Epiſcopis.

§. I. CUm inter noſtræ mentis arcana &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Emmanuelis Regis Portugalliæ & Algarbiorum illuſtris, petitio continebat, quod duæ domus, una videlicet Fratrum Minorum, & alia Prædicatorum Ordinum, adeo propinquæ flumini de Mondego per pontem, ſeu prope Civitatem Conimbrien. affluenti exiſtunt, quod ſæpe ſæpius Priores & Fratres dictarum domorum, excreſcentibus inundationibus aquarum fluminis, coguntur domos ipſas relinquere, & ad alia loca ſe transferre, ac inibi non ſine magno eorum incommodo, & Divini cultus diminutione permanere, donec inundatio aquarum ceſſaverit; verum ſi dictæ domus penitus & omnino demolirentur, ac aliæ eorum loco aliis locis ejuſdem Civitatis hujuſmodi inundationi non ſubjectis, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dictorum Ordinum conſtruerentur & ædificarentur, lapideſque ac lignamina & cæmenta earumdem domorum demolirentur, & ad alias domos conſtruendas & ædificandas, pro illarum conſtructione & ædificatinne deportarentur, prædictæque domus ſic demolitæ, & illorum Eccleſiæ ad profanos uſus deducerentur, profecto ex hoc ſecuritati dictorum Priorum & Fratrum conſuleretur, & periculo inundationis aquarum hujuſmodi obviaretur, ac Divinus cultus in dictis aliis domibus & illarum Eccleſiis ſuſciperet incrementum. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prædictas domos prope flumen exiſtentes demoliri, ac duas alias loco earum aliis locis hujuſmodi inundationi non ſubjectis conſtrui & ædificari mandare, aliaſque &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi &c. fraternitati veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, per vos ſeu alium vel alios, ſi eſt ita, præfato Emmanueli Regi domos prope flumen exiſtentes hujuſmodi, de dilectorum filiorum illarum Priorum & Fratrum conſenſu, penitus & omnino demoliendi, ac illarum lapides, lignamina & cæmenta ad conſtruendas alias duas domos inundationi hujuſmodi non ſubjectas, pro illarum fabrica apportandi ſeu apportari, & ad inſtar demoliendarum domorum conſtrui & ædificari faciendi, ipſaſque domos demoliendas, & illarum Eccleſias, remanente tamen in unaquaque una capella, quæ ad profanos uſus non convertatur, ac in qua Fratres domorum tunc conſtructarum hujuſmodi pro tempore exiſtentes, unam Miſſam ſingula hebdomada, in memoriam antiquarum domorum inibi exiſtentium, celebrare teneantur, ad profanos uſus reducendi, ac Prioribus & Fratribus demoliendarum domorum alias conſtructas domos hujuſmodi pro ipſorum, & aliorum Fratrum dictorum Ordinum reſpective uſu & habitatione perpetuo recipiendi & inhabitandi licentiam & facultatem auctoritate noſtra concedatis.

§. III. Nos enim, ſi licentiam & facultatem hujuſmodi &c. vigore præſentium concedi contingat, ut præfertur, eiſdem domibus de novo conſtruendis, ac Prioribus ſeu Guardianis & ſingulis Fratribus qui illas inhabitabunt pro tempore, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. ac aliis domibus dictorum Ordinum conceſſis & in poſterum concedendis &c. uti &c. valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, jure tamen &c. & ut domus conſtruendæ hujuſmodi facilius conſtruantur, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus ubicumque exiſtentibus, qui ad fabricam & conſtructionem domorum conſtruendarum hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, quadraginta annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, ac eiſdem Prioribus indulgentiam ipſam prædicandi præfata Apoſtolica auctoritate licentiam concedimus: præſentibus quoad indulgentiam hujuſmodi poſt fabricam & conſtructionem domorum minime duraturis. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDV. XVI. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno III.

XXII.

Jubet ut curam ſuſcipiant Monaſterii ſanctæ Claræ Narnien. Ex brev. orig.

Dilectis filiis Vicario Provinciali Provinciæ ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum, de Obſerv. nuncupat. & Guardiano domus S. Hieronymi extra muros Narnien. dicti Ordinis.

Cum dudum fel. rec. Alexander Papa VI. prædeceſſor noſter in Monaſterio Monialium tunc ſanctæ Crucis, nunc ſanctæ Claræ Narnien. Ordine ſancti Auguſtini, cujus tunc erat, ac invocatione ſanctæ Crucis hujuſmodi ſuppreſſis & extinctis, Ordinem ſanctæ Claræ ſecundæ inſtitutionis, ita quod ex tunc deinceps Monaſterium ejuſdem ſanctæ Claræ vocaretur, introduxiſſet, ac dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & majori parti Monialium dicti Monaſterii, quæ ad id conſenſerant, de Ordine ſancti Auguſtini ad Ordinem ſanctæ Claræ inſtitutionis prædictæ, aliis vero Monialibus ad alia Monaſteria paris vel arctioris Ordinis, ubi benevolas inveniſſent receptrices, cum earum bonis mobilibus ſe transferendi licentiam conceſſiſſet, certis executoribus deſuper deputatis, prout in noſtris inde confectis litteris, cum idem prædeceſſor antequam ejus litteræ deſuper conficerentur, rebus fuerit humanis exemptus, plenius continetur. Noſque æquum cenſentes & debitum, ut ea, quæ a Romano Pontifice proceſſerant, ſuum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandaſſemus, vobis nihilominus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna injungentes, quatenus vos vel alter veſtrum Monaſterium, Abbatiſſam & Moniales ad Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi ſic translatas, & quas transferri contigerit in futurum, ſub cura, gubernio & immediata protectione, ac obedientia veſtra juxta ritus & mores dicti Ordinis ad inſtar aliorum Monaſteriorum Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, in dicta Provincia conſiſtentium, ſuſciperetis reverenter, eiſque de Cappellano, Confeſſore, Euchariſtia, & aliis Eccleſiaſticis Sacramentis, rebuſque neceſſariis & conſuetis opportune miniſtrari & provideri curaretis: ac vos ad exhibitionem dicti Ordinis ſanctæ

ctæ Claræ in perſonis dictarum Monialium, dictorumque mandatorum executionem proceſſiſſetis; necnon prætextu, eo quod ſuper prætenſa ſubreptione dictarum litterarum Alexandri præfati per nonnullas ex dictis Monialibus in Ordine ſancti Auguſtini remanere volentes, & venerabilem fratrem Epiſcopum Narnien. ac dilectos filios Generalem & fratres dicti Ordinis ſancti Auguſtini, in Auditorio noſtri Palatii Apoſtolici cauſa commiſſa, deque nonnullis prætenſis attentatis objectum fuiſſet, executionem dictorum mandatorum noſtrorum continuare diſtuleratis: hinc eſt, quod, cum per tres ſententias conformes in dicto Palatio Apoſtolico latas, eaſdem litteras nullatenus fore ſubreptitias, in nulloque attentatum judicatum extiterit, ac ſuper illis prædictis Epiſcopo, Generali & Monialibus fuerit ſilentium impoſitum, prout in ſententiis & litteris executorialibus deſuper decretis continetur: motu proprio, ac ex certa noſtra ſcientia, vobis ſub ſimili latæ ſententiæ excommunicationis pœna, quatenus executionem dictorum mandatorum omnino continuetis, & quatenus aliquid pro eorum totali implemento ulterius agendum eſſet, ad omnimodam ulteriorem eorum executionem procedatis, committimus & mandamus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDVI. die XX. Junii, Pontificatus noſtri anno III.

ANNO CHRISTI 1507. JULII II. ANNO 4. & 5.

XXIII.

Ut concedant licentiam ædificandi Conventum in diſtrictu oppidi Alburquerque. Ex Reg. Vatic. lib. 111. fol. 265.

Venerabili fratri Epiſcopo Elboren. & dilectis filiis Archidiacono de Laura in Eccleſia Aurien. & Franciſco Cequudo Canonico Pacen.

SAcræ Religionis &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis Borraga laici Pacen. diœceſis, nobis nuper petitio continebat, quod ipſe de cœleſtibus potius quam terrenis cogitans, pro remedio ſuæ, & parentum ſuorum animarum ſalute, ſummopere affectat in diſtrictu oppidi de Alburquerque dictæ diœceſis, ex quo ipſe Joannes, ut aſſerit, oriundus exiſtit, unam domum ſub invocatione Matris Dei pro Fratribus Ordinis Minorum, ſecundum ſancti Evangelii regulam, & ſub obedientia Fratrum domus ſive Cuſtodiæ ſancti Evangelii dicti Ordinis, Pacen. & aliarum diœceſum viventium, ſuis propriis ſumptibus & expenſis conſtrui & ædificari. Quare pro parte dicti Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi unam domum in aliquo loco diſtrictus dicti oppidi, per eum eligendo, ſub invocatione Matris Dei, cum Eccleſia, campanili humili, campana, clauſtro, choro, refectorio, ac hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi & ædificandi, illamque Fratribus domus ſive Cuſtodiæ ſancti Evangelii, illorumque obedientiæ perpetuo applicandi licentiam concedere, aliaſque &c. dignaremur. Nos igitur &c. præfatum Joannem a quibuſvis excommunicationis hujuſmodi &c. D. V. &c. mandamus quatenus &c. eidem Joanni unam domum in aliquo loco, per eum in diſtrictu dicti oppidi eligendo, ſub invocatione Matris Dei cum Eccleſia &c. abſque alicujus præjudicio conſtruendi & ædificandi, ſeu &c. ac domum & Fratres hujuſmodi cuſtodiæ ſancti Evangelii, illorumque obedientiæ perpetuo ſubmittendi, necnon eiſdem Fratribus domum ipſam pro eorum perpetuis uſu & habitatione recipiendi & inhabitandi licentiam au-

Vide de hoc Conventu in anno præcedenti.

ctoritate noſtra concedatis. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi conceſſeritis, eidem domui ac Guardiano & Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, eiſdem domui ſive Cuſtodiæ ac aliis Fratribus, de Obſervantia nuncupatis, quomodolibet conceſſis & concedendis uti &c. valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, jure tamen &c. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. & quibuslibet aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDVII. Pridie Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXIV.

Ut facultatem largiatur ædificandi Monaſterium Conceptionis infra metas oppidi de Torrijos. Ibid. lib. 109. fol. 240.

Dilecto filio Archidiacono Eccleſiæ Toletanæ.

§. I. INter cetera Divinæ Majeſtati beneplacita opera &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Thereſiæ Henriquez, relictæ quondam Alphonſi de Cardenas, Militiæ ſancti Jacobi de Spada, dum viveret, Præceptoris majoris, mulieris Toletan. diœceſ. petitio continebat, quod alias ipſa cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, quamdam domum prope Eccleſiam, Eremitorium nuncupatum ſanctæ Catarinæ, infra metas Parochiæ parochialis Eccleſiæ oppidi de Torrijos, dictæ diœceſis, pro uſu & habitatione nonnullarum mulierum Bizocarum, ſeu Beatarum Conceptionis beatæ Mariæ Virginis inibi Divinis laudibus inſiſtentium ſub cura & adminiſtratione Archiepiſcopi Toletani, ac Fratrum Minorum, ædificari fecit, in qua quamplures mulieres honeſte & laudabiliter vivendo degunt de præſenti, cupiatque ipſa Thereſia in domo & Eccleſia ſanctæ Catarinæ hujuſmodi unum Monaſterium Ordinis Conceptionis ejuſdem beatæ Mariæ, pro perpetuis uſu & habitatione dictarum mulierum erigi, illudque, poſtquam ſic erectum fuerat, de bonis ſibi a Deo collatis dotare. Quare pro parte ejuſdem Thereſiæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in domo & Eccleſia ſanctæ Catarinæ hujuſmodi unum Monaſterium Monialium Ordinis Conceptionis ejuſdem beatæ Mariæ Virginis, cum Eccleſia, campanili humili &c. ad inſtar Monaſterii Monialium, ſub invocatione ejuſdem Conceptionis etiam Toletan. dicti Ordinis erigere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur &c. hujuſmodi &c. mandamus, quatenus ſi eſt ita, in domo & Eccleſia ſanctæ Catarinæ hujuſmodi unum Monaſterium Ordinis Conceptionis beatæ Mariæ Virginis cum Eccleſia &c. pro dictarum & aliarum Monialium ejuſdem Ordinis uſu & habitatione perpetuis ad inſtar dicti Monaſterii Conceptionis Toletan. poſtquam dicta Thereſia illud dotaverit, ſine alicujus præjudicio erigere & inſtituere: ac quod Monaſterium ipſum erectum, & illius Abbatiſſa pro tempore exiſtens & Moniales tam in profeſſionis emiſſione, quam habitu regulari, & modo vivendi Monialium Monaſterii Conceptionis hujuſmodi ſe conformare, ac viſitationi, correctioni, & aliis eiſdem Prælatis, quibus Abbatiſſa & Moniales dicti Monaſterii Toletan. ſubjiciuntur, ſubjiciantur, vel ſubjici debeant: Quodque dicta Thereſia, quoties ſibi placuerit, in dictum Monaſterium tunc erectum, cum una vel duabus Matronis honeſtis intrare, & cum eis refectionem ſumere, dor-

dormitare, ac certum ſcapularium album cum imagine Virginis Mariæ in eo depicta, propter devotionem ad eamdem Virginem, & Monaſterii inſtitutionem hujuſmodi, ſcapulariis ſuis tam Thereſiæ, quam aliæ Domicellæ, præſertim illarum, quæ propter dictam devotionem illud geſtare voluerint, ipſa Thereſia ſcapularium ipſum ſic deferendo, omnibus & ſingulis privilegiis &c. quibus ipſius erecti Monaſterii Moniales uti &c. poterunt, uti, potiri & gaudere in omnibus & per omnia, ac ſi ejuſdem Monaſterii tunc erecti Moniales forent, ſtatuere & ordinare cures; ipſaque Thereſia, & aliæ mulieres ſcapularium hujuſmodi modo præmiſſo deferentes, ac ſingulis diebus, quibus illud geſtaverint, ac pro felici ſtatu Romanæ Eccleſiæ, ac noſtro & Pontificis Romani pro tempore exiſtentis, orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam recitantes, indulgentiam viginti dierum conſequantur, ſtatuere & ordinare auctoritate noſtra cures. Nos enim ſi erectionem hujuſmodi per vos vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, Monaſterio tunc erecto hujuſmodi, Abbatiſſæ & Monialibus in eo pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis ac exemptionibus, aliis Monaſteriis & Monialibus dicti Ordinis in genere conceſſis &c. uti &c. valeant, jure &c. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno MDVII. XI. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXV.

Approbat quædam conſtituta circa regimen Monaſterii ſancti Claudii Fulginaten. Ibid. lib. 114. fol. 177.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Ea, quæ pro Monaſteriorum &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum modernæ Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Claudii Fulginat. Ordinis ſanctæ Claræ, exhibita nobis nuper petitio continebat, quod olim quondam Ægidius Delphini Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, tunc in humanis agens, habenſque ad hoc, ut aſſerebat, a Sede Apoſtolica ſpecialem per ejus litteras facultatem, tam illius vigore, quam ſui Generalatus officii auctoritate, ad dicti Monaſterii reformationem, qua non mediocriter indigere noſcebatur, proceſſit, ac nonnullas ex tunc ejuſdem Monaſterii Monialibus ad Monaſterium ſanctæ Catarinæ etiam Fulginat. dicti Ordinis tranſtulit, & in dicto Monaſterio S.Claudii quaſdam alias Moniales approbatæ & honeſtæ vitæ, ac ſecundum regularia inſtituta dicti Ordinis vivere ſolitas induxit: ac voluit, quod Abbatiſſa ipſius Monaſterii S. Claudii pro tempore exiſtens, ſingulis annis unum ducatum, quem Moniales ab eodem Monaſterio S.Claudii ad Monaſterium S.Catarinæ tranſlatæ hujuſmodi, Miniſtro Provinciæ S.Franciſci pro tempore exiſtenti ſolvere conſueverant, eidem Miniſtro ſolvere deberent; ipſaſque Abbatiſſam & Moniales Monaſterii S. Claudii, ſub cura, gubernatione & viſitatione Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Congregationis quondam fratris Amadei Hiſpani, ſeu illorum Cuſtodis, vel Miniſtri in partibus illis pro tempore exiſtentis, ſubjecit: & deinde fel. record. Alexander Papa VI. prædeceſſor noſter Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Claudii hujuſmodi in ea parte ſupplicationibus inclinatus, tranſlationem, & alia per dictum Ægidium, ut præmittitur, facta, per quaſdam primo approbavit & confirmavit, & per alias poſtea litteras,

teras, eiſdem Abbatiſſæ & Conventui, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. quibus Monaſterium ſanctæ Luciæ etiam Fulginaten. dicti Ordinis ſanctæ Claræ, de prima Regula nuncupatæ, utebantur, potiebantur & gaudebant, uti, potiri & gaudere poſſent, indulſit; ſucceſſive vero dilectus filius Calaſſus dictæ Provinciæ, juxta morem dicti Ordinis Fratrum Minorum tunc Miniſter, proprer earumdem Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Claudii exemplarem vitam, & odorem bonæ famæ, eas a præſtatione & & ſolutione dicti ducati, tunc Generali dicti Ordinis ad id præſente, idque ratum & gratum habente, perpetuo liberavit & abſolvit, prout in Ægidii & Calaſſi patentibus deſuper confectis, & dicti Alexandri prædeceſſoris litteris dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum Abbatiſſæ & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut translationi & inductioni & ſubjectioni, liberationi & abſolutioni hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur Abbatiſſam & ſingulares perſonas Conventus hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, translationem & inductionem &c. prædictas, & prout illas concernunt, omnia & ſingula in ſingulis dictorum Ægidii & Calaſſi prædictis litteris contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus. Supplemuſque omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in dictis translatione &c. intervenerint. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDVII. VIII. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno IV.

XXVI.

Concedit ei facultatem Conventum Fratrum Obſervantum ædificandi extra caſtrum de Balpuig. Ibid lib. 143. fol. 156.

Dilecto filio nobili viro Raymundo de Cardona Baroni Baroniæ de Belpuig. Vicen. diœceſis.

§. I. Eximiæ devotionis affectus &c. annuamus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, geris devotionis affectum, in quodam Eremitorio ſancti Bartholomæi, extra caſtrum de Belpuig, Vicen. diœceſis, tuo dominio temporali ſubjectum, in quo Eremitorio, ut ab aliquibus aſſeritur, una perpetua capellania inſtituta exiſtit, & quod per Confratres Confraternitatis ejuſdem Sancti de dicto caſtro regi & gubernari, & cui per unum presbyterum, ad nutum eorumdem Confratrum amovibilem, deſervire conſuevit, unam domum, cum Eccleſia, humili campanili, & officinis, pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis de bonis tibi a Deo collatis conſtrui & ædificari facere ſummopere deſideras, ſi tibi ad id Apoſtolicæ Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Capellaniam prædictam, ſi quæ ibi ſit, e dicto Eremitorio ad Parochialem Eccleſiam dicti caſtri transferre, ac tibi in ipſo Eremitorio domum, cum Eccleſia &c. pro perpetuis uſu & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis in eam introducendorum conſtrui & ædificari faciendi; ac in dictam domum, poſtquam conſtructa & ædificata fuerit, aliquos dicti Ordinis Fratres de eorum Superio-

tiorum conſenſu introducendi, ipſamque domum & Fratres in ea pro tempore degentes, Miniſtro Generali dicti Ordinis, ſeu Vicario illius Provinciæ pro tempore exiſtenti, prout tibi melius viſum fuerit, perpetuo ſubjiciendi, necnon eiſdem Fratribus domum prædictam recipiendi & perpetuo inhabitandi licentiam & facultatem concedere &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum &c. deſideramus affectibus, pium &c. commendantes, teque, qui, ut aſſeris, Inſulæ Siciliæ Vice-Rex exiſtis, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Capellaniam prædictam, ſi qua ibi ſit, a dicto Eremitorio ad Parochialem Eccleſiam dicti caſtri transferimus, ac tibi in eodem Eremitorio unam domum cum Eccleſia &c. pro perpetuis uſu & habitatione aliquorum Fratrum dicti Ordinis in eam introducendorum, ſine alicujus præjudicio conſtrui & ædificari faciendi, & poſtquam prædicta domus conſtructa & ædificata fuerit, in eam aliquos dicti Ordinis Fratres de eorum Superiorum conſenſu introducendi, ipſamque domum & Fratres in ea pro tempore degentes, Miniſtro Generali dicti Ordinis, ſeu Vicario illius Provinciæ pro tempore exiſtenti, prout tibi melius viſum fuerit, perpetuo ſubjiciendi, necnon eiſdem Fratribus domum prædictam recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam & facultatem concedimus: & inſuper dictæ domui & Fratribus in ea pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudent, auctoritate & tenore prædictis, ſalvo dictæ Eccleſiæ, & cujuſvis alterius Jure, indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. infringere. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum &c. MDVII. VI. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1508. Julii II. anno 5. & 6.

XXVII.

Declarat quam habeant Reformatores, Viſitatores & Vicarii Provinciales auctoritatem in regimine Clariſſarum. Ex Bullario Roder. num. 8.

Dilecto filio noſtro Franciſco Tituli ſanctæ Balbinæ Presbytero Cardinali.

§. I. Ex relatione circumſpectionis tuæ accepimus, quod cum in Regula ſanctæ Claræ a fel. record. Urbano IV. prædeceſſore noſtro ordinata & approbata contineatur, quod omnes Moniales ſive Sorores Regulam ejuſdem Sanctæ profitentes, ſub cura & regimine Cardinalis pro tempore exiſtentis Protectoris Ordinis Fratrum Minorum perpetuo manere debeant, & per illum nominandos Viſitatores regantur, gubernentur, corrigantur & reformentur, prout in eadem Regula plenius dicitur contineri: & Sororum Monaſteria poſt eamdem conſtitutionem Regulæ in tantum excreverint numerum, quod præteritis & modernis temporibus earumdem Sororum cura diverſis modis commiſſa & commendata fuit. Nam Protectores ipſi aliquorum Monaſteriorum ipſarum Monialium, ſecundum diverſas regiones aliquando Religioſis, aliquando Ordinariis, aliquando presbyteris ſecularibus & aliis diverſis perſonis curam commiſerunt: nonnullorum etiam Monaſteriorum Sorores a Sede Apoſtolica, ut ipſæ ipſi Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectæ exiſterent, vel aliquibus perſonis in curam committi, impetrarunt: nonnumquam etiam ipſa Apoſtolica Sedes curam hujuſmodi aliquorum prædictarum Monialium Monaſteriorum diverſis reſpectibus, diverſis

verſis perſonis commiſit. Inter quæ in Regnis Hiſpaniarum ab aliquibus prædeceſſoribus noſtris, & a nobis, Vicariis provincialibus Regularis Obſervantiæ ejuſdem Ordinis Minorum, per diverſas litteras Apoſtolicas, diverſis etiam Prælatis, & potiſſimum tibi, cui reformatio ſeu viſitatio, vel Viſitatorum ſeu Prælatorum proviſio pro tempore committebatur, directio, cura, regimen, viſitatio, correctio, ſeu reformatio aliquarum Sororum Monaſteriorum hujuſmodi fuerunt commiſſa, & a diverſis Summis Pontificibus, & ob diverſas cauſas, cura Monialium ſeu Sororum hujuſmodi receperunt, diverſos habent tenores, diverſumque committendi modum, & propterea ab aliquibus de poteſtate prædictis Vicariis provincialibus commiſſa hæſitetur: quamvis veriſimiliter præſumatur, quod licet prædicti Summi Pontifices in ſuis prædictis litteris, diverſis terminis, ſeu clauſulis utantur, ſemper tamen ea prædictis Vicariis provincialibus committere intellexerunt, quæ in prædictarum Sororum Regula per Urbanum prædeceſſorem prædictum Ordinis Minorum Protectori præfato fuerunt commiſſa; pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui tam Fratres, quam Sorores hujuſmodi propter laudabilem eorum vitam, & commendandum vivendi modum in viſceribus caritatis gerimus, ſupplicationibus tuis, cui maxima pars viſitationis, correctionis, reformationis, & Viſitatorum ſeu Prælatorum proviſionis Monialium hujuſmodi in dictis Regnis a nobis, & Prædeceſſoribus noſtris commiſſa fuit, ut præfertur, inclinati, ad tollendam hæſitationem prædictam, & ſcrupulum inde ortum, ſive oriri paratum, ut circa prædictas Sorores illa poteſtas ſeu facultas prædictis Vicariis provincialibus per præfatas litteras Apoſtolicas cenſeatur eſſe commiſſa, quæ per præfatum Urbanum prædeceſſorem, qui prædictam Regulam confirmavit & approbavit, in eadem Regula, Protectoribus ejuſdem Ordinis commiſſa fuit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, & quatenus ad tollendum prædictum ſcrupulum conſcientiarum, tam circumſpectionis tuæ, quæ ad prædicta per Sedem Apoſtolicam Commiſſarius deputata fuit, quam Vicariorum provincialium hujuſmodi, opus ſit, eamdem poteſtatem ſeu facultatem auctoritate Apoſtolica præfata, eiſdem Vicariis de novo committimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſcumque litteris Apoſtolicis prædictis Fratribus ſeu Sororibus, aut aliis quibuſcumque perſonis conceſſis, necnon omnibus illis, quæ Nos & Prædeceſſores noſtri in litteris prædictis reſpective voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die XIX. Aprilis MDVIII. Pontificatus noſtri anno VI.

XXVIII.

Ut concedant licentiam fundandi Monaſterium Clariſſarum in oppido Erenæ. Ex Reg. Vatic. lib. 143. fol. 45.

Dilectis filiis Decano Hiſpalenſi, & Cantori Pacen. ac Scholaſtico Malaginen. Eccleſiarum.

§. I. Univerſa Divinæ Majeſtatis accepta opera &c. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Eliſabethæ Delgada, mulieris oppidi de Erena, nullius diœceſis, quod alias quondam Rodericus Parrada, ejuſdem Eliſabethæ maritus, dum viveret, zelo devotionis accenſus, ac cupiens terrena in cœleſtia &c. commutare, ob ſingularem, quem

quem ad beatam Claram & illius Ordinem gerebat devotionis affectum, inter alia voluit & ordinavit, quod de bonis ſibi a Deo collatis, in domo habitationis ipſorum Roderici & Eliſabethæ in dicto oppido, apud viam, de la Corradera nuncupatam, conſiſtente, & communiter ad eoſdem Rodericum & Eliſabetham legitime pertinente, ſi id eidem Eliſabeth placeret, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis erigeretur: quod cum erectum nondum fuerit, ipſaque Eliſabetha, etiam pia devotione, quam ad beatam Claram & Ordinem hujuſmodi gerit, ducta, Monaſterium hujuſmodi erigi, & poſtquam erectum fuerit, de bonis prædictis competenter dotari juxta voluntatem dicti Roderici ſummopere deſiderat. Quare pro parte dictæ Eliſabethæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei in prædicta ſeu alia, in dicto oppido conſiſtente domo, ſeu loco ad id commodo & idoneo, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis cum Eccleſia ſub invocatione, de qua ſibi videbitur, campanili &c. pro una Abbatiſſa, quæ illi præſideat, & aliquibus Monialibus dicti Ordinis erigi mandare &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religionis propagationem &c. deſideramus affectibus, ipſius Eliſabethæ pium & laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, eamque a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum eidem Eliſabethæ in prædicta ſeu alia domo, in eodem oppido conſiſtente, ſeu loco alio ad id commodo & idoneo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis cum Eccleſia ſub invocatione, de qua ipſi Eliſabethæ videbitur, cum campanili &c. pro una Abbatiſſa, quæ illi præſideat, & aliquibus ejuſdem Ordinis Monialibus, ſine alicujus præjudicio erigere, ac omnia & ſingula bona per Rodericum pro ipſius Monaſterii dote relicta, & Eliſabetham prafatos, ac alios Chriſtifideles forſan donata, eidem Monaſterio in ejus dotem perpetuo applicare & appropriare: necnon quod dicta Eliſabetha, quoad vixerit, ſi habitum juxta aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis conſuetudinem ſuſceperit, & profeſſionem per illorum Moniales emitti ſolitam emiſerit regularem, ſeu alia perſona idonea ad id, per ipſam Eliſabetham nominanda, dicti Monaſterii Abbatiſſa hac prima vice exiſtat, & iſta vita functa, tunc Moniales ejuſdem Monaſterii, & deinde perpetuis futuris temporibus aliquam de parentela ejuſdem Eliſabethæ, ſi in eodem Monaſterio tunc inveniatur, alioquin magis idoneam ejuſdem Monaſterii Monialem, & ſi dum duæ vel plures dicti Monaſterii Moniales in eodem gradu dictæ parentelæ concurrant, unam ex illis, quæ potioribus meritis adjuvabitur, in eorum & ipſius Monaſterii Abbatiſſam, & nullum aliam, eligere poſſint & teneantur: ac quod dicta Eliſabetha, & alia quæcumque dicti Monaſterii Abbatiſſa pro tempore exiſtens, quatuor puellas pauperes, quas duxerit eligendas, ſine aliqua dote in Moniales dicti Monaſterii recipere poſſit: quodque Monaſterium ipſum, & illius Abbatiſſa ac Moniales pro tempore exiſtentes ſub cura & viſitatione Provincialis, ſeu Prælati Ordinis Minorum maneant: & quod Moniales, quas ipſe Superior ſeu Prælatus dicti Ordinis pro inſtructione Regulæ & Obſervantiæ regularis ad dictum Monaſterium pro tempore deputaverit, ſub excommunicationis ſententia per eas eo ipſo incurrenda, de aliis Monaſteriis dicti Ordinis exire, & ad dictum Monaſterium erigendum ad inibi Moniales pro tempore exiſtentes in Regula & Obſervantia ſupradictis inſtruendum ſe transferre debeant: & præterea quod ipſius erigendi Monaſterii Abbatiſſa pro tempore exiſtens, habeat facultatem diſtribuendi & diſpen-

ſpenſandi omnia & ſingula bona prædicta, ita tamen quod dictus Prælatus qualiter bona hujuſmodi diſtributa ſint vel diſtribuantur, videre & ponderare debeat, ſtatuere & ordinare auctoritate noſtra curetis. Nos enim ſi erectionem hujuſmodi per vos fieri contigerit, ut præfertur, Abbatiſſæ & Monialibus dicti erigendi Monaſterii pro tempore exiſtentibus, quod ipſæ & earum Monaſterium omnibus & ſingulis gratiis, favoribus &c. gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDVIII. VII. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno V.

XXIX.

Prohibet Fratribus Ordinum Minorum & Prædicatorum, ne cauſa ſtudii, contradicentibus Superioribus, commorentur in Academiis extra domos ſuæ Religionis. Ex Roder. Bullario num. 5.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. In ſupremæ dignitatis ſpecula, meritis licet inſufficientibus, conſtituti, inter curas multiplices, quibus rerum negotiorumque varietatibus obruimur, illa potiſſimum nos ſollicitat, per quæ ſuave regularis mendicitatis jugum, ſub quo dilecti filii Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum degunt, in dies magis proſpere de bono in melius dirigatur, ac ut regularis vitæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ norma, ſublatis quibuſvis obſtaculis, præfulgeat, id ſalubriter ſtatuimus & ordinamus, prout in Domino conſpicimus rationabiliter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum Magiſtri Ordinis ſive Prioris Generalis, ac Priorum & Vicariorum provincialium Ordinis Prædicatorum, necnon Miniſtrorum & Vicariorum tam Generalium, quam Provincialium Ordinis Fratrum Minorum, juxta morem dictorum Ordinum, nobis nuper exhibita petitio continebat: quod licet tam ſecundum canonicas ſanctiones, quam etiam dictorum Ordinum regularia inſtituta, Fratres eorumdem Ordinum, quacumque cauſa, etiam ſtudii, ſeu alia occaſione, vel recedere abſque licentia Superiorum ſuorum, vel poſt ejuſdem licentiæ revocationem extra domos dictorum Ordinum morari non poſſint: nihilominus nonnulli ex Fratribus dictorum Ordinum occaſione & prætextu ſtudii, ad ſtudiorum, præſeritim Salamantinam, Univerſitates, obedientiæ regularis laxatis habenis, abſque licentia Superiorum hujuſmodi, ſeu eadem licentia revocata, accedere, & inibi morari præſumunt, ac quod deterius eſt, privilegiis Univerſitatibus hujuſmodi illarumque ſcholaribus conceſſis, ut liberius in ſua damnata præſumptione permanere poſſint, ſe tueri nituntur, excommunicationes & alias ſententias, cenſuras & pœnas, juxta canonicas ſanctiones ac regularia inſtituta contra inobedientes hujuſmodi promulgatas, damnabiliter incurrendo. Quare pro parte Magiſtri ac Priorum, Miniſtrorum & Vicariorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, ne Fratres eorumdem Ordinum extra domos ejuſmodi in Salmanticenſi, vel quacumque ex dictis Univerſitatibus, abſque licentia Superiorum hujuſmodi, & illa durante etiam de licentia Sedis Apoſtolicæ, & prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, aliarumque litterarum Apoſtolicarum eiſdem Salamantinæ, & aliis Univerſitatibus pro tempore conceſſarum, commorari poſſint, ſtatuere & ordinare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos

§. II. Nos igitur attendentes, quam gratus Deo ſit & acceptus obedientiæ fructus, quodque inter alia Religionis merita, abnegatio propriarum voluntatum præcipuum eſt, ac quod Prælati ipſi optime ſcire præſumuntur, quod Fratres litterarum ſtudio, & quanto tempore, & quibus aliis Religionis occupationibus vacare debent; omniumque præſertim religioſarum perſonarum tranquillitatem, ac illis evagandi materiam præcludi, eorumque exceſſibus obviari ſupremis exoptantes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres prædicti extra dictas domos, quacumque cauſa, occaſione vel reſpectu, etiam ſtudii ſive in Salamantina, ſive in aliis Civitatibus & locis, quibus litterarum ſtudia vigeant, præter & abſque licentia Provincialium, Priorum, ac Miniſtrorum, vel eorum Vicariorum reſpective, & illa durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicæ prædictæ, etiam prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, & aliarum litterarum Apoſtolicarum Salamantinæ & aliis Univerſitatibus prædicris pro tempore conceſſorum, prædictis Prælatis invitis, commorari non poſſint: Quodque Superiores prædicti, dum & quoties opus fuerit, Fratres extra domos modo prædicto commorantes, ut ad eorum domos hujuſmodi redire debeant, compellere valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus. Præterea Rectoribus & ſcholaribus dictarum Univerſitatum, ne prætextu facultatum & indultorum, ac aliarum litterarum Apoſtolicarum eis conceſſarum, Superioribus ſeu Prælatis Ordinis hujuſmodi, quominus Fratres prædictos illis reſpective ſubjectos, aut ſub eorum obedientia profeſſos, extra dictas domos commorantes, ad domos hujuſmodi vocare & reducere, ac prout ſecundum Deum & eorum conſcientias expedire viderint, mutare & convocare poſſint, prohibere, nec eiſdem Fratribus ad habitandum ſeu commorandum in eiſdem Univerſitatibus contra voluntatem Superiorum hujuſmodi, auxilium, conſilium vel favorem directe vel indirecte, quovis quæſito colore præſtare præſumant, ſub excommunicationis pœna, ipſo facta incurrenda, eiſdem auctoritate & tenore diſtrictius inhibemus. Et nihilominus venerabilibus fratribus Salamantin. & Zamoren. Epiſcopis, ac dilecto filio Priori Monaſterii ſancti Vincentii per Priorem ſoliti gubernari, Salamantin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes litteras, & in illis contenta quæcumque, ubi, quando & quoties opus fuerit, ac pro parte Magiſtri, Priorum, Miniſtrorum, & Vicariorum prædictorum, vel eorum cujuslibet deſuper requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, ac eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos auctoritate Apoſtolica præfata pacifica poſſeſſione, vel quaſi, ſtatuti, ordinationis & inhibitionis, ac litterarum hujuſmodi gaudere, non permittentes eos per Fratres extra domos commorantes, ac Rectores & ſcholares prædictos, ſeu quoſcumque aliôs contra litterarum hujuſmodi tenorem quomodolibet moleſtari aut impediri. Contradictores per cenſuras &c. invocato etiam &c. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi ad illorum ſufficientem derogationem, & de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumqne.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die VIII. Auguſti MDVIII. Pontificatus noſtri anno V.

XXX.

Prohibet Fratribus ne extra domos ſui Ordinis morentur, aut de una Provincia ad aliam tranſeant, abſque Superiorum licentia. Ibid. num. 6.

Venerabilibus Fratribus Legionen. & Pacen. Epiſcopis, ac dilecto filio Priori per Priorem ſolici gubernari, Monaſterii ſancti Vincentii Salamantin.

§. I. Romanum decet Pontificem votis perſonarum religioſarum, præſertim ſub Regulari Obſervantia degentium, libenter annuere, & ea, quæ per ſuos prædeceſſores provide facta fuiſſe compererit, approbare & confirmare, aliaque deſuper ſtatuere & ordinare, prout id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

§. II. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis de Argomanes, Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ profeſſoris, Vicarii provincialis provinciæ ſancti Jacobi, ac aliorum Fratrum, Ordinis ejuſdem etiam profeſſorum dictæ Provinciæ, petitio continebat, quod poſtquam fel. record. Alexander Papa VI. prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas litteras: *In Apoſtolicæ dignitatis ſpecula* incipientes, ſub data, videlicet XIII. Kalend. Martii, Pontificatus ſui anno VI. editas, inter alia, quod nullis Fratribus dicti Ordinis Familiæ Ultramontanæ dictæ Regularis Obſervantiæ, etiam prætextu quarumcumque litterarum illis & quibuſvis perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus ab Apoſtolica Sede hactenus conceſſarum, & in poſterum concedendarum, extra domos & loca dicti Ordinis abſque Generalium ſeu Provincialium Vicariorum, & Vicarii Generalis Commiſſarii Ultramontanorum tunc & pro tempore exiſtentium licentia & conſenſu ſtare liceret, perpetuo ſtatuerat & ordinaverat, & deſuper opportune decreverat, & executores deputaverat, ac in contrarium facientes graves ſententias, cenſuras & pœnas protulerat.

§. III. Et deinde eidem Prædeceſſori expoſito, quod aliqui Fratres ejuſdem Obſervantiæ de una Provincia ſeu de una Cuſtodia ad aliam ſine licentia Vicarii Generalis vel Provincialis ſe transferebant, idem Prædeceſſor per alias in forma Brevis, anno Domini MDII. die vero II. menſis Septembris confectas litteras, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Toletan. & Epiſcopo Palentin. eorum propriis nominibus non expreſſis, directas, ſimililer mandavit, quod nulli Fratres de Obſervantia, de una Provincia ſeu Cuſtodia ad aliam Provinciam ſeu Cuſtodiam ſine licentia ſui proprii Prælati in ſcriptis exhibita tranſire, aut per earumdem Provinciarum diverſarum Prælatos recipi poſſent, aliaque ſtatuit & ordinavit, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur; dilecti filii Petrus Ponce, & Gaſpar de Alcala, ſive de Alcover, ac nonnulli alii Fratres Ordinis Obſervantiæ & Familiæ hujuſmodi, prætextu aliquarum licentiarum ſimilium, illis vel Monialibus, ſeu aliis perſonis antea ſeu poſtea ab eadem Sede conceſſarum, extra domos & loca Fratrum hujuſmodi in diverſis, præſertim Monialium prædictarum, & aliis locis ſtare, & de una Provincia ſeu Cuſtodia de Obſervantia ad aliam Provinciam ſeu Cuſtodiam de Obſervantia ſe transferre, & inibi abſque Vicarii Provincialis vel aliorum Superiorum licentia, juxta eaſdem litteras requiſita, habitare præſumant; & ſicut eadem petitio ſubjungebat, ex præmiſſis plura ſcandala oriuntur, & niſi deſuper provideretur, in dies majora exoriri formidantur: pro parte dicti Joannis de Argomanes Vicarii Provincialis & Fratrum prædictorum, nobis fuit hu-

mi.

militer ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulas litteras prædeceſſoris præfati Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmantes & approbantes, ac potiori pro cautela de novo concedentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios ad ſingularum litterarum Prædeceſſornm hujuſmodi executionem procedentes, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illæ vobis ſpecialiter & expreſſe directæ fuiſſent, & per diligentem indaginem per vos ſuper præmiſſorum omnium executionem habendam, Petrum & Gaſparem, ac ſi quos alios Fratres contra Prædeceſſoris ac præſentium litterarum tenores, in quocumque loco vel locis, etiam quarumcumque Monialium extra domos Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, vel de una Provincia ſeu Cuſtodia de Obſervantia in alia Provincia ſeu Cuſtodia de Obſervantia, prætextu quarumvis litterarum Apoſtolicarum prædictis Fratribus ſive Monialibus vel Provinciis, ſeu earumdem Provinciarum Vicariis Provincialibus ſeu Cuſtodibus conceſſarum, habitare, licentia ac conſenſu Superiorum ſuorum prædictorum hujuſmodi deſuper ultra tenores præſentium,& dicti prædeceſſoris litterarum per Nos minime obtentis, retentos, illos & quemlibet eorum Provinciæ propriæ, & ejus Vicario Provinciali pro tempore exiſtenti, juxta harum & prædicti prædeceſſoris litterarum tenorem reſtituatis auctoritate noſtra; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia in eiſdem litteris contenta remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſvis litteris Apoſtolicis, quas prædictus Prædeceſſor in ſuis prædictis diverſis litteris voluit non obſtare; necnon Monialibus & Fratribus prædictis, ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis & innovatis; etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia neceſſaria & opportuna expreſſio habenda foret: Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi in eis caveretur expreſſe, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis inibi expreſſis modo & forma derogari poſſet, illorum omnium tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, harum ſerie ex ſcientia ac auctoritate ſimilibus, earumdem tenore præſentium ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXI. Auguſti MDVIII. Pontificatus noſtri anno V.

XXXI.

Concedit Conventibus Fratrum Minorum bona omnia Monaſteriorum Sanctimonialium eis ſubjectarum, dum reformari, aut Superioribus obedire noluerint. Ibid. num. 3.

Dilecto filio Raynaldo Gratiano de Cotignola, totius Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro.

§. I. Nuper nobis exponi fecerunt dilecti filii Ciſmontanorum, & Ultramontanorum Fratrum Ordinis Minorum Procuratores in Romana Curia reſidentes, quod licet fel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſ-

ceſſor noſter, Pontificatus ſui anno 1. Generali Miniſtro totius Ordinis Fratrum Minorum tunc exiſtenti, plenam & liberam per litteras ſuas conceſſerit facultatem & poteſtatem omnia & ſingula Monaſteria Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, earumque perſonas tam in capite, quam in membris viſitandi, & eadem, quæ ſibi viderentur aperta Monaſteria ſub debita clauſura ponendi, necnon ipſorum Monaſteriorum Abbatiſſas ſecundum demerita earum deponendi, & alias de novo inſtituendi & deſtituendi, Monialeſque cum bonis & rebus ſuis de uno Monaſterio ad aliud transferendi, & bona unius Monaſterii ad aliud applicandi: & deinde per alias litteras, Pontificatus ſui anno ſeptimo, Generali Miniſtro ejuſdem Ordinis tunc exiſtenti facultatem plenariam conceſſerit, Moniales Ordinis ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſarum ſibi & Provincialibus Minorum rebelles, bonis temporalibus ad earum uſum deputatis privandi, & aliis Monaſteriis eorumdem Ordinum in obſervantia viventium, vel Eccleſiis Cathedralibus aut hoſpitalibus applicandi.

§. II. Ac poſtmodum etiam ſanctæ memoriæ Sixtus IV. prædeceſſor, & noſter ſecundum carnem patruus, conſiderans, quod aliquando contingere poſſet Monaſteria Monialium ſanctæ Claræ & Minoriſſarum, ac S. Damiani nuncupatarum Monialibus deſtitui, adeo ut de earum reformatione ſpes nulla ſupereſſet, convenienſque magis fore, quod illorum ſic deſtitutorum Monaſteriorum bona potius ad ipſos Fratres, quorum erant curæ commiſſa, quam ad alios devenirent: Monaſteria, quæ ſic deſtituta erant, & deſtitui contingeret in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis uſibus Fratrum domus dicti Ordinis Minorum eiſdem deſtitutis Monaſteriis propinquiori applicavit, ita quod Fratres ipſi poſſent de illis, & eorumdem Monaſteriorum ſtructuris & ædificiis pro eorum voluntate diſponere; proviſo tamen quod illorum Eccleſia & Oratoria ad profanos uſus non redigerentur, ſed in illis omnia quandoque celebrarentur officia, prout latius in ejuſdem Sixti prædeceſſoris deſuper confectis littteris plenius continetur.

§. III. Quia tamen, ſicut eadem petitio ſubjungebat, hujuſmodi applicatio propter nonnullos ſpirituales & temporales, ac Communitates allegantes Generalem Miniſtrum non poſſe bona prædicta Monialium rebellium, ac Monaſteriorum deſtitutorum & deſtituendorum uſibus Fratrum Conventuum Minorum, ſicut cathedralibus Eccleſiis & Hoſpitalibus applicare, impeditur voluntas, & mandatum ejuſdem Sixti prædeceſſoris prædicti executioni mandari non poteſt. Quare Procuratores præfati nobis humiliter ſupplicarunt, ut tam pro obſervatione litterarum Eugenii & Sixti prædeceſſorum noſtrorum prædictorum, quam indemnitati domorum Ordinis prædicti dignaremur ſibi ſuper his de opportuno providere remedio.

§. IV. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus annuentes, litteraſque Eugenii & Sixti prædeceſſorum prædictorum, quatenus opus ſit, confirmantes, tibi & pro tempore exiſtenti Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ut per te vel alium ſeu alios, Moniales & rebelles bonis ſuis & rebus ad earum uſum deputatis, in caſibus tamen dumtaxat in litteris prædicti Sixti IV. ſuper hoc editis, expreſſis, privare, illaque & illas, ac Monaſteriorum hujuſmodi deſtitutorum & deſtituendorum Ordinum ſanctæ Claræ, ſive ſancti Damiani aut Minoriſſarum bona uſibus Fratrum, ac domibus Ordinis Minorum, aut ſaltem Conventibus Fratrum, quorum curæ erant commiſſa, prout expedire videbitur, alias tamen juxta formam litterarum & diſpoſitionum Sixti prædictarum applicari (dummodo conſtet legitime fuiſſe proceſſum ad reducendum Monaſterium ad obedientiam & reformationem, Monialeſque noluiſſe parere & reformari) poſſis: quodque hujuſmodi bona ſic

ſic applicata cenſeantur perpetuis temporibus abſque ulla alia unione deſuper facta illis domibus & uſibus, quibus tu per teipſum vel alium, ſeu Generalis Miniſter pro tempore exiſtens, illa, ut præfertur, applicaveritis: ita quod Fratres, quibus fuerint applicata, ſecundum præfati Sixti conſtitutionem & intentionem, de illis bonis, & eorumdem Monaſteriorum ſtructuris & ædificiis pro eorum voluntate, ut præfertur, diſponere poſſint, & valeant, licentiam & facultatem concedimus per præſentes.

§. V. Et nihilominus dilecto filio noſtro Marco, ſanctæ Mariæ Transtiberim presbytero Cardinali Senogallien. & venerabili fratri Epiſcopo Ortarum per præſentes committimus, quatenus in præmiſſis tibi, ſeu a te deputandis, & pro tempore exiſtenti Generali Miniſtro dicti Ordinis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant tam dicti Eugenii litteras, quam Sixti diſpoſitionem, ut præfertur, & hujuſmodi litteras noſtras inviolabiliter obſervari; contradictores, renitentes ac rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: præmiſſis, ac omnibus & ſingulis illis, quæ dictus Eugenius & Sixtus in eorum litteris, etiamſi præſentibus exprimi, aut inſeri deberent, illarum tenores pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, voluerunt non obſtare; necnon conſtitutionibus &c. quibus omnibus &c. derogamus, ceteriſque contrariis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Septembris MDVIII. Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1509. Julii II. anno 6. & 7.

XXXII.

Concedit ut Fratres ad Monaſteria ædificanda vocati, ea poſſint ædificare.
Ex Reg. Ultram. Curiæ, fol. 4.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Ultramontanæ.

§. I. Exponi nobis nuper feciſti, quod, licet nos ad ſupplicationem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Regis Catholici, & claræ memoriæ Eliſabethæ Hiſpaniarum Reginæ, omnia & ſingula privilegia Ordini Minorum conceſſa confirmaverimus, aliaſque gratias, conceſſiones & indulta conceſſerimus, præſertim ut Fratres dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ non ſolum vocati a populo, ſed etiam a Principe, Duce, Marchione vel Comite, domus ſeu loca pro eorum uſu & habitatione recipere poſſent, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur: quia tamen in eiſdem litteris expreſſum fuit, quod Fratres prædicti Ordinis vocati a populo, per privilegia eis conceſſa, poſſint ædificare domos pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædicti Ordinis, non obſtante prohibitione fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & in eiſdem privilegiis non eadem verba ſint appoſita; ſed illa: *prohibetur univerſis Prælatis & aliis per prædicti Ordinis privilegia, ne prohibeant, quod Fratres vocati a populis ad Civitates vel villas, ut ibi pro ſuis uſibus ædificia, Eccleſias ſeu Oratoria conſtruant, accedere audeant, nec in accedentes Fratres ſeu conſtruentes vel receptores ipſorum ſententias excommunicationis ferre præſumant.* Eapropter ab aliquibus de viribus conceſſionis hujuſmodi hæſitetur: pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ne litteræ ipſæ propterea inutiles reddantur, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos

§. II. Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod litteræ prædictæ valeant, prædictiſque Fratribus ſuffragentur, conſtitutione Bonifacii prædicti non obſtante, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in eis non verba, videlicet, quod Fratres prædicti Ordinis vocati a populo poſſint ædificare domos pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædicti Ordinis, non obſtante conſtitutione Bonifacii prædicti: ſed verba, quod *prohibetur univerſis Prælatis & aliis, per privilegia prædicti Ordinis, ne prohibeant, quod Fratres evocati a populo ad Civitates vel villas, accedere audeant, & ibi pro ſuis uſibus poſſint conſtruere ædificia, Eccleſias ſeu oratoria, neque in accedentes Fratres ſeu conſtruentes vel receptatores eorum ſententias excommunicationis ferre præſumant* expoſita fuiſſent, eadem auctoritate concedimus & indulgemus: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in prædictis litteris volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die v. menſis Januarii MDIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXXIII.

Ut tempore interdicti ſolemni ritu poſſint celebrari exequiæ Fratrum defunctorum. Ibidem pag. 1.

Dilectis filiis Miniſtro & Vicariis Generalibus Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod, cum aliquis Frater Ordinis Minorum defunctus eſt, omnes alii Fratres ſecundum morem dicti Ordinis ad faciendum pro hujuſmodi defuncto exequiarum officium in Eccleſia congregantur, & tam ordinate cæremonioſeque ac devote in prædicto exequiarum officio procedunt, quod ultra Dei ſervitium, & fraterni debiti exhibitionem, populus maximam recipit ædificationem ſeu exemplum: quodque quatenus liceat vobis & aliis Fratribus dicti Ordinis tempore interdicti, etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, corpora Fratrum ipſius Ordinis pro tempore decedentium, in Eccleſiis domorum veſtrarum Eccleſiaſticæ tradere poſſe ſepulturæ; dubitatis tamen has cæremonias in ſepeliendis corporibus prædictorum Fratrum decedentium tempore dicti interdicti obſervare non poſſe: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos, qui dictum Ordinem ſingulari devotione proſequimur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis quod tempore interdicti ordinaria auctoritate appoſiti, corpora dictorum Fratrum decedentium, cum cæremoniis prædictis, ac Miſſæ & aliorum Divinorum officiorum in ſimilibus celebrari ſolitorum, celebratione, in Eccleſiis veſtris libere & licite abſque aliquo cenſuræ incurſu celebrare poſſitis in omnibus & per omnia, perinde ac ſi interdictum hujuſmodi appoſitum non eſſet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Februarii MDIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV.

Confirmat privilegium alias Minoribus conceſſum de ſpatio trecentarum cannarum inter ſua, & aliorum Regularium ædificia. Ibid. fol. 5.

Dilecto filio Vicario Generali Ultramontano Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ.

§. I. Exponi nobis nuper feciſti, quod inter alia privilegia a ſummis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris Ordini Fratrum Minorum conceſſa, ac per fel. rec. Sixtum IV. etiam prædeceſſorem noſtrum, ac per Nos reſpective confirmata, ac de novo conceſſa, a fel. recordat. Clemente Papa IV. prædicto Ordini, ejus pauperrimo ſtatu conſiderato, ut idem Ordo in eadem arctiſſima paupertate, ac profeſſionis ſuæ puritate & integritate ad Dei ſervitium, & ejus Eccleſiæ fructum tranquille conſervetur, conceſſum fuit, ut prope domos Fratrum prædicti Ordinis ceteri utriuſque, & maxime fœminei ſexus religioſi, in eodem privilegio contenti, infra ſpatium trecentarum cannarum, domos ſeu Monaſteria ædificare minime poſſent, ſub certis cenſuris & pœnis in eodem privilegio contentis; quod quidem privilegium Fratribus Ordinis Prædicatorum etiam conceſſum fuit. Deinde vero ab aliquibus ſummis Pontificibus præſertim a prædicto Sixto IV. mandatum fuit, ut omnia privilegia omnibus aliis Mendicantium Ordinibus, prædicto maxime Prædicatorum Ordini conceſſa, Ordini Fratrum Minorum fuiſſent communia, & hujuſmodi Minorum Ordinis Fratres illis uterentur, potirentur & gauderent, ac ſi eis ſpecialiter & expreſſe conceſſa fuiſſent.

§. II. Præterea Clemens IV. prædeceſſor prænominatus, ob nonnullas cauſas animum ſuum moventes, privilegium prædictum, quod dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus conceſſerat, ad ſpatium centum quadraginta cannarum reduxit, prout in omnium ſummorum Pontificum præfatorum litteris deſuper confectis, plenius continetur. Sed quia a nonnullis hæſitatur, an, ex eoquod prædictorum Fratrum Prædictorum privilegia prædictis Fratribus Minoribus conceſſa ſunt, privilegium præfatum trecentarum cannarum prædictarum eiſdem Fratribus Minoribus ſpecialiter conceſſum, ad prædictas centum quadraginta cannas, ſine alia ſpeciali coarctatione ſive reductione eſſet coarctarum vel reductum. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur Religionis Sacræ Fratrum Minorum prædictorum honeſtatem, paupertatem ac puritatem conſiderantes, merito inducimur, ut eam ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, prædictam coarctationem ſeu reductionem contra prædictum Fratrum Prædicatorum privilegium factam, prædictis Fratribus Minoribus nocere non debere, nec præfatam privilegiorum communicationem in damnum ſed in favorem dictorum Fratrum Minorum eſſe conceſſam, & ideo confirmationem, & novam conceſſionem per prædictum Sixtum IV. & per Nos reſpective factam, in ſuo robore permanere debere, auctoritate Apoſtolica declaramus, ac potiori pro cautela idem privilegium & inde ſequuta quæcumque prædictis Fratribus Minoribus confirmamus & approbamus, & quatenus opus ſit, prædictarum trecentarum cannarum privilegium tenore præſentium, auctoritate præfata eiſdem Fratribus Minoribus de novo concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque & indultis, ac quibuſcumque lit-

Digitized by Google

litteris Apoſtolicis in contrarium conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxi. Maii mdix. Pontificatus noſtri anno vi.

XXXV.

Ut illi liceat Conventum Obſervantum in oppido Griſtow conſtruere. Ex Reg. Vatic. lib. 161. fol. 10.

§. I. SInceræ devotionis affectus &c. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu zelo devotionis acceuſus, cupiens terrena in cœleſtia &c. commutare, in quodam ſacello ſeu oratorio, in quo ſanguis, qui ex quadam hoſtia conſecrata miraculoſe, ut pie creditur, exivit, conſervatur, in oppido Griſtow, Caminien. diœceſis, cujus in temporalibus Dominus exiſtis, exiſtente, ſeu apud dictum ſacellum unam domum cum Eccleſia, campanili &c. pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, de bonis tibi a Deo collatis conſtrui & ædificari facere ſummopere deſideras, ſi ad hoc tibi Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur: pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi in dicto oppido in ſacello prædicto, ſeu apud illud unam domum dictorum Ordinis & Obſervantiæ conſtrui & ædificari faciendi licentiam concedere &c.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum &c. deſideramus affectibus, deſiderium tuum plurimum in Domino commendantes, Teque, qui & Salains Juſtonons Princeps, & Zwernien. Comes exiſtis, a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi in prædicto oppido, in dicto ſacello ſeu oratorio aut apud illud unam domum cum Eccleſia, campanili &c. pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſine tamen Rectoris ſeu Plebani, infra cujus primo dicti limites dictum ſacellum ſeu oratorium exiſtit, aut alicujus alterius præjudicio, conſtrui & ædificari faciendi, ac inibi Fratres eorumdem Ordinis & Obſervantiæ introducendi; ipſamque domum ac Fratres in ea pro tempore degentes Miniſtro Generali dicti Ordinis ſeu Vicario Provinciali Provinciæ illarum partium, de quo tibi videbitur, ſubjiciendi; necnon eiſdem Miniſtro Generali & Provinciali, ac aliis dictorum Ordinis & Obſervantiæ profeſſoribus, quos ſuper hoc requiſiveris, domum ipſam pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum recipiendi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur, & domui prædictæ, necnon illius Guardiano & Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate concedimus per præſentes: jure &c. ſalvo. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ mdix. xvi. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno vi.

XXXVI.

XXXVI.

Varia præſcribuntur circa inſtitutionem Syndicorum, aut Procuratorum. Ex Bullario Roder. num. 4.

Dilecto filio Raynaldo Gratiano de Cotignola totius Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod cum in privilegiis fel. rec. Martini IV. Eugenii IV. & Sixti IV. ac forſan aliorum Romanorum Pontificum, Ordini Minorum, ac domibus & Fratribus ejuſdem Ordinis conceſſum exiſtat, quod omnium quorumcumque bonorum immobilium relictorum, donatorum ſeu legatorum per Chriſtifideles eiſdem, ſeu Monialibus ſanctæ Claræ, dominium ſit in diſpoſitione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, fructus vero, reditus & proventus dictorum bonorum ſint pro ſubveniendis neceſſitatibus Fratrum & Monialium hujuſmodi reſpective, in uſus & utilitatem ipſorum, ſeu domorum reparationem, vel alias ad voluntatem Prælatorum convertendi per probos viros laicos, œconomos, Syndicos aut Procuratores, quod nomine dictæ Eccleſiæ debeant adminiſtrare dicta bona, & quod dictas neceſſitates juxta voluntatem & diſpoſitionem dictorum Prælatorum, fructus, reditus & proventus ex illis provenientes diſpenſare ſeu expendere, & rationem reddere, & alia facere, prout in dictis privilegiis plenius continetur; & ad te tamquam caput totius Religionis, ſpectet providere his, quæ male geruntur, & quantum poſſibile ſit, ad debitum tramitem reducere; intellexeriſque ex fide dignorum relatibus, quod in nonnullis Provinciis œconomi, Syndici ſeu Procuratores hujuſmodi ex negligentia, ut creditur, Prælatorum Religionis, non ut œconomi & Procuratores, ſed ut domini dictorum bonorum exiſtimantur,& quod dicta bona tamquam propria poſſident, & illa ad libitum ſuum expendunt & diſpenſant in ſuos uſus, aut prout ipſi volunt, in uſus Fratrum & Monialium abſque redditione rationis, in maximum detrimentum Religionis ac Fratrum prædictorum & Monialium jacturam: verum ſi ſecundum omnia & ſingula in dictis privilegiis & conſtitutionibus generalibus dicti tui Ordinis circa præmiſſa contenta obſervarentur, videlicet quod œconomi, Syndici ſeu Procuratores hujuſmodi debeant adminiſtrare dicta bona nomine dictæ Romanæ Eccleſiæ, & fructus, reditus & proventus ex illis provenientes convertere in uſus & neceſſitates Fratrum ſeu Monialium hujuſmodi reſpective, & de geſtis & adminiſtratis per eos ſingulis annis rationem reddere: & quod Generalis in univerſo Ordine, & Provinciales in Provinciis, & Cuſtodes in cuſtodiis poſſint inſtituere aut deputare dictos œconomos, Syndicos ſeu Procuratores, qui nomine dictæ Romanæ Eccleſiæ ac Religionis, bona hujuſmodi adminiſtrare debeant, non tamen ultra ſpatium triennii, ipſoſque, ſi eis videbitur non eſſe utiles Religioni, etiam ante triennium amovere & deſtituere, & alios loco ipſorum ſubſtituere & ſubrogare, conceſſa facultate præfatis Miniſtris deſtituere & amovere, inſtitutos vero per Miniſtros Provinciales, Miniſtri Generales Ordinis, prout eis reſpective videbitur expedire, deſtituere & amovere poſſint, & non e contra: quodque œconomi, Syndici ſeu Procuratores Monialium inſtituantur dumtaxat per Miniſtros Generales, & Provinciales Provinciarum, quibus dictæ Moniales ſubjiciuntur, de voluntate tamen Abbatiſſarum & Conventuum Monaſteriorum illorum, quibus Miniſtris & Abbatiſſis œconomi, Syndici & Procuratores rationem ſuæ villicationis annuatim, ut præfertur, reddere compellantur,

inhibita & penitus interdicta œconomis, Syndicis & Procuratoribus hujuſmodi alienatione & diſpenſatione dictorum bonorum & fructuum, redituum & proventuum ex illis provenientium, aliter quam de voluntate & ordinatione dictorum Prælatorum & Abbatiſſarum reſpective, ſervato tenore dictorum privilegiorum & conſtitutionum dicti Ordinis, profecto indemnitati domorum & Monaſteriorum, & perſonarum Ordinis prædictorum valde conſuleretur. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut ſuper præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Ordines prædictos in viſceribus caritatis gerimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut œconomi, Syndici & Procuratores prædicti bona hujuſmodi nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ut præfertur, adminiſtrare debeant, & fructus, reditus & proventus ex illis provenientes convertere in uſus & neceſſitates Fratrum ſeu Monialium hujuſmodi reſpective, & de geſtis & adminiſtratis per eos ſingulis annis rationem reddere, & quod Generalis in univerſo orbe, & provinciales Miniſtri in Provinciis, & Cuſtodes in Cuſtodiis poſſint inſtituere ac deputare dictos œconomos, Syndicos ſeu Procuratores, & etiam ante triennium amovere & deſtituere; ita tamen quod inſtituti per Superiores in ejus abſentia tantum, & exiſtente difficultate ad ipſum recurrendi, poſſint ſubſiſtente cauſa neceſſaria, pro utilitate & commodo Conventus & Monaſterii Fratrum & Monialium per inferiorem deſtitui, dummodo fiat legitime, & ſecundum conſtitutiones Ordinis per capitulum Fratrum & Notarium, alias ut præfertur, indulgemus atque concedimus: decernentes nihilominus irritum & inane quidquid ſecus a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus omnibus & ſingulis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, Canoniciſque etiam Cathedralium & Metropolitanarum Eccleſiarum, qui ſuper hoc fuerint requiſiti, per hæc ſcripta mandamus, ut in præmiſſis tibi & ſucceſſoribus tuis, & aliis ad quos ſpectat, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant Moniales, & loca prædicta contra formam harum litterarum noſtrarum quomodolibet impediri vel moleſtari: contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores noſtri in dictis privilegiis per eos conceſſis, ut præfertur, voluerunt non obſtare, necnon Ordinum prædictorum & locorum privilegiis, indultis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, ſeu quavis firmitate alia roboratis: quibus omnibus, quoad hæc, illis alias in ſuo robore permanſuris, expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile foret, præſentes noſtras litteras ad quæque loca deferre, volumus, quod præſentium litterarum noſtrarum tranſumptis, manu Notarii Apoſtolici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati Eccleſiaſtici munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, perinde acſi litteræ ipſæ originales ubique exhibitæ vel oſtenſæ forent.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris, die 1. Octobris MDIX. Pontificatus noſtri anno VI.

XXXVII.

XXXVII.

Quod concedat licentiam fabricandi Monaſterium Clariſſarum prope oppidum Onnatæ. Ex Reg. Vatic. lib. 188. fol. 103.

Venerabili fratri Epiſcopo Malacitano.

§. I. SInceræ devotionis affectus, quem dilectus filius Joannes Lopez de la Carraga, laicus Calaguritan. diœceſis, & dilecta in Chriſto filia Joanna de Gamboa, ejus uxor, ad Nos &c. annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dictorum Joannis & Joannæ petitio continebat, quod ipſi de propria ſalute cogitantes, ac cupientes terrena in cœleſtia &c. commutare, cupiunt ad Dei cultum, & religionis propagationem, ac Divini cultus augmentum, unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, prope oppidum Onnate, Calaguritan. diœceſis, in ejuſdem Joannis proprio fundo ſeu poſſeſſione, loco *Vidauretta* nuncupato, de bonis eis a Deo collatis, conſtrui & ædificari facere, ſi eis ad id Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte Joannis, qui ut aſſeritur, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Aragonum & Siciliæ Regis, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ Joannæ Caſtellæ & Legionis Reginæ Illuſtrium, Secretarius & Conſiliarius exiſtit, & Joannæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prope dictum oppidum in fundo ſeu poſſeſſione prædicta unum Monaſterium dicti Ordinis erigere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum &c. exoptamus affectibus, pium votum ipſorum Joannis & Joannæ plurimum in Domino commendantes, ipſoſque Joannem & Joannam, a quibuſvis excommunicationis &c. fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prope dictum oppidum, & in fundo ſeu poſſeſſione prædicta, in loco ad hoc convenienti & idoneo unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ſub invocatione de qua eiſdem Joanni & Joannæ videbitur, cum Eccleſia, campanili &c. pro una Abbatiſſa & Monialibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quæ inibi ſub regulari Obſervantia, & perpetua clauſura, ac ſub cura & obedientia Vicarii provincialis Provinciæ Caſtellæ Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ ſecundum morem dicti Ordinis, vivant, poſtquam Joannes & Joanna prædicti illius ſtructuras & ædificia conſtrui & ædificari fecerint, ſine alterius præjudicio, auctoritate noſtra erigas. Nos enim eidem Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, ut præfertur, illiuſque Abbatiſſæ & Monialibus, quæ illud pro tempore inhabitabunt, quod omnibus & ſingulis gratiis &c. gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere, jure &c. ſalvo: quodque ipſæ Abbatiſſa & Moniales in dicto Monaſterio pro tempore degentes, earumque ſervitrices, omnibus diebus, quibus eſus carnium aliis Chriſtifidelibus, de jure & conſuetudine prohibitus non exiſtit, præterquam tempore Adventus Domini, eiſdem carnibus, dummodo inſtitutiones regulares dicti Ordinis non obſtent, uti & veſci, ipſæque Moniales & earum ſervitrices in dicto Monaſterio pro tempore decedentes, ſi alias confeſſæ & contritæ fuerint, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem conſequantur: ac quod obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, & clauſuræ votis, ac cauſa canonicæ electionis Abbatiſſæ ejuſdem Monaſterii dumtaxat exceptis, quorum tranſgreſſio ad peccatum mortale eas obliget, in ceteris in regula vel conſtitutionibus dicti Ordinis contentis,

tentis, tranſgreſſio eas non obliget ad peccatum mortale, ſed dumtaxat ad temporalem pœnam, prout per Regulam vel conſtitutiones ipſius Ordinis ſanctæ Claræ imponitur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus: ac alicui Prælato ſeu aliquibus Prælatis per ipſum Joannem eligendis, una cum dicto Vicario provinciali, de conſenſu ſeu conſilio dicti Joannis, aliqua ſtatuta rationabilia & honeſta, ſacris canonibus non contraria, pro directione & conſervatione ſalubri dicti Monaſterii, & illius Abbatiſſæ & Monialium faciendi & edendi, ac etiam durante vita ipſius Joannis, de eodem conſilio mutandi toties quoties, & alia condendi, quæ ſic edita, dicta auctoritate Apoſtolica confirmari cenſeantur, auctoritate & tenore prædictis licentiam & facultatem concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſanctæ Claræ, juramento &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDIX. XIX. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno VII.

Anno Christi 1510. Julii II. anno 7. & 8.

XXXVIII.

Ut concedant facultatem ædificandi Monaſterium Clariſſarum in oppido Carmonæ. Ibid. lib. 191. fol. 64.

Dilectis filiis Archidiacono de Ecija, & Joanni de Medina Canonico Hiſpalen.

§. I. Injunctum nobis &c. expedire. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ Luciæ Sancii de Baeſa, mulieris oppidi de Carmona, Hiſpalen. diœceſis, petitio continebat, quod ipſa ob ſingularem devotionem, quam ad beatas Claram & Eliſabetham gerit, cupit unum Monaſterium Monialium Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, de Obſervantia nuncupatum, ſub invocatione dictæ ſanctæ Eliſabethæ & Angelorum, in dicto oppido ſeu illius ſuburbiis, in loco ad id convenienti, per prædictam Luciam eligendo, pro uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & Monialium Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, cum Eccleſia, Campanili &c. officinis perpetuo erigatur & inſtituatur: & quod ſi dicta erectio & inſtitutio fierent, ipſa Lucia de bonis ſibi a Deo collatis, Monaſterii & Eccleſiæ hujuſmodi ædificia ſuis ſumptibus conſtrui & ædificari faciet. Quare pro parte dictæ Luciæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unum Monaſterium Monialium Ordinis & Obſervantiæ prædictorum pro uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & Monialium, quæ ſub cura & regimine provincialis Miniſtri Provinciæ Andaluſiæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem dicti Ordinis Minorum, pro tempore exiſtentis degere debeant, cum Eccleſia, campanili &c. in loco, & ſub invocatione prædictis perpetuo erigi & inſtituti mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur pium & laudabile deſiderium dictæ Luciæ plurimum in Domino commendantes, ipſamque Luciam a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ &c. mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, & Obſervantiæ hujuſmodi pro uſu & habitatione unius Abbatiſſæ & Monialium, quæ ſub cura & regimine dicti Miniſtri degere debeant, cum Eccleſia, campanili &c. in dicto oppido, ſeu illius ſuburbiis, aut

aut alio loco ad id convenienti per dictam Luciam eligendo, ſub dicta invocatione, ſine alicujus præjudicio perpetuo erigere & inſtituere, illudque ac Abbatiſſam & Moniales in eo pro tempore degentes ſuperioritati, curæ & regimini dilecti filii moderni, & pro tempore exiſtentis Provinciæ & Ordinis Minorum hujuſmodi Miniſtri immediate ſubjicere: ipſique Miniſtro, ut Monaſterium erigendum, ac Abbatiſſam & Moniales in eo pro tempore degentes hujuſmodi, ſub ſuis ſuperioritate, cura & regimine ſuſcipiat, in virtute ſanctæ obedientiæ, & excommunicationis pœna præcipere & mandare: necnon pro introductione inibi regularis Obſervantiæ quatuor aut quinque eorumdem Ordinis ſanctæ Claræ & Obſervantiæ Moniales per dictam Luciam eligendas, quæ ad id pronæ inveniantur, ex aliquo ex circumvicinis Monaſteriis, de earum Superiorum licentia, in dictum erigendum Monaſterium, poſtquam erectum & habitabile fuerit, transferre auctoritate noſtra curetis. Nos enim, ſi erectionem & inſtitutionem prædictas per vos fieri vigore præſentium contigerit, ut præfertur, eidem erigendo Monaſterio, illiuſque Abbatiſſæ & Monialibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere libere & licite poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDX. III. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno VII.

XXXIX.

Prohibet ne Obſervantes tranſeant ad Ordinem Minimorum. Ex Regeſt. Ultramontan. Curiæ fol. 5.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum Ciſmontanæ & Ultramontanæ Familiæ.

§. I. Exponi nobis feciſtis, quod Fratres, Minimi nuncupati, ex veſtris Fratribus ad illos & eorum Ordinem tranſire volentes recipere, & illos retinere non ceſſant, in veſtri Ordinis jacturam & ſcandalum, ſuper quo a nobis opportune provideri humiliter ſupplicaſtis.

§. II. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, & conſervationi & augmento Ordinis veſtri, quem in viſceribus gerimus caritatis, opportune conſulere volentes, præſentium tenore, Apoſtolica auctoritate, univerſis Fratribus Ordinis Minimorum, quoquo nomine nuncupatis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ſtricte præcipientes inhibemus, ne de cetero aliquem ex Fratribus veſtri Ordinis Minorum de Obſervantia modo aliquo vel cauſa recipere vel retinere præſumant ſine expreſſa & ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, a volente tranſire ſpecialiter obtenta; eiſdem Minimis ſub ſimili pœna mandantes, ut omnes & ſingulos ſine tali licentia hactenus per ipſos receptos, quamprimum fuerint a vobis vel ex parte Vicarii veſtri Ordinis Provinciæ, in qua exiſtunt, requiſiti, libere relaxare, & ad vos remittere debeant. Non obſtantibus privilegiis, indultis & litteris Apoſtolicis, ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis per Nos vel Sedem Apoſtolicam quomodolibet, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, & ex poteſtatis plenitudine illis in genere vel in ſpecie conceſſis, quorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum omnium & ſingulorum effectum ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes ad ſingula quæquæ loca, ad quæ ex-

expediens fuerit transferri, volumus,& dicta auctoritate mandamus,ut ipſorum tranſumptis unius Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ, in contrarium facientibus non obſtantibus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die IX. Junii XDX. Pontificatus noſtri anno VII.

XL.

Concedit facultatem ædificandi Conventum Obſervantum in loco de la Motta, Ex Reg. Vatic. lib. 190. fol. 179.

Dilectis filiis Syndico & Univerſitati oppidi de la Motta, Ceneten. diœceſis.

§. I. Sinceræ devotionis affectus &c. annuamus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos fervore devotionis accenſi, cupientes terrena in cœleſtia &c. commutare, unam Eccleſiam, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Miraculis, in loco de la Motta, Ceneten. diœceſis, ex eleemoſynis Chriſtifidelium, quæ ibidem ob quamplura miracula, quæ inibi apud quamdam imaginem ejuſdem Genitricis Mariæ operatur Altiſſimus, pie offeruntur, ædificare inchoaſtis, ac etiam perficere, & apud illam ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, & illius profeſſores, ob eorum exemplarem vitam, prædicationem verbi Dei, aſſiduam & devotam Divinorum celebrationem, & audientiam confeſſionum, ac exhortationes ad bene beateque vivendum, quibus perſonæ ipſæ animas Deo lucrifacere non ceſſant, geritis devotionis affectum, deſideratis de dictis, ac inibi pro tempore erogandis eleemoſynis, ac bonis vobis a Deo collatis, unam domum, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum, cum dicta Eccleſia, campanili, & officinis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, ſi ad id vobis Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in dicto loco unam domum, ſub dicta invocatione, cum dicta Eccleſia inchoata, campanili &c. pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis de Obſervantia prædictorvm conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi de dictis eleemoſynis, ac aliis bonis veſtris, necnon eiſdem Fratribus domum ipſam recipiendi licentiam &c. dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis ampliationem, & Divini cultus augmentum, & animarum ſalutem ſummis deſideramus affectibus, pium & laudabile propoſitum veſtrum in hac parte plurimum in Domino commendantes, vos & ſingulas perſonas Univerſitatis veſtræ a quibuſvis excommunicationis &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in dicto loco unam domum, ſub dicta invocatione ſanctæ Mariæ de Miraculis, cum dicta Eccleſia inchoata, campanili &c. pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Ordinis de Obſervantia prædictorum conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi de dictis eleemoſynis, & aliis bonis veſtris, ac eiſdem Fratribus domum ipſam recipiendi, & perpetuo inhabitandi plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam elargimur. Et nihilominus domui prædictæ, & illius pro tempore Guardiano & Fratribus in ea pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudere libere & licite poſſint, eadem auctoritate indulgemus: jure &c. ſalvo: ac

ac viros ingenuos ad colligendum dictas eleemoſynas ibidem pro tempore oblatas, quæ in fabricam domus & Eccleſiæ hujuſmodi, & illarum conſervationem & manutentionem converti debeant, perpetuo deputare, libere & licite valeatis, licentiam & facultatem auctoritate & tenore præmiſſis concedimus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno &c. MDX. XVII. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno VII.

XLI.

Concedit Fratribus Obſervantibus communicationem omnium privilegiorum Ordinibus Mendicantibus conceſſorum, & exemptionem a quarta funerali. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibere ſtudetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut vos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos volentes quieti & commoditati veſtræ pro benemeritis veſtris paterna caritate conſulere, vobis, ut de cetero omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus tam Fratrum Prædicatorum, quam Eremitarum ſancti Auguſtini, ac beatæ Mariæ de Monte Carmeli, omnibuſque aliis Ordinibus Mendicantibus per Sedem Apoſtolicam, vel Legatos ejuſdem in genere, etiam per litteras Apoſtolicas *Mare Magnum* nuncupatas, etiam quoad exemptionem & ſolutionem quartæ, locorum Ordinariis & parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, a qua vos pro potiori cautela eximimus, hactenus conceſſis, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & debeatis in omnibus & per omnia, ac ſi vobis ſpecifice conceſſa fuiſſent, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris prædictis conceſſimus non obſtare, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, illaque vobis denuo concedimus.

§. II. Ceterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet, deferri, volumus, ut earum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici, aut Generalis Vicarii dicti Ordinis ſigillo munitis, ea fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris, die XV. Novembris MDX. Pontificatus noſtri anno VII.

XLII.

Jubet ne Fratres ullius Congregationis non ſubjectæ Generalibus Vicariis Obſervantiæ deferant calepodia. Ex Brevi originali.

Univerſis & ſingulis, ad quos hæ litteræ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. LIcet nuper per quaſdam noſtras in forma Brevis litteras declaverimus, noſtræ incommutabilis intentionis fuiſſe & eſſe, quod litteræ etiam in forma Brevis, ſuper Capitulo Generaliſſimo editæ, & in illis

contenta quæcumque inviolabiliter perpetuo obſervarentur: ita ut ex tunc perpetuis futuris temporibus in ipſo Ordine Fratrum Minorum, duæ dumtaxat denominationes & ſpecies Fratrum exiſterent, videlicet Clauſtralium ſive Conventualium, aut de Familia ſeu Obſervantia nuncupatorum; & quod omnes & ſinguli Fratres Congregationum Amadei, Clareni, & aliarum, qui hactenus Obedientiam non elegerant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ & maledictionis æternæ pœnis tenerentur juxta tenorem priorum litterarum noſtrarnm, Clauſtralibus ſive Conventualibus, aut de Familia ſeu Obſervantia Fratribus adhærere, & ſe illis unire, ut præfertur, manſuri ſub Generali Miniſtro, aut Vicariis antedictis, ſine ullo medio ſuperiore, certis executoribus deſuper deputatis, qui dictas noſtras litteras effectualiter obſervari facerent; & Fratres Congregationis Amadei Conventualibus adhæſerint: tamen cum ex hoc non plus diſtinguantur a Fratribus de Familia penes ſeculares, multiſque enormitatibus & ſcandalis, quæ per indiſtinctam cognitionem hujuſmodi Congregationum & evenerunt & in poſterum evenire proculdubio poſſent, etiam pluribus, quæ diſſenſionis & diſcordiæ in ipſo Ordine fomitem miniſtrare poſſent, per hujuſmodi adhæſionem ſufficienter minime ſit proviſum; propter quæ noſtras poſteriores litteras etiam in forma Brevis edidimus, ut duæ ſpecies & donominationes Fratrum dumtaxat reperirentur, una videlicet Clauſtralium ſive Conventualium, qui ſine calepodiis incedunt: alia vero de Familia ſeu Obſervantia, qui tempore beati Bernardini, tempore cujus ſub Regulari Obſervantia, & ſub nomine Fratrum de Familia vivere cœperunt, calepodia nudis pedibus, ut diſcernerentur a Conventualibus, pro ſigno exteriore diſtinctivo ſibi aſſumpſerunt, & ut in ipſo Ordine perpetuæ pacis vinculum ſervaretur, quatenus dicti Ordinis Fratres ab omni perturbatione ſemoti, Domino in ejus beneplacitis quietius famulari, & pro tranquillitate militantis Eccleſiæ Altiſſimo preces ferventius effundere ac porrigere inceſſanter, prout effundunt, valerent; & propterea nobis per Fratres dictæ Familiæ de Obſervantia humiliter ac devote ſupplicatum fuit, ut ipſorum quieti ac paci conſulere, ſcandalis & enormitatibus obviare, diſſidiis & contentionibus, quæ inter Fratres dicti Ordinis inſurgere poſſent, paterna diligentia de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; ſtatuereque, ex quo Fratres Congregationis de Amadeo adhæſerunt Conventualibus, & Miniſtro Generali ſe ſubjecerunt, ad effectum, ut dignoſcantur ab ipſis Fratribus de Familia, dimittant calepodia, ſignum proprium ipſorum Fratrum de Familia in principio inſtitutionis eorum per eos aſſumptum; neque eis de cetero coram ſecularibus, & in publico ad nudos pedes utantur.

§. II. Nos igitur, qui dictum Ordinem uberes in agro Domini fructus aſſidue producentem, in pace & ſtabili concordia cupimus conſervare, quique præfatæ Familiæ, quæ in Eccleſia Dei copioſos fructus vitæ merito, & eruditionis verbo protulit ſemper & profert, quieti & paci conſulere, & quibuſcumque ſcandalis & enormitatibus, quæ evenire poſſent per hujuſmodi indiſtinctam cognitionem, aditum præcludere paterna ſollicitudine peroptamus: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, necnon de omnibus plenius informati, tenore præſentium, omnibus & ſingulis Fratribus Congregationum Amadei, Clareni & aliarum, qui Conventualibus hactenus adhæſerunt, aut in poſterum quomodolibet adhærebunt, diſtricte præcipimus, ut infra menſem ab intimatione præſentium, ab Ordinariis locorum, quando & quoties pro parte Generalium aut Provincialium Vicariorum, ſeu alicujus Guardiani nomine eorum fuerint requiſiti, fienda, computandum, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ pœnis, tenean-

neantur calepodia hujuſmodi deponere, neque ſuis calepodiis, ſigno proprio ipſorum Fratrum de Familia a principio inſtitutionis eorum per eos aſſumpto, ut præmittitur, pro ipſorum diſtincta cognitione, de cetero aliquo modo coram ſecularibus, & in publico nudis pedibus utantur, volumus & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volentes inſuper, quod dicti Ordinarii præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties, ut præfertur, requiſiti fuerint, intiment, & in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant dictos Fratres de Familia præmiſſis omnibus & ſingulis pacifice frui & gaudere, non permittentes eoſdem deſuper per quoſcumque, quavis auctoritate fungentes quomodolibet moleſtari. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Datum Bononiæ, ſub annulo Piſcatoris, die XV. Decembris MDX. Pontificatus noſtri anno VIII.

Anno Christi 1511. Julii II. Anno 8.

XLIII.

Concedit facultatem ædificandi Conventum in Terra Pedemontis. Ex Brevi originali.

Dilecto filio Vicario Provinciali Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſeu de Familia nuncupatorum, Provinciæ Terræ laboris, ſecundum morem dicti Ordinis.

CUm ſicut nobis nuper exponi feciſti, dilecti filii Univerſitas & homines Terræ Pedemontis, Alliſien. diœceſis, ut in eadem Terra Religio propagationem, & Divinus cultus augmentum, cum animarum ſalute ſuſcipiant, aliquem locum idoneum pro conſtitutione unius domus, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, ſeu de Familia nuncupatorum aſſignare intendant: Nos ad ea, per quæ Religio ad Dei laudem, & Chriſtifidelium profectum per noſtræ proviſionis auxilium valeat ubilibet ampliari, favorabiliter intendentes, tuiſque in hac parte ſupplicationibus inclinati, Tibi & pro tempore exiſtenti Vicario Provinciæ Terræ laboris, ſecundum morem dicti Ordinis, in aliquo loco ad hoc apto & idoneo per Univerſitatem & homines prædictos, ſeu alias aſſignando vel concedendo, unam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, ſeu de Familia nuncupatorum, qui ſub cura, viſitatione & ſuperioritate tua, & pro tempore exiſtentis Vicarii Provincialis dictæ Provinciæ Altiſſimo famulentur, abſque alicujus præjudicio, conſtrui & edicari faciendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus: ac eidem domui & illius Guardiano & Fratribus pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis, quibus aliæ domus dicti Ordinis dictæ Regularis Obſervantiæ de jure vel conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint; jure tamen Parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, eiſdem auctoritate & tenore, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua pro-

prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, niſi faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de illa prohibitione mentionem, & quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vi. Julii mdxi. Pontificatus noſtri anno viii.

XLIV.

Conceditur ſeu renovatur communicatio omnium privilegiorum aliis Religionibus conceſſorum, præſertim exemptio a quarta funerali. Ex Reg. Ultramont. Curiæ fol. 6.

Dilectis filiis Univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis.

Sacræ religionis ſub qua &c. *Vide Bullam* xli. *quæ eſt eadem uſque ad illa verba*, Vobis denuo concedimus: Ordinariis locorum, Rectoribus &c. antedictis ſub ſuſpenſionis a Divinis, interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, mandantes ne vos aut quemquam veſtrum ad ſolutionem hujuſmodi quartæ, contra hujus conceſſionis noſtræ formam cogere, aut illius cauſa moleſtare præſumant. Ceterum quia difficile &c. *uſque ad finem*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vi. Novembris mdxi. Pontificatus noſtri anno viii.

Anno Christi 1512. Julii II. anno 9.

XLV.

Ut multorum effrænem libertatem & inobedientiam coerceant. Ibid. fol. 9.

Univerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, & Theſaurariis, ac aliis quibuſvis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis; necnon Metropolitanis, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, eorumque Archiepiſcoporum & Epiſcoporum officialibus, præſertim in omnibus Provinciis Hiſpaniarum ſecundum morem Ordinis Minorum, & utriuſque Siciliæ & Sardiniæ Inſulis conſtitutis.

§. I. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Generales & provinciales Vicarii Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, alias de Familia nuncupatorum, Provinciarum Hiſpaniæ, & utriuſque Siciliæ, ac Inſulæ Sardiniæ, necnon ipſarum Provinciarum Vicariorum Generalium in Romana Curia Commiſſarii, quod nonnulli ex Fratribus dicti Ordinis diverſas litteras Apoſtolicas ſub plumbo, & in forma Brevis, vel alias a nobis & Sede Apoſtolica variis & expreſſis cauſis impetrarunt, & in dies impetrare conantur, per quas ſe ab eorum Superioribus & Ordine hujuſmodi exemptos fecerunt & faciunt: & aliqui ad Ordinem Canonicorum regularium vel aliorum tranſeunt, aut in totum habitum dimittunt, & ut ſeculares incedunt: alii clauſula in litteris Cruciatæ, nuper in partibus illis publicatæ, appoſita, ut cujuſcumque Ordinis Fratres ſe ad partes infidelium ad ſacramenta miniſtran-

ſtranda,& alia pia opera exercenda,& verbumDei prædicandum libere transferre poſſint, utuntur: & alii ipſius Cruciatæ auctoritate Confeſſorem regularem vel ſecularem etiam abſque licentia ſui Superioris, qui eos a quibuſcumque caſibus abſolvat, eligunt: Nonnulli etiam ob favores, quos in Romana Curia inveniunt, ſimulata pietate eleemoſynas in confeſſionibus a pœnitentibus extorquentes, litteras hujuſmodi, quarum prætextu libere & licite impune vagari poſſint, in damnationem animarum ſuarum, & ipſius Ordinis dedecus, impetrare continue quærunt: Et quod deterius eſt, ad Civitates, oppida & loca, ubi prius in domibus dicti Ordinis Minorum ſub regulari habitu degebant, abſque habitu, ut presbyteri, & alii meri ſeculares redeunt, excuſſo obedientiæ jugo, in opprobrium Regularis, & Ordinis Minorum ac Obſervantiæ hujuſmodi: Ita ut dictas litteras potius extortas judicemus, quam vere impetratas: Alii contra ipſius Ordinis ſtatuta, fugientes, non ſuffragante ſufficienti litteratura, ad ordines ſacros aſcendere præſumunt, & ſe mentiendo promovere faciunt: Alii vero extorta fraudulenter a Superioribus licentia, ut in libertate ſpiritus vivere poſſint, ad Clauſtrales ſive Conventuales, præter & contra ſummorum Pontificum prohibitiones: & niſi provideatur deſuper, in dies eximentur, & transferentur, & ſimilia committere non expaveſcent, in eorumdem Ordinis, & Familiæ grave detrimentum & jacturam. Quare dicti Ordinis Generales & provinciales Vicarii, & eorum in Curia antedicti Commiſſarii nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper his opportune providere paterna diligentia curaremus.

§. II. Nos igitur, qui dictum Ordinem Minorum, & illius Fratres ſingulari proſequimur dilectionis affectu, prout illorum benemerita in Nos & Apoſtolicam Sedem digne meruerunt, præmiſſis & aliis ſcandalis ne eveniant, opportune pro miniſterio paſtoralis officii nobis commiſſi providere volentes, ac ſingularum litterarum per dictos Fratres, ut præfertur, impetratarum, & clauſularum in eis contentarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & ſingulis veſtrum quaſcumque litteras, quas per eoſdem Fratres a nobis & Sede prædicta ſuper hujuſmodi exemptionibus, ac habitus mutationibus, & dimiſſionibus, necnon eleemoſynarum ſubtractionibus & mendicationibus ac extorſionibus, ut præfertur, impetratas, repetentes auctoritate noſtra, inſtigantibus prædictis Vicariis, ſive in Romana Curia Commiſſariis, aut per eos ad hoc deputatis, ſi videbitur expedire, examinandi, & cauſas per eoſdem Fratres in illis allegatas dijudicandi, & ſi veras non repereritis, revocandi & annullandi, ac eiſdem Fratribus minime ſuffragari debere declarandi: ac prædictis Fratribus ad Ordinem Canonicorum regularium translatis, ſeu ut ſecularibus incedentibus, ne in Civitatibus, oppidis vel locis, ubi domus dicti Ordinis fuerint, permaneant, inhibendi, vel ſi in eis manere voluerint, ut ad Ordinem ſeu Familiam, cujus habitum temere reliquerunt, redeant, mandandi: necnon conceſſiones quaſcumque vigore litterarum Cruciatæ in partibus illis nuper, ut creditur, publicatæ, eiſdem Fratribus minime ſuffragari, nec illarum vigore Confeſſores eligere poſſe; neque ad dictos Fratres Ordinis Minorum & Familiæ ſe extendere declarandi, eiſdem auctoritate & tenore concedimus: & nihilominus vos vel duo aut ſinguli veſtrum per vos vel alium ſeu alios faciatis auctoritate noſtra præmiſſa omnia & ſingula, quoties pro parte Generalium & provincialium Vicariorum prædictorum, ſeu alicujus eorum fueritis requiſiti, firmiter obſervari, non permittentes eoſdem Generales & provinciales Vicarios, ſeu ipſorum Commiſſarios, per dictos Fratres, etiam prætextu dictarum litterarum, aut illarum

pro-

proceſſuum præmiſſorum occaſione, quomodolibet moleſtari ſeu perturbari: contradictores quoslibet & rebelles cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis juris remediis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

§. III. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon prædictis ſeu quibuſvis aliis litteris Apoſtolicis per eoſdem Fratres impetratis, & in poſterum impetrandis: quibus, etiamſi pro illarum derogatione de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, earum tenores pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Exhortamur tamen Generales & Provinciales præfatos, ut ſanctiſſimæ expeditioni prædictæ de Confeſſoribus idoneis, pro viribus ex eis ſubjectis Fratribus provideant requiſiti. Ceterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus de eis fides forſan facienda fuerit, deferri; volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & alibi, ubi expediens fuerit, adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die penultima Martii MDXII. Pontificatus noſtri anno IX.

LEO X.

Electus V. *Idus Martii coronatus* XIV. *Kalendas Aprilis*.

Anno Christi 1513. Leonis X. anno 1.

I.

Revocantur & prohibentur privilegia omnia extra Ordinem apud quoſcumque viventium. Ibid. fol. 10.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus Ciſmontanis & Ultramontanis Ordinis Minorum de Obſervantia.

§. I. Inter cetera Regularis Obſervantiæ vota, obedientiæ jugum, ſine quo non vera ſed ficta cenſetur eſſe religio, præcipuum exiſtit; & propterea abſonum eſt & abſurdum, quod quis habitu ſe religioſum foris exhibeat, & lupi rapacis more regulariter vivere, regularemque diſciplinam ſuſcipere omnino contemnat. Sane, ſicut nobis exponi feciſtis, ſæpe contingit quoſdam de Ordine veſtro profeſſores, ſalutis propriæ immemores, ſalutaris obedientiæ jugo ſpreto, ad Nos noſtramque Sedem accedere, exemptiones, gratias, privilegia, & Apoſtolica indulta, quibus Religionis veſtræ integritas non mediocriter diſſolvitur, & aliis delinquendi fomentum efficax monſtratur, ad Ordinis diſciplinam regularem, & prælatorum correctionem ſalutarem declinandas, cum fictis mediis quærere & obtinere; etiam nonnullos ex Prælatis Eccleſiarum, vobis irrequiſitis, ad ſecum morandum, vel pro ipſorum promovendis negotiis aliquos ex eiſdem aſſumere juxta

juxta ſuæ libitum voluntatis; quo fit ut Ordo præfatus, & ſuæ pacis diſpendium, & gravis detractionis aliquando perferat detrimentum.

§. II. Nos igitur, quos ſuſcepti regiminis cura admonet, & officii Pontificalis auctoritas inducit, ut circa ea, per quæ Religionis veſtræ ſtatus & tranquillitas conſerventur, & opitulante Altiſſimo, fidelium in vos devotus affectus augeatur, attente conſiderantes incongruum exiſtere, quod hujuſmodi profeſſores habitum dicti Ordinis gerant, ac ſe de ipſo Ordine nominare præſumant, & juriſdictionem aut diſciplinam Superiorum ejuſdem Ordinis ſuſcipere parumpendant, ſuper his ſalubriter & provide occurrere cupientes, veſtris in hac parte humilibus ſupplicationibus inclinati, pro dicti Ordinis ejuſque obſervantiæ regularis conſervatione, & ut vagantibus & delinquentibus Fratribus, atque aliis exquiſitis mediis libertatis ſpiritum quærere ſatagentibus, omnis evagandi tollatur occaſio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod nullus Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi profeſſor de cetero exemptionem aut indultum Apoſtolicum, ſub quavis forma & expreſſione verborum obtinere poſſit, niſi veſter aut Commiſſariorum veſtrorum in Romana Curia exiſtentium, ad hoc expreſſus accedat aſſenſus. Et ſi illa impetraverit, illa nullatenus ſibi ſuffragentur, cum illorum obtentu a Prælatorum ſuorum juriſdictione, quo minus eorum regulari diſciplinæ ſit ſubjectus, exemptus cenſeatur. Quodque nullus Prælatus, aut Apoſtolicæ Sedis Nuncius aut Legatus, niſi eſſet de latere Legatus, aliquem ex profeſſoribus veſtri Ordinis ad ſecum morandum, vel pro ſuis negotiis promovendis, abſque veſtra ſeu Provincialium Vicariorum ſuorum licentia petita, obtenta & in ſcriptis habita aſſumere poſſit, ſine ſpeciali mandato Sedis ejuſdem de præſentibus ſpecialem mentionem faciente: & ne profeſſores ipſi cum prædictis contra præmiſſa morari, vel negotia eorum aſſumere audeant, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius inhibemus: & mandamus, ut profeſſores, qui ſine dicto ſpeciali mandato noſtro vel veſtra licentia ad prædicta quomodolibet in poſterum aſſumpti fuerint, eiſdem diſciplinæ & correctioni, quibus alii profeſſores veſtri ſubjiciuntur, ſubjici debeant: ſtatuta tamen & ordinata per vos in Congregationibus Generalibus contra hujuſmodi delinquentes in ſuæ firmitatis robore permanere volumus: ac exinde irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Octobris MDXIII. Pontificatus noſtri anno I.

Anno Christi 1514. Leonis X. anno 1. & 2.

II.

Concedit ut poſſint Fratres habitare in Conventibus magnis, & uti paramentis pretioſis. Ibid. fol. 11.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Vicariis, Guardianis, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

§. I. MErentur veſtræ devotionis ſinceritas, & religionis honeſtas, ut ea vobis gratioſe concedamus, quæ veſtrarum conſcientiarum ſerenitatem & quietem reſpicere dignoſcuntur. Cum itaque, ſicut nobis nu-

nuper exponi feciſtis, licet fel. record. Nicolaus III. & Clemens Papa V. ac alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri pro conſolidatione ambiguarum conſcientiarum,& timoratarum conſcientiarum Fratrum Ordinis veſtri ſerenitate, domos & loca & alia bona veſtra tam mobilia, quam immobilia in jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ ſuſceperint. Nihilominus nonnulli veſtrum adhuc hæſitant, an eis domos amplas & ſpecioſas, quæ in præſentiarum in veſtro Ordine & Familia tam per Fratres ſpeciali ad hoc facultate ſive auctoritate ſuffultos, quam per ſeculares ad hoc pia devotione ductos conſtruuntur & ædificantur, ut potius palatia Magiſtratuum reputari poſſe videantur, quam habitationes pauperum, inhabitare & colere, & ſimili modo paramentis & vaſis Eccleſiaſticis, quæ in numero & pretio ſanctæ Evangelicæ paupertati, quam profeſſis eſtis, derogare videntur, ac aliis quibus tam Ordo, quam Fratres utuntur communiter vel diviſim, uti, & in veſtris Conventibus illa retinere liceat: ac propterea nonnulli Conventus relinquere, & ad loca eremitoria ſe transferre & fugere moliantur, in Divini cultus detrimentum, & ſcandalum populorum, ac Ordinis & Familiæ perturbationem. Et cum interdum ob magnificentias plurimorum Principum & aliorum Dominorum, qui non ſecundum quod veſtræ convenit paupertati, ſed ſecundum quod eorum congruit excellentiæ, volunt veſtras domos conſtruere, & pro Divino cultu cappas & planetas, dalmaticas & alia paramenta, & calices aliaque vaſa ad miniſterium Sacramenti Altaris pro ſummi Dei honore & gloria pie erogare & elargiri, talia reſpuere non poſſitis; necnon poſſibilem reſiſtentiam de non recipiendo faciatis, & non ſinant poſtmodum iſti tales donantes jam accepta alienare, nec demoliri jam conſtructa permittant: nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut pro pace conſcientiarum veſtrarum, & ut ſine ſtimulo gratum Altiſſimo famulatum exhibere, & in veſtro laudabili officiandi ritu continuare poſſitis, ſtatui veſtro ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur attendentes, quod domorum, & aliarum rerum tam pro Divino cultu, quam communi uſu veſtro vobis conceſſarum, ſolum ad uſum, & non fructum nec poſſeſſionem cedunt, nec ea ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ mandato alienare poſſitis, ac ad eamdem Sedem illa omnia, quæ de novo, ut noſtri prædeceſſores fecerunt, in proprietatem dictæ Sedis recipimus, pertinent; & quod ex domorum amplitudine, aut paramentorum duplicitate nihil magis veſtris commoditatibus corporalibus adjiciatis; veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus & decernimus, vos illorum tantum eſſe cuſtodes, & non poſſeſſores, & pro parte rei illis abſque veſtræ profeſſionis macula aut violatione, cum deceat juxta ſolemnitatum celebrationem in ſolemnioribus officiis, & decentioribus paramentis Divinam honorare majeſtatem, & ipſius cultum munificare, & aliis, quibus tam Ordo quam Fratres utuntur, communiter vel diviſim, uti, potiri libere & licite poſſe, prout etiam fel. record. Julius Papa II. prædeceſſor noſter Fratribus ejuſdem Ordinis & Familiæ Regni Angliæ, ad inſtantiam cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ modernæ Reginæ Angliæ illuſtris, conceſſiſſe dicitur; & ſic perpetuis futuris temporibus in Ordine & Familia veſtris ab omnibus illis Fratribus teneri & obſervari debere volumus & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis ſtatutis, etiam juramento ſive profeſſione firmatis, & aliis in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ, die III. Januarii MDXIV. Pontificatus noſtri anno I.

III. *De-*

III.

Declarat Tertiarios gaudere privilegiis Eccleſiaſticorum. Ex Brevi originali.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatis.

§. I. EXponi nobis nuper feciſtis, quod licet dudum fel. recor. Gregorius IX. & Sixtus IV. prædeceſſores noſtri pia conſideratione omnes Fratres & Sorores Tertiæ Regulæ beati Franciſci, de Pœnitentia nuncupatos, præcipuis favoribus proſequentes, ut congruentibus libertatibus & immunitatibus Eccleſiaſticis, quibus aliæ perſonæ Religioſæ gaudent & potiuntur, gaudere & potiri debere & poſſe indulſiſſent, ac omnibus & ſingulis Communitatibus, Poteſtatibus, Rectoribus, & aliis quibuſcumque Officialibus, etiam ſub excommunicationis pœna eo ipſo ab his, qui contra facerent incurrenda, ne ipſos aut quempiam eorum quominus hujuſmodi exemptionibus tam fori, quam perſonæ potiantur, nullatenus moleſtare aut inquietare præſumerent, diſtrictius inhibuerunt; univerſis inſuper & ſingulis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis perſonis, quando & quoties in & ſuper his a quoquam ipſorum requiſiti fuerint, in præmiſſis libertatibus eoſdem conſervare & manutenere pro viribus deberent, ſtatuerunt & mandaverunt, prout in litteris dictorum prædeceſſorum noſtrorum plenius continetur. Quidam tamen Domini, Magiſtratus, Rectores & Officiales in Provincia Baſilicatæ conſiſtentes, Eccleſiaſticas cenſuras parvipendentes, in animarum ſuarum periculum, gravamen veſtrum, & Chriſtifidelium pernicioſum exemplum, ac ſcandalum plurimorum, vos nimium comprimentes, contra hujuſmodi privilegia, officia publica recipere, exequi & perſonalia opera ſuſtinere, aliaſque multipliciter vos perturbare & inquietare contendunt: & propterea ad Nos recurrentes, nobis humiliter ſupplicaſtis, quatenus paterno affectu vos proſequendo, & hujuſmodi prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui circa perſonas quaslibet ſub habitu & profeſſione a mundo quoquo modo ſemotis, Divinis vacantes beneplacitis, ſollicitudinis noſtræ partes, per quas eorum ſincera devotio incrementis continuis laudabilius in Domino proficiſcatur, libenter impendimus, ac ut ea, quæ pro ipſorum quiete eis a Sede Apoſtolica clementer indulta ſunt, illibata perſiſtant, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, hujuſmodi prædeceſſorum noſtrorum litteras, ac in eis contenta quæcumque privilegia, gratias & indulta, quatenus ſint in uſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere volumus: ac dilectisfiliis Potentino, ac Tricaricen. & Montis Peluſii Eccleſiarum Archidiaconis committimus & mandamus, ut unus vel duo aut unus eorum vobis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant vos a prædictis vel quibuſcumque aliis contra hujuſmodi prædeceſſorum noſtrorum tunc vobis indulta, & nunc per Nos eadem auctoritate dumtaxat confirmata, quoquo modo indebite moleſtari: moleſtatores & præſumptores hujuſmodi, necnon quoslibet contradictores & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſterent, quandocumque & quotieſcumque eis expedire videbitur, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia compeſcendo: conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis & con-

conſuetudinibus, ceteriſque aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VI. Januarii, anno MDXIV. Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Concedit eis facultatem Eccleſias, cœmeteria, paramenta, corporalia &c. benedicendi. Ex Reg. Ultram. fol. 22.

Dilectis filiis Ciſmontanis & Ultramontanis Generalibus & Provincialibus Vicariis, necnon Guardianis & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. Religionis ſuadet honeſtas, & devotionis veſtræ promeretur affectus, ut vos Apoſtolici favoris ſuffragio proſequentes, precibus veſtris, præſertim commodum & decorem Ordinis veſtri concernentibus, prout poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, dudum fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, vobis ut paramenta & ornamenta Eccleſiaſtica, ac corporalia & alia, in quibus chriſma non intervenit, benedicere poſſitis, gratioſe conceſſerit, & ab illo tempore in poſſeſſione benedicendi paramenta & corporalia hujuſmodi ſecundum limitationem inter vos in Capitulis veſtris factam, fueritis, ac in diverſis etiam remotis partibus, & inſulis de novo ab infidelibus recuperatis, diverſæ domus Ordinis veſtri conſtructæ exiſtant, & in dies conſtruantur, & Ordinarii locorum non ſemper in ſuis Civitatibus & diœceſibus reſideant, ac interdum in remotis agant, & ſæpius contingat loca & cœmeteria earumdem domorum ſanguinis effuſione, ſeu alias pollui, ac illarum Fratres non ſemper Ordinarios locorum pro illis reconciliandis adire poſſunt: Imo quandoque illis grave ſeu diſpendioſum exiſtat ad illos quandoque per tres dietas ab eorum domibus diſtantes accedere: nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut cum piæ mem. Julius Papa II. etiam prædeceſſor noſter, dilectis filiis Fratribus Ordinis Minimorum indultum Eccleſias ac cœmeteria ſua benedicendi & reconciliandi conceſſerit, ac interdum Epiſcopi præſertim in remotis agentes, quandoque per duas dietas adiri nequeant, vobis ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religioſarum perſonarum vota, per quæ earum diſpendiis obviatur, & commodis & profectibus providetur, ſtudio caritatis libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Generalibus & Provincialibus ac Guardianis & Fratribus veſtrorum Ordinis & Obſervantiæ, ut Eccleſias, Oratoria & loca quæcumque recepta & recipienda nondum conſecratas ſeu conſecrata, facta prius requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſque recuſantibus vel negligentibus, per quemlibet alium Catholicum Epiſcopum, gratiam & communionem dictæ Sedis habentem, conſecrari facere, ac veſtri Ordinis Generalibus & Provincialibus Vicariis & Cuſtodibus ac Guardianis pro tempore exiſtentibus præfatis, ut omnia & ſingula ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ Eccleſias, cœmeteria, capitula & Oratoria ubicumque exiſtentia receptas & recepta, ac recipiendas ſeu recipienda, ac paramenta & ornamenta, ac alia quæcumque ad Divinum cultum & uſum veſtrum neceſſaria, in quibus chriſma non intervenit, pro veſtro uſu tantum ſolemni benedictione, ac etiam per Vicarium ſeu Guardianos aut alios ad hoc a vobis in veſtris Capitulis Generalibus provide deputandos, benedicere, ac illos ſeu illa, & eorum

rum quodlibet ſanguinis ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas ſeu polluta, quatenus opus fuerit, aqua per vos, præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum ob aquam benedictam per duas dietas adire non poteritis, benedicta reconciliare libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Februarii MDXIV. Pontificatus noſtri anno I.

V.

Prohibetur ingreſſus ad Monaſteria Monialium, & domus Sororum Tertii Ordinis. Ibidem fol. 13.

Dilectis filiis Vicario Generali & Provincialibus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, familiæ Ultramontanæ.

§. I. Accepimus ſiquidem, quod licet per regularia ſanctæ Claræ & Ordinis veſtri inſtituta, provide a majoribus & prædeceſſoribus veſtris ordinata, cautum ſit, & optime proviſum cum Sedis Apoſtolicæ decreto, quando & quomodo, aut qua ſolemnitate ad ipſas Moniales, & intra clauſuram Monaſteriorum ipſarum ingrediendum ſit; nihilominus in nonnullis locis Confeſſores & Rectores, qui pro tempore ad regimen ipſarum & gubernationem deputantur, latius forte quam debeant, licentias Apoſtolicas minus timorate interpetratas, & formas illarum prætereuntes, ad eaſdem Moniales, non ſubſiſtente ullo neceſſitatis caſu limitato, ſed pro quavis levi cauſa, cum ex conceſſione in confeſſionalibus, in quibus paſſim ſimilia indulta concedi ſolent, facta, cum ex alia facuitate aliquibus perſonis conceſſa, ingredi permittunt, in grave quietis præjudicium, ipſarum Monialium, & ipſorum Fratrum animarum periculum, & alicujus ſcandali, quod avertat Deus, ſuſcitationem: & pariter ad Tertiarias in Congregatione viventes, ad quas accedere, licet prohibitum non ſit, tamen propter ſcandalum, quod intervenire poſſet, non ſine nota forte incontinentiæ, & contra religioſam honeſtatem, ac in pacis, & ſpiritualis quietis ipſarum Monialium læſionem & offenſionem.

§. II. Nos igitur, qui a teneris ætatis noſtræ annis, de hujuſmodi honeſtate curam geſſimus quam ſollicitam, præſertim in virginibus, æterno ſponſo Deo ſacro velamine conſecratis, cupientes illis obviare incommodis, quæ, procurante humani generis inimico, evenire poſſent, ſi de opportuno remedio non provideremus, auctoritate Apoſtolica, ſub æternæ maledictionis interminatione, in virtute ſanctæ obedientiæ prohibemus, ne quis frater confeſſor ipſarum Monialium, aut quis frater, aut alius cujuſcumque præeminentiæ aut officii inter vos ſit, ad ipſas Moniales, aut ipſarum Monaſteria ingredi vel intrare, niſi in caſibus in earum Regula & inſtitutionibus ipſius Ordinis veſtri contentis, quoad ipſorum Monaſteriorum ingreſſum editis; nec etiam aliæ utriuſque ſexus ſeculares perſonæ, etiam prætextu cujuſvis indulti, etiam confeſſionalium prædictorum, Monaſteria ingredi; neque ipſi Fratres Ordinis veſtri ad Tertiarias in Congregatione viventes, niſi de licentia & ſpeciali mandato veſtro introire præſumant; vos propterea monendo, ut non paſſim ingreſſum hujuſmodi relaxetis, ſed in Capitulis veſtris Generalibus & Provincialibus provide de ſimilibus & aliis ad obſervantiam honeſtatis & continentiæ ſpectantibus ordinetis. Non prohibe-

hibemus tamen, quod Fratres prædicti infra limites Monaſteriorum ſanctæ Claræ intrare, & ad loca, ubi Fratres eiſdem ſervientes habitant & alii ſeculares ingrediuntur, intrare & accedere, necnon cum eiſdem, quando opus fuerit, & cum limitationibus, quas in Capitulis veſtris ordinabitis, in locis, in quibus reliquæ ſeculares perſonæ cum eiſdem loquuntur, loqui poſſent.

§. III. Et nihilominus ſingulis Sororibus tam ſanctæ Claræ, quam Tertiariis ubique terrarum exiſtentibus, & ſub cura veſtra degentibus, præcipimus ſub pœnis & maledictionibus & cenſuris ſupradictis mandamus, ut Vicario Generali pro tempore exiſtenti ſic pareant, & cum effectu obediant, & ipſius viſitationem recipiant, ſicut Vicariorum Provincialium, in quorum Provinciis degunt, recipiunt & admittunt, & ſimiliter Viſitatorum pro tempore ab ipſo Vicario Generali ex decretis Apoſtolicis Sedis dependentium. Non obſtantibus fel. record. Nicolai Papæ III. prædeceſſoris noſtri, quæ incipiunt: *Exiit qui ſeminat*, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis & indultis Monaſteriis prædictis, ſeu eorum aliquibus in ſpecie forte conceſſis, aut quavis occaſione impetratis, Regulari Obſervantiæ præjudicantibus, ſive Canonicam Ordinis correctionem impedientibus, quæ quoad hoc nulli volumus ſuffragari, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIII Februarii MDXIV. Pontificatus noſtri anno I.

VI.

Confirmat litteras Julii II. de extenſione privilegiorum aliarum Religionum ad Fratres Obſervantes. Ex bullario Roder. fol. 298.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatis.

§. I. Affectu benevolentiæ ſpiritualis, eadem cauſa vos proſequi delectamur, qua diligenter & ferventer inſiſtitis, ut per honeſtæ converſationis & piæ vitæ ſtudium in conſpectu Dei & hominum placeatis. Dudum ſiquidem fel. record. Julius Papa II. prædeceſſor noſter vobis, ut ex tunc de cetero omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, tam Fratrum Prædicatorum, quam Eremitarum ſancti Auguſtini, ac beatæ Mariæ de Monte Carmelo, omnibuſque aliis Ordinibus Mendicantibus per Sedem Apoſtolicam, vel Legatos ejuſdem in genere, etiam per litteras Apoſtolicas, *Mare magnum* nuncupatas, etiam quoad exemptionem a ſolutione quartæ locorum Ordinariis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus debitæ, a qua vos pro potiori cautela eximit, eatenus conceſſis uti, potiri & gaudere poſſetis & deberetis in omnibus & per omnia, ac ſi vobis conceſſa ſpecifice fuiſſent, per ſuas in forma Brevis litteras indulſit, illaque de novo vobis conceſſit, prout in dictis litteris plenius continetur.

§. II. Nos igitur, ad vos pium animi affectum, quo vos ob devotionis veſtræ ſinceritatem, & Religionis honeſtatem proſequimur, extendentes, ac profectui veſtro paterne conſulere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium innovamus, approbamus & confirmamus, ac plenum firmitatis robur obtinere, & firmiter obſervari, vobiſque perpetuo ſuffragari debere decernimus: Et nihilominus pro potiori cautela præmiſſa om-

omnia de novo auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus: mandantes univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica ubilibet conſtitutis, quatenus ipſi vel alter eorum per ſe vel alium ſeu alios, vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, conceſſionibus & indultis præmiſſis pacifice gaudere, non permittentes vos deſuper per Ordinarios & Rectores præfatos, ſeu quoſcumque alios, quavis auctoritate fungentes, quovis quæſito colore, quomodolibet indebite moleſtari, inquietari, ſeu etiam perturbari: contradictores, moleſtatores, perturbatores, inquietatores & rebelles quoslibet cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis Juris remediis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſcumque privilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet forſan conceſſis, quibus, illorum tenores pro expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis, quæ in prædictis litteris conceſſa ſunt, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuuſcumque. Ceterum quia difficile foret præſentes litteras noſtras ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet, deferri, volumus ut earum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & alicujus Prælati Eccleſiaſtici, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Generalis Vicarii dicti Ordinis ſigillo munitis, ea prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis litteris originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. Februarii MDXIV. Pontificatus noſtri anno I.

VII.

Declarat Fratres Obſervantes & Moniales in reformatis Monaſteriis non teneri ad ſubeunda onera Miſſarum, & alia quæ inibi præextiterant, tranſlatis reditibus ad alios uſus. Ex Regeſt. Ultramon. fol. 14.

Dilectis filiis Vicariis Generalibus & Provincialibus, ac Fratribus univerſis Ordinis Minorum de Obſervantia.

§. I Juſtum & rationabile cenſemus, ut vos qui contemplationi Altiſſimi Dei, & ejus obſequiis jugiter mancipati eſtis, in conſcientiæ ſerenitate confoveamus, quo poſſitis quietius hic intendere, ad quæ, vocante Deo, relicto ſeculo, ſponte vos emancipaſtis. Sane nuper pro parte veſtra propoſitum fuit coram nobis, quod in Conventibus, quos olim a Fratribus Conventualibus Ordinis Minorum de mandato & licentia Sedis Apoſtolicæ reformandos recepiſtis, tot & tanta onera, ac fundationes Miſſarum, & aliorum ſuffragiorum comperiuntur, ut ſi omnibus ſatisfacere deberetis, in multis locis Fratres non ſufficerent: quinimo opus eſſet quaſi ubique ordinarium prætermittere officium, & alia extraordinaria celebrare & perſolvere, ac in pleriſque locis proventus & reditus, ex quibus celebrationes Miſſarum & ſuffragiorum hujuſmodi fundatæ extiterant, ſunt probati non ſubſiſtere, & penitus alienati, necnon paramenta Eccleſiaſtica, pro quibus etiam ſimilis obligatio excreverat, omnino conſumpta: ubi tamen adhuc ſubſiſtere inventi fuerunt proventus prædicti, in aliquibus locis, Eccleſiis matricibus applicati ſunt, & alibi Monaſteriis, & aliis Eccleſiis, ac piis locis Monialium, ad effectum ut illis obligationibus ipſi ſatisfacerent, cum vobis & ſtatui veſtro non conveniret ex annuis reditibus vi-

vitam ducere & ſuſtentari: in aliis vero locis, ubi domus ruinoſæ reparatione indiguerant, de licentia Apoſtolicæ Sedis alienati, & domus reparatæ & reſtauratæ fuerant: Alibi vero Univerſitates & Communitates locorum ad ſe tales proventus receperunt diſtribuendos, ubi & quando opportunum eis videbitur, adeo ut penitus reditus prædictos Fratres ipſi a ſe abdicarint: ita quod plenè tam de Apoſtolicæ Sedis licentia, quam de ſacrorum Conciliorum determinatione, conſcientiis Fratrum ſatisfactum exiſtimatis: Nihilominus adhuc plerique Fratres in eorum conſcientiis non conquieſcunt, niſi a Sede prædicta dilucidior declaratio emanarit, & de ipſius auctoritate hæc fieri plenius conſtiterit univerſis. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut, ne contigat dubietate hujuſmodi a ſimplicioribus ibi trepidare timore, ubi nullo eſt timore trepidandum, ſuper his opportune providere paterna caritate dignaremur.

§. II. Nos igitur qui in conſcientiarum ſerenitate & quiete plurimum delectamur, eorum præſertim, quorum confidimus pio patrocinio adjuvari, & a tam gravi onere, quod, auctore Domino, immerito ſuſtinemus, devotis & aſſiduis precibus ſublevari: præſentium ſerie decernimus & declaramus vos, qui proventus & reditus, per quos talia onera impoſita ſunt, non percipitis, nec ex voto profeſſionis veſtræ percipere poteſtis, obligatos non fuiſſe nec eſſe, neque in poſterum, ſi contigerit ſimiles reformationes in Conventibus fieri, teneri ad ſimilia ſuffragia perſolvenda, dummodo tam in communibus officiis, quæ quotidie in veſtris Eccleſiis celebrantur, quam in privatis orationibus, quæ aſſidue a Fratribus veſtris perſolvuntur, & in extraordinariis Miſſis & ſuffragiis, quæ in Ordine veſtro annue pro benefactoribus veſtris ſingularibus fieri ſtatuiſtis, eorum memoriam ſpecialiter faciatis, attendentes, quod eo modo plus veriſimiliter pro dictis animabus in conſpectu Divinæ Majeſtatis ſatisfieri poterit, quam ſi prædicti Conventus reformati adhuc priſtinæ deformationi ſubjacerent. Et ſimili modo Moniales ſanctæ Claræ ſub cura veſtra viventes, ubi ſimiles obligationes in reformatis Monaſteriis forte invenerunt, non teneri: dummodo etiam in communibus officiis & orationibus privatis, & aliis extraordinariis Miſſis & ſuffragiis, pro benefactoribus per eas ordinatis & ordinandis, eorum memoriam faciant ſpecialem. Non obſtantibus promiſſionibus etiam forte juramento firmatis, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus, ac omnibus & ſingulis in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. Martii MDXIV. Pontificatus noſtri anno primo *1*.

Anno Christi 1515. Leonis X. anno 2. & 3.

VIII.

Declarat aliqua dubia circa recitationem Divini officii, & concedit fieri officium ſub ritu duplici de beata Agnete, & undecim millibus Virginibus. Ibid. fol. 14.

Dilectis in Chriſto filiabus univerſis Abbatiſſis & Monialibus ac Conventibus Monaſteriorum quorumcumque Ordinis ſanctæ Claræ ſub perpetua clauſura, ac cura & regimine Fratrum Minorum de Obſervantia Altiſſimo famulantibus.

§. I. Cum ſicut nobis nuper exponi feciſtis, in Regula ſanctæ Claræ, in qua & ſuavi Religionis jugo, ac cura & regimine Fratrum Mino-

norum, de Obſervantia nuncupatorum gratum Domino redditis famulatum, & Divinis beneplacitis inſiſtitis, nonnulla contineantur, quæ mentibus veſtris dubia exiſtunt, & declaratione Apoſtolica indigere noſcuntur, nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, ut circa hujuſmodi Regulæ obſervantiam, ſine aliqua hæſitatione ac mentium & conſcientiarum veſtrarum perturbatione & ſcrupulo inſiſtere poſſitis, quæ ambigua ſunt, per noſtræ declarationis miniſterium vobis plana & aperta reddere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Et, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, circa obſervationem Divini officii in prima Regula beatæ Claræ contineatur, quod Sorores litteratæ faciant Divinum officium ſecundum conſuetudinem Fratrum Minorum, legendo ſine cantu, & quæ litteras neſciunt, dicant Pater noſter: & pro defunctis dicant etiam in veſperis ſeptem Pater noſter, & Requiem æternam, pro matutino duodecim, & Sorores litteratæ teneantur dicere officium mortuorum. Et ex ſecunda Regula Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi per fel. rec. Urbanum Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, cum prima ſatis obſcura videretur, declarata, contineatur, quod de Divino officio tam in die, quam in nocte Domino perſolvendo taliter obſervetur: videlicet, quod hæ, quæ legere & canere noverunt, ſecundum conſuetudinem Ordinis Fratrum Minorum Divinum officium debeant celebrare, illiteratæ vero dicant Pater noſter, & pro defunctis dicant in veſperis ſeptem Pater noſter cum Requiem æternam, pro matutino duodecim Pater noſter tempore, quo Sorores litteratæ faciunt officium mortuorum. Et quia etiam ex declaratione per Urbanum prædeceſſorem hujuſmodi facta, ut præfertur, mentibus veſtris adhuc plene ſatisfactam non eſt, cum tam ex prima, quam ex ſecunda Regula hujuſmodi Sorores litteratæ teneantur dicere officium mortuorum, hujuſmodi certam declarationem, an veſperas aut vigilias mortuorum hujuſmodi, niſi temporibus ex ordinario Romano, & eorum conſtitutionibus ſtatutis non perſolvantur, non habetis: propter quod in magna conſcientiarum fluctuatione, & mentium veſtrarum perturbatione exiſtitis. Et inſuper cum difficile ſit ſemper eſſe in choro in omnibus horis, & numquam deficere, aliquando occupatione ſatis levi, aliquando tædio, aliquando aliquali negligentia, & aliquando vos aliquam horam vobis eligatis per vos ipſas, aut cum ſocia horas hujuſmodi perſolvere. Cumque multum difficile ſit conſcientiis timoratis interpretari, quæ ſit illa neceſſitas, quæ excuſat a choro: præterea utrum Monialis ſana ſub pœna peccati ſemper in choro horas perſolvere teneatur, poſito quod in choro dicatur officium ordinarie, ut conſuetum eſt, a competenti numero Monialium, juxta copiam inibi reſidentium: & quod propterea, quæ in choro non intereſt, non omittit per ſeipſam, aut cum ſocia officium Divinum perſolvere, petatis declarari. Præterea, cum aſſeratur piæ memoriæ Innocentium VIII. ſeu alium Romanum Pontificem prædeceſſorem noſtrum, ad tollendos diſcurſus Fratrum Ordinis hujuſmodi, quod Fratres ipſi dicendo quinque Pater noſter & Ave Maria coram Sacramento Altaris, & infirmi in grabatis ſuis pro felici ſtatu ſanctæ Matris Eccleſiæ dicendo, ut ſupra, haberent eamdemmet Indulgentiam, quæ eſt ii. Auguſti in ſancta Maria de Portiuncula ſive de Angelis apud Aſſiſium, & prout illa die a devotis populis lucratur: Item, quod dicendo alia quinque Pater noſter & Ave Maria pro intentione Domini concedentis; & inſuper recol. piæ mem. Pius II. etiam prædeceſſor noſter eiſdem Fratribus Ultramontanis, ut Septem Pſalmos Pœnitentiales dicendo cum Litaniis, Indulgentias ſtationum Urbis haberent & aſſequerentur, indulſerit; & ipſis Fratribus toties, quoties coronam Domini Jeſu Chriſti, & Virginis Mariæ dice-

cerent, plenariam haberent Indulgentiam, conceſſum fuiſſe aſſeratur. Quare ut præmiſſa vobis ex officio paſtoralis officii noſtri pro quiete conſcientiarum veſtrarum, ne contra conſcientiam agendo ad gehennam ædificare videamini, plana & aperta facere atque declarare, & ſuper hujuſmodi officio perſolvendo quomodo vos habere debeatis; ac in facultatibus, quoad participationem gratiarum Fratribus Minoribus hujuſmodi, ſub quorum cura & regimine vivitis, conceſſarum, qualiter participetis, & in facultate abſolutionis peccatorum veſtrorum, quæ forma ſervanda ſit, more pii Patris, & ex benignitate Apoſtolica, qua vos tamquam peculiares in Chriſto filias proſequuti ſumus & proſequimur, aperire & decernere dignaremur.

§. III. Nos igitur præmiſſis & infraſcriptis ſupplicationibus paterna benevolentia annuentes, ac ſuper præmiſſis omnibus vobis taliter per noſtræ declarationis oraculum providere, & ſic plana facere volentes, ut Deo, cui jugiter inſervitis, cum conſcientiarum & mentium veſtrarum quiete & pace gratum & acceptum reddere valeatis famulatum, circa præmiſſa vobis, habita matura deliberatione, omnibuſque diligenter præmeditatis & conſideratis, auctoritate Apoſtolica ex noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium duximus declarandum & concedendum, ut ſequitur.

§. IV. Primo, videlicet quoad officium defunctorum, declaramus vos dumtaxat teneri, ſicut Fratres Ordinis Minorum, quorum ritui in Divinorum perſolutione veſtra vobis præcipit Regula conformari; quod ſatis declaraſſe videtur præfatus Urbanus prædeceſſor noſter, ubi dicit Sorores illitteratas non teneri ad dicendum Pater noſter pro mortuis, niſi eo tempore, quo in choro choriſtæ officium faciunt mortuorum; & verbum illud *teneantur* dicimus referri ad obligationem vigiliarum & veſperarum, prout in Breviario annotatur, & non Pater noſter, quæ illiteratis Sororibus pro tali ſuffragio per Regulam indicuntur.

§. V. Quo vero ad obligationem perſolvendi officium in choro, decernimus etiam ſanas non teneri officium Divinum in choro perſolvere, humana conſiderata fragilitate, & ſexus fœminei debilitate, quia difficulter conſcientia timorata ſciret decernere neceſſitatem excuſantem, conſideratis diverſis ac variis occupationibus ac impedimentis, quæ ſuperveniunt continue in adminiſtratione rei familiaris Monaſteriorum veſtrorum: attento, quod die noctuque bene & ſolemniter, ac ſine intermiſſione collegialiter in choris veſtris officium Divinum perſolvitur, & juxta formam per Regulam vobis traditam, cum reverentia decantatur: exonerantes tamen conſcientiam veſtram, diſcretioni Abbatiſſarum pro tempore exiſtentium committimus, ut quando & quomodo, ſive cum quibus ſit hæc remiſſio ſive exemptio toleranda, ſolerter invigilet, & diligenter advertat, & prudenter concedat, ne ſub colore pietatis, ex nimia indulgentia permittat in aliqua Sororum ſeu Monialium habitum generari Divinæ offenſionis.

§. VI. Quantum vero attinet ad participationem in gratiis Fratribus Minoribus, ſub quorum regimine vivitis, conceſſis, ſimili declaratione dicimus, tanto magis vobis eſſe conceſſas, quanto minor occaſio datur diſcurrendi, quo ſit, ut Indulgentias ſanctæ Mariæ de Angelis ſive Portiunculæ de Aſſiſio II. diei Auguſti, & de quinque Pater noſter cum Gloria Patri coram Sacramento Altaris recitando, & de Pſalmis pœnitentialibus pro ſtationibus Urbis, quæ ipſis Fratribus dicuntur conceſſæ, ad id extendimus, & vobis, prout eis ſuffragari volumus; & quatenus opus ſit, de novo pro veſtra & eorumdem Fratrum ſpirituali conſolatione concedimus.

§. VII. Inſuper vero, quantum facultatem abſolutionis concernit, conceſ-

cedimus vobis, ut in omnibus ſolemnitatibus Domini Sabaoth, Virginis Mariæ, omnium Sanctorum, Patris veſtri ſancti Franciſci, ac Matris veſtræ ſanctæ Claræ, confeſſores veſtri poſſint in abſolutionibus veſtrarum confeſſionum eis de peccatis veſtris factarum, vos plenarie abſolvere, & pœnitentiam ſalutarem injungere; & quoties ſacram ſumitis communionem, eadem die plenariam Indulgentiam conſequi.

§. VIII. Præterea, quia accepimus, Abbatiſſas & Moniales Pariſienſium & Albienſium Monaſteriorum ſanctæ Claræ hujuſmodi ad beatam Agnetem, & glorioſiſſimas undecim mille Virgines ſingularem gerere devotionis affectum, eis nunc & pro tempore exiſtentibus, & quibuſvis aliis Abbatiſſis & Conventibus Monaſteriorum dicti Ordinis ſanctæ Claræ hunc ritum obſervare volentibus, quod a modo in antea beatæ Agnetis, & undecim millium Virginum hujuſmodi feſta perpetuis futuris temporibus ſub ritu duplicis majoris celebrare libere & licite poſſint & valeant, concedimus pariterque indulgemus.

§. IX. Præmiſſas autem declarationes, atteſtationes, decreta, conceſſiones & indulta vobis & veſtrum ſingulis perpetuo fecimus, ut omni ſemota ambiguitate, & puriori conſcientia, ſub ſuavi Religionis jugo, cui eſtis perpetuo addictæ, preces ad Dominum liberiori mente fundere, & perpetua pace, & ſpirituali conſolatione gaudere poſſitis, ſperantes eo acceptiores preces veſtras apud eum, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, futuras, quo omni ſoluto fluctuationum obſtaculo, intenſius illas perſolvere, ac pro nobis, & ſancta Romana univerſalique Eccleſia ſedulius & ferventius orare poteritis, prout vos, quas in viſceribus caritatis habemus, & tamquam peculiares & dilectiſſimas in Chriſto filias, paterna benevolentia & cura complectimur, facturas non dubitamus.

§. X. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque aliis in contrarium facientibus quibuſcumque. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras in ſingulis locis & Monaſteriis veſtris, & alibi, ubi opus eſt, oſtendere vel exhibere, volumus & eadem auctoritate concedimus, quod tranſumptis ipſarum, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati munitis, ubique plena fides adhibeatur, veluti adhiberetur propriis originalibus, ſi in medium oſtenſæ eſſent vel exhibitæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXIX. Martii MDXV. Pontificatus noſtri anno III.

IX.

Contentas in præcedenti Bulla, aliaſque gratias extendit ad Sorores Ordinis beatæ Mariæ. Ibid. fol. 17.

Dilectis in Chriſto filiabus ſingulis Ancillis & Sororibus Monaſteriorum Ordinis beatæ Mariæ Virginis ſub perpetua & ſtricta clauſura, ac cura & regimine Fratrum Minorum de Obſervantia ubique degentibus.

§. I. DUm præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cœlorum, Virgo Dei Genitrix glorioſa, ſedibus prælata ſidereis, quaſi ſtella matutina prærutilat, devotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, dignum, quin potius debitum reputamus, ut Ancillas & Sorores ſub Regula ejuſdem bea-

beatæ Virginis viventes, & eidem Virgini ſub perpetua clauſura dedicatas, pro eorum ſpirituali ſolatio ſpiritualibus favoribus, gratiis, indulgentiis & remiſſionibus proſequamur.

§. II. Cum vos ſub Regula noviſſime ſub ejuſdem glorioſiſſimæ Virginis Nomine, de mandato noſtro inſtituta, & de duabus in unam redacta, Deo & præfatæ glorioſiſſimæ Virgini ſub cura & regimine Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, die noctuque ſummis vigiliis, & puro cordis affectu gratum exhibeatis famulatum: Nos, qui nuper Monialibus ſanctæ Claræ in eadem qua vos clauſura, & ſub eorumdem Fratrum regimine degentibus, & Altiſſimo famulantibus, nonnullas gratias & indulgentias conceſſimus, ob ipſius Virginis Mariæ, ad quam ſemper geſſimus & gerimus ſingularem devotionis affectum, vos tamquam peculiares filias paterna benevolentia, ſpiritualibuſque donis, & gratiarum muneribus proſequi volentes, vobis ad inſtar ipſarum Monialium Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi, pro animarum veſtrarum ſalute, & ſpirituali conſolatione ſimiles indulgentias illis conceſſas, & quas confirmavimus, illaſque eis etiam de novo conceſſimus, denuo concedimus, ad vos auctoritate Apoſtolica pariter extendimus & ampliamus, ac vobis concedimus.

§. III. Et cum aſſeratur, fel. record. Innocentium Papam VIII. ſeu alium Romanum Pontificem prædeceſſorem noſtrum ad tollendum diſcurſus Fratrum Ordinis hujuſmodi conceſſiſſe, quod Fratres, qui quinque Pater noſter & Ave Maria coram Sacramento Altaris, & infirmi in grabatis ſuis pro felici ſtatu ſanctæ Matris Eccleſiæ dicendo, ut ſupra, haberent eamdem & prorſus ſimilem indulgentiam, quæ conceſſa eſt viſitatibus ſingulis annis, videlicet 11. die Auguſti Eccleſiam domus ſanctæ Mariæ de Portiuncula, ſive de Angelis apud Aſſiſium dicti Ordinis Minorum, & prout illam dicta die Eccleſiam viſitantes lucrantur: Quodque dicendo alia quinque Pater noſter & Ave Maria cum Gloria Patri, in fine cujuslibet Pater noſter & Ave Maria, quotidie pro eadem intentione, haberent ipſi Fratres ſtationes Urbis, ſubjungendo unum Pater noſter & Ave Maria pro intentione Domini concedentis: Necnon piæ mem. Pium Papam II. etiam prædeceſſorem noſtrum, eiſdem Fratribus Ultramontanis, ut ſeptem pſalmos pœnitentiales dicendo cum Litaniis, viſitando loca per eos in Eccleſiis eorum, ad hoc deputata, indulgentias ſtationum Urbis conſequerentur, indulſiſſe; ipſiſque Fratribus toties, quoties coronam Domini Jeſu, quæ dicitur continere triginta tres Pater noſter, & totidem Ave Maria, & coronam beatæ Mariæ Virginis ſexaginta tres Ave Maria, & de decem in decem unum Pater noſter dicerent, plenariam haberent indulgentiam, etiam conceſſum fuiſſe aſſeratur. Et cum nos ſimiles indulgentias, ut præfertur, eiſdem Fratribus conceſſas, præfatis Monialibus ſanctæ Claræ conceſſerimus, ſic vobis omnibus & ſingulis nunc & pro tempore, ac ubique exiſtentibus eaſdem indulgentias, videlicet Eccleſiam ſanctæ Mariæ Portiunculæ, ſive de Angelis in Aſſiſio ſecundi diei Auguſti viſitantibus, & quinque Pater noſter, & Ave Maria cum Gloria Patri coram Sacramento Altaris pro quotidianis ſtationibus vobis lucrandis, recitantibus, & pſalmos pœnitentiales pro ſtationibus Urbis obtinendis, recitandi coronas Domini Jeſu, & beatæ Mariæ Virginis ad conſequendam plenariam indulgentiam, quæ etiam recitantibus ipſis Monialibus ſanctæ Claræ per Nos, licet forte minus clare, conceſſa extitit, & quam eis conceſſam vere fuiſſe declaramus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo concedimus pariter & elargimur.

§. IV. Et quoniam, ut pie creditur, dicendo quolibet die quindecim Pater noſter & totidem Ave Maria, in fine anni cenſentur eſſe recitata in com-

commemorationem omnium vulnerum, quæ Salvator noſter Jeſus Chriſtus in ſuo ſacratiſſimo Corpore paſſionis tempore pro humani generis ſalute pertulit, eiſdem Monialibus & Sororibus ſanctæ Claræ, ac vobis & veſtrum ſingulis, & Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, & veſtris vobis, & eis ſervientibus, & aliis dicti Ordinis in Congregatione vel alibi viventibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ad quas videlicet Tertii Ordinis Sorores ſupra nominatas, quæ veræ religioſæ & profeſſione & converſatione ſunt, & ad illas quatuor, quæ in Baſilica ſancti Petri in Capella ſancti Andreæ recluſas, quandiu ibi vel alibi clauſuram ſervaverint, hanc gratiam, & omnia ſupradicta & ſequentia extendimus, & volumus ſuffragari: necnon dictis Fratribus Minoribus, de Obſervantia nuncupatis, ſub quorum cura, ut præfertur, vivitis, & vobis & Sororibus Tertii Ordinis, & aliis dicti Ordinis in Congregatione vel alibi viventibus, & quatuor in locis dictæ Baſilicæ incluſis, dicta quindecim Pater noſter, & totidem Ave Maria qualibet die dicentibus, quindecim millia annorum de veſtrorum, & ſuorum peccatorum vera indulgentia & remiſſione, eadem auctoritate concedimus pariter & indulgemus.

§. V. Et quia eiſdem Monialibus ſanctæ Claræ circa recitationem officii Mortuorum etiam nonnulla alia, quæ earum conſcientias perturbare videbantur, certas declarationes per quaſdam noſtras in forma Brevis litteras fecimus, illas quatenus vos nunc, & aliquo tempore futuro illis egueritis, ac omnia alia & ſingula privilegia, gratias & indulta eis quovis modo conceſſa, quorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, ad vos extendimus, & pariter ampliamus in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illa omnia vobis ſpecifice & nominatim conceſſa & elargita fuiſſent. Et nihilominus pro veſtra & eorumdem Fratrum ſpeciali conſolatione, vobis ſub perpetua clauſura viventibus, ut in omnibus ſolemnitatibus Domini Sabaoth, beatæ Mariæ Virginis, Petri & Pauli, ſancti Franciſci, omniumque Sanctorum, & per totam majorem hebdomadam Confeſſores veſtri quicumque fuerint, ſive ordinarie a Prælatis deputati, ſive aliter, dummodo vos audiant de conſenſu dictorum Prælatorum, poſſint in abſolutionibus veſtrarum confeſſionum eis de peccatis veſtris factarum, vos plenarie abſolvere, & pœnitentiam ſalutarem injungere.

§. VI. Quo vero ad Fratres & recluſas, prius tamen ſuorum Superiorum, & earam curam gerentium licentia & aſſenſu habitis, ut quoties ſacram ſumitis communionem, ea die plenariam indulgentiam conſequi valeatis. Hujuſmodi autem indulgentias, extenſiones & ampliationes vobis omnibus & veſtrum ſingulis perpetuis futuris temporibus libenter conceſſimus, & eiſdem auctoritate & tenore prædictis concedimus pariter & indulgemus, ut eo preces veſtras apud Deum, & glorioſam Virginem Mariam, cui eſtis perpetuo dicatæ, promptiori & quietiori mente effundere poſſitis & valeatis.

§. VII. Sic igitur dilectiſſimæ in Chriſto filiæ, omni mentis hilaritate hunc vobis ſpecialem conceſſum theſaurum ſuſcipientes, vos Deo & præfatæ Mariæ Virgini per operum bonorum operationem reddere ſtudeatis acceptas, ut prudentibus Virginibus, quæ acceptis lampadibus obviam ſponſo exierunt, merito comparari, & per ſuam clementiam æternæ vitæ præmium, & noſtram & Sedis prædictæ benedictionem, quam vobis & eiſdem ſanctæ Claræ Monialibus, & aliis etiam, quibus ſupra Sororibus per præfatos Confeſſores, vel alios ejuſdem Ordinis ad hoc per vos requiſitos, dicta die communionis impendi poſſe volumus, ulterius ſemper promereri valeatis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon

Monaſteriorum & domorum & Ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac quibuſvis ſuſpenſionibus, revocationibus, ſeu limitationibus quarumvis indulgentiarum, ſub quorumvis verborum formis & tenoribus factis, & pro tempore faciendis, ſub quibus præſentes nullo unquam tempore comprehendi poſſe volumus, ceteriſque aliis in contrarium facientibus quibuſcumque.

§. VIII. Ceterum, quia difficile foret præſentes litteras in ſingulis locis ac Monaſteriis ſeu domibus veſtris & alibi, ubi opus fuerit, oſtendere vel exhibere, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod tranſumptis ipſarum manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati munitis, plena fides ubique adhibeatur, ſicuti adhiberetur propriis originalibus, ſi in medium oſtenderentur vel exhiberentur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Junii MDXV. Pontificatus noſtri anno III.

X.

Revocat quæcumque indulta Obedientiæ Superioribus debitæ adverſa. Ibid. fol. 18.

Dilecto filio moderno Commiſſario univerſæ Familiæ Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, partium Ultramontanarum.

§. I. EXponi nobis feciſti, quod cum inter cetera Regularis Obſervantiæ vota jugum obedientiæ, ſine qua non vera, ſed ficta cenſetur eſſe Religio, præcipuum exiſtat, & propterea valde abſurdum eſt, ut quis religioſum ſe foris habitu exhibebat, & lupi rapacis more regulariter vivere, Regularemque diſciplinam, & Prælatorum auctoritatem & obedientiam ſuſcipere & ſuſtinere contemnat. Quodque aliquando contingit, quoſdam Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia ſalutis propriæ immemores, dicto jugo contempto, & contra dicti Ordinis inſtituta, exempriones, gratias, privilegia, indulta & reſcripta Apoſtolica, quibus dictæ Religionis & Obſervantiæ integritas, ac pacis tranquillitas, & Prælatorum auctoritas non mediocriter diſſolvuntur, & aliis delinquendi fomentum efficax miniſtratur, cum fictis mediis ad diſciplinam Regularem, & correctionem ſalutarem declinandas quærere & impetrare, in animarum ſuarum periculum, perniciofumque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quare ſupplicari feciſti nobis humiliter, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus, noſtræ mentis & intentionis eſſe, ut de cetero nullus dicti Ordinis profeſſor, cujucumque conditionis & gradus exiſtat, vigore cujuſvis reſcripti Apoſtolici, ſub quavis verborum forma, & eum quibuſvis etiam derogatoriis & efficaciſſimis clauſulis, quomodolibet emanatis, exemptus a juriſdictione ſuorum Prælatorum in aliquo cenſeatur, nec per ipſum Reſcriptum privilegiis & gratiis pro pacis, concordiæ, tranquillitatis, ac diſciplinæ Regularis, ac ſtatutorum Generalium dicti Ordinis confirmatione & manutentione hactenus quomodolibet conceſſis, aut Prælatorum dicti Ordinis auctoritati aut poteſtati impedimentum ſive præjudicium aliquod inferatur, niſi prius Commiſſarii dicti Ordinis, Familiæ Ultramontanæ, in Romana Curia pro tempore reſidentis, ad hoc expreſſus & in ſcriptis accedat aſſenſus. Decernentes omnia & ſingula in Ca-

Digitized by Google

Capitulis Generalibus dicti Ordinis contra delinquentes & impetrantes, hujuſmodi ſtatuta & ordinata perpetuæ firmitatis robur obtinere, necnon irritum & inane quidquid ſecus ſuper hoc a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædictis, ac quibuſvis aliis litteris, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Tuſcanellæ ſub annulo Piſcatoris, die XXVIII. Octobris MDXV. Pontificatus noſtri anno III.

MONUMENTUM EPISCOPI URBEVETANI.

Epiſcopus Urbevetanus concedit Obſervantibus Urbevetanis, & Inſulanis Biſentinis hoſpitale Terræ Vulſinii pro hoſpitio. Ex autographo.

GEORGIUS DE RUVERE Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Urbevetanus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ UNiverſis & ſingulis præſentes litteras, ſeu præſens hoc publicum „ Inſtrumentum, ac privilegium inſpecturis, illis præſertim quorum „ intereſt, intererit, vel intereſſe poterit quomodolibet in futurum, quoſ- „ que præſens tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet, ſalu- „ tem in Domino ſempiternam. Ex petitione Venerabilium Patrum fratris „ Angeli de Carbio Guardiani ſanctæ Mariæ Paradiſi de Viterbio, & fratris „ Joannis de Argento Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Ob- „ ſervantia ad hoc ipſum ad Nos deſtinatorum a Patre Vicario ejuſdem „ Ordinis in Romana Provincia, quod ex plurimorum relatu comperimus, „ quod cum ejuſdem Religionis Fratres, qui a diverſis Mundi partibus ſuo- „ rum Prælatorum mandato (ut fit) diverſimode peragrantur, & præſer- „ tim apud locum ſanctæ Trinitatis extra muros Urbevetanos, & apud In- „ ſulam lacus Vulſinienſis degentes, elemoſynas perquirendo in terra Vul- „ ſinii Urbevetanæ diœceſis, nocte præventi pernoctare contingat, eo quod „ loca ab ipſa Terra valde diſtent, coganturque ex multis etiam cauſis ibi- „ dem commorari, in qua locum proprium non habentes, per Laicorum „ domos hoſpitari coguntur non ſine eorum incommodo. Quod nobis quo- „ dammodo profanum viſum, decrevimus eorum commoditati, quantum po- „ teſt, opportune conſulere. Cum itaque in dicta terra Vulſinii ſit quod- „ dam domicilium ſive domus, in quo, & qua fuit hoſpitale, ſub voca- „ bulo ſanctorum Jacobi, & Catarinæ, nunc dicta hoſpitalitate penitus de- „ ſtituta, tam ad ipſorum Fratrum Minorum commodum & recreationem, „ quam etiam hominum Vulſinienſium ſpiritualem conſolationem, quam „ ex dictorum Fratrum manſione jugiter aſſequentur, maxime propter „ Miſſas, & alia Divina Officia, quæ per eoſdem inibi celebrabuntur, præ- „ fatorum Fratrum & totius Religionis petitionibus annuentes, dictum lo- „ cum ſeu domicilium dumtaxat, habito prius maturo tractatu, colloquio, „ & examine cum Canonicis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, auctoritate „ noſtra ordinaria, qua fungimur in hac parte, cum præſentia Ve- „ nerabilium virorum Domini Thomæ Sylveſtri, D. Joannis Jacobi, „ D. Proſperi Odonis, D. Evangeliſtæ Nicolai, D. Franciſci Tho- „ mei, D. Stephani de Siriis Canonicorum dictæ noſtræ Cathedralis „ Eccleſiæ reſidentium, & totum Capitulum facientium, cum plures „ Canonici reſidentes non exiſtant, congregatorum coram Nobis capi- tu-

„ tulariter ad ſonum campanellæ (ut moris eſt) abſente tamen D. Andrea Bartholomæi, licet vocato ad Cameram ; prædictum locum, domicilium , ſive domum in dicta terra Vulſinii exiſtentem juxta ſtratam publicam , ut ſupra , in perpetuum unimus , annectimus , & incorporamus Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis loco dictorum Fratrum de Obſervantia extra muros Urbevetanos poſito , & conſtructo , ac ex nunc unimus , incorporamus & annectimus per præſentes: committentes & mandantes Dominis Præpoſito & Canonicis dictæ Terræ , quatenus ſupradictos fratrem Angelum & fratrem Joannem vice & nomine omnium Fratrum de dicta Obſervantia præfati domicilii , & Hoſpitalis ut ſupra , per Nos annexi , uniti & incorporati , in realem , actualem & corporalem poſſeſſionem immittant & inducant , & inductos defendant , amoto exinde quolibet alio illicito detentore . In quorum fidem præſentes noſtras litteras , ſive præſens publicum privilegium exinde fieri fecimus per infraſcriptum Notarium publicum , ſubſcribique , ac noſtri Pontificalis ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri . Datum & actum in Palatio Epiſcopali Urbevetano noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno Domini MCCCCXCV. indictione decimatertia tempore Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri D. Alexandri Divina providentia Papæ VI. die vero IX. Menſis Maii, coram , & præſentibus ſer. Angelo Micinelli , ſer. Alberio Franciſci & Angelo Lelli de Urbeveteri teſtibus ad prædicta vocatis , habitis , & rogatis .

Jo. Franciſcus Riccius Urbevetan. Notarius .

MONUMENTA POLONICA.

I.

Epiſcopus Plocenſis in Polonia dat facultatem ædificandi Conventum Minorum in villa Scampæ . Ex autographo .

JOANNES Dei gratia Epiſcopus Plocenſis .

§. I. UNiverſis & ſingulis noſtras litteras præſentes inſpecturis , lecturis & audituris , ſignificamus , recognoſcimus per expreſſum , qualiter pro parte Religioſorum Patrum Vicarii , & aliorum Fratrum Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia , Monaſterii in Kolo , Gneſnenſis diœceſis , nobis extitit expoſitum , quod ipſi devotioni vacare cupientes , in capella ſive Oratorio Annunciationis Virginis Mariæ in villa Scampæ , noſtræ Plocen. diœceſis , noviter conſtructa & conſecrata , ad quam Chriſtifideles zelo devotionis accenſi , pro conſequendis indulgentiis , & peccatorum remiſſione , etiam de longinquis partibus confluere conſueverunt , Monaſterium erigere & conſtruere , ac in eadem capella , Altiſſimo Domino , nocte dieque famulari , de conſenſu expreſſo Reverendi Domini Nicolai Koſcieleki Præpoſiti Uladiſlavien. ejuſque capellæ patroni & collatoris , qui noſtrum ad hoc ſupplicando conſenſum habere voluit & admiſſionem.

§. II. Nos igitur Joannes Epiſcopus præfatus , dictorum Fratrum petitionem juſtam & rationi conſonam attendentes , ipſorumque tam ſaluberrimum propoſitum ad optatum effectum perducere, & cultum Divinum in diœceſi noſtra præfata adaùgere cupientes ; præfatis Fratribus, ut circa eamdem capellam , Monaſterium erigere, ædificare , conſtruere , ac in eodem aliquot Fratres ſui Ordinis prædicti , ad ſerviendum Domino Deo , & ad peragenda Divina officia , in capella præfata , locare & conſtituere , ſine tamen præju-

di-

dicio & detrimento Rectoris Eccleſiæ parochialis in Scampe, poſſint & valeant, admiſimus & conſenſimus, & nunc & in futuro, auctoritate noſtra ordinaria ad præſens. In cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum eſt appenſum.

Datum Sandomiriæ, feria v. feſti translationis ſancti Stanislai Epiſcopi & Martyris, anno Domini MCCCCXCVI.

II.

Dat Fratribus Conventus Vilnen. aream domui illorum conjunctam. Ex Mon. MSS. Prov. Poloniæ.

ALEXANDER Dei gratia magnus Dux Lituaniæ &c.

SIgnificamus tenore præſentium, quibus expedit, univerſis & ſingulis, quomodo nos Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, Conventus Vilnen. precibus flexi, & rationabiliter ad id adducti, molendinum noſtrum ſituatum in ripa, juxta Conventum eorum, noſtris damnis non parcentes, juſſimus deponere, maxime propter impulſionem aquæ, & tremorem molendini, quæ impedimento ipſis Fratribus, muriſque ipſorum Eccleſiæ fuerunt, & ad ruinam murorum concauſa. Quare ipſis Fratribus Eccleſiæque eorum providere cupientes, ne ex ea area damna & impedimenta habeant in futura tempora, aream noſtram expreſſam, Fratribus expreſſis Conventuique eorum dedimus, & per præſentes damus ex nunc & in perpetuum.

Datum in Boriſſono, feria v. in octava Viſitationis beatiſſimæ Virginis Mariæ, anno Domini MD.

MONUMENTUM CARD. GRIMANI.

Teſtatur Card. Grimanus ſe quaſdam gratias & privilegia pro Fratribus Hiſpanis impetraſſe a Julio Pontifice. Ex Bullario Roder. num. 15.

DOMINICUS miſeratione Divina tituli S. Marci, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis Grimanus, vulgariter nuncupatus, Patriarcha Aquilejenſis, totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Protector, Gubernator & Corrector.

§. I. UNiverſis & ſingulis præſentes litteras noſtras viſuris, lecturis, pariter & audituris, fidem facimus & atteſtamur, qualiter hodie ſanctiſſimus Dominus noſter, Dominus Julius II. Divina providentia Pontifex Maximus, nobis inſtantibus & procurantibus ad ſupplicationem, petitionem & inſtantiam Fratrum beati Franciſci Hiſpaniarum de Obſervantia, gratias hic inferius appoſitas eiſdem Fratribus, a quibuſdam ſuis prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſas, videlicet a fel. record. Alexandro IV. quod dicti Fratres in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis poſſint tempore interdicti, in feſtivitatibus ſanctorum Franciſci, Antonii & Claræ, ac per eorum octavas Divina ſolemniter celebrare officia; ab Alexandro VI. ut etiam in feſtivitatibus ſanctorum Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, ac ſanctorum quinque Martyrum, ejuſdem Ordinis, illo tantum die ſimili modo poſſint celebrare: & a præfato ſanctiſſimo Domino noſtro Julio, ut in die ſancti Bonaventuræ tempore interdicti ad ſupplicationem ſereniſſimorum Regum Hiſpaniarum celebrare poſſent per diem, & eodem modo, ſicut in feſto bea-

beati Franciſci conceſſum extitit, vivæ vocis oraculo confirmavit, & libenti animo approbavit. Ad quas conceſſiones idem ſanctiſſimus Dominus noſter Julius ad noſtram ſimiliter inſtantiam de benignitate Apoſtolica addidit, ut illam eadem indulgentiam, licentiam & auctoritatem celebrandi ut ſupra, habeant etiam in die qua beatus Franciſcus ſacratiſſima recepit Stygmata, & tempore ceſſationis a Divinis: ſuperiora omnia non ſolum approbando & confirmando, verum illa augendo, & de novo concedendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, quas Sanctitas ſua obſtare noluit, illa præſertim, quæ incipit: *Alma mater*, de ſententia excommunicationis lib 6. In quorum fidem, robur & teſtimonium præſentes litteras noſtras fieri, & per Secretarium noſtrum ſcribi, noſtrique ſigilli majoris appenſione muniri mandavimus. Datum Romæ apud ſanctum Marcum die XVII. Julii MDVI. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Julii II. & protectionis noſtræ anno III. L. Puteolanus. De mandato regiſtrata.

§. II. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præſentes litteras fieri, & per Notarium publicum, ac Archivi Romanæ Curiæ ſcriptorem infraſcriptum, ſubſcribi & ſignari, ſigillique prædictæ Romanæ Curiæ Archivi appenſione communiri fecimus. Datum & actum Romæ in domibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a Nativitate Domini MDIX. indictione XII. die vero XI. menſis Junii, Pontificatus prælibati ſanctiſſimi Domini noſtri, Domini Julii Papæ II. anno VI. Præſentibus ibidem diſcretis viris Dominis Nicolao de Ambroſinis & Barnaba Ferdinandi de Valençuela, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notariis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis. Et ego Joannes Baptiſta de Eccleſia Civis Romanus, publicus Apoſtolica auctoritate, Curiæque cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius, necnon Archivi Romanæ Curiæ Scriptor: quia præmiſſis omnibus ac ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur, dicerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus interfui, eaque ſic fieri vidi: idcirco hoc publicum inſtrumentum in forma qua vidimus, ſubſcripſi & publicavi, ſignoque & nomine meo ſolitis & conſuetis, una cum præfati Archivi Romanæ Curiæ Sigilli appenſione ſignavi rogatus & requiſitus.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABbiatæ Graſſi Monaſterium. 310. LII.
Abdaræ Conventus. 22. XLVI. & Monaſterium. 464. XXXIX.
Abrahamus Bzovius corrigitur. 161. XVIII.
Abregarii Conventus. 384. LII.
Abſolutio ab Eccleſiaſticis cenſuris quantæ virtutis. 428. II.
Adamus Polonus Martyr. 169. XLIII.
Adrianus de Veeglet Domum Sororum Tertii Ordinis Brugen. fundat. 25. LVII.
Ægidius Delphinus in Miniſtrum Generalem eligitur. 213. XIII. qualis ille vir. 214. XIII. in Hiſpaniam profectus Ordinis unionem ſuadet. 214. XVI. multa molitur in Obſervantum familia coutra litteras Apoſtolicas. 261. XLI. præfert Ordinis reformandi deſiderium. 263. IV. ſtudet Obſervantes in ſuam habere ſententiam. 263. V. Conventualibus inviſus. 264. VII. ab officio removetur. 312. IV. moritur. 312. V.
Ægidius Florentinus ubi tumulatus. 322. X.
Ægidius Laurentianus quis, & qualis. 440. XV.
Ægidius ſocius beati Pauli de Trinciis ubi floruit. 332. X.
Agnes Ferro Reginæ Aragoniæ Genitrix Tertii Ordinis. 132. XXX.
Agnes de ſancto Franciſco in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. IV.
Agnes Viottæ in Monaſterio Alenconii deceſſit. 146. XXIX.
Agricolturæ Scriptor celebris. 254. XXIII.
Agrigenti Conventus. 193. XXVIII.
Albericus Caraſſa Cœnobium ſancti Viti Mariliani affabre conſtruit. 292. XXIV.
Albertus Dux Saxoniæ Conventus Lipezich reformationem procurat. 168. XXXIX. Conventuales Martinianos appellat. ibidem.
Albertus Engel Epiſcopus Thephelicienſis in Media. 49. XLI.
Albertus Pius de Sabaudia Conventum Carpi fundat. 91. LXVIII.
B. Albertus de Sartiano ubi tumulatus. 327. X.
Albiæ Monaſterium. 395. XXIX.
Alburquerquii Conventus. 363. XLII.
Alcandeti Conventus. 194. XXXI.
Alcaui Conventus. 307. XXXVIII.
Alconcelii Conventus. 289. XLI.
Aldobrandinus Urſinus Archiepiſcopus Nicoſſianus Conventum Morlupi erigit. 216. XXIII.
Alenconii Monaſterium. 145. XXIX.
Alexander de Armedaris Stephanenſis Epiſcopus. 174. V.
Alexander Geraldinus Hiſpaniolæ Epiſcopus. 31. VIII.
Alexander Javorius pietate & conſilio illuſtris, moritur. 94. II.
Alexander Italus Laicus ab infidelibus occiſus. 364. XLIII.
Alexander de Palumbaria Commiſſarius Romanæ Curiæ. 152. I.
Alexander Badel floret. 192. XXIII.
Alexauder VI. Pontifex Romanus eligitur. 3. III. quiſnam debeat in Capitulis generalibus præſidere declarat. 32. XI. & Obſervantes conformari Minoriticæ Regulæ. 33. XII. declarat etiam Vicarii Generalis poteſtatem ſupra Monaſteria Monialium. 35. XIII. Confeſſariis earumdem ſepta Monaſteriorum ingredi permittit. 36. XIV. Temporalium rerum Minoribus conceſſarum dominium penes Romanam Eccleſiam remanere innuit. 89. LXI. privilegia pleraque quibuſdam Minoritis conceſſa revocat. 139. XIII. jubet ne Obſervantes de cetero Domos Conventualium occupent. 182. XIX. Controverſiis Provinciæ Angliæ finem imponit. 186. XX. Franciſcanos Commiſſarios Cruciatæ contra Turcas inſtituit. 229. III. Prælatis Obſervantium ejiciendi incorrigibiles facultatem largitur. 230. V. Fratrum directioni Conceptionis Ordinem commendat. 235. XIII. Ordinem Annunciatarum approbat. 240. XXVIII. Communicationem privilegiorum ceterorum Ordinum Obſervantibus largitur. 245. XLVIII. aliaque privilegia etiam

Clariſſis largitur. ibidem. Conſtitutionem Sixti IV. confirmat de Conceptione Virginis. 266. xv. moritur. 265. ix.
Alexander Veronenſis apud Piſtorium requieſcit. 323. x.
Alexius de Borbiza vir undequaque eximius. 431. x.
Alexius de Zigiſt miraculis glorioſus. 336. x.
Alferratæ Conventus. 390. xliv.
Algarii Conventus. 394. xxiii.
Almagris Domus Sororum Tertii Ordinis. 54. lx.
Almazani Monaſterium. 292. liv.
Aloyſia de Septimo Eccleſiam Monaſterij ſanctæ Mariæ de Gratiis Mootis Virginum Panormi ædificat. 170. xlv.
Alpartilii Conventus. 220. xxxix.
Alphonſus Azevedo Fonſeca Archiepiſcopus Compoſtellanus Domum Tertij Ordinis Salmanticæ auget. 55. lxii.
Alphonſus de Borox Occaniæ tumulatus. 343. x.
Alphonſus a Caſtello ſolum pro extruendo Cœnobio ſancti Clementis largitur. 272. xxvii.
Alphonſus de Caſtilla Beritenſis Epiſcopus. 142. xvii.
Alphonſus Dux Brigantinorum, Regis Portugalliæ filius apud Minoritas tumulatus. 308. xlii.
Alphonſus Eſpinarius apud Indos ab Hiſpaniarum Rege miſſus. 247. iii. revertitur. 428. i.
Alphonſus Ferdinandez Lugo Hiſpanæ Claſſis præfectus. 440. xvi. Cœnobium Alcaudeti una cum conjuge conſtruit. 194. xxxi.
Alphonſus Fonſeca Archiepiſcopus Toletanus. 250. viii.
Alphonſus ab Herrera virtutibus præclarus. 53. lv.
Alphonſus Lonzanus Fabricæ Vaticanæ Commiſſarius. 439. x.
Alphonſus Mendus in Conveotu Truxilii jacet. 219. xxxvi.
Alphonſus Pinna Tanderæ Conventum extruit. 449. xv.
Alphonſus Suarez ubi tumulatus. 383. xlix.
Alvarus de Inojoſa Conventum de Truxillo ædificari exoptat. 167. xxxiv.
Alvarus de Portugallia Monaſterium Hiſpalenſe ædificat. 170. xlix.
Amadeitæ nequeunt ab aliis recipi. 157. x. eis omoia privilegia Obſervaotium conceduutur. ibidem. eorum Coogregatio iuſtauratur. 438. ix.
Beatus Amadeus Beatricis a Silva germanus. 231. viii.
Ambroſius Aquilanus Laicus ubi jacet. 332. x.
Ambroſius a Civitella egregius Eccleſiaſtes. 423. xviii.
Ambroſius Lombardus caritate ſpectabilis. 322. x.
Ambroſius a Ripa Tranſonum miraculis illuſtris. 321. x.
Anaſtaſius de Moote pietate illuſtris. 363. xlii.
Andervacenſis Conventus. 261. xlii.
Andreas a Colle quis, & qualis. 322. x.
Aodreas Faventinus in urbe Cremonenſi magua cum laude prædicat. 46. xl.
Andreas Groſſetanus orationi apprime addictus. 324. x. 240. xxvii.
Andreas de Rambous facultatem ædificaudi Minoritis Cœnobium a Poutifice impetrat. 168. xxxvii.
Angela Degana beatiſſimæ Virgini Mariæ plurimum addicta. 174. iv.
Angela Rancea Monialis miraculis præclara. 57. iv.
S. Angeli in Vadum Conventus. 435. xv.
Angelus de Altamura: V. *Angelus Pelitenſis*.
Angelus Bonſius Clericus genere illuſtris. 215. xviii. 322. x.
Angelus de Civitella Provinciæ Tuſciæ Vicarius Aretii tumulatus. 324. xiv.
Angelus de Clavaſio moritur. 95. ii. Cunei jacet. 326. x.
Angelus Figineus Guardianus Montis Sion. 95. i.
Angelus Florentinus virtutibus admirabilis. 258. xxxi.
Angelus a Groppina in Conventu ſancti Franciſci Mootis Caroli obiit. 153. iv.
Angelus ab Iſcbitella floret. 226. v.
Angelus de Monte Leone beati Pauli de Fulgineo ſocios. 324. x.
Angelus Peliteuſis bumilitate illuſtris. 226. vi.
Angelus de Soocino Provinciæ Januenſis Definitor Generalis. 338. x.
Angelus Storrens Tertiarius. 363. xl.
Angelus a Verboſa Vicarius Provinciæ Boſnæ. 337. x. moritur. 152. ii.
Angliæ Proviociæ controverſiis modus præſcribitur. 186. xx.
Angloni Conventus. 150. ii.
Anna Borbooja Monaſterium Giennenſe una cum conjuge fundat. 197. xliii.
Anoa Carlotta de Villanova in Conventu Draguigniani tumulata. 221. xlv.

Anna a ſancto Franciſco Clariſſa. 434. xxi.
Anna a ſancto Gabriele virtutibus illuſtris. 434. xxi.
Anna Heuriques Monaſterii Maquedæ prima Abbatiſſa. 385 lvi.
Anna Peruſina Monaſterii ſanctæ Mariæ de Columata fundatrix. 199. xxxvi.
Antequeræ Conventus. 290. xlvi.
Antonellus Princeps Salernitanus Domum pro Monaſterio Diani extruendo largitur. 146. xxxi.
Antonius Abbas ab Hæreticis occiſus. 441. xvii.
Antonius a ſancto Angelo Falſanella. 329. x.
Antonius Ariminenſis. 319. x.
Autonius ab Arzeno. 327. x.
Antonius Bitontinus. 331. x.
Antonius de Burgo Reatino floret. 98. ix. ubi tumùlatus. 320. x.
Antouius de Caſtrianis Epiſcopus Collicienſis, & Leopolitanus. 362. xxxviii.
Antonius Cremonenſis ubi ſepultus. 327. x.
Antonius de Cuccaro Epiſcopus Acernenſis. 48. xli.
Antonius Ferrarienſis. 325. x.
Antonius Gard Epiſcopus Libarienſis. 259. xxxiv.
Antonius de Garray Epiſcopus Sebaſtenſis in Phrygia. 128. xvi. renunciato Epiſcopatu, redit ad Ordinem. 462. xxxi.
Antonius a Gavaciis. 240. xxvii.
Antonius a S. Joanne. 323. x.
Antonius a Lauda. 328. x.
Antonius Laurerius commendatur. 295. ii. 414. ii.
Antonius a Leoniſſa Provinciæ S. Angeli Vicarius. 333. x. 431. xi.
Antonius Manriquez Epiſcopus Calaguritanus. 383. l.
Antonius a Martyribus Chriſtianos Indiarum reformat. 311. i.
Antonius a Modoetia jacet in Conventu Maleti. 119. lxv.
Antonius a Monte Falcone. 319. x.
Antonius a Monte Milone. 321. x.
S. Antonius de Padua ſolatur Beatricem a Silva. 231. viii. alios a naufragio liberat. 291. xlviii. pleraque alia ejus miracula iu Conventu Titi. 463. xxxv.
Antonius Pereſtrello ſanctitate conſpicuus. 151. iii.
Antonius Pinarolus Epiſcopus Fanenſis moritur. 128. xvi.
Antonius Piſanus pietate, & arte poetica celebris. 258. xxx.
Antonius Purus. 321. x.
Antonius Rasfeldius Vicarius Provinciæ Coloniæ vir zelantiſſimus. 54. lviii.
Antonius de Regnis Guardianus Montis Sion. 152. i.
Antonius a Ripa. 455. ix.
Antonius de Roccamora Epiſcopus Andrienſis. 272. xxv.
Antonius de Roxas Archiepiſcopus Granatenſis. 31. viii.
Antonius Senenſis. 324. x.
Antonius a Stroncone. 318. x.
Antonius Sulmonenſis. 333. x.
Antonius de Tauro Epiſcopus Caſtrenſis in Sardinia. 241. xxx.
Antonius de Tricarico. 331. x.
Antonius Trumbetta Archiepiſcopus Urbinas, & Athenarum a doctrina commendatus. 432. xiii.
Antonius Tudertinus. 318. x.
Antonius Verullenſis. 320. x.
Antonius Zamora. 421. xiii. 425. xxiv.
Antuerpiæ Domus Fratrum Tertii Ordinis. 121. lxxvi.
Apollonia Pigbineſſa. 450. xix.
Apollonia vidua Tertiaria bonis operibus jugiter intenta. 228. viii.
Apollonii Aquilani elogium. 288. xxxvi.
Aquenſis Conventus. 260. xxxviii. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 121. lxxviii.
Arandæ Durianæ Conventus. 119. xxxv.
Archangelus Alchamenſis Vicarius Provinciæ Siciliæ. 330. x.
Archangelus Aquilanus. 332. x.
Archangelus a Calataffimo miraculis clarus. 307. xxxviii. Vicarius Provinciæ Siciliæ. ibidem. In Conventu Alcami ſepultus. 307. xxxviii.
Archangelus a Campobaſſo Vicarius Provinciæ ſancti Angeli. 333. x. 499. xiv.
Archangelus Placentinus Provinciæ Mediolanenſis Vicarius. 390. xiii. & Vicarius Generalis Ciſmontanus. ibidem.
Archangelus a Trivillio eximius Concionator Maleti jacet. 119. lxv.
Archangelus Valliſoletanus Prædicator celebris. 255. xxv.
Arcvenſis Conventus. 425. xxiv.
Ardicinus de la Porta junior Cardinalis dat nomen Minoritis. 19. xxxviii.
Aræ Sanctorum Conventus. 364. xlv.
Aretinum Monaſterium. 97. viii. & alia etiam. 222. xlviii.
Arevali Monaſterium. 131. xxviii.
Argentæ Conventus. 167. xxxi.
Arzignani Conventus. 91. lxvii.

Aſſiſii Monaſterium Conceptionis. 442. xxii. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 451. xxii.
Aſtunenſis Conventus. 192. xxvi.
Aſulæ Monaſterium. 131. xxv.
Atheſtinus Conventus. 363. xxxix.
Athſketinenſis Conventus. 145. xxviii.
Averſæ Monaſterium. 194. xxxv.
Auguſtinus Barnabas floret. 20. xxxix.
Auguſtinus de Salaria. 323. x.
Auctoritas Vicarii Generalis circa Monaſteria Monialium. 35. xiii.
Auxooiani Monaſterium. 197. xliii. in margine.
Aximæ Conventus. 477. xxxi.
Aymo de Monte Falcone Cœnobium de Morgiis extruit. 144. xxv.
Azubiæ Conventus. 220. xl.

B

BAlthaſſar Florentinus moritur. 36. xv. 322. x.
Balthaſſar a Clavaſio. 97. vii. 326. x.
Balthaſſar Reaſſel Laicus ſanctitate conſpicuus. 199. ii.
Baptiſta Balducia. 259. xxxii.
Baptiſta de Cagua o. 332. x.
Baptiſta Florentinus ubi tumulatus. 333. x.
Baptiſta Tailiacarne Vicarius Generalis Ciſmontanus. 319. x.
Baptiſta Theutonicus. 332. x. ſeqq.
Baptiſtæ Varanæ vita. 406. xxvi.
Barbara Bojarda prima Monaſterii Ferrarienſis Abbatiſſa. 426. xxvi.
Barbara Piſcaria pientiſſima virgo. 174. iv.
Barbariani Conventus. 218. xxxiii.
Barcelorum Conventus. 308. xliii.
Barcinonenſe Monaſterium. 198. xlv.
Barenſe Monaſterium. 24. liii.
Barnabas Interamnenſis. 318. x.
Barrocalis Conventus. 383. xlix.
Bartholomæus de Anglario. 323. x.
Bartholomæus Fabrianenſis quomodo converſus 332. x. 301. xx. ejus virtutes. ibidem.
Bartholomæus Floridus a ſecretis Pontifici male ſe gerit in ſuo munere. 139. xiii.
Bartholomæus Portennequi Epiſcopus Trojanus Eccleſiam Conventus Draguigniani conſecrat. 221. xlv.
Bartholomæus de Ruvere Epiſc. Ferrarienſis Patriarcha Antiochenus. 265. x.
Bartholomæus Simonius de Maroſtica acta beati Bernardini de Feltrio ſcribit. 87. lvii.
Bartholomæus Tridentinus. 326. x.
Bartholomæus de Xano. 318. x.
Baſtidæ Conventus. 424. xxii.
Bazæ Monaſterium. 222. l.
Beatrix a Bramonte genere virtutibuſque illuſtris. 244. xli.
Beatrix Pacheco Cœnobium Arevenſe extruit. 425. xxiv.
Beatrix a Rayoeriis pietate miraculiſque conſpicua. 195. xxxviii.
Beatrix ab Arellano Monaſterium Velex Malagæ pro Clariſſis extruit. 441. xx.
Beatrix a Ruſconibus. 327. x.
Beatrix a Silva ſpecioſiſſimæ formæ. 231. viii. male a Regina Caſtellæ conſanguinea afficitur. ibidem. in Monaſterio recluditur. 231. ix. a beata Virgine ut Ordinem Conceptionis inſtituat monetur. 232. ix. litteræ Pontificiæ ſubmerſæ cœlitus reſtitutæ. 234. xi. pie moritur. ibid. Patres Dominicani de ejus corpore certant. 234. xii.
Beſſamius Theutonicus ubi jacet. 333. x.
Belinzonæ Conventus. 128. lxiv.
Bellum Africanum proſpere Ximenius ducit. 396. i. & ſacrum egregie promovet. 358. xxv.
Benedicta Peruſina Tertiaria Monaſterii Peruſini de Columata fundatrix. 195. xxxvi. & domus Conceptionis Aſſiſii. 442. xxii.
Benedictus a Camerino. 318. x.
Benedictus Papienſis Commiſſarius Curiæ Romanæ. 437. vi.
Benedictus a Zegedino Archiepiſcopus Trajanopolitanus. 48. xli.
Benvendeus quidam antiquus Frater. 326. x.
Bernardina de Jeſu in Monaſterio Setobrigenſi floret. 134. iv.
S. Bernardini Senenſis tranſlationis feſtum celebrari conceditur 392. xvii.
Bernardinus Caymus Conventus Varalli fundator. 49. xlii. a Sixto IV. ſummo Pontifice ad Regem Hiſpaniæ miſſus. 125. v.
Bernardinus Feltrenſis a Mediolano recedit. 5. x. Viglevani optima quæque Duci Mediolanenſi perſuadet. ibid. Placentiæ concionatur. 5. xi. Pontifex Montem Pietatis ab eodem inſtitutum confirmat. ibid. Mantuam abit. 6. xii. inde Vincentiam. ibid. Patavii Sermones habet Quadrageſimales. 7. xv. pergit ad Campum ſancti Petri. 7. xvii. mox ad Caſtrum Francum. ibid. ejus honori inſidiantur hebræi. 8. xvii. prædicat Aſoli. 8. xviii. inde Feltrum proficiſcitur. 8. xix. ingenti prædicat populorum concurſu. ibid. Feltri Monaſterium
Cla-

Clariſſarum extruit . 9. xxi. Feltro Genuam abire jubetur . 11. xxiv. aliis etiam in Oppidis concionatur . 11. xxiv. ſeq. Calderii male habetur . 12. xxv. Veronam abit, & Cremam . 12. xxvi. aliiſque in partibus . ibid. ſeq. multa bona Vincentinis præſtat . 13. xxix. Patavium iterum proficiſcitur . 37. xvii. Mantuæ, Cremæ, & Ticini prædicaturus . 37. xviii. multa ibi religioſe peragit . 37. xix. ejus doctrina miraculis confirmatur . 38. xxi. multa in uno miracula . 38. xxii. Deſoli concionatur . 39. xxiii. Florentiolæ . ibidem. Florentiæ jubetur ne prædicet. 39. xxiv. ſed tamdem permittitur ut concionetur . 40. xxv. controvertitur circa modum erigendi Montes Pietatis . 41. xxvii. doctrina valde appoſita pro infirmis, eorumque Miniſtris . 41. xxviii. a multis Urbibus expetitur . 42. xxix. abit Aretium . 42. xxx. Florentiam redit . 42. xxxi. ubi periculoſas doctrinas profligat . 43. xxxii. & diſcretionem explicat ſpirituum. 43. xxxii. pergit Peruſium. 44. xxxiv. rupta pectoris vena ceſſat a concione . ibibem. invebitur acriter in odia cruentaſque inimicitias . 44. xxxv. idque ipſum facit Aſſiſii. 44. xxxvi. Spoletum proficiſcitur . 45. xxxvi. inde Eugubium . ibidem . multas alias Urbes percurrit . ibib. Brixienſibus præſtitit beneficia . 45. xxxvii. Brixia Feltrum proficiſcitur . 62. v. a multis deſideratur . ibid. regreditur ex itinere Vincentiam . 63. vii. ubi per totam prædicat Quadrageſimam . ibidem . ſpectacula evertit Bacchanalia . ibid. magna ejus poteſtas erga Energumenam . 64. ix. multa præſtitit Vincentinis beneficia. 65. xi. Vincentia Patavium abit . 66. xiv, Patavio Brixiam . ibidem . ad montem Silicis concionatur . ibid. ad oppidum Eſteuſe . 67. xv. ad Montagnanæ . ibid. ad Coloniæ . ibidem . Veronæ. 67. xvi. Piſcariæ ibid. Brixiæ horribile ſpectrum apparet. ibid. jubetur prædicare Aſculanis. 68. xviii. Brixia recedit, Ticinum pergit . 68. xix. Ticini concionatur. 69. xxi. infirmatur. 70. xxiii. ſanctiſſime moritur. 71. xxiv. miranda poſt mortem . 71. xxv. diſceptatur de funere . 71. xxvi. multi eum ſolemni funere cohoneſtant . 72. xxvii. Breve illius vitæ compendium. 72. xxviii. multa patrat miracula. 73. xxxi. contractos rectificat . 74. xxxii. Epilepſyam expugnat . 75. xxxiii. Podagram abigit . 75. xxxiv. Hydropiſim exſiccat. 75. xxxv. Hernioſos conſolidat . 75. xxxvi. Lues Venerea pellitur. 76. xxxvii. Apoſtemata curantur . 76. xxxviii. Cæcis viſus, Surdis auditus, Mutis loquela reſtituitur . 77. xxxix. Claudi ambulant . 77. xl. Vulnerati integrantur . 77. xli. Ulcerati ſanantur . 78. xlii. crura & brachia fracta vel ſaucia confirmantur . 78. xliii. Febres periodicæ, & continuæ diſcutiuntur . 79. xliv. variæ membrorum, corporiſque affectiones depulſæ . 79. xlv. ſteriles pariunt, prædones reſtituunt. 80. xlvi. conjugum diviſus amor redintegratur . 80. xlvii. Viro Dei adverſantes vel obloquentes puniuntur 81. xlviii. Mors propinqua propulſatur. 81. xlix. Mortui ad vitam revocantur. 82. l. exhumatur corpus integrum . 83. li. Nobili loco reponitur . ibid. Urbis Ticinenſis erga eum gratitudo . 84. liii. ejus vitæ compendium . 86. lvi. quinam ejus vitam ſcripſerunt. 89. lvii. ejus elogium. 87. lviii. duos languentes ſanat . 98. x. ejus ſepulcrum . 326. x.

Bernardinus a Foſſa Provinciarum ſancti Bernardini, Boſnæ & Dalmatiæ Miniſter . 268. xvi. Juri dat operam. ibid. nomen Minoritis . 268. xix. ejus præclara geſta, virtutes miracula & mors. 270. xx. ſeq. & 332. x.

Bernardinus Fulginas Commiſſarius Auſtriæ & Poloniæ . 378. xli.

Bernardinus de Leonardo Societatem ſanctiſſimi Nominis Jeſu in Eccleſia Fulginatenſi inſtituit . 139. xii.

Bernardus de Mandello . 322. x.

Bernardus Peruſinus . 328. x.

Bernardinus Ptolomæus Commiſſarius Generalis Ciſmontanus . 448. x.

Bernardinus a Rivo nigro virtutibus commendabilis . 363. xl.

Bernardinus Siculus floret . 142. xvii.

Bernardinus N. Tuburnenſis Epiſcopus in Hibernia . 411. xxxix.

Bernardinus Ximenius exoptat vitam eremiticam agere . 161. xvii. inconſtantia laborat. 115. liii.

Bernardus Boillus inepte effingitur primus Indiarum Occidentalium Apoſtolus . 28. iv. inter ipſum & Columbum quæ ſimultates . vi. ſeqq.

Bernardus de Capaccio . 329. x.

Bernardus Fabrianenſis . 321. x.

Bernardus Hungarus contemplatione & extaſi mirabilis . 301. xxii.

Bernardus a Luceria, ſive Nuceria Saracenorum Provinciæ ſancti Angeli Vicarius . 334. x.

Ber-

Bernardus Searlatus. 322. x.
Bertiuus N. 341. x.
Berıocalii Conventus. 383. xLIX.
Bethuniæ Monaſterium. 25. LVI. & domus Sororum Tertii Ordiuis. 121. LXXVII.
Bettonii Conventus. 90. LXVI.
Bibliorum Complutenſium, curante Franciſco Ximenio illuſtratores. 251. XIII. eorumdem auctoritas. 253.XVIII.
Biecorii Conventus. 218. XXXIV.
Biecorofchia nobilis Matrona ſuo ære Caſimiriæ Cœnobium abſolvit. 464. XXXVI.
Bileteldenſis Conventus. 242. XXXVI.
Bimeth de Valentia. 345. x.
Birgitta. V. *Brigitta*.
Biturgii Conventus. 222. XLIX.
Bituricenſe Annunciatarum Monaſterium. 243. XXXVII.
Blanca de Inſula in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. IV.
Blangienſis Conventus. 194. XXXII.
Blaſius Nunnius Indiarum explorator. 452. I.
Boccini ſancti Mauri Conventus. 218. XXIX.
Boguslaus ſancti Joannis de Capiſtrano ſocius Martyr. 154. VI.
Bona Franciſca Caiani a ſingulari ſilentio & pietate commendata. 174. IV.
Bonaventura ab Antrodoco ſanctiſſima Virgo obit in Domino. 153. V.
Bonaventura Dalmata Minorita Epiſcopus Croacenſis Eccleſiam Conventus Aximæ conſecrat. 477. XXXI.
Bonaventura Meliteuſis laicus in Conventu Julianæ ſepultus. 193. XXVII.
Boni Jeſu Conventus. 307. XL.
Bonnæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 385. XLIX.
Bononienſe ſanctæ Claræ Monaſterium. 426. XXVI.
Bopardienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 261. XXXIX.
Borbæ Conventus. 308. XLI.
Bovolini Conventus. 393. XX.
Bravlus Balliohus pro Cœnobio Paciani extruendo ſolum largitur. 128. XVIII.
S. Brigittæ feſtivitas in Ordine Minorum. 392. XVII.
Brigittæ a Monte acuto elogium. 258. XXXII.
Briocenſis Conventus. 129. XXII.
Brittanniæ Provinciæ aliquot Cœnobia uniuntur. 129. XXI.
Brubenſis Conventus. 261. XLII.
Bruelenſis Conventus. 54. LVIII.
Brugenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 25. LVII.
Burgundiæ Prælatis modus agendi cum Obſervantibus præſcribitur. 140. XIV.
Buſliæ Conventus. 51. XLIX.
Bzovius. V. *Abrahamus Bzovius*.

C

Cacciæ Conventus. 424. XXII.
Cæcilia Coppola in Domino obdormit. 215. XIX.
Cæcilia Veneta. 459. XXIV.
Cæſar Neapolitanus Copiarum Caroli V. Præfectus in Eccleſia Varalli tumulatus. 51. XLVI.
Cæſarauguſtani & Calatjuby Conventus reformantur. 168. XXXVI.
Cæſarauguſtanum Monaſterium. 131. XXVII.
Cartæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 54. LIX.
Calabazani ſanctæ Mariæ de Conſolatione Monaſterium. 244. XL.
Calatamaſ.onæ Conventus. 383.XLVIII.
Camberiaci Monaſterium. 56. LXV. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 120. LXIX.
Cameracenſe Monaſterium. 23. LII.
Cameratæ Conventus. 218. XXIV.
Cameſii Conventus. 23. LI.
Camilla Borgia Clariſſa. 426. XXVI.
Campi baſſi Conventus. 423. XVIII.
Campi majoris Conventus. 92. LXXI.
Campi Regis Monaſterium. 147. XXXIII.
De Campis Monaſterium. 396. XXXIII.
Canaris Conventus. 363. XL.
Candidus Ranzeus multis titulis illuſtris. 472. XV.
Caneæ Inſulæ Cretenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 93. LXXVIII.
Canonori Conventus. 364. XLIV.
Cautus Eccleſiaſticus quanti apud Ximenium in pretio. 254. XXII.
Capitis Bovis Monaſterium. 395.XXVIII.
Capitula Generalia Conventualium, Bononiæ. 95. I. 213. XIII. Mediolani. 152. I. Trecenſe in Gallia. 263. IV 299. XV. Aſſiſii. 447. IX.
Capitula Generalia Obſervantum Ciſmontanorum, Aquilæ. 95. I. Florentiæ. 31. IX. Mediolani. 152. I. Urbini. 230. IV. Mantuæ. 276. VI. Romæ. 311. III. Ferrariæ. 404. Neapoli. 436. VI. Aſſiſii. 454. VI.
Capitula Generalia Obſervantum Ultramontanorum, Florentiaci. 31. X. Mechliniæ. 177. III. Toloſæ. 124. I. Lavallenſe. 298. XI. Barchinonenſe. 392. XVII. Rapiſtagni. 431. IX. Antuerpiæ. 454. VI.
Carmaniolæ Conventus. 51. XLIX.
Carmonæ Monaſterium. 426. XXVII.

S.Ca-

Digitized by Google

S. Carolns Borromæus Montes pietatis ubique inſtitui jubet. 471. XIV.
Carolus VIII. Francorum Rex Conventum Lugdunenſem conſtruit. 23. XLIX.
Carpenſis Conventus. 91. LXVIII.
Carpinei Conventus. 21. XLV.
Caſalenſe Monaſterium. 25. LVI.
Caſimiriæ Conventus. 464. XXXVI.
Caſimirus Rex Poloniæ moritùr. 5. IX.
Caſſaliæ Conventus. 91. LXX.
Caſſani Conventus. 142. XVIII.
S. Caſſiani Conventus. 20. XLI. & Monaſterium. 24. LIV.
Caſtilionis Monaſterium. 54. LIX.
Caſtrificardi Conventus. 217. XXV.
Caſtrifortis Conventus. 259. XXXVI.
Caſtri Gunteri Domus Sororum Tertii Ordinis. 385. LVIII.
Caſtri Julii Conventus. 255. XXV.
Caſtri Lauri Conventus. 119. LXVI.
Caſtri in Sicilia Conventus. 272. XXVI.
Catarina a S. Michaele in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. IV.
Catarina a Palma ſanctitatis opinione præclara. 196. XXXIX.
Catarina Roman Monaſterii Ocanii fundatrix. 478. XXXIX.
Catarina Sanchez Domum Almagri ædificat. 54. LX.
Cavenſis Conventus. 217. XXVIII.
Cenſurarum Eccleſiaſticarum vis & efficacia. 428. II.
Cernamcellenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 245. XLV.
Cervariæ Conventus. 143. XX.
Chamberiaci Conventus. 56. LXV.
Cherii Conventus. 382. XLVII.
Cherubina Alberia Eccleſiam Conventus Saxi Ferrati conſtruit. 393. XXI.
Cherubinus Bergomenſis. 333. X.
Cherubinus de Caponibus. 322. X.
Cherubinus Hungarus Principibus valde carus. 176. VIII.
Cherubinus Meſſanenſis moritur. 258. XXIX.
Cherubinus Spoletanus ubi ſepultus. 318. X.
Chilonii Conventus. 168. XXXV.
Chriſtophorus Columbus ad Indias iterato proficiſcitur. 1. I. 27. II. Ejus pietas. 28. II. inter eum, & Boillium exortæ ſimultates. 30. VII. ſeqq. male a Bovadilla habetur. 229. II.
Chriſtophorus Crivellus. 323. X.
Chriſtophorus Forolivienſis Commiſſarius Romanæ Curiæ. 437. VI. Vicarius Generalis. 454. VI. & Nuncius Apoſtolicus. 476. XXVIII.
Chriſtophorus Papienſis. 318. X.
Chriſtophorus Stordon Imperatori & Regi Hungariæ gratiſſimus. 49. XLI.
Cineſii Conventus. 291. XLVIII.
Ciſneriæ familiæ funeralia a Ximenio præſcripta. 279. XLII.
Clara Bugnia ſanctiſſima Virgo. 456. XII. Ejus acta deſcribuntur ibidem. ſeqq.
Clara Fulginas Regularis Obſervantiæ zelatrix. 228. IX.
Clara Majoricenſis. 328. X.
Clara Palvia orationi addicta. 450. XIX.
Clareni Obſervantibus uniuntur. 437. VII.
Clarevallis Monaſterium. 147. XXXIII.
Clariſſarum bona derelicta quibus uniuntur. 396. XXXIV. Earum Monaſteria. V. *Monaſteria* & privilegia. V. *in fine quorumlibet annorum*.
Clavaſii Conventus. 382. XLVII.
Claudia Meanſea prima Monaſterii Gebennæ Abbatiſſa. 60. V.
Claudius Reignatus Regularis Obſervantiæ zelator. 421. XIII.
Clemens de Caponibus. 323. X.
Clemens Groſſus de Ruvere Cardinalis. 265. X.
Clemens quidam Minorita primus Cathedræ Complutenſis moderator. 386. II.
Clementia Baptiſta in Monaſterio Setobricenſi floret. 134. IV.
S. Clementis in Hiſpania Conventus. 272. XXVII.
Collegium Complutenſe a Ximenio fundatum. 143. XXI. quales ex eo viri prodierint. 143. XXII. unde ei nomen ſanctorum Petri & Pauli inditum. 144. XXIII.
Coloniæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 197. XLIV. 245. XLVI.
Comitia Generalia. V. *Capitula Generalia*.
Complutenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 293. LVII.
Conceptio beatiſſimæ Virginis immaculata declaratur. 142. XVI. 191. XXII. 241. XXIX. 265. XII. 266. XIV. plectuntur quidam contra piam opinionem excogitantes. 410. XXXVII. duo ex iis Palinodiam cantant. 266. XIII. Ejus officium recitari Innocentius VIII. annuit. 233. X. Sodalitas ad ejus honorem Toleti inſtituitur. 354. XII. & ſanctimonialium Ordo. 231. VIII. ſeq.
Conchenſe Monaſterium. 292. LIII.
Coneliani Conventus. 307. XXXVII.
Confeſſariis Monialium poteſtas ingrediendi Monaſteria conceditur. 36. XIV.
Congregationis Fratrum de Capucio origo. 255. XXV. ejuſdem reformatio promovetur. 265. XI.

De

De Conimbo Conventus. 194. XXXIII.

Conradus Voeſſaliæ Provinciæ Coloniæ Miniſter. 145. XXVII.

Couſtantia a ſancto Franciſco Monaſterii Utreræ, cnm aliis duabus fundatrix. 365. XLVII.

Controverſiis Provinciæ Angliæ modus præſcribitur. 186. XX.

Conventualibus jubetur ne Obſervantes in ſuum conſortium admittant. 154. VIII. 313. VII. 404. XXIII. non licet eis extra Conventus commorari. 396. XXIV. Martiniani dicti, & quare. 168. XXXIX.

Conventus Abdaræ. 22. XLVI. Abregacii. 384. LII. Agrigenti. 193. XXVIII. Alburquerquii. 363. XLII. Alcandeti. 294. XXXI. Alcani. 307. XXXVIII. Alconcelii. 289. XLI. Alferratæ. 290. XLIV. Algarii. 394. XXIII. Alpartilii. 220. XXXIX. Andervacenſis. 261. XLII. S. Angeli in Vadum. 432. XV. Angloni. 150. II. Antequeræ. 290. XLVI. Aquenſis. 260. XXXVIII. Arandæ Durianæ. 119. XXXV. Arcuenſis. 425. XXIV. Aræ Sanctorum. 364. XLV. Argentæ. 167. XXXI. Arzignani. 91. LXVII. Aſtunenſis. 192. XXVI. Atbeſtinus. 363. XXXIX. Atbskettiuenſis. 145. XXVIII. Aximæ. 477. XXXI. Azubiæ. 220. XL. Barbariani. 218. XXXIII. Barcellorum. 308. XLIII. Barrocalis. 383. XLIX. Baſtidæ. 424. XXII. Belinzonæ. 118. LXIV. Berrocalii. 383. XLIX. Bertonii. 90. LVI. Biecarii. 218. XXXIV. Bilefeldenſis. 242. XXXVI. Biturgii. 222. XLIX. Blagienſis. 194. XXXII. Boccini S. Mauri. 218. XXIX. Boni Jeſu. 307. XL. Borbæ. 308. XLI. Bovolini. 393. XX. Briocenſis. 129. XXII. Brubenſis. 261. XLII. Bruelenſis. 54. LVIII. Buſcæ. 51. XLIX. Cacciæ. 424. XXII. Cæſarauguſtani & Calatajuby reformantur. 168. XXXVI. Calatamaſcottæ. 383. XLVIII. Cameratæ. 218. XXIV. Camecij. 23. LI. Campi baſſi. 423. XVIII. Campi majoris. 92. LXXI. Canaris. 363. XL. Canonori. 364. XLIV. Carmaniolæ. 51. XLIX. Carpenſis. 91. LXVIII. Carpinei. 21. XLV. Caſimiriæ. 464. XXXVI. Caſſaliæ. 91. LXX. Caſſani. 142. XVIII. S. Caſſiani. 20. XLI. Caſtri-ficardi. 217. XXV. Caſtri-ſortis. 259. XXXVI. Caſtri Julii. 255. XXV. Caſtri in Sicilia. 272. XXVI. Caſtri Lauri. 119. LXVI. Cavenſis. 217. XXVIII. Cervariæ. 143. XX. Cbamberiaci. 56. LXV. Cberii. 382. XLVII. Chilonii. 168. XXXV. Cineſii. 291. XLVIII. Clavaſii. 382. XLVII. S. Clementis in Hiſpania. 272. XXVII. Coneliani. 307. XXXVII. De Conimbo. 194. XXXIII. De Corbus. 365. XLIX. Corneti. 395. XXXII. Cremæ. 477. XXXV. Cremonæ. 217. XXVI. Creſcentinus. 382. XLVII. Cubanus. 308. XLV. Cupramontanus. 118. LXIII. Curi. 424. XX. Cuſpidis ſubtilis. 221. XLIII. Daciæ & Germaniæ reformantur. 120. LXXII. Davetrenſis reformatur. 130. XXIII. Dieſtenſis. 364. XLV. Diovenenſis. S. Nicolai. 23. L. Diovenenſis. 144. XLIV. reformatur. 309. XLVII. S. Dominici. 248. III. 414. I. Eborenſis. 122. LXXXII. Ehakamevezii. 130. XXIV. Empolitanus. 424. XXI. S. Eupbemiæ. 290. XLV. 383. L. Feliciani. 259. XXXV. Ficatræ. 463. XXXV. Firmanus S. Franciſci. 198. XLVI. Fluviani. 21. XLII. Foggiæ. 424. XX. Fonti-donii. 129. XIX. Forentiæ. 218. XXXI. Forolivii. 477. XXXIII. Fraxineti. 290. XXII. Fridau. 54. LVII. Galviæ. 93. LXXXI. Garderſemi. 145. XXVI. S. Geminiani. 192. XXVII. S. Geneſii de la Xara. 52. LI. S. Gerardi. 54. LVII. Goannus. 415. III. Gollegani. 307. XXXIX. Granatenſis Alhambræ. 143. XIX. Grecenſis Stiriæ. 384. LIII. Griſtounenſis. 412. XLIV. Guavardi. 440. XV. Horaeſdiovigii. 23. LI. Horſvenſis. 144. XXV. Hydruntinus. 192. XXV. Jaguanæ. 308. XLVI. Iraudillæ. 53. LV. Jeduardæ. 450. XVIII. Illiciti. 424. XX. Inſulæ Palmariæ. 394. XXIV. Inſulæ Sapientiæ. 168. XXXVII. Inſulæ Scalarum. 433. XVII. Iſerniæ. 363. XL. Julianæ. 193. XXVIII. Labelli. 289. XL. Laureanus. 382. XLVIII. Laurentiani. 440. XV. Lauri. 150. II. Laybenſis. 242. XXXV. Lepæ. 449. XVI. Lipezich. 168. XXXIX. Loreti in Aprutio. 218. XXX. S. Luciæ. 272. XXVI. Lugani. 217. XXVIII. Lunæ. 193. XXIX. Maceratæ. 432. XIV. Malacenſis in Gallia. 119. LXVII. Malacitanus. 119. LVII. Malarum herbarum. 120. LXXI. Maleti. 119. LXV. Manfredoniæ. 411. XLI. S. Mariæ in Campo. 51. XLVIII. S. Mariæ Laureti in Algarbiis. 308. XLIV. S. Mariæ pietatis. 289. XLI. S. Mariæ de Spineto. 166. XXVII. Mariliani. 192. XXIV. S. Mariæ de Pomerio. 411. XLII. Marpurgi reformatur. 145. XXVII. S. Martini. 440. XIV. Maſſargæ. 221. XLI. Materæ. 150. II. Maximæ. 143. XVIII. Metelini. 394. XXXIII. Methlinienſis. 170. LI. Mindemburgi. 291. LI. Mogueri. 290. XLIII. Molæ. 272. XXVI. Moncarii. 193. XXX. Montaguanæ. 289. XL. Moutalbani. 129. XX. De Montiliis. 194. XXXIII. Montionis. 167. XXXII. Montis fortis. 242. XXXIV.

Montis Guiſcardi. 441. xvii. Montis Albotti. 21. xliv. Montis Mari. 259. xxxvi. Montis Rubei. 218. xxxiv. Montis Sancti. 166. xxviii. Montis Ulmi. 423. xviii. Morgiarum. 92. lxxiv. 144. xxv. Morlupi. 216. xxiii. Mottæ. 423. xviii. Murati. 464. xxxvii. Narbonæ. 450. xviii. Neguapanti. 364. xliv. Neritonis. 142. xviii. Neſtroerdenſis. 144. xxv. Nolæ. 289. xxxix. Novaſiani. 260. xxxviii. Nuceriæ. 217. xxiv. Offidanus. 477. xxxii. Oppidi S. Euphemiæ. 290. xlv. Opatovienſis. 259. xxxiii. Orani. 402. xvi. Pacciani. 128. xviii, Palmariæ Iuſulæ. 394. xxiv. Palmæ. 91. lxix. Papienſe.. 166. xxix. Pedemontis. 433. xviii. Pelegrini. 142. xviii. Pergeti reformatur. 168. xxxviii. Petræ Patritii. 394. xxv. Petræ pontis. 194. xxxii. Petræ Sanctæ. 51. l. S. Petri in Galatiua. 289. xl. S. Petri in Monte Aureo de Urbe. 396. xxxii. Petrochii. 425. xxv. Phalernæ. 169. xl. Pitiliani. 51. xlvii. Plicenſis. 478. xxxviii. Politii. 241. xxxi. Poloecenſis. 169. xliii. De Rambous. 168. xxxviii. Reynoſæ. 464. xxxviii. Rivelii. 478. xxxvi. Rothomagenſis. 260. xxxviii. De Rubo. 241. xxxii. Rupis Fergulii. 145. xxviii. Salvæ Terræ. 364. xliii. Salvi Leonis. 419. xxxvii. 289. xli. Sangrenſis. 423. xix. Sarzanæ. 167. xxxiii. Saſſiolæ. 291. xlvii. Savæ. 384. liv. Saxo-ferrati. 393. xxi. Scalonæ. 52. lii. Scampenſis. 169. xliv. Scaphæ ruptæ. 220. xxxviii. Seuteræ. 218. xxxiv. Seuvatii. 379. xliii. Selli Robaudi. 291. l. Septebrii. 423. xviii. Sermoneti. 118. lxi. Sieli. 464. xxxv. De Silva. 92. lxxii. Slevicenſis. 194. xxxiv. Sobradilii. 259. xxxvii. Stringolæ. 218. xxxii. Striclingii. 169. xli. Summæ. 422. xvi. Tarviſinus. 440. xiii. Tenariſæ. 440. xvi. Terlitii. 218. xxix. Termarum. 170. xlvi. Tyorehei. 144. xxv. Titi. 463. xxxv. Traxcoſienſis. 412. xliii. Trivillii. 172. ii. De Truxillo. 167. xxxiv. 219. xxxvi. Turrigii. 22. xlvii. Turris Lacunæ. 424. xxiii. Tuſcanellæ. 477. xxx. Tuſſiciæ. 218. xxx. Valiſoletanus. 171. lii. Vallis Agri. 432. xvi. Vallis Ardenſis. 120. lxx. Vallis Caprariæ. 94. iii. Vallis Entinæ. 272. xxviii. Varalli S. Mariæ Gratiarum. 49. xlii. Velezii. 168. xxxvi. Vieiuovi. 166. xxx. Viennenſis. 291. li. Vigonii. 130. xxiii. Villæ Franchæ. 130. xxiii. Villæ novæ. 92. lxxii. Villæ novæ de Fraxino. 220. xxxviii. Villæ novæ de Scapha rupta. 450. xvii. Villæ vitioſæ 221. xlii. Waradienſis. 169. xlii. Vulſinii. 118. lxii. De la Xara ſancti Geneſii. 52. li. Zagedienſis. 169. xlii.

Conventus aliquot Provinciæ Brittanniæ uniuntur. 129. xxi.

Conventus Fratrum & Sororum Tertii Inſtituti. V. *Domus Tertii Ordinis*.

Corati Conventus. 363. xxxix.

De Corbus Conventus. 365. xlix.

Cordubenſis Domus Fratrum Tertii Ordiuis. 365. xlix.

Cornelionis Monaſterium. 21. lxxiv.

Corneti Conventus. 395. xxxii.

Coronæ Marianæ recitandæ norma. 303. xxvii.

Coruniæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 93. lxxvii.

Cremæ Conventus. 477. xxxv.

Cremonæ Conventus. 217. xxvi.

Creſcentinus Conventus. 382. xlvii.

Creſcentius Lombardus laicus virtutibus celebris. 227. vii.

Crucis ſigno urbem Quiolæ in Indiis expugnant Chriſtiani. 295. i. eoſque Minores excitant exemplo. ibidem.

Cubanus Conventus. 308. xlv.

Cumanum Monaſterium. 24. lvi.

Cupramontanus Conventus. 118. lxiii.

Curi Conventus. 424 xx.

Cuſpidis ſubtilis Conventus. 221. xliii.

D

DAciæ & Germaniæ aliquot Conventus reformantur. 120. lxxii.

Damianus Cremonenſis miraculis clarus ubi requieſcit. 325. x.

Damianus de Joha Vicarius Provinciæ Terræ-laboris. 436. vi. Commiſſarius Generalis eligitur. ibidem.

Damianus a Ripa obedientia aliiſque virtutibus inſignis. 301. xxii. Ei apparet ſanctus Franciſcus, & itineris ſe comitem præſtat. ibid. meritis plenus moritur. ibid.

Damianus Valentinus martyr. 364. xliii.

Daventrenſis Conventus reformatur. 130. xxiii.

Demetrius Albanus. 329. x.

Deſertæ ad Lugdunum Monaſterium. 292. lvi.

Diani Monaſterium. 146. xxxi.

Didaeus Colonus, ſive Columbus Indiis præficitur. 386. i.

Didaeus Fernandez de Corduba Hiſpanicæ Claſſis in Africam præfectus.

ſtus. 397. II. in prælio cadit. 397. III. Cœnobii Chillonii conſtruendi facultatem impetrat. 168. XXXV.

Didacus de Garray perditæ vitæ pie moritur. 463. XXXIII.

Didacus Lopetius a Toleto Domum Toletanam Tertii Ordinis fundari ſuis ſumptibus jubet. 55. LXI.

Didacus Lupi Pacheco Conventus Scalonæ fundator. 52. LII.

Didacus a Monte in Cœnobio Alburquerquii floret. 363. XLII.

Didacus Safranus ſanctitate conſpicuus. 383. XLIX.

Didacus N. Scodrinenſis Epiſcopus. 393. XIX.

Didacus a Zunica generis nobilitate, & multis dotibus exornatus obdormit in Domino. 425. XXIII.

Dieſtenſis Conventus. 364. XLV.

Dionyſius de Leonardis Novarienſis Commiſſarius Curiæ Romanæ. 277. VI.

Diovenſis ſancti Nicolai Conventus. 23. L.

Diovionenſis Conventus. 144. XXIV. reformatur. 309. XLVII.

S. Dominici Conventus. 248. III. 414. I.

Dominicus Caſtillionius genere, & religione præclarus. 333. X.

Dominicus Garcias Zapatenſis Epiſcopus. 393. XIX.

Dominicus de Leoneſſa qualis. 135. I. ſalutaria ejus reſponſa. 135. II. & prudentia in regimine. 136. III. morti ſemetipſum præparat. 136. IV. pluribus fulget miraculis. 137. V.

Dominicus Polonus martyr. 169. XLIII.

Dominicus de Ponzo Concionator eximius. 178. V. Savonarolæ reſiſtit. ibidem. triremes contra Turcas parat, & cum ſociis ipſos inſectatur. ibidem. & 319. X.

Domus Fratrum Tertii Ordinis Antuerpiæ. 121. LXXVI. Cordubenſis. 365. XLIX. Duysbergenſis. 146. XXXII. 310. LIII. Lovanienſis S. Pauli. 121. LXXVI. Zoppenſis. 121. LXXVI.

Domus Sororum Tertii Ordinis Almagris. 54. LX. Aquenſis. 121. LXXVIII. Betuniæ. 121. LXXVII. Bonnæ. 365. XLIX. Bopardienſis. 261. XXXIX. Brugenſis. 25. LVII. Caetæ. 54. LIX. Camberiaci. 120. LXIX. Caneæ Inſulæ Cretenſis. 93. LXXVIII. Caſtri Gunteri. 385. LVIII. Cernacellenſis. 245. XLV. Coloniæ. 197. XLIV. 245. XLVI. Complutenſis. 293. LVII. Coruniæ. 93. LXXVII. Florentiæ ſanctæ Mariæ de Caritate. 413. XLVIII. Fzomlembgin. 395. XXXI. Gaetæ. 54. LIX. Gualdi. 273. XXXV. Herderslenæ. 93. LXXIX. Illeſcis. 415. IV. Lorcenſis. 273. XXXII. Meilis. 365. XLIX. Meludenſis. 92. LXXVI. Mocluenſis. 121. LXXIX. Monteſarenſis. 395. XXXI. Montisfalconis. 260. XXXIX. Montis Politiani. 451. XXII. Montis Regalis. 245. XLIII. Mortiniaci. 385. LVIII. Nancii. 112. LXXX. Peruſii. 195. XXXVI. Piſcæ. 260. XXXIX. Regii Lepidi. 56. LIII. Rotembergi ſupprimitur. 224. LV. Salmanticenſis Annunciationis. 55. LXII. Segobienſis. 273. XXXIV. Senenſis. 93. LXXX. Spineti. 479. XL. Stellæ Pontis, & S. Martini. 55. LXIII. Toletana ſancti Antonii. 464. XL. & S Joannis de Pœnitentia. 433. XXI. Trienſis. 434. XXII. Vearum. 395. XXX. Villæ novæ Archiepiſcopi. 273. XXXI. Ulmeti. 132. XXX. Zamorenſis S. Marinæ. 122. LXXXI. S. Barnabæ. 223. LII. S. Eliſabeth. ibid.

Donatus Urbinas virtutibus & miraculis illuſtris moritur. 300. XVIII. ejus acta narrantur. ibid. ſeqq. & 321. X.

Draguigniani Monaſterium. 221. XLV.

Duysbergenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 146. XXXII. 310. LIII.

E

EBorenſis Conventus. 122. LXXXII.

Ehakameyezii Conventus. 130. XXIV.

Electus laicus dono ſanitatum præclarus. 450. XVIII.

Eliſabetha de Duennas virtutibus celebris. 244. XL.

Eliſabetha Gonzalez genere virtutibuſque illuſtris. 244. XLI.

Eliſabetha Gonzaga Cœnobium S. Angeli in Vadum extruit. 432. XV. Monaſterio Foroſempronii dat initia. 433. XX.

Eliſabetha a ſancto Jacobo pietate illuſtris. 441. XIX.

Eliſabetha Juanna in Conventu Arevali per biennium incolatum ducit. 131. XXVIII.

Eliſabetha de Iſmerzele Monaſterii Mechlinienſis fundatrix. 171. LI.

Eliſabetha Pontia Tertiaria miraculis illuſtris. 273. XXXII.

Eliſabetha Regina Hiſpaniarum Domum Franciſcanis pro voto extruit. 220. XL. V. *Iſabella*.

Elvenſe Monaſterium. 412. XLVI.

Elvira de Figueroa Monaſterium Fraxineti ædificat. 261. XL.

Elvira Gonzalez Monaſterium Marchenæ extruit. 171. L.

Elvi-

Elvira a Villa ſicca Monaſterii Hiſpalenſis fundatrix. 171. XLIX.
Emmanuel Luſitaniæ Rex ſuppetias in Indias mittit. 229. I. 276. V. 295. I.
Emmanuel de Serpa ſuæ profeſſionis zelator. 134. V.
Empolitanus Conventus. 424. XXI.
Epiphanius Inſuber virtutibus illuſtris, 133. II.
Epiphanius Teutonicus ſanctitate, contemplatione & miraculis celebris. 421. XIII.
Epiſtola Innocentii VIII. B. Bernardino de Feltrio 45. XI. 9. XXII.
Ejuſdem Caurienſi & Catanienſi Epiſcopis. 232. X.
Paſchalis Pontificis.
Comitibus Pergamenſibus. 172. II.
Alexandri VI.
Vicario Generali Ciſmontano. 31 I. XI. & Ultramontano. 35. XIII. 36. XIV. 139. XIII.
Ejuſdem. Vicario Generali & Provincialibus Ciſmontanis. 155. VIII. & Ultramontanis. 224. II.
Ejuſdem. Miniſtro & Fratribus Provinciæ Aragoniæ. 89. LXI.
Ejuſdem. Prælatis ultra Montes. 33. XII.
Ejuſdem. Regibus Hiſpaniarum Ferdinando & Iſabellæ. 57. III. 127. XII.
Ejuſdem. B. Bernardino de Feltrio. 68. XVIII.
Ejuſdem. Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano. 113. XLIX. 137. VII.
Ejuſdem. Pro Superioribus Fratrum Burgundiæ. 140. XIV.
Ejuſdem. Ad evellendos quoſdam abuſus in Ordine introductos. 147. I.
Ejuſdem. Pro Amadeitis. 157. IX.
Ejuſdem. Bernardino Ximenez. 161. XVII.
Ejuſdem. Ne Obſervantes Domos Conventualium occupent. 182. XIX.
Ejuſdem. Pro Controverſiis Provinciæ Angliæ dirimendis. 187. XX.
Ejuſdem. Ludovico de Turre pro indicenda Cruciata. 201. II. 209. IV. V. 210. VI. 211. VII. VIII.
Ejuſdem. Legatis & Gubernatoribus Status Eccleſiaſtici. 208. III.
Ejuſdem. Hieronymo de Torniellis Vicario Generali. 230. V.
Ejuſdem. Archiepiſcopo Toletano & Epiſcopo Paleutino. 255. XVI.
Ejuſdem. Pro Immaculata Conceptione beatæ Virginis. 266. XV.
Julii II.
Vicario Generali Obſervantum Ciſmont. 300. XVI. 404. XXIII.

Ejuſdem. Vicariis Generalibus Ciſmontanis & Ultramontanis. 419. XI.
Ejuſdem. Generali & Provincialibus Ordinis. 383. VII.
Ejuſdem. Capitulo Generali Aſſiſii 378 XIII.
Ejuſdem. Pro Ordine Conceptionis confirmando. 351. XI.
Ejuſdem. Cardinali Franciſco Ximenez. 369. XIII.
Ejuſdem. Pro Protectoribus Ordinis. 380. XLV.
Ejuſdem. Pro ſucceſſione ad Vicariatum Generalem. 390. XIV.
Ejusdem. Franciſco Zeno Nuncio Pontificio. 391. XV.
Ejuſdem. Ad auſerendam Congregationum varietatem. 416. VII.
Ejuſdem. Pro unione Clarenorum cum Obſervantibus. 437. VIII. 442. XXIII.
Leonis X.
Pro confirmatione Nunciorum fabricæ ſancti Petri. 446. VIII.
Ejuſdem. Pro confirmatione Montium pietatis. 470. XIII.
Georgii Coſtæ Cardinalis Viceprotectoris.
Univerſis & ſingulis &c. 160. XIV.
Ferdinandi Hiſpaniarum Regis.
Archiepiſcopo Toletano. 369. XV. 429. V.
Epiſcopi Tarviſini.
Archidiacono Eccleſiæ Feltrenſis. 10. XXIII.
Erenæ Monaſterium. 394. XXVI.
Evangeliſta Peruſinus iterato Vicarius Generalis electus. 31. IX.
Evangeliſta Polonus vir doctiſſimus, & concionator eximius. 472. XVIII erga B. Virginem Mariam devotiſſimus, ubi ſit tumulatus. ibid.
Eulalia de Diana Monaſterio Panormitano dat initia. 441. XVIII.
S. Euphemiæ Conventus. 290. XLV. 383. L.
Euphraſia Luſitana virtutibus illuſtris Monaſterium Ulyſſiponenſe reformat. 260. XXXIX.
Euſebia Peruſina Monaſterii Peruſini de Columata fundatrix. 195. XXXVI.
Euſtachius de Curia Doctor Pariſienſis. floret. 125. VI.

F

FAuſtinus de Chiari virtute & ſanctitute clarus. 338. X.
Feliciani Conventus. 259. XXXV.
Ferallus Hibernus a doctrina, pruden-

tia & oratione commendatus. 227. VII.
Ferdinandus Alvarez de Toleto Cœnobium Jarandillæ extruit. 53. LV.
Ferdinandus Columbus hiſtoriam Indicam exarat. 29. V.
Ferdinandus Hiſpaniarum Rex ædificat Conventum Abdaræ. 22. XLVI. aliaque Cœnobia. 26. I. 119. LXVII.
Ferdinandus ab Hontiveros Aſtrologiæ profeſſor. 432. XIII.
Ferdinandus Talabricenſis Archiepiſcopus conſtruit Monaſteria Malacenſe. 309. L. & Loxæ. 385. LVII.
Ferrarienſe ſancti Bernardini Monaſterium. 426. XXVI.
Ficarræ Conventus. 463. XXXV.
Firmanus ſancti Franciſci Conventus. 198. XLVI. Monaſterium ſanctæ Claræ. 332. XXXI. & ſanctæ Mariæ de Gratiis. 243. XXXIX.
Florentina de Herrera virtutibus illuſtris. 244. XL.
Florentiæ ſanctæ Claræ Monaſterium. 258. XXXII. Montis Cœlii. 132. XXXI. ſanctæ Mariæ de Monte Domini. 223. LIV. & Domus Sororum Tertii Ordinis ſanctæ Mariæ de Caritate. 413. XLVIII.
Fluviani Conventus. 21. XLII.
Foggiæ Conventus. 424. XX.
Fontidonii Conventus. 129. XIX.
Forentiæ Conventus. 218. XXXI.
Forolivii Conventus. 477. XXXIII.
Foroſempronii Monaſterium. 433. XX.
Foſſarii Hæretici in Boemia. 230. III.
Franciſca de Angelis virtutibus præclara. 244. XL.
Franciſca de ſancta Anna in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. IV.
Franciſca Longa de Peruſio Monaſterium Peruſinum de Colomata Clariſſis largitur. 195. XXXVI.
Franciſca Manrique Conventum Palmæ extruit. 91. LXIX.
Franciſca Rodriquez Tertiaria. 395. XXX.
Franciſcani ad Indias miſſi. 28. II.
Franciſcus Almeida Indiarum Claſſis Præfectus. 295. I. & Pro-Rex. 295. III.
Franciſcus de Angelis Vicarius Provinciæ Caſtellæ. 442. XXI.
Franciſcus Aragonius genere & ſcientia illuſtris. 338. X.
Franciſcus Aretinus Prædicator Apoſtolicus moritur. 97. VIII.
Franciſcus Aſſiſias Tertiarius Conventum Petræ Sanctæ primus extruit. 51. L.
Franciſcus Bargenſis pietate clarus. 323. X.
Franciſcus a Bevaria ſanctitate inſignis. 319. X.
Franciſcus a Bivona laicus miraculis celebris, in Conventu Julianæ tumulatus. 193. XXVIII.
Franciſcus Bononienſis Vicarius Candiæ. 152. I.
Franciſcus Bovadilla in Indiarum regimine Columbo ſuccedit. 229. II. prædeceſſorem immaniter habet. ibid. revocatur in Hiſpaniam. 247. III.
Franciſcus Burgundus ab Hæreticis necatus. 146. XXX.
Franciſcus Cæſarauguſtanus inſignis Prædicator, & vitæ ſanctitate præclarus. 345. X.
Franciſcus a Calderola. 321. X. 375. XXX.
Franciſcus a Campobaſſo Provinciæ ſancti Angeli Vicarius. 333. X.
Franciſcus de Capranica Minorita Confraternitatem SS. Sacramenti in Cathedrali Fulginei inſtituit. 139. XII.
Franciſcus a Caſtro Durantis ubi tumulatus. 324. X.
Franciſcus a Caſtro Æmilio ubi requieſcat. 322. X.
Franciſcus Cenetenſis Epiſcopus ſacellum in Eccleſia ſancti Petri de Monte Aureo Urbis erigit. 196. XXXII.
Franciſcus de Ciſneros. V. *Franciſcus Ximenez.*
Franciſcus a ſancto Columbano Provinciæ Mediolanenſis Vicarius. 390. XIII.
Franciſcus de Comitibus Epiſcopus Lycienſis. 289. XXXVIII.
Franciſcus Contarenus Definitor. 31. IX.
Franciſcus de Copino in Conventu Meſuratæ obit. 125. V. 329. X. eximius fuit Concionator. 123. III.
Franciſcus Fabrianenſis ubi tumulatus. 321. X.
Franciſcus de Feltrio Acta beati Bernardini ſui conterranei ſcribit. 87. LVII.
Franciſcus Florentinus. 318. X.
Franciſcus Franciſgena. 328. X.
Franciſcus Franciſchinus Julio II. Summo Pontifici a ſacris Confeſſionibus. 362. XXXVIII. Epiſcopus Hortanus. ibidem.
Franciſcus de Gatta laicus pietate conſpicuus. 308. XLI.
Franciſcus Gonzaga corrigitur. 52. LII. 55. LXI. 243. XXXIX. 433. XIX. 464. XXXVI. 473. XIX. 478. XXXV.
Franciſcus Gonzaga alius ſeculo additus Conventum Vitelliani, ſeu de Viadana Fratribus extruit. 21. XLIII.
Franciſcus de Herbalio. 324. X.

Franciſcus Landinus Epiſcopus Laudenſis Eccleſiam Conventus ſanctæ Mariæ in Campo conſecrat. 51. XLVIII.
Franciſcus Laudenſis moritur. 97. VIII. ejus virtutes & patientia. ibid. ubi tumulatus. 324. X.
Franciſcus Lopez de Gomara hiſtoriam Indicam ſcribit. 29. V.
Franciſcus Luceuſis Conventum Lucæ reformat, & ibi virtutibus & meritis ornatus moritur. 200. III.
Franciſcus a Luna Alpartilii Dominus Minoritis addictus. 220. XXXIX.
Franciſcus a Luxano Cordubenſis Domum Fratribus ædificat. 449. XVI.
Franciſcus Lychetus Vicarius Provinciæ Candiæ. 437. VI. poſtea Generalis Miniſter. ibidem.
Franciſcus de Maleficiis ad Conventum ſancti Franciſci Silvæ transfertur. 411. XLI.
Franciſcus Moneus in Conventu Alburquerquii floret. 363. XLII.
Franciſcus Modeſtus inſignis Concionator ubi tumulatus. 335. X.
Franciſcus Moneus a ſimplicitate, & abſtinentia commendatus. 450. XVII.
Franciſcus Monroyus Cœnobium Petrocalii conſtruit. 383. XLIX.
Franciſcus de Monte Barochio Chriſti Fidem infidelibus prædicans moritur in Inſula Capitis Viridis. 247. II.
Franciſcus N. Archiepiſcopus Calcedonenſis. 289. XXXVIII.
Franciſcus Papienſis dæmonibus infenſus. 318. X. Fratrum animas intuetur in cœlum deferri. ibid.
S. Franciſcus de Paula in Domino obdormit. 370. XVII. quo jure Minoritæ ſuum dicunt. ibidem. A ſancto Franciſco Aſſiſiate venturus prænunciatur. 370. XVIII. cujus precibus etiam generatus. 371. XIX. & a gravi periculo erutus. ibidem. ejus Ordinis cum Ordine Minorum affinitas. 372. XXII. Aſſiſias Minimis primum delineavit Templum. ibid. ſeqq.
Franciſcus Petri virtutibus & ſanctitate clarus, Regularem promovet Obſervantiam. 448. XI. Capucinorum prævidet Inſtitutum. ibid. obit in Domino. ibid.
Franciſcus a Piceleone laicus miraculis celebris, in Conventu Maleti ſepultus. 119. LXV.
Franciſcus Pizarra hiſtoriam Indiarum ſcribit. 29. V.
Franciſcus Placentinus in Conventu ſanctæ Mariæ de Gratiis tumulatus. 326. X.
Franciſcus de Plebe ſancti Stephani in Conventu Podii Bonitii ſepultus. 323. X.
Franciſcus a Ripa Clericus moritur. 442. XIX. ejus animam in cœlum Angeli deferunt. ibid.
Franciſcus a Ripacheriis Vicarius Sardiniæ. 95. I. & Candiæ. 404. XXI.
Franciſcus a Rota ſanctitate conſpicuus. 383. XLIX.
Franciſcus Ruitzius Indias proficiſcitur. 248. IV. Civitatis Roderici Epiſcopus. 410. XXXVIII.
Franciſcus Sagarra Vicarius Generalis Ultramontanus. 124. I.
Franciſcus Sampſon in Miniſtrum Generalem confirmatur. 95. I. moritur. 576. I. a calumniis defenditur. 177. II.
Franciſcus de Scarperia a ſimplicitate & morum innocentia commendatur. 258. XXXI.
Franciſcus de Sonzino, doctrina & pietate clarus. 326. X.
Franciſcus Sorianus de Venetiis Guardianus Montis Sion. 31. IX.
Franciſcus de Stunica Conventum Lepæ cum uxore ædificat. 449. XVI.
Franciſcus Syradianus, Religione & pictoria arte celebris. 431. X.
Franciſcus de Trejo Definitor Generalis. 552. I.
Franciſcus de Villar, ſanguine & pietate illuſtris. 290. XLVI.
Franciſcus a Villis bonis, ſanctitate clarus. 383. LXIX.
Franciſcus Ximenius de Ciſneros promotus eſt ad Eccleſiam Toletan. 101. XV. ejus vitam diligentiſſime ſcripſit Alvarus Gomeſius. ibid. ejus parentes, & Patria. 101. XVI. pueritia & adoleſcentia. ibid. conjicitur in carcerem. 102. XVII. liberatur. 102. XVIII. Seguntiam abit. ibid. illic Vicarius inſtituitur. 103. XX. cupit ſibi vacare. 503. XXI. Monacatum cogitat. ibidem. fit Franciſcanus. 103. XXII. ſolitudinem petit. 104. XXIII. Archiepiſcopatus Toletani præſagium. 504. XXIV. Conventui Salzedæ præficitur. 504. XXV. vocatur ad recipiendas Reginæ confeſſiones. 105. XXVII. mente ad ſuperna raptus excedit. 106. XXVIII. panem accipit divinitus. 106. XXIX. inſtituitur Vicarius Provinciæ Caſtellæ. 106. XXXI. ſocium aſſumit Franciſcum Ruizium. 107. XXXI. ad Martyrium aſpirat. 107. XXXIII. Reginam excitat ad Religionum reformationem. 107. XXXIV. Cardinalis Mendozius moriens dignum judicat Ximenium, qui ſibi ſuccedat. 109. XXXVII. of-

offertur ei Archiepiſcopatus Toletanus. 111. XLI. ſed reſpuit. ibid. Pontifici imperanti obtemperat. 111. XLIII. conſecratur Turiaſſone. 112. XLIV. regimen graviter auſpicatur. 112. XLV. negat Gonſalvi Card. fratri poſtulatam dignitatem. 112. XLVI. etſi Reges interceſſerint. ibid. ultro demum conceſſit. ibid. ejus in Pontificatu frugalitas. 113. XLVIII. liberalitas erga pauperes. ibid. Summi Pontificis juſſu aulæ ſplendorem admittit. 113. XLIX. in tanta majeſtate Regulæ Franciſcanæ obſervantiſſimus. 114. LI. Conſodalibus & Miniſtris Minoritis familiariter utitur. 114. LII. quos tamen in ſuo ſtatu & officio ſemper continet. 115. LII. conqueruntur de ejus ſeveritate. ibid. maxime Miniſter Generalis. 115. LIII. fundat Academiam Complutenſem. 126. VIII. intendit Regularium reformationi, ſed non ſine contradictione. 126. IX. Clerum reformat. 137. VI. invitus aulam frequentat. 138. IX. graves populi preſſuras curat moderari. 138. X. fundamenta Collegii Complutenſis jacit. 143. XXI. Synodum cogit. 158. X. Cæſarauguſtam ad Regni Comitia vocatur. 158. XI. invitus magno excipitur apparatu. ibidem. qualiter jecerit prima Complutenſis Academiæ fundamenta. 160. XV. ejus frater Minorita petit licentiam vitam Eremiticam agendi. 160. XVI. Granatam avocatur. 178. VII. Mauris ad fidem convertendis totus intendit. 179. VII. ſui propoſiti adverſarios experitur. 181. XIII. & graviſſimum obſtaculum. 181. XIV. promovet Hoſpitale Leproſorum Hiſpali. 231. VI. conceduntur ei ſocii Religioſi. ibid. efficit ut Ordo Conceptionis Franciſcanorum regimini ſubjiciatur. 231. VII. & 235. XIII. & Clariſſarum Regulam profiteatur. ibid. curat mitti Minoritas ad Indias. 248. IV. Granata Complutum venit. 248. V. Granatam revertitur Mauros pacificaturus. ibidem. honorifice recipitur a Regibus Catholicis. 249. VI. ægrotat. ibidem. Complutum ſanus revertitur. 250. VIII. Urbem exornat. ibid. cogitat de fundanda Academia. 250. IX. magnifice excipit Burgundiæ Principes. 250. X. meditatur editionem Bibliorum quatuor linguarum. 251. XI. quibus mediis & impenſis. ibid. ſeqq. tamdem aſſecutus eſt. 253. XVIII. cogitat Ariſtotelem Græco-Latinum emittere. 253. XX. libros pios edit. 254. XXI. & muſicos. 254. XXII. Agriculturæ. 254. XXIII. Academiæ, & Urbi proſpicit Complutenſi. 262. I. captivum clementer abſolvit. 262. II. Aram portatilem e ſancto Sepulcro legat inter cetera Eccleſiæ Toletanæ. 276. IV. promovet ſodalitatem miſericordiæ Toleti. 277. VII. ægrotis Regibus aſſiſtit. 278. XII. Familiæ ſuæ Ciſneriæ perpetua funeralia decernit. 279. XIII. reformationem ſui Cleri intentat. 279. XIV. obſtant Canonici. 279. XV. Toleti Capitulum viſitat. 281. XVIII. Compluti magnis rebus intendit. ibid. Monaſteria puellis ædificat. 281. XIX. inſtituitur executor Teſtamenti Iſabellæ Reginæ. 282. XX. Taurum vadit. 282. XXI. ubi honorifice a Rege excipitur. 283. XXIII. & ille Regis ſuſtinet dignitatem. 283. XXIV. cupit videre corpus ſancti Ildefonſi. 296. IV. nec tamen id conceditur. 296. V. componit controverſias inter Philippum, & Ferdinandum Reges. 297. VII. Segobiam vocatus a Rege Ferdinando, omnem ei operam præſtat in difficillimis negotiis. 297. VIII. inſtituit ſodalitatem Conceptionis in urbe Toletana. 354. XII. pluviam ſumme neceſſariam a Deo impetrat. 355. XIII. D. Euphemiæ Templum ædificat. 355. XIV. honorifice recipitur a Philippo Rege. 335. XV. Ferdinandus Rex illum apud *Philippum* multis extollit. ibid. Philippo fidus conſiliarius ſemper aſſiſtit. 356. XVI. Graviora negotia ei Rex committit. 356. XVII. & Regii Senatus Præfectum inſtituit. ibid. Moriente Rege committitur ei Caroli pueri tutela, & ſupremum regimen. 356. XVIII. milites conſcribit ſtationarios. 357. XXI. & prætorianam cohortem. 358. XXII. compeſcit Regni tumultus. 358. XXIII. Regina Joanna totum regimen ſoli Ximenio committit. 358. XXIV. convocat ille Reges ad fœdera pro expeditione Hieroſolymitana. 358. XXV. Regis Luſitani ad Ximenium epiſtola. 359. XXVI. Mozarabum officia reſtituit. 366. II. ſeqq. graves illius curæ. 368. XI. creatur Cardinalis. 369. XII. & Inquiſitor Generalis. 369. XIV. ſuam promovet Academiam Complutenſem. 386. II. Jura docenda non admittit. ibid. alia inſtituit Collegia. 387. III. ratio ſtudiorum. 387. V. Collegium inſtituit Minoritis intra Academiam. 388. X. Univerſitatis Cathedræ 389. X. Academiæ Patroni. 389. XI. Bellum meditatur Africanum. 396. I. ſol-

ſolvit in Africam, 398. v. Sol ſuum curſum continet. 400. XIII. Oranum expugnatum victor ingreditur. 401. XIV. prædam generoſe diſtribuit. ibid. Divino cultui proſpicit. 402. XV. in Hiſpaniam regreditur. 402. XVII. triumphare fugit. 403. XVIII. alios fieri progreſſus in Africa ſuadet. 403. XX. Jura Eccleſiæ Toletanæ tuetur & promovet. 413. IV. ſacras ædes ædificat. ibid. opitulatur Julio Pontifici. 429. IV. ad eum epiſtolam mittit Ferdinandus Rex. 429. VI. Toletani populi penuriæ proſpicit. 434. I. aliiſque Urbibus perpetua horrea diſtribuit. 435. II. Regi Ferdiuando opitulatur in bello Navarreo. 436. III. duo abſolvit Monaſteria Virginum. 452. II. Indulgentias improbat pecuniarias. 453. III. laudat decreta Concilii Lateranen. 453. IV. a Ferdinando Rege vocatus moras nectit. 467. III. parat Academicis loca amœna & ſolitaria. 467. IV. ei obviam Rex proficiſcitur. 468. VI. Complutum regreſſus revocatur. 468. VIII. ad Adrianum Caroli Regis legatum ſcribit. 469. X.

Fraxiueti Conventus. 290. XLII. & Monaſterium. 261. XL.

Fridau Conventus. 54. LVII.

Fridericus Henriquez Conventum Alcami ſuo ære extruit. 307. XXXVIII.

Fridericus Imperator moritur. 27. I.

Fridericus Neapolitanus Rex certum lanæ pondus pro ſingulis annis Minoritis largitur. 449. XIV.

Fridericus Pannonus Conventum Curi ædificat. 424. XX.

Fridericus Sleviceuſis Dux Conventum Slevicenſem Obſervantibus concedi ſatagit. 194. XXXIV.

Fucechii Monaſterium. 310. LII.

Fulginei ſancti Claudii Monaſterium. 260. XXXIX.

Funchalii Monaſterium. 121. LXXV.

Fromlembgin Domus Sororum Tertii Ordinis. 395. XXXI.

G

Gabriel Anconitanus miraculis claret. 322. X.

Gabriel de Caſtello Provinciæ Poloniæ Vicarius in Italia defunctus. 95. I.

Gabriel Maria. V. *Gilbertus Nicolai*.

Gabriel Mediolaneuſis in vita & poſt mortem miraculis illuſtris. 325. X.

Gabriel Spoletanus ubi tumulatus. 318. X.

Gabriel Veronenſis Cardinalis, ſancti Joannis de Capiſtrano ſocius, iu Eccleſia ſanctæ Mariæ de Aracœli ſepultus. 319. X.

Gabriela a Nozai poſt mortem incorrupta. 146. XXIX.

Gaetæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 54. LIX.

Galviæ Conventus. 93. LXXXI.

Garderſemi Conventus. 145. XXVI.

Garſias N. Biblieuſis Epiſcopus in Phœnicia. 241. XXX.

Garſias de Padilla Indiarum Occidentalium primus Epiſcopus. 31. VIII. 289. XXXVIII.

Garſias de Quexada ad Epiſcopatum Catanienſem translatus. 165. XXVI.

Gaſpar de Barga ab oratione, paupertate, ſimplicitate, & miraculis commendatur. 302. XXIV.

Gaſpar de Comitibus Epiſcopus Loxienſis in Iſtria. 165. XXVI.

Gaſpar Florentinus. 322. X. 324. X.

Gaſpar Golfus Callienſis Epiſcopus. 165. XXVI. & Nuncius Apoſtolicus apud Hungaros & Polonos. 212. IX.

Gaſpar Urbinas quantæ virtutis, & qualis generis. 360. XXXI. 321. X.

S. Geminiani Conventus. 192. XXVII.

Generales Ordinis. V. *Miniſtri Generales*.

S. Geueſii de la Xara Conventus. 52. LI.

Georgius Albaneuſis. 322. X.

Georgius Benignus in Provincia Tuſciæ floruit. 125. VI.

Georgius a Caſtellaria virtutibus illuſtris. 376. XXXIII.

Georgius a Coſta Cardinalis Ordinis Minorum Viceprotector. 100. XIII. jubet ne Obſervantes ad alias Congregationes tranſeant. 100. XIV.

Georgius Græcus moritur. 125. VI. ubi tumulatus. 323. X.

Georgius Herbalius laicus moritur in ſenectute bona. 177. IV.

Georgius Hurtado Conventum Cineſii extruit. 291. XLVIII.

S. Gerardi Conventus. 54. LVII.

Gerardus Florentinus ſanctitate conſpicuus. 361. XXXIV. ejus reſponſum. ibid. ubi tumulatus. 322. X.

Gorardus Neapolitanus virtutibus præclarus. 200. IV.

Giennenſe Monaſterium. 197. XLIII.

Gilbertus Nicolai, qui & Gabriel Maria Ordinis Annunciatarum inſtitutor. 240. XXVIII. Commiſſarius Pariſienſis. 431. IX.

Gilbertus Vaca, ſacræ Theologiæ Doctor ab Hæreticis male afficitur. 146. XXX.

Goanus Conventus. 415. III.

Godefridus Villanus de Monaſterio Mechlinenſi valde meritus. 171. LI.

Go-

Golegani Conventus. 307. xxxix.
Gomeſius Fernandez de Solis Conventum de Truxillo ædificari flagitat. 167. xxiv.
Gondiſalvus Fernandez Hiſtoriam Indicam ſcribit. 29. v. Minoritis apprime addictus. 143. xix. 151. iii. Eccleſiam Conventus Petrochii ædificat. 425. xxv.
Gondiſalvus Mexias ut Cœnobium ſanctæ Euphemiæ extruatur imperrat facultatem. 290. xlv. extruit. 383. l.
Gondiſalvus Mexias Junior dè eodem Conventu valde meritus. 393. l.
Gonzaga corrigitur. V. *Franciſcus Gonzaga*.
Gordillarum Monaſterium ſanctæ Mariæ de Jeſu. 243. xl.
Granatenſis Alhambræ Conventus. 143. xix. & Monaſterium ſanctæ Eliſabethæ. 244. xli.
Gratianus a Caſtanetolo prudentia & ſanctitate celebris. 423. xviii.
Græcenſis Stiriæ Conventus. 384. liii.
Gregorius de Ambaſia Cardinalis Eccleſiam Conventus Bituricenſis conſecrat. 243. xxxvii.
Gregorius Benignus Epiſcopus Callienſis. 382. xlvi. Archiepiſcopus Nazarenus in Regno Neapolitano. 448. xiii.
Gregorius Peruſinus. 319. x.
Gregorius Secheud Epiſcopus Sebaſtenſis. 241. xxx.
Gregorius Szadechius prædicatione & virtutibus illuſtris moritur. 98. viii.
Griſo Flander Maronitas ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ reducit. 341. x.
Griſtounenſis Conventus. 412. xliv.
Gronemburgenſis Conventus reformatur. 145. xxvii.
Groningenſis Conventus. 160. xxxviii.
Gualdalcanalis Conventus. 53. liv.
Gualdi Domus Sororum Tertii Ordinis. 273. xxxv.
Guavardi Conventus. 440. xv.
Guillelmus de Arca Monaſterium Cornilionis reformari ſatagit. 121. lxxiv.
Guillelmus Serra Hipponenſis Epiſcopus. 165. xxvi.
Guillelmus a Sproncato Sagonenſis Epiſcopus vir undequaque venerabilis & prædicatione celeberrimus moritur. 360. xxix.
Gurierrus de Cardenas Conveurus Turrigii fundator. 22. xlvii.
Guttierrus de Trejo doctrina præclarus Commentaria in Evangelia & Epiſtolas D. Pauli edit. 219. xxxvii.

H

Habitus ſancti P. Franciſci quando in manus Ducum Etruriæ pervenerit. 386. xxxi.
Helena Marci Vionis Monaſterii ſancti Sepulcri Venetiarum prima fundatrix. 195. xxviii.
Henricus Bueffius Tertii Ordinis litteras Apoſtolicas ſubreptitie impetrat. 25. lix.
Henricus Conymbricenſis ad Indias miſſus. 212. x. cum quatuor Conſodalibus male afficitur. 213. xii.
Henricus Henriquez Cœnobium Guadalcanalii ædificat. 53. liv. & Cœnobium Bazæ. 222. l.
Henricus Magnipolenſis Dux Griſtounenſis Cœnobii fundator. 412. xliv.
Henricus VII. Rex Anglorum Ordini Minorum addictiſſimus. 191. xxi. moritur. 409. xxxiv.
Herculanus de Piagale ubi ſepultus. 323. x.
Herderslenæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 93. lxxix.
Hæreſis Foſſariorum. V. *Foſſarii*.
Hieronyma de Jeſu in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. iv.
Hieronymus Anconitanus Tertiarius virtute & miraculis admirabilis. 362. xxxvii.
Hieronymus Callienſis. 321. x.
Hieronymus Candidus Gerundinenſis Epiſcopus. 216. xxii.
Hieronymus Caſtrutius Conventus ſancti Caſſiani fundator. 20. xli. & Monaſterii. 24. liv.
Hieronymus Cortonenſis Provinciæ Tuſciæ Vicarius. 21. xlii.
Hieronymus Lindſayus Florentiæ claruit. 227. vii.
Hieronymus Madritus Sodalitati Miſericordiæ Toleti dat initia. 277. vii.
Hieronymus Mengbius libri *Flagellum Dæmonum* auctor. 21. xliii.
Hieronymus N. Sardiniæ Commiſſarius. 152. i.
Hieronymus de Pacificis Commiſſarius Romanæ Curiæ. 404. xxi.
Hieronymus Savonarola multorum offenſionem incurrit. 162. xix. ingentes propter eum Florentiæ commotiones exortæ. 162. xx. ad temeraria experimenta ſe parat. 163. xx. xxi. a Pontificiis Commiſſariis condemnatus. 163. xxii. multos ex ſuis Conſodalibus paſſus eſt adverſarios. 164. xxiii.
Hieronymus de Stupha. 322. x.

Hie-

Hieronymus Torniellus Definitor Generalis. 95. I. & Vicarius Generalis iterato. ibidem, & 230. IV. Ordinis reformationi incumbit. ibidem. Commiſſarius Fabricæ ſancti Petri inſtituitur, & Nuncius Apoſtolicus. 389. XIII. moritur. 390. XIII.
Hieronymus Vianellus Cardinalem Franciſcum Ximenium inviſit. 278. XII. eum hortatur ad bellum Africanum. 281. XVIII. & 397. II. Militiæ præficitur. 357. XXI.
Hippolyta de Ballionibus una ex fundatricibus Domus ſanctæ Mariæ de Virginibus Peruſii Tertii Ordinis. 245. XLIV.
Hiſpalenſe Monaſterium. 171. XLIX.
Horaeſdiovigenſis Conventus. 23. LI.
Horſvenſis Conventus. 144. XXV.
Hoſpitale Vulſinii. 122. LXXXII.
Hoſpitalitatis inſigne exemplum. 277. IX.
Hoſtia ſacra ſanguinem miraculoſum emittit. 412. XLIV.
Huetanum Monaſterium. 272. XXX.
Hydruntinus Conventus. 192. XXV.

I

JAcoba Leonardi ſuas ex teſtamento facultates relinquit, ut pro Clariſſis Monaſterium extruatur. 243. XXXIX.
Jacobus Brigantinorum Dux Conventum Vallæ vitioſæ extruit. 221. XLII.
Jacobus de Cervia Vicarius Provinciæ Candiæ. 277. VI.
Jacobus de Coronis ubi requieſcit. 318. X.
Jacobus Cortonenſis in Eccleſia S. Blaſii Cortonenſi ſepultus. 324. X.
Jacobus Faber de Conventu Draguigniani valde meritus. 221. XLV.
Jacobus Feixerius eximiam pietatem erga Fratres oſtendit. 308. XLII.
Jacobus Feſulanus pietate & religione celebris. 323. X.
Jacobus de Leo Synagogam Judeorum in Clariſſarum Monaſterium adaptat. 170. XLVI.
Jacobus Mediolanenſis ubi tumulatus. 321. X.
Jacobus Papienſis. 323. X.
Jacobus de Petrutiis Epiſcopus Alarinenſis. 271. XXXV.
S. Jacobus Picenus publica, & Apoſtolica auctoritate colitur. 469. XI.
Jacobus Primaditius Vicarius Generalis Ciſmontanus. 325. X.
Jacobus de S. Salvatore egregius concionator, ſcientia & pietate celebris. 326. X.
Jacobus de Scanzano qua pietate mortuus. 321. X.
Jacobus IV. Scotiæ Rex erga Franciſcanos pientiſſimus, Conventum Striclingii ædificat. 169. XLI.
Jacobus Solanus ſpiritu prophetico & miraculis clarus. 331. X.
Jacobus Tudertinus ubi tumulatus. 321. X.
Jacobus de Turre Epiſcopus Tullenſis. 241. XXX.
B. Jacoponus Tudertinus ubi mortuus. 318. X.
Jaguanæ Conventus. 308. XLVI.
Januenſe ſancti Pauli Monaſterium. 132. XXXI.
Jaquelina de Stonteville Domum Sororibus Tertii Inſtituti ædificat. 434. XXII.
Jarandillæ Conventus. 53. LV.
Jeduardæ Conventus. 450. XVIII.
Illeſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 415. IV.
Illiciti Conventus. 424. XX.
Imago quædam SS. Salvatoris miraculis fulget. 134. IV.
Incorrigibiles a quibus & quomodo expellendi. 230. IV. V.
Indos Franciſcani omnium primi convertunt. 311. II.
Indulgentia Jubilæi indicitur. 201. I.
Innocentius de Civitate ſancti Angeli inſignis prædicator, vir miræ virtutis & ſanctitatis. 332. X.
Innocentius VIII. ſummus Pontifex Ordinem SS. Conceptionis approbat, & officium recitari concedit. 232. X. moritur. 5. IX.
Innocentius Taurinus ſingulari doctrina & prudentia ornatus. 423. XVIII.
Inſulæ lignorum Monaſterium. 171. LII.
Inſulæ Palmariæ Conventus. 394. XXIV.
Inſulæ Sapientiæ Conventus. 168. XXXVII.
Inſulæ Scalarum Conventus. 433. XVII.
Interamnenſe Monaſterium. 24. LVI. 364. XLVI.
S. Joachim feſtivitas apud Minores indicitur. 298. XI.
Joanna de Aſſumptione in Monaſterio Setobricenſi floret. 134. IV.
Joanna Baptiſta Tudertina duo extruit pro Sororibus Tertiariis domicilia. 451. XXII.
Joanna Chaccon in Conventu Lerenæ abſtinentiæ, carnis macerationi, & orationi addictiſſima, nonagenaria moritur. 132. XXIX.
Joanna a ſancto Franciſco Monaſterio Matritenſi cum aliis dat initia. 442. XXI.

Joanna Gonzalvez Monaſterium Marchenæ ædificat. 171. L.
Joanoa Neapolis Regina ad inviſendum corpus ſancti Bernardini pergit. 37. xvi. Minoritas apprime diligit. 433. xix.
Joanna de Piſa prima Domum Tertii Inſtituti Toletan. inſtituit. 55. LXI.
Joanna Rodriquez commendatur. 306. xxxv. ſeqq.
Joanna Ruiz Murcienſis in Cœnobio ſanctæ Catarinæ in Monte tumulata. 141. xv.
Joanna de Silva floret. 132. xxx.
Joanna de Toleto pro Comitiis Generalibus celebrandis ſumptus largitur. 53. LIII.
Joanna Valeſia ſolemni ritu Regulam Clariſſarum profitetur. 243. xxxvii. Ejus proſapia, & pietas. 240. xxviii. Annunciatarum Ordinem inſtituit. ibidem, & 285. xxviii. pluribus viſionibus recreata moritur. 284. xxv. Ejus vitæ compendium. ibidem. Cor viventis Chriſto dicatum. 285. xxix. miraculis emicat. 285. xxx. Acta qui ſcripſerunt. 286. xxx.
Joannes Almodonaris Epiſcopus Stephanenſis. 192. xxiii.
Joannes Aragonius ſanctitate præclarus. 330. x.
Joannes de Argomanes Provinciæ ſancti Jacobi Vicarius. 393. xviii.
Joannes Bandonal laicus ab humilitate & patientia commendatus. 220. xxxviii.
Joannes Baptiſta N. Epiſcopus Dromorienſis. 289. xxxviii. 334. x.
Joannes Baptiſta Rinuccinus Nuncius Apoſtolicus apud Hibernos. 243. xxxix.
Joannes Baptiſta Sanſeverinus miraculoſe ad Ordinem vocatus, ſanctiſſime obit in Cœnobio ſancti Severini. 455. viii.
Joannes Baptiſta Vitreator ſanctitate, doctrina, & prædicatione ferventiſſimus obit. 473. xviii.
Joannes Barrienſis Granatenſis Archiepiſcopus in Indiis. 426. xxv.
Joannes Bel Epiſcopus Majonenſis in Hibernia. 49. xli.
Joannes a Bibiena Provinciæ Candiæ Vicarius. 437, vi.
Joannes a Bovadilla pietate illuſtris. 363. xlii.
Joannes Bouviſius ubi tumulatus. 318. x.
Joannes Brigantinus Dux erga Franciſcanos pientiſſimus. 308. xli.
Joannes Bruſtemius doctrina celebris. 304. xxxi.
Joannes Burgenſis Regibus Galliæ a ſacris prædicationibus. 23. xlix.
Joannes Burgenſis Caroli VIII. Galliarum Regis præceptor moritur. 61. ii. ejus miracula. 62. iii.
Joannes a Camplo humilitate & oratione clarus. 333. x.
Joannes Carpineus Comes Cœnobium Minoritis extruit. 21. xlv.
Joannes à Caſtrovineto ſanctitate celebris. 329. x.
Joannes Caurienſis ſanctitate conſpicuus. 383. xlix.
Joannes Cetinenſis martyr. 384. ii.
Joannes Chaeconius Præfectus Regni Murciæ Conventum ſancti Geneſii de la Xara ædificat. 52. LI.
Joannes de Chaves Conventum de Truxillo ædificari exoptat. 167. xxxiv.
Joannes de Colonia ſuis ſumptibus Monaſterium Cæſarauguſtanum extruit. 131. xxvii.
Joannes de Converſano laicus ubi requieſcit. 331. x.
Joannes Cordubenſis Hiſpanus Theologus inſignis floret. 125. vi.
Joannes de la Deule laicus primus ex noſtris qui ad Indias perrexerunt. 431. ix.
Joannes Dominicus de Prato pœnitentiarius Apoſtolicus. 118. LX.
B. Joannes de Dukla ubi ſepultus. 336. x.
Joannes Eſguerra Epiſcopus Nicenus. 306. xxxiv.
Joannes Formatus de Monaſterio Averſano valde meritus. 194. xxxv.
Joannes Franciſcus de Caſali. 322. x. 391. xvi.
Joannes Franciſcus Potentinus Commiſſarius Romanæ Curiæ. 454. vi. 463. xxxv.
Joannes Fulgoſius Conventum boni Jeſu cœlitus ædificat. 449. xv.
Joannes de Gara Epiſcopus Nicopolitanus. 90. LXV.
Joannes de Garay vir pœnitens, collecta pecunia male perit. 462. xxxii.
Joannes Gondiſalvus Monaſterium Funchalii primus conſtruit. 121. LXXV.
Joannes de Guadalupe Provinciæ S. Gabrielis dat initia. 255. xxv. favet ei Julius II. 265. xi. contradicit ei Archiepiſcopus Granatenſis. 255. xxv. & Patres Provinciæ ſancti Jacobi. 289. xli. Reformationem meditatur. 219. xxxvii. Conventum Villæ novæ de Fraxino acquirit. 220. xxxviii. & Conventum Villæ vitioſæ. 221. xlii. ad Capitulum Generaliſſimum profectus moritur. 360. xxviii.

Joan-

Joannes Henricus de Tonſis Epiſcopus Fanenſis. 128. xvi.
Joannes de Hercudero martyr. 392. xvi.
Joannes Hortulanus Minoritis dat nomen. 235. xiv. Ejus virtutes & acta recenſentur. 238. xx. ſeqq.
Joannes de Hungaria ab Infidelibus interemptus. 154. vi.
Joannes Laureus multis malis ab hæreticis afficitur. 146. xxx.
Joannes Lepanus Anglorum Regi ſummè familiaris. 449. xvi.
Joannes Leonienſis Epiſcopus Fratribus addictiſſimus. 384. lii.
Joannes Lombardus laicus ubi ſepultus. 332. x.
Joannes Lopez de la Zarraga ædificio Monaſterii Vidauret dat operam. 412. xlv.
Joannes Lubrenſinus Epiſcopus Poſnanienſis Cœnobium Caſimiriæ ædificat. 464. xxxvi.
Joannes Luſſius Undervaldenſis Dux Exercitus Gallorum ſub Francíſco I. in Conventu Lugani ſepultus. 217. xxvii.
Joannes de Maillo Baro plura Cœnobia pro Fratribus ædificat. 194. xxxii.
Joannes de Manibus albis Monaſterii Palmæ fundator. 196. xxxix.
Joannes de Mareſco celeberrimus concionator. 90. lxiv.
Joannes Mauleonis floret. 20. xxxix.
Joannes a S. Michaële laicus ſanctitate conſpicuus. 450. xvii.
Joannes a Miſnia Provinciæ Boemiæ Vicarius. 336. x.
Joannes a Monte Ilcino Provinciæ ſancti Angeli Vicarius. 333. x.
Joannes N. Glandolacenſis Epiſcopus in Hibernia. 241. xxx.
Joannes Nenudor ubi tumulatus. 336. x.
Joannes Novius cum aliis Conſodalibus opem Indiarum Chriſtianis ferunt. 229. i.
Joannes N. Uladiſlai Hungariæ Regis ad Cæſarem, & Poloniæ Regem legatus. 379. xliii.
Joannes de Omillos Provinciæ Caſtellæ Miniſter. 294. lx.
Joannes Ort Domum pro Fratribus Tertii Ordinis conſtruit. 146. xxxii.
Joannes Parens Miniſter Provincialis Hiſpaniæ. 346. x.
Joannes Pariſotus ab hæreticis occiſus. 197. xliii.
Joannes Parmenſis in Cœnobio Camerini requieſcit. 321. x.
Joannes Paſchalius de Aquila ubi tumulatus. 255. xxv.
Joannes Perez Minorita Chriſtophori Columbi in Indiarum acquiſitione ſocius. 1. i.
Joannes Peruſinus. 318. x.
Joannes Petrochius ſanctitate conſpicuus. 426. xxv.
Joannes de Pinis Vicarius Provinciæ Corſicæ. 31. ix.
Joannes Piretius de Licone Conventum Saxiolæ conſtruit. 291. xlvii.
Joannes Poncius Legionenſis Monaſterium Utreræ ædificat. 365. xlvii.
Joannes a Ponte floret. 125. vi.
Joannes a Popula Provinciæ Portugalliæ Vicarius. 360. xxx. Ejus vita, & elogium. ibidem.
Joannes Pratenſis. 325. x.
Joannes Princeps Epiſcopus Leodienſis Franciſcanis addictiſſimus. 306. xxxiv.
Joannes de la Puebla primus Cuſtodiæ Angelorum inſtitutor. 53. lvi. moritur. 96. iv. Corpus poſt annos ſexaginta incorruptum repertum. 96. v.
Joannes Quavedo a Rege Hiſpaniæ Indiarum Commiſſarius electus. 466. i. & Epiſcopus Darienſis. ibidem.
Joannes a Reboledo de Conventu Reynoſo valde meritus. 464. xxxviii.
Joannes Riccius Provinciæ Tuſciæ Vicarius. 324. x.
Joannes Rubeus. 325. x.
Joannes Salernitanus Epiſcopus Montis viridis. 272. xxv.
Joannes Sardus. 323. x.
Joannes Sigeſtrus Definitor Generalis. 31. ix. 152. i.
Joannes Silkemberg Domum pro Fratribus extruit. 130. xxiv.
Joannes de Silva Monaſterii Xereſii fundator. 196. xli.
Joannes de Silveſtris Vicarius Generalis Ultramontanus. 298. xi.
Joannes Syradianus vir religioſiſſimus. 431. x.
Joannes de Sorceyo Chriſtopolitanus Epiſcopus. 14. xxx. 271. xxxv.
Joannes Stobricenſis Polonus floret. 192. xxiii.
Joannes de Stroconio Vicarius Generalis Ciſmontanus. 334. x.
Joannes Tiſſerandus Annæ Francorum Reginæ a S. Confeſſionibus. 23. xlix. obit Lugduni. 62. iv. Domum Sororum Tertii Ordinis Pariſiis inſtituit. 197. xliv.
Joannes a Toloſa Vicarius Provinciæ Caſtellæ. 22. xlvii. 25. lx.
Joanninus de Tortona. 326. x.
Joannes de Traculia. 321. x.
Joannes de Traſſiera ſolertiſſimus in Iudiis Apoſtolicus Miniſter. 229. ii. quando eo profectus. 248. iv.

Joannes a Turribus de Conventu Caſſaliæ optime meritus. 91. LXX.
Joannes de Vallibus Provinciæ S. Bonaventuræ Miniſter. 23. XLIX.
Joannes de Valterreno. 319. X.
Joannes Varadienſis Epiſcopus dat nomen Minoritis. 14. XXX. qualis, hic vir fuerit. ibidem. Ejus acta receuſentur. Ibidem. ſeq. de Conventu Camexii benemeritus. 23. LI.
Joannes de Via in Conventu Inſulæ Palmariæ tumulatus. 394. XXIV.
Joannes Vitreator vir doctus & gravis ubi requieſcat. 96. VII.
Joannes Ulyſſiponenſis genere & ſanctitate illuſtris. 27. III.
Joannes Weyerus pietate & prudentia præclarus. 198. XLIV.
Joſephus Eugubinus. 319. X.
Iſaac Abbas virtutibus celebris. 319. X.
Iſabella Caſtellæ Regina Conventum Abdaræ extruit. 22. XLVI. & alia etiam Cœnobia. 26. I. 119. LXVII. moritur. 282. XX.
Iſabella a ſancta Clara in Monaſterio Toleti una ex primis regularis diſciplinæ Magiſtris. 434. XXI.
Iſabella de Hungaria ſimiliter. ibidem.
Iſabella Luca genere virtutibuſque illuſtris. 244. XLI.
Iſerniæ Conventus. 363. XL.
Iſidorus Perufinus Curiæ Romanæ Commiſſarius. 31. IX. & Definitor Generalis. 95. I.
Julia de Formatis de Monaſterio Averſano valde merita. 194. XXXV.
Julianæ Conventus. 193. XXVIII.
Julianus de Bacozis Tertiarius. 413. XLVIII.
Julianus de Barga. 323. X.
Julianus Cornazanus Capellam majorem Cœnobii Pellegrini fundat. 142. XVIII.
Julianus Fabrianenſis moritur. 271. XXIII. ejus virtutes. ibid. ubi tumulatus. 321. X.
Julianus de Maffeis Epiſcopus Britonorienſis. 305. XXXIII. Ad Archiepiſcopatum Raguſinum transfertur. ibid.
Julianus de Ruvere Ordinis Protector. V. *Julius II.* infra.
Julianus Theutonicus Provinciæ S. Bernardini Vicarius. 332. X.
Julius Antonius Urſinus Atrienſium Dux Conventum Caſſani extruit. 142. XVIII.
Julius Golardus Soladienſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Varalli conſecrat. 50. XLV. & Eccleſiam Belinzonæ. 119. LXIV.
Julius II. Pontifex, & protector Ordinis Minorum. 265. IX. varia privilegia Minoritis largitur. 294. LXI. 310. LII. 396. XXXIV. 413. L. 427. XXIX. 434. XXIII. 444. XXIV. indicit Capitulum Generaliſſimum. 299. XV. Ordinem Conceptionis confirmat. 351. IX. Franciſcum Ximenium ad Cardinalatum aſſumit. 369. XII. methodum eligendi Vicarium Generalem præſcribit. 379. XLII. 390. XIV. declarat auctoritatem Protectoris Ordinis. 380. XLV. Vicarium Generalem de Obſervantia, Commiſſarium fabricæ ſancti Petri inſtituit. 389. XIII. & Nuncium Apoſtolicum. 391. XV. 439. XI. fabricam ſancti Petri reſtaurat. 389. XIII. Obſervantibus ad Conventuales tranſitum prohibet. 404. XXIII. Congregationum varietatem in Ordine de medio aufert. 416. VI. 437. VIII. Obſervantum indemnitati cavet. 442. XXIII. moritur. 444. I. quanto tempore Ordinis Protector exiterit. 380. XLV.
Juniperus N. ubi ſepultus. 319. X.
Ivo Ruffi Glandelacenſis Epiſcopus. 90. LXV.

L

Labelli Conventus. 289. XL.
Ladislaus Gielnovius quantæ virtutis. 302. XXV. Vicarius extitit Provinciæ Poloniæ. 302. XXVI. ejus acta. Ibidem. ſeq.
Lanceslaus Hungarus. 324. X.
Landonienſe Monaſterium. 365. XLVIII.
Laureanus Conventus. 382. XLVIII.
Laurentiani Conventus. 440. XV.
S. Laurentii in Paneperna Urbis Monaſterium. 451. XXI.
Laurentio Almeidæ Franciſci filio in Urbe Mombacæ Minoritæ opitulantur. 295. I.
Laurentius a Bagnacaballo ſancti Viri nomen adeptus, in Cœnobio S. Mariæ Pacis Mediolani moritur. 125. V.
Laurentius Camers pietate illuſtris. 375. XXXIII.
Laurentius Fabrianenſis. 322. X.
Laurentius a ſancto Martino miraculis clarus moritur. 97. VIII. ubi tumulatus. 331. X.
Laurentius Piſanus a pietate & religioſa induſtria commendatus. 258. XXX.
Lauri Conventus & Hoſpitale. 150. II.
Laybenſis Conventus. 242. XXXV.
Lazarus de Monte Politiano. 125. VII.
Leo Benaventanus alius a ſocio S. P. Franciſci. 346. X.
Leo Capuanus. 328. X.
Leo de Lancut primus Conventus Plocen-

cenſis Guardianus. 169. XLIII.
Leo de Petra de Balueo. 338. X.
Leo X. Summus Pontifex eligitur. 444. II. Nuncios Fabricæ ſancti Petri confirmat. 446. VII. Fratrum exemptiones a Superiorum obedientia revocat. 451. XXIII. varia Minoritis privilegia largitur. 465. XLII. 479. XLI.
Leonardus de Baleſtinis Archiepiſcopus Colloceuſis. 363. XXXVIII.
Leonardus Eſcheſius orationi addictiſſimus, & bonis operibus illuſtris. 323. X. 258. XXXI.
Leonardus de Pretis eximius Concionator. 51. XLVI.
Leonora de Angelis Monaſterium Utreræ, cum aliis duabus extruit. 365. XLVII.
Leonora Meyra virtutibus celebris. 427. XXVIII.
Leonora Rodriquez prima Monaſterii Pontis veteris Abbatiſſa. 427. XXVIII.
Lepæ Conventus. 449. XVI.
Lerenæ Monaſterium. 131. XXIX.
Liberatus de Aquila. 332. X.
Liberatus de Civitella. 333. X.
Licienſe Monaſterium. 92. LXXV.
Lipezich Conventus. 168. XXXIX.
B. Litorii Corpus inventum. 435. II.
Lorcenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 273. XXXII.
Loreti in Aprutio Conventus. 218. XXX.
Lovanienſis ſancti Pauli Domus Fratrum Tertii Ordinis. 121. LXXVI.
Loxæ Monaſterium. 385. LVII.
Lucas Aſculanus. 320. X.
Lucas Capellus Nuncius Apoſtolicus apud Luſitanos. 363. XXXVIII. & Miniſter Provinciæ Tuſciæ. ibidem.
Lucas de Rothobio Maximiliano Imperatori cariſſimus. 20. XXXIX.
Lucas Seriates Cremonenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Vitelliani, ſeu Vindanæ ædificat. 21. XLIII.
B. Lucheſius apud Podium Bonitii tumulatus. 323. X.
Lucia Petri Fulginas moritur. 178. VI.
Lucia Sanctii de Baetio Monaſterii Carmonæ fundatrix. 426. XXVII.
Lucianus a ſancto Mauro. 330. X.
S. Luciæ Conventus. 272. XXVI.
Lucretia de Ballionibus Tertiaria. 245. XLIV.
Lucretia Borgia Ferrarienſium Princeps in fundatione Monaſterii ſancti Bernardini primum ponit lapidem. 426. XXVI.
Ludovica a Cruce genere virtutibuſque ſpectabilis. 244. XLI.
Ludovica Sabaudiæ virtutibus celebris moritur. 271. XXIV.
Ludovica a Sandoval ſanctitate illuſtris. 196. XL.
Ludovicus de Amboyſia Ximenii in Regularium reformatione ſocius. 154. VII. Monaſterium Albiæ extruit. 395. XXIX.
Ludovicus de Blot Coletanearum Viſitator. 197. XLIII.
Ludovicus Cronetanus laicus Dæmonibus infenſus. 477. XXXIV.
Ludovicus Dublet Monaſterium de Deſerta reformat. 292. LVI.
Ludovicus a Flumine floret. 49. XLI.
Ludovicus Jenchanus Provinciæ S. Bernardini Vicarius. 332. X.
Ludovicus Mantuanus virtute ſpectabilis. 271. XXII.
Ludovicus N. Miſſinenſis Epiſcopus. 393. XIX.
Ludovicus N. Provinciæ Saxoniæ Miniſter. 393. XIX.
Ludovicus N. a Rege Narſingæ ad Franciſcum Almeidam Indiarum Pro-Regem Legatus. 295. III.
Ludovicus de Ocampo Conventum Sobradilii cum uxore ædificat. 259. XXXVII.
Ludovicus de Pieroſara moritur. 166. XXVIII.
Ludovicus Placentinus. 333. X.
Ludovicus de Pruſſia floret. 90. LXIII.
Ludovicus a Rotela venerabilis ſenex. 391. XVI.
Ludovicus Senenſis Provinciæ Tuſciæ Vicarius. 323. X.
Ludovicus a Sighen ſacræ Theologiæ Profeſſor. 259. XXXIV.
Ludovicus Theutonicus commendatur. 318. X.
Ludovicus a Turre Vicarius Generalis eligitur. 152. I. indicendæ Cruciatæ Commiſſarius. 229. III. 319. X. Nuncius & Commiſſarius Jubilæi. ibidem. ejus laus & auctoritas. ibidem. Romæ obit. 255. XXIV.
Ludovicus Vincentinus Provinciæ Candiæ Vicarius. 378. XLI.
Ludovicus Urſinus Conventum Pitiliani ædificat. 51. XLVII.
Lugdunenſis ſanctæ Mariæ Angelorum Conventus. 23. XLIX.
Lugani Conventus. 217. XXVII.
Lunæ Conventus. 193. XXIX.
Lupus Fernandez conſtructioni Conventus Tenariſæ dat operam. 440. XVI.
Lupus a Salazar. 344. X.

M

Maceratæ Conventus. 432. xiv.
Madritenſe Conceptionis Monaſterium. 441. xxi.
Magdalena Torella floret. 134. iv.
Malacenſe Monaſterium in Hiſpania. 309. l.
Malacenſis Conventus in Gallia. 119. lxvii.
Malacitanus Conventus. 119. lxvii.
Malarum herbarum Conventus. 120. lxxi.
Maldonata venerabilis Matrona in Conventu de Berocal tumulata. 383. xlix.
Maleti Conventus. 119. lxv.
Manfredoniæ Conventus. 411. xl.
Maquedæ Monaſterium. 385. lvi.
Marchenæ Monaſterium. 171. l.
Marchiones Villenæ Comites pro Comitiis Generalibus celebrandis ſumptus miniſtrant. 52. liii.
Marcus Bergomenſis. 318. x.
Marcus Bononienſis Vicarius Generalis Ciſmontanus. 325. x.
Marcus Bononienſis alius ſanctitate præclarus apud Campum baſſum tumulatus. 419. xiv.
Marcus Cretenſis Provinciæ Candiæ Vicarius. 454. vi.
Marcus a Ferraria Hiſtoni moritur. 227. vii.
Marcus a ſancta Maria in Gallo miraculis clarus moritur. 124. ii. ejus vitæ compendium. ibid. ſeqq. ubi tumulatus. 326. x.
Marcus Maſſainus. 324. x.
Marcus a Portu læto ſanctitatis opinione fulget. 221. xlii.
Marcus Vigerius Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus. 305. xxxii.
Marcus Ulyſſiponenſis corrigitur. 447. ix.
Margarita Alenconii Domum pro Clariſſis ædificat. 145. xxix. 385. lviii.
Margarita Bonciania a caritate & oratione commendatur. 259. xxxii.
Margarita Parva ab Hæreticis occiſa. 412. xlvi.
Margarita Porret Soror Tertii Ordinis in Monaſterio Brugenſi. 25. lvii.
Maria Abulenſis Monaſterii Gardillarum fundatrix. 243. xl.
Maria Antonia Bagnaſta omni virtute, pietate & pœnitentia illuſtris. 258. xxxii.
Maria Bobadilla genere virtutibuſque celebris. 244. xli.
Maria de Burgo, humilitate & oratione admirabilis. 450. xix.
Maria Calderona Monaſterii de Turrigio prima Abbatiſſa. 385. lv.
Maria Canali nobilis Clariſſa. 195. xxxviii.
Maria de Claromonte in Monaſterio Arevali floret. 131. xxviii.
Maria Clementii poſt mortem incorrupta. 146. xxix.
Maria de Columna in Monaſterio Setobrigæ. 134. iv.
Maria de Cruce prima Domum Sororum Tertii Ordinis Toleti inſtituit. 55. lxi.
Maria Deipara monet, ut Ordo Conceptionis inſtituatur. 232. ix. & Annunciatarum. 240. xxviii. ejus imago in Rubo inventa. 241. xxxii. miraculis celeberrima. 242. xxxiii.
Maria Didaci Lopetii uxor Domum Sororum Tertii Ordinis extrui ſollicitat. 55. li.
Maria a Galbes magna ſanctitatis opinione obit. 427. xxviii.
Maria Gonçales a Fonte habitum Tertii Ordinis aſſumit. 464. xl. & in Monaſterio a ſe fundato, virtutibus & miraculis clara obit in Domino. ibid. ejus corpus tertio translatum eſt incorruptum. ibid.
Maria de Guevara Monaſterium Arevali ſuo ære extrui jubet. 131. xxviii.
Maria Guſmania, genere & humilitate celebris. 464. xxxix.
Maria Henriquez de Velaſco Monaſterii Barcinonenſis Abbatiſſa. 198. xlv. 223. liii.
Maria de Jeſu Tertiaria, a virtutibus omnibus commendata. 197. xli.
Maria a Jeſu altera Clariſſa jacet in Conventu Xereſii. 197. xli.
Maria a Jeſu altera Clariſſa in Monaſterio Setobrigæ floruit. 134. iv.
Maria a ſancto Joanne dono prophetiæ celebris. 385. lv.
Maria de Luna Monaſterium Montiliæ extruit. 441. xix.
Maria Manuelis Cœnobium Metelini cum conjuge ædificat. 394. xxiii.
Maria Meſſia virtutibus celebris. 244. xl.
Maria de Monte Sion in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. iv.
Maria della Penvela a ſancto Didaco plures gratias accipit. 294. lx.
Maria Pimentel in Monaſterio Arevali floret. 131. xxviii.
Maria Porret Tertii Inſtituti in Monaſterio Brugenſi. 25. lvii.
Maria Rugel Ulmeti moritur. 132. xxx.

Ma-

Maria Sarmieuta proſapia & virtute illuſtris. 427. XXVIII.
Maria de Irach Cœnobium de Alegrab cum conjuge ædificat. 384. LII.
Maria Spei Monaſterio Madritenſi cum aliis dat initia. 385. LV.
Maria a Spinoſa virtutibus præclara. 196. XL.
Maria a Spiritu ſancto cœlitus monita, abitum Tertii Ordinis aſſumit, & omni virtute floret. 176. IX.
Maria Toletana. 376. XXXIV. ejus acta recenſentur. ibid. ſeqq.
Maria de Velaſco Conventum Alcaudeti cum conjuge extruit. 194. XXXI. & Monaſterium. 196. XL.
Mariana de Mendoza piiſſima fœmina. 292. XIV.
Mariana de Sacramento in Monaſterio. Setobrigæ floret. 134. IV.
Marianus de Lugo laicus ab Angelo vocatur ad Ordinem. 95. III. 322. X. orationi aſſiduus, Dæmonis ſpernit illuſiones, & viſionibus fruitur cœleſtibus. ibid. moritur. ibid.
S. Mariæ in Campo Conventus. 51. XLVIII.
S. Mariæ Laureti in Algarbiis Conventus. 308. XLIV.
S. Mariæ Pietatis Conventus. 289. XLI.
S. Mariæ de Spineto Conventus. 166. XXVII.
Mariliani Conventus. 192. XXIV.
B. Marina N. ubi vitam duxit. 411. XLII.
S. Marinæ de Pomerio Conventus. 411. XLII.
Marinus Caracciolus Conventum ſancti Boni conſtruit. 218. XXIX.
Marpurgi Conventus reformatur. 145. XXVII.
Martialis Bullier Vicarius Generalis Ultramontanus. 298. XI. 454. VII.
S. Martini Conventus. 440. XIV.
Martinus Aquilanus. 332. X.
Martinus a Collado Indorum ſaluti laborans ſancto fine quieſcit. 383. L.
Martinus Comacius de Conventu Inſulæ Palmariæ benemeritus. 394. XXIV.
Martinus Polonus Martyr. 169. XLIII.
Martinus de Portu Epiſcopus Croyatenſis. 165. XXVI.
Martinus Spoletanus. V. *Andreas de Spoleto*.
Martinus a Turnohut Theologus, & Profeſſor Lovanienſis. 431. XI.
Martinus de Vergara Provinciæ Caſtellæ Vicarius. 385. LVI.
Martinus, ſive Marinus Zuperius ſuo ære Monaſterium Raguſinum ædificari mandat. 121. LXXIII. 243. XXXVIII.
Martyres Minoritæ in Moſchovia. 169. XLIV.
Martyrum Septæ Officium celebrari Luſitanis indulgetur. 455. VII.
Maſſargæ Conventus. 221. XLI.
Maſſius Aquilanus vir miræ humilitatis & ſimplicitatis commendatur. 287. XXXV. 332. X.
Matelicæ Monaſterium. 451. XX.
Materæ Conventus. 150. II.
Matthæus Agrigentinus. 330. X.
Matthæus Faventinus. 325. X.
Matthæus de Gallo Conventus Agrigenti & Julianæ conſtruit. 193. XXVIII.
Matthæus Perotta Ferdinandi Siciliæ Regis Sacellanus. 49. XLI.
Matthia Mathelicana miraculis illuſtris 451. XX.
Matthias Betber extatico ſpiritu clarus. 260. XXXVIII.
Matthias Tiburtinus vir probatæ indolis. 99. XI. novam Congregationem excogitans decipitur. 99. XII.
Mauritius a Portu Hiberniæ Miniſter Provincialis. 312. IV. & Archiepiſcopus Tuamenſis. 422. XV.
Mauros Granatenſes Franciſcus Ximenius convertit. 231. VI.
Maurus Guardianus Hieroſolymitanus Sultani Ægypti apud Pontificem Legatus. 274. II. Sultani furorem contra Chriſtianos avertit. 275. III. Aras portatiles ex ſancto Sepulcro defert, & Principibus Europæ diſtribuit. 276. IV.
Maximæ Conventus. 143. XVIII.
Maximilianus Friderico Parenti in Imperio ſuccedit. 27. I.
Mechlinienſe Monaſterium. 171. LI.
Meillis Domus Sororum Tertii Ordinis. 365. XLIX.
Melchior de Cortona. 323. X.
Meludenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 91. LXXVI.
Mencia de ſancta Maria Monaſterium Utreræ cum aliis duabus extruit. 364. XLVII.
Mencia a ſancto Martino prima Abbatiſſa Monaſterii Montilliæ, oratione & abſtinentia mirabilis. 441. XIX.
Meſſia de Columna in Monaſterio Setobrigæ floret. 134. IV.
Metellini Conventus. 394. XXXIII.
Methymnæ Pomerii Monaſterium reformatur. 198. XLV. ejus privilegium. 233. LIII.
Methymnæ Monaſterium del Campo. 223. LIV.
Meus, ſeu Bartholomæus Florentinus. 323. X. 392. XVI.
Michael Aquenſis Scholam Pietatis Bri-

Brixiæ, & Cremonæ inſtituit. 20. xxxix. & Genuæ. 139. xii. Definitor Generalis eligitur. 95. i. 338. x.
Michael de Arcagnano. 327. x.
Michael Bal genere, virtutibuſque illuſtriſſimus. 96. vi.
Michael de Buſtis vir obſervantiſſimus, ubi tumulatus. 97. viii.
Michael Cordubenſis Religione celebris. 364. xliii.
Michael Diaconus Epiſcopus Aſapbenſis in Anglia. 115. liv.
Michael de Maſſa Maritima. 324. x.
Michaelia ab Iranzu genere, virtutibuſque celebris. 244. xli.
Mindemburgi Conventus. 291. li.
Miniſtri Generales totius Ordinis. Ægidius Delpbinus. 213. xiii. 261. xli. Raynaldus a Cotiniola. 312. v. Philippus Porcatius. 419. ix. Chriſtophorus Forolivienſis. 434. vi. Franciſcus Lychetus. 337. vi. Franciſcus de Angelis. 426. xxv.
Minoritæ ad Indias miſſi. 212. x. 229. i. 247. ii. 276. v. 295. i. 366. i. 386. i. 414. iii. 428. i. 452. i. duo ex eis in Hungaria pro fide occiſi. 154. vi. eorum Conventus. V. *Conventus*, & privilegia. V. in fine quorumlibet annorum. V. *Franciſcani*, *Obſervantes*.
Mocluenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 121. lxxix.
Mogueri Conventus. 290. xliii.
Molæ Conventus. 272. xxvi.
Monaldus de Monaldeſchis Aſculanus Epiſcopus in Conventu ſanctæ Mariæ de Spineto tumulatus. 166. xxvii.
Monaſteria. Abbiatæ Graſſi. 310. lii. Albiæ. 395. xxix. Alenconii. 145. xxix. Almazani. 292. liv. Aretinum. 97. viii. & alia etiam. 222. xlviii. Arevali. 131. xxviii. Aſſiſii Conceptionis. 442. xxii. Aſulæ. 131. xxv. Averſæ. 194. xxxv. Auxoniani. 197. xliii. Barcinonenſe. 198. xlv. Barenſe. 24. liii. Bazæ. 222. l. Bethuniæ. 25. lvi. Bituricenſe Annunciatarum. 243. xxxvii. Bononienſe ſanctæ Claræ. 426. xxvi. Cæſarauguſtanum. 131. xxvii. Calabazani ſanctæ Mariæ de Conſolatione. 244. xl. Camberiaci. 56. lxv. Cameracenſe. 23. lii. Campi Regis. 147. xxxiii. de Campis. 396. xxxiii. Capitis Bovis. 395. xxviii. Carmonæ. 426. xxvii. Caſalenſe. 25. lvi. ſancti Caſſiani. 24. liv. Caſtilionis. 54. lix. Claræ Vallis. 147. xxxiii. Conchenſe. 292. liii. Cornelionis. 21. lxxiv. Cumanum. 24. lvi. Deſertæ ad Lugdunum. 292. lvi. Diani. 146. xxxi. Draguignani. 221. xlv. Elvenſe, 412. xlvi. Erenæ. 394. xxvi. Ferrarienſe ſancti Bernardini. 426. xxvi. Firmanum ſanctæ Claræ. 132. xxxi. & ſanctæ Mariæ de Gratiis. 243. xxxix. Florentiæ ſanctæ Claræ. 258. xxxii. Montis Celii. 132. xxxi. ſanctæ Mariæ de Monte Domini. 223. liv. Foroſempronii. 433. xx. Fraxineti. 261. xl. Fucechii. 310, lii. Fulginei ſancti Claudii. 260. xxxix. Funchalii. 121. lxxv. Giennenſe. 197. xliii. Gordillarum ſanctæ Mariæ de Jeſu. 243. xl. Granatenſe ſanctæ Eliſabethæ. 244. xli. Hiſpalenſe. 171. xlix. Huetanum. 272. xxx. Januenſe ſancti Pauli 132. xxxi. Inſulæ Lignorum. 171. lii. Interamnenſe. 241. lv. 364. xlvi. Landonienſe. 365 xlviii. S. Laurentii in Paneperna Urbis. 451. xxi. Lerenæ. 131. xxix. Licienſe. 92. lxxv. Loxæ. 385. lvii. Madritenſe Conceptionis. 441. xxi. Malacenſe in Hiſpania. 309. l. Maquedæ. 385. lvi. Marchenæ. 171. l. Matelicæ. 451. xx. Mechlinienſe. 171. li. Methymnæ Pomerii reformatur. 198. xlv. ejus privilegium. 223. liii. Methymnæ del Campo. 223. liv. Montiliæ. 441. xix. Montiernelii. 221. xliv. Montis Cœlii. 132. xxxi. Narnienſe. 272. xxix. Neapolitanum ſanctæ Agathæ. 130. xxv. Neapolitanum aliud. 433. xviii. Nemoris. 195. xxxvii. ſancti Nicaſii. 223. li. Occaniæ. 478. xxxix. Palmæ. 196. xxxix. Pampilonenſe. 436. iv. Panormitanum. 170. xlv. 441. xviii. Panormitanum ſanctæ Mariæ de Gratiis. 170. xlv. Papienſe. 310. lii. ſancti Pauli Januenſe. 132. xxxi. Peruſii. 195. xxxvi. ſancti Petri Raguſiæ. 243. xxxviii. Piſtorienſe. 130. xxv. Pontis Limæ. 395. xxvii. Pontis veteris. 426. xxviii. Pratenſe. 436. v. de Quercubus. 413. xlix. Raguſinum. 243. xxxviii. Ramæ. 221. xlvi. Remenſe 146. xxx. Salmanticenſe ſanctæ Urſulæ. 433. xx. Setobrigæ. 26. ii. Sutri. 93. i. Taliacotii. 365. xlviii. Toletanum ſanctæ Claræ. 310. lii. Conceptionis. 244. xlii. Trivillii. 170. xlvii. Tropienſe Conceptionis. 365. xlviii. Turrigii. 384. lv. Valentinum. 131. xxvi. 197. xlii. Valliſoletanum. 171. lii. Vallis. 310. li. Venetiarum ſanctæ Crucis. 56. lxiv. 465. xli. ſancti Sepulcri. 195. xxxviii. Velezii. 441. xx. Vidauretæ. 412. xlv. Villæ Comitis. 413. xlix. Villæ novæ de Scapha rupta. 292. lv.

Vin-

Vincentiæ. 222. XLIX. Ulyſſiponenſe ſanctæ Claræ. 260. XXXIX. 396. XXXIII. De Unellis. 412. XLVI. Volateranum. 450. XIX. Uratiſlavienſe. 365. XLVIII. Uſſagrienſe. 413. XLVII. Utreræ. 365. XLVII. Xereſii. 196. XLI. 291. LII. Zarzoſi. 413. XLIX.
Moncarii Conventus. 193. XXX.
Moniales. V. *Clariſſæ*.
Mons Pietatis Mutinæ a F. Bartholomæo de Bononia erigitur. 88. LX. erectio an licita. 46. XL. inſtituendus cum ſolutione oboli. 152. I. inſtituitus definitive approbatur. 470. XIII. 471. XIV.
Mons Varalli Sacer. 49. XLII.
Montagnanæ Conventus. 289. XL.
Montalbani Conventus. 129. XX.
Monilliæ Monaſterium. 441. XIX.
De Montiliis Conventus. 194. XXXIII.
Montis Albotti Conventus. 21. XLIV.
Montionis Conventus. 167. XXXII.
Montis Cœlii Monaſterium. 132. XXXI.
Monteſarenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 395. XXXI.
Montis Fortis Conventus. 242. XXXIV.
Montis Falconis Domus Sororum Tertii Ordinis. 260. XXXIX.
Montis Guiſcardi Conventus. 441. XVII.
Montis Muri Conventus. 259. XXXVI.
Montis Politiani Domus Sororum Tertii Ordinis. 451. XXII.
Montis Regalis Domus Sororum Tertii Ordinis. 245. XLIII.
Montis Rubei Conventus. 218. XXXIV.
Montis Sancti Conventus. 166. XXVIII.
Montis Ulmi Conventus. 423. XVIII.
Morgiarum Conventus. 92. LXXIV. 144. XXV.
Mortiernelii Monaſterium. 221. XLIV.
Morlupi Conventus. 216. XXIII.
Mortiniaci Domus Sororum Tertii Ordinis. 385. LVIII.
Mottæ Conventus. 423. XVII.
Mulieris forma cædium occaſio, 231. VIII.
Murati Conventus. 464. XXXVII. & Monaſterium. 121. XLIV.

N

Nancii Domus Sororum Tertii Ordinis. 122. LXXX.
Narbonæ Conventus. 450. XVIII.
Naruienſe Monaſterium. 272. XXIX.
Neapolitanum ſanctæ Agathæ Monaſterium. 130. XXV.
Neapolitanum aliud Monaſterium. 433. XVIII. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 25. LIX.

Negnap anti Conventus. 364. XLIV.
Nemoris Monaſterium. 195. XXXVII.
Neritonis Conventus. 142. XVIII.
Neſtroerdenſis Conventus. 144. XXV.
S. Nicaſii Monaſterium. 223. LI.
Nicolai Firmani Elogium. 302. XXIII.
Nicolaus Auximanus. 319. X.
Nicolaus Bareforo Conventum Horſui ædificat. 144. XXV.
Nicolaus a Coſtikio. 336. X.
Nicolaus Craſſellus doctrina floret. 49. XLI.
Nicolaus Dionyſii Vicarius Provinciæ Franciæ. 405. XXIV.
Nicolaus de Francia doctrina illuſtris. 123. IV.
Nicolaus Gilberti pluries Commiſſarius Pariſienſis. 431. IX.
Nicolaus Herbou pietate & prudentia celebris. 145. XXVII.
Nicolaus Koſcielecius Uladiſlavienſis Præpoſitus Sacellum in Conventu Scampenſi conſtruit. 170. XLIV.
Nicolaus Maceratenſis. 321. X.
Nicolaus Miraudulanus in Couventu Caſtri Lauri tumulatus. 119. LXVI.
Nicolaus Oliva Epiſcopus Aſſiſienſis. 476. XXVIII.
Nicolaus de Orbellis. 319. X.
Nicolaus Ovando Indiarum ſupremus Præfectus. 247. III.
Nicolaus Vigerius pietate, & prudentia præclarus. 198. XLIV.
Nicolaus Volaterranus eximium pœnitentiæ exemplar. 409. XXXV.
Nicolaus Volſus virtutibus illuſtris. 227. VII.
Nicolaus Urbevetanus frater Sanctus nuncupatus obiit in Domino. 98. VIII.
Nicolaus ab Uxano. 322. X.
Nolæ Conventus. 289. XXXIX.
Novaſiani Conventus. 260. XXXVIII.
Nuceriæ Conventus. 217. XXIV.

O

Obſervantia Regularis in Cœnobiis Provinciæ Coloniæ firmatur. 54. LVIII. Obſervantibus uſus paramentorum pretioſorum conceſſus. 191. XXI. quod etiam unius Domus procurator pro alia procurare queat. ibidem. in Boemia hæreticos Foſſarios infeſtantur. 230. III. vetuſtos Chriſtianos Cananore repertos in fide confirmant. 247. II. ingenti fœnore prædicant apud Indos. 247. III. ad pietatis opera eliguntur. 231. VI. Aliquot ex eis in Braſilia occiſi. 263. III. Hiſpanorum in

Indos nimiam licentiam coercent. 311. I. prohibetur eis cum Conventualibus mutuus tranſitus. 313. VII. V. *Conventuales*, & mutua domorum occupatio. 182. XIX. 315. VIII. 404. XXIII. peculiari Collegio donantur in Academia Complutenſi. 388. X. Fidem in Indiis proſpere augent. 414. I. mittuntur Goanam. 414. III. litteras docent, & pietatem. 445. III. V. *Minores*.
Occaniæ Monaſterium. 478. XXXIX.
Octavianus Præconius vir egregius. 272. XXVI.
Oddo Trumberius Epiſcopus Tiberiadenſis. 90. LXV.
Offidanus Conventus. 477. XXXII.
Ollventiæ Conventus. 221. XLIII. 291. XLIX.
Oliverius Maillardus iterato Vicarius Generalis Ultramontanus eligitur. 31. X. 177. III. Comitia Generalia Toloſæ indicit. 124. I. floret. 20. XXXIX. moritur miraculis clarus. 255. XXIV. 263. IV.
Onuphrius de Segiano. 319. X.
Oppidi ſanctæ Euphemiæ Conventus. 290. XLV.
Opatovienſis Conventus. 259. XXXIII.
Orani Conventus. 402. XVI.
Oranum Ximenius expugnat. 400. XI.
Ordo Annunciatarum Virginum inſtituitur. 240. XXVIII
Ordo Conceptionis. V. *Conceptionis*.
Ordo beatæ Mariæ virginis qualis. 479. XLI.
Ordinis Minorum cum Ordine Minimorum affinitas. 372. XXII.

P

PAcciani Conventus. 128. XVIII.
Pacificus de Azarano eximius concionator. 327. X.
Pacificus Novarienſis verbi Divini præco celeberimus, & miraculorum gloria illuſtris. ibidem. X
Pacificus de Teramis. 332. X.
Palmariæ Inſulæ Conventus. 394. XXIV.
Palmæ Conventus. 91. LXIX. & Monaſterium. 196. XXXIX.
Pampilonenſe Monaſterium. 436. IV.
Panormitanum Monaſterium. 170. XLV. 441. XVIII.
Panormitanum ſanctæ Mariæ de Gratia Monaſterium. 170. XLV.
Papienſis Conventus. 166. XXIX. & Monaſterium. 310. LII.
Pariſienſis Univerſitas Conceptionem beatæ Virginis Immaculatam decernit. 142. XVI.
Paſchalis de Iſchitellis. 333. X.
Paula de Bethlehem in Monaſterio Setobricenſi floruit. 134. IV.
Paula de Montaldis Clariſſa ſanguine & virtutibus emicat. 455. XI.
S. Pauli Januenſis Monaſterium. 132. XXXI.
Paulina a Sebroech Abbatiſſa Monaſterii Mechlinienſis. 171. LI.
Paulinus Piſanus doctrina clarus. 258. XXX.
Paulus Aſſiſias obit in Domino. 178. V. 318. X.
Paulus Brixienſis. 328. X.
Paulus Cancellarius Romanus Definitor Generalis. 152. I.
Paulus Francigena. 320. X.
Paulus a Levano. 329. X.
Paulus de Levanto vir magnæ pietatis, & miraculis clarus moritur. 97. VIII.
Paulus Lucenſis floret. 200. III.
Paulus N. Laicus ſanctitate conſpicuus. 151. III.
Paulus de Pantanis Prioratum a Pontifice recipit. 422. XV.
Paulus a Petra Roya vita & moribus integerrimus. 423. XVIII.
Paulus Polonus martyr. 169. XLIII.
Paulus Siculus moritur. 271. XXIII. 328. X.
Paulus Sinopolitanus moritur. 286. XXXII. ejus acta recenſentur. ibidem. & ſeqq. 329. X.
Paulus Svevus floret. 166. XXVI. obit in Domino. 286. XXXII. 288. XXXVII. 329. X.
Paulus Theutonicus. 323. X.
Paulutius N. Laicus. 321. X.
Pedemontis Conventus. 433. XVIII.
Pelegrini Conventus. 142. XVIII.
Pergeti Conventus reformatur. 168. XXXVIII.
Perpetuæ Ambroſiæ ingenioſa pietas. 259. XXXII.
Peruſii Monaſterium. 195. XXXVI. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 195. XXXVI.
Petræ Patritii Conventus. 394. XXV.
Petræ Pontis Conventus. 194. XXXII.
Petræ Sanctæ Conventus. 51. L.
S. Petri in Galatina Conventus. 289. XL.
S. Petri in Monte Aureo de Urbe Conventus. 396. XXXII.
S. Petri Raguſiæ Monaſterium. 243. XXXVIII.
Petrochii Conventus. 425. XXV.
Petrucius Senenſis. 323. X. obit in Domino. 46. XXXIX.
S. Petrus de Alcantara Ordinem Minorum ingreditur. 475. XXVI. ejus virtutes, doteſque recenſentur. 475. XXVII.

Petrus Alvarus Caprali Claſſium Luſitaniæ Regis Præfectus. 212. x.
Petrus de Angelis ſanctimonia celebris. 478. xxxviii.
Petrus Anterulenſis Provinciæ Terræ laboris Vicarius. 329. x.
Petrus Arias de Avila Indiarum Præfectus ad Mare Erytreum. 466. i.
Petrus de Baiullo Provinciæ Aragoniæ Vicarius. 168. xxxvi.
Petrus Borbonius Monaſterium Giennenſe una cum conjuge extruit. 197. xliii.
Petrus de Boſna Commiſſarius in Cuſtodia Boſnenſi. 152. i.
Petrus Breatanus. 338. x.
Petrus Brittaunus vir ſanctiſſimus. 168. xxxvii.
Petrus Cambonius Provinciæ ſancti Bonaventuræ reformator. 125. vi.
Petrus Candidus concionator celebris moritur. 98. viii.
Petrus a Duennas martyr. 384. li.
Petrus Durſe Monaſterium Montis Briſonis ædificat. 146. xxx.
Petrus Faber Medicinæ Doctor de Conventu Draguigniani optime meritus. 221. xlv.
Petrus Fabrianenſis. 321. x.
Petrus Fernandez a Corduba Conventum Plicenſem ædificat. 478. xxxvii.
Petrus de Ferrazano ſanctitate conſpicuus. 424. xix.
Petrus Florentinus ubi ſepultus. 320. x.
Petrus Francigena ubi requieſcat. 324. x.
Petrus Gamarra in Cœnobio Saliceti floruit. 421. xiii.
Petrus Grandis Provinciæ Burgundiæ Miniſter. 309. xlvii.
Petrus Guichardus Provinciæ ſancti Ludovici Miniſter. 309. xlix.
Petrus Hiſpanus in Provincia ſancti Angeli moritur. 125. v.
Petrus Ludovici Latinus virtutibus admirabilis. 46. xxxix.
Petrus de Lugo Conventus Tenariſæ benefactor. 440. xvi.
Petrus de Luna Caſtellæ Comes ſtabuli apud Minores tumulatus. 129. xix.
Petrus Martyr Anglerius Hiſtoriam Indicam ſcribit. 29. v.
Petrus Melgarius laicus genere & virtute illuſtris. 255. xxv. 308. xli. 364. xliii. Miniſter Provinciæ S. Evangelii. 393. xviii. Conventum Salvaterræ ædificat. 364. xliii.
Petrus Molleanenſis Baptiſtæ Varanæ Confeſſarius. 321. x. 406. xxvi.
Petrus Navarrus Africani belli Dux. 398. iv. pugnam init. 399. ix. Oranum expugnat. 400. xi.
Petrus Neapolitanus. 326. x.
Petrus de Onnate Miniſter Tertiariorum Cantabriæ ad Obſervantes tranſit. 241. xxxii.
Petrus Patavinus Candiæ Vicarius. 31. ix.
Petrus de Penua. 332. x.
Petrus de Peruſinis. 318. x.
Petrus de Populis, 332. x.
Petrus de Portucarrero Conventum Fraxineti ædificat. 290. xlii.
Petrus Ramirez Catholicis Regibus gratiſſimus. 20. xxxix.
Petrus Reatinus. 319. x.
Petrus Regalatus. 344. x.
Petrus de Rohan Conventum Mortiornelli extruit. 221. xliv.
Petrus Sanſeverinus. 321. x.
Petrus de Sautoyo. 349. x.
Petrus Simon Franciſci Domum Caſtrificardi ſuu ære ædificari jubet. 217. xxv.
Petrus de Travanda moritur. 3. iv. Ejus acta recenſentur. ibidem.
Petrus de Valentia Domus Scalabitanæ Cuſtos. 255. xxv.
Petrus de Valentia. V. *Petrus Melgarius.*
Phaleruæ Conventus. 169. xl.
Philippa de Formatis Monaſterium Averſanum fundat. 194. xxxv.
Philippa Vidua Principis Alvari Cœnobium Oliventiæ conſtruit. 291. xlix.
Philippus Aquilanus. 333. x.
Philippus Archintus Epiſcopus Comenſis Altare majus Eccleſiæ Conventus Lugani conſecrat. 217. xxvii.
Philippus Burgundus Hiſpaniæ Regnum auſpicatur. 250. x. cum Joanna conjuge Rex proclamatur. 282. xx. eum cum Ferdinando Arogoniæ Ximenius componit. 297. vii.
Philippus Hibernus virtutibus inſignis. 227. vii.
Philippus Pinſon Archiepiſcopus Tuamenſis. 272. xxv.
Philippus Porcatius Miniſter Generalis. 419. ix. moritur. 430. vii.
Philippus de Rottingo Vicarius Candiæ. 95. i.
Piſciæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 260. xxxix.
Piſtorienſe Monaſterium. 130. xxv.
Pitiliani Conventus. 51. xlvii.
Pius III. Pontificatum brevi tempore abſolvit. 265. ix.
Plicenſis Conventus. 478. xxxviii.
Pluviarum exundantia memorabilis. 282. xxii.
Polidorus Romanus. 324. x.
Polixena Præmarina nobilis genere in Mo-

Monaſterio S. Sepulcri Venetiarum Monialis. 195. xxxviii.
Politii Conventus. 241. xxxi.
Polocenſis Conventus. 169. xliii.
Pontis Limæ Monaſterium. 395. xxvii.
Pontis Veteris Monaſterium. 426. xxviii.
Præſidere quis debeat Generali Capitulo. 32. xi
Pratenſe Monaſterium. 436. v.
Privilegia Ordinum ſancti Franciſci. 245. xlviii. 310. lii. 387. iv. 413. l. 434. xxiii. 465. lii. 479. xl.
Protectoris auctoritas declaratur. 380. xlv.
Provinciarum omnium & locorum Regularis Obſervantiæ ſeries expeditur. 317. x. ſeqq.
Pulchripodii Conventus. 394. xxii.

Q

De Quercubus Monaſterium. 413. xlix.
Quinnooius. V. *Franciſcus Quinones*.

R

Radimuſca Illyricus de Conventu Manfredoniæ benemeritus. 411. xl.
Radulphus Heileſdenſis Epiſcopus Aſcalonæ. 371. xxv.
Raguſinum Monaſterium. 243. xxxviii.
De Ramboas Conventus. 168. xxxvii.
Ramæ Monaſterium. 221. xlvi.
Raphael Maffæus erga Franciſcanos pientiſſimus. 450. xix.
Raphael Taurinus prudentia & ſanctitate celebris. 423. xviii.
Raphael Theutonicus. 325. x. moritur. 90. lxiv.
Raphaela Veneta æternam ſalutem adepta. 459. xxiv.
Raymundus a Cardona Conventum Pulchripodii extruit. 394. xxii.
Raymundus Faber Mercator Conventui Draguiguiani addictus. 221. xlv.
Raynaldus a Cotiniola Nuncius Apoſtolicus in Hiſpania. 312. v. Miniſter Generalis. ibidem. Archiepiſcopus Raguſinus. ibid. 419. x.
Raynaldus Fabrianenſis Provinciæ Marchiæ Vicarius. 321. x.
Raynaldus de Orſaria. 329. x.
Recollectorum Hiſpaniæ Origo. 257. xxviii.
Reformatio præpropera diſſolutionis & diſcordiarum origo. 309. xlviii.
Regii Lepidi Domus Sororum Tertii Ordinis. 56. lxiii.
Reginaldus de Samer Conventus Villæ novæ fundator. 92. lxxiii.
Remenſe Monaſterium. 146. xxx.
Reynoſæ Conventus. 464. xxxviii.
Richardus Polonus pietate ac humilitate præclarus. 472. xviii.
Rivelii Conventus. 478. xxxvi.
Robertus Apulus. 335. x.
Robertus de Aſula. 338. x.
Robertus Caracciolus Licienſis Epiſcopus moritur. 115. liv. ejus vitæ compendium. 116. lvi. honorifice in Urbe Licienſi tumulatus. 117. lviii.
Rodericus a Belviſio diem ſui obitus prædicit. 450. xvii.
Rodericus Gomez a Silva Franciſcanis addictiſſimus. 242. xxxiii.
Rodulphus Auſtriæ Archidux Minorita. 376. xxxiii.
Rodulphus Heyleſdenſis Epiſcop. Aſcalonenſis. 271. xxv.
Rodulphus Toiſinianus corrigitur. 419. ix. 440. xii.
Rolandus Colonienſis ſacræ Theologiæ profeſſor in Conventu Coloniæ moritur. 454. vii.
Romanus ſancti Petri in Monte Aureo Conventus. V. *ſancti Petri* & Monaſterium ſancti Laurentii in Pane & Perna. 451. xxi.
Rotembergi Domus Sororum Tertii Ordinis ſupprimitur. 224. lv.
Rothomagenſis Conventus. 260. xxxviii.
De Rubo Conventus. 241. xxxii.
Rupis Fergulii Conventus. 145. xxviii.

S

Salmanticenſe Monaſterium S. Urſulæ. 433. xx. & Domus Sororum Tertii Ordinis Annunciationis. 55. lxii.
Salvæ Terræ Conventus. 364. xliii.
Salvi Leonis Conventus. 219. xxxvii. 289. xli.
Samuel Caſſinenſis Baſilicæ Vaticanæ Pœnitentiarius. 166. xxvi.
Sancia Regina Roberti Regis conjux Clariſſa. 328. x.
Sancius Provinciæ Caſtellæ Miniſter Domus Tertii Ordinis Cordubenſis perpetuus Viſitator. 365. xlix.
Sanctius Fontanenſis Epiſcopus Guadicienſis. 216. xxii.
Santes Fabrianenſis. 321. x.
Sangrenſis Conventus. 423. xix.
Sarzanæ Conventus. 167. xxxiii.
Saſſiolæ Conventus. 291. xlvii.

Sa-

Savæ Conventus. 384. LIV.
Saxoferrati Conventus. 393. XXI.
Scalunæ Conventus. 52. LII.
Scampenſis Conventus. 169. XLIV.
Scaphæ ruptæ Conventus. 220. XXXVIII.
Scuteræ Conventus. 218. XXXIV.
Scuvatii Conventus. 379. XLIII.
Sebaſtianus Clericus ob caſtitatem tuendam interfectus. 323. X.
Segobienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 273. XXXIV.
Selli Robaudi Conventus. 291. L.
Senenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 93. LXXX.
Septebrii Conventus. 423. XVIII.
Sepulcrum Chriſti a Turcis arctiſſime cuſtoditum. 275. IV.
Seraphinus a Calabria Archiepiſcopus Hydruntinus. 331. X.
Seraphinus Caſtillioneus. 327. X.
Seraphinus Martinellus. 326. X.
Seraphinus Theatinus Concioator eximius. 421. XIII.
Seraphinus de Zamniguis Definitor Generalis. 95. I.
Sermoneti Conventus. 118. LXI.
Setobrigæ Monaſterium. 26, II.
Sicli Conventus. 464. XXXV.
Sigiſmundus Eſtenſis in Monaſterio ſancti Bernardini Ferrariæ tumulatus. 426. XXVI.
De Silva Conventus. 92. LXXII.
Silveſter de Aguſa Provinciæ ſancti Jacobi Miniſter. 197. XLI.
Silveſter Guidonius clarus miraculis. 423. XVIII.
Simon N. ſanctitate illuſtris. 334. X.
Simon a Lipnica. 336. X.
Sixtus Mediolanenſis. 326. X.
Sixtus IV. ſummus Pontifex a teneris annis Minorita. 381. XLV. S. Franciſco ſibi datum Pontificatum tribuit. ibid.
Sleſvicenſis Conventus. 194. XXXIV.
Sobradilii Conventus. 259. XXXVII.
Societas Caritatis Tertii Ordinis Regii Lepidi in Lombardia. 56. LXIII.
Sodalitas Miſericordiæ Toleti inſtituitur. 277. VII.
Sol, præliante Ximenio, curſum ſiſtit. 400. XIII.
Spineti Domus Sororum Tertii Ordinis. 479. XL.
Stanislaus Polonus orationi intentus. 406. XXV.
Stanislaus Slappus Provinciæ Coloniæ Vicarius. 302. XXVI.
Statuta, Pariſienſe, Colonienſe, & Moguntinum de Immaculata Conceptione beatæ Mariæ Virginis. 142. XVI.

Stellæ Pontis, & ſancti Martini Domus Sororum Tertii Ordinis. 55. LXIII.
Stephanus Anconitanus ſanctitatis exemplar. 322. X.
Stephanus Bruliſer in ſtabiliendo Conventu Briocenſi adlaborat. 130. XXII. moritur. 177. III.
Stephanus de Civitate Caſtellana. 320. X.
Stephanus de Luca. 323. X.
Stephanus N. Sacerdos apud Carpum. 325. X.
Striclingi Conventus. 169. XLI.
Stringolæ Conventus. 218. XXXII.
Sveva de ſancto Severino Cœnobium Forentiæ extruit. 218. XXXI.
Summæ Conventus. 422. XVI.
Sutri Monaſterium. 93. I.
De Sylva. V. *Silva*.

T

Taliacotii Monaſterium. 365. XLVIII.
Tanguidus de Caſtro Cœnobium ſanctæ Mariæ de Angelis de Abegrah ædificat. 384. LII.
Tarviſinus Conventus. 440. XIII
Tenariſæ Conventus. 440. XVI.
Tereſia Henriquez conſtruit Conventus Turrigii. 22. XLVII. & Caſaliæ. 91. LXX. & Monaſteria Turrigii. 384. LV. Maquedæ. 385. LVI. & Uſagri. 412. XLVII.
Tereſa Sancia Domum Sororibus Tertii Ordinis Villæ novæ fundat. 272. XXXI.
Tereſia de Torres genere virtutibuſque illuſtris. 244. XLI.
Terlitii Conventus. 218. XXIX.
Ternarum Conventus. 170. XLVI.
Thaddæus N. Epiſcopus Dromorenſis. 432. XIII.
Theodoricus a Monaſterio Concionator celeberrimus, & ſpiritu prophetico donatus, caritate eximia populorum mores corrigit. 473. XIX.
Theodoricus de Oſembruc Theutonicus floret. 89. LXII.
Theodorus Pius Epiſcopus Monopolitanus. 476. XXVIII.
Theodoſius Brigantinorum Ducis filius Conventum Villæ vitioſæ reſtaurat. 221. XLII.
Thimoteus Aquilanus. 332. X.
Thimoteus Lucenſis, olim Vicarius Generalis, Nuncius Apoſtolicus. 437. VI.
Thirorchei Conventus. 144. XXV.
Thomas Auximanus Provinciæ Marchiæ Vicarius. 166. XXVIII. 477. XXXII. & Miniſter. 432. XV.

Thomas de Bibiena. 335. x.
Thomas a Carpineo Cœnobium Carpinei transfert. 21. XLV.
Thomas Florentinus. 324. x.
Thomas Graultius ſanctimonia, & eruditione præclarus. 227. VII.
Thomas Lucenſis. 323. x.
Thomas Theutonicus. 333. x.
Thomas de Tocco. 332. x.
Thomaſia Nicolai Piorcoli Tertiaria. 245. XLIV.
Tiorchei Conventus. 154. XXV.
Titi Conventus. 463. XXXV.
Toletani in ægenos providiſſimi. 277. VII.
Toletanum Monaſterium ſanctæ Claræ 310. LII. & Conceptionis. 244. XLII. & Domus Sororum Tertii Ordinis ſancti Antonii. 464. XL. & ſancti Joannis de Pœnitentia. 433. XXI.
Traxcofienſis Conventus. 412. XLIII.
Trienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 434. XXII.
Triſtanus a Cuucha Indicæ Claſſis Præfectus. 291. II.
Trivilhi Conventus. 172. II. & Monaſterium. 170. XLVII.
Trojanus Melfiæ Princeps Cœnobium Forentiæ extruit. 218. XXXI.
Tropienſe Monaſterium. 365. XLVIII.
De Truxillo Conventus. 167. XXXIV. 219. XXXVI.
Turrigii Conventus. 22. XLVII. & Monaſterium. 384. LV.
Turris Lacunæ Conventus. 424. XXIII.
Tuſcanellæ Conventus. 477. XXX.
Tuſiciæ Conveutus. 218. XXX.

V

Valentinum Monaſterium. 131. XXVI. 197. XLII.
Valerianus Ordonnez Epiſcopus Civitatenſis Franciſcanis addictiſſimus. 259. XXXVII.
Valiſoletanum Conceptionis Monaſterium. 310. LII.
Valiſoletanus Conventus. 271. LII.
Vallis Agri Conventus. 432. XVI.
Vallis Ardenſis Conventus. 120. LXX.
Vallis Caprariæ Conventus. 94. III.
Vallis Eutinæ Conventus. 272. XXVIII.
Vallis Monaſterium. 310. LI.
Varalli ſanctæ Mariæ Gratiarum Conventus. 49. XLII.
Vaſcus Gamma Indici Maris Præfectus. 246. I.
Vearum Domus Sororum Tertii Ordinis. 395. XXX.
Velezii Conventus. 168. XXXVI. & Monaſterium. 441. XX.
Venantius Fabrianenſis ſancti Jacobi Piceni ſocius, vir ſummæ ſanctitatis. 328. X. 361. XXXIII.
Venetiarum Monaſteria ſanctæ Crucis. 56. LXIV. 465. XLI. & ſancti Sepulcri. 195. XXXVIII.
Veſtis ſeu habitus S. P. Franciſci quando ad manus Ducum Etruriæ perveuerit. 286. XXXI.
Vicarius nuper electus Commiſſarius Apoſtolicus agnoſcendus. 31. XI.
Vicarii Generales Obſervantium Ciſmontanorum, Evangeliſta Peruſinus. 31. IX. Hieronymus Torniellus. 95. I. Angelus de Clavaſio. 326. X. Archangelus Placentinus. 390. XIII. Baptiſta Taliacarne. 319. X. Chriſtophorus Forolivienſis. 454. VI. Evangeliſta de Peruſio. 31. IX. Franciſcus Zenus. 276. VI. 404. XLI. Hieronymus Torniellus iterum. 378. XLI. Jacobus Primaditius. 325. X. Joannes de Stronconio. 334. X. Ludovicus à Turre. 229. III. 319. X. Marcus Bononienſis. 325. X. Petrus de Neapoli. 326. X. Thimothæus Lucenſis. 437. VI.
Vicarii Generales Obſervantium Ultramontani, Franciſcus Sagarra. 124. I. Oliverius Maillardus tertio. 177. III. 255. XXIV. Joannes de Silveſtris. 298. XI. Gilbertus Nicolai. 431. IX. Gomeſius Luſitanus. 431. VIII. Martialis Boulier. 298. XI. 454. VII.
Vicariorum Generalium ſucceſſio a Sede Apoſtolica ſtatuta. 390. XIV.
Vicinovi Conventus. 166. XXX.
Vidauretæ Monaſterium. 412. XLV.
Viennenſis Conventus. 291. LI.
Vigonii Conventus. 130. XXIII.
Villæ Comitis Monaſterium. 413. XLIX.
Villæ Franchæ Conventus. 130. XXIII.
Villæ Novæ Conventus. 92. LXXIII.
Villæ Novæ de Fraxino Conventus. 220. XXXVIII.
Villæ Novæ de Scapha rupta. 450. XVII. & Monaſterium. 292. LV.
Villæ Novæ Archiepiſcopi Domus Sororum Tertii Ordinis. 273. XXXI.
Villæ Vitioſæ Conventus. 221. XLII.
Vincentiæ Monaſterium. 222. XLIX.
Vincentius Aquilanus Spiritu prophetico, miraculiſque clarus. 287. XXXIII. 332. X. ejus acta recenſentur. 287. XXXIV.
Vincentius Burgundus. 323. X.
Vincentius de Comite. 327. X.
Vincentius Marinus in Conventu Politii floruit. 241. XXXI.
Vincentius Senenſis ſocius ſancti Bernardini ubi tumulatus. 323. X.
Virginius de Spinoſa. 56. II.

Vitalis Albanenſis laſsus orationi abdi-ctus. 283. x.
Univerſitas Complutenſis. V. *Franciſcus Ximenius*.
Ulmeti Domus Sororum Tertii Ordinis. 132. XXX.
Ulyſſiponenſe Monaſterium ſanctæ Claræ. 260. XXXIX. 396. XXXIII.
De Unellis Monaſterium. 412. XLVI.
Volaterranum Monaſterium. 430. XIX.
Uratislavienſe Monaſterium. 365. XLVIII.
Urſula de Sanctis virtutibus præclara. 244. XL.
Urſula Veneta in Monaſterio ſancti Sepulchri Venetiarum Monialis, nobilis. 195. XXXVIII.
Uſtagrienſe Monaſterium. 413. XLVII.
Utreræ Monaſterium. 368. XLVIII.
Waradienſis Conventus. 169. XLII.
Wenceslaus Polonus martyr. 169. XLIII.
Willelmus de Aurgpech Conventum Laybenſem reſtaurat. 242. XXXV.
Willelmus Juliacenſis, & Montenſis Dux Bilefeldiæ Cœnobium extruit. 242. XXXVI.
Vulſinii Conventus. 118. LXXII.

X

De la Xara ſancti Geneſii Conventus. 52. LI.
Xereſii Monaſterium. 196. XLI. 291. LII.
Xiſtus de Lipariolo celebris Concionator. 432. XVI.
Xiſtus. V. *Siſtus*.

Z

Zagedienſis Conventus. 169. XLII.
Zamorenſes Domus Sororum Tertii Ordinis, S. Marinæ. 122. LXXXI. S. Barnabæ. 223. LII. S. Eliſabeth. ibidem.
Zarzoſi Monaſterium. 413. XLIX.
Zoppenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 121. LXXVI.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Decimiquinti Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

ACcepimus ſiquidem. *Leonis X.* v. 667.
Ad fructus uberes. *Alexandri VI.* xxx. 530.
Ad hoc præcipue. *Ejuſdem.* xxxii. 532.
Ad Ordinem Fratrum. *Ejuſdem.* xxix. 528.
Ad uberes. *Ejuſdem.* xxxiv. 536.
Affectu benevolentiæ. *Leonis X.* vi. 668.
Chriſtianæ devotionis. *Alexandri VI.* lxxi. 583.
Conſuevit Sedis Apoſtolicæ. *Ejuſdem.* xvii. 513.
Cum dudum. *Julii II.* xxii. 634.
Cum intellexerimus. *Alexandri VI.* lxxxv. 600.
Cum inter noſtræ mentis. *Julii II.* xxi. 633.
Cum paſtoralis officii. *Alexandri VI.* lxv. 576.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* lxxxiv. 600.
Cum ſicut nobis. *Ejuſdem.* lxxvii. 592.
Cum ſicut nobis. *Julii II.* xliii. 659.
Cum ſicut nobis. *Leonis X.* viii. 670.
Debitum paſtoralis officii. *Alexandri VI.* vii. 498.
De perſonarum omnium. *Ejuſdem.* xxiv. 521.
Dilecti filii. *Ejuſdem.* lxxxvi. 601.
Divini cultus. *Ejuſdem.* lxvi. 578.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem.* xiv. 509.
Dum fructus uberes. *Julii II.* viii. 614.
Dum inter cetera *Alexandri VI.* iii. 551.
Dum præcelſa. *Leonis X.* ix. 673.
Ea quæ pro Monaſteriorum. *Julii II.* xxv. 637.
Ea quæ pro Religionis. *Alexandri VI.* xi. 504.
Ea quæ pro ſtatus quiete. *Innocentii VIII.* ii. 484.
Ex debito paſtoralis officii. *Alexandri VI.* xxxix. 543.
Exibibita ſiquidem nobis. *Innocentii VIII.* iii. 485.
Eximiæ devotionis. *Alexandri VI.* iii. 494.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem.* lvii. 566.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem.* lxxx. 595.
Eximiæ devotionis. *Julii II.* vi. 611.
Eximiæ devotionis. *Ejuſdem.* xxvi. 638.
Ex injuncto nobis. *Alexandri VI.* xxiii. 519.
Ex injuncto nobis. *Ejuſdem.* xxxv. 537.
Ex injuncto nobis. *Julii II.* xvii. 628.
Exponi nobis. *Alexandri VI.* xvi. 612.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xxv. 523.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xxvi. 525.
Exponi nobis. *Julii II.* vii. 613.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xviii. 630.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xxxii. 647.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xxxiii. 648.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xxxvi. 649.
Exponi nobis. *Ejuſdem.* xxxvi. 651.

Expo-

Exponi nobis. *Ejuſdem*. XXXIX. 655.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. XLV. 660.
Exponi nobis. *Leonis X.* III. 665.
Exponi nobis. *Ejuſdem*. X. 676.
Expoſitum fuit nobis. *Alexandri VI.* LXXV. 589.
Ex relatione. *Julii II.* XXVII. 629.
Ex ſupernæ providentia. *Alexandri VI.* IV. 495.
His per quæ. *Julii II.* IX. 615.
His quæ pro Divini cultus. *Alexandri VI.* X. 502.
His quæ pro Hoſpitalium. *Julii II.* IV. 608.
His quæ pro perſonarum. *Alexandri VI.* XX. 516.
Iis fidelium nobis. *Ejuſdem*. XII. 507.
In eminenti. *Ejuſdem*. XXVII. 525.
In eminenti. *Ejuſdem*. LX. 571.
Injunctum nobis. *Ejuſdem*. XIII. 508.
Injunctum nobis. *Ejuſdem*. LIX. 568.
Injunctum nobis. *Ejuſdem*. LXXVI. 590.
Injunctum nobis. *Julii II.* XXXVIII. 654.
In militantis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. X. 616.
In ſupremæ dignitatis. *Ejuſdem*. XXIX. 642.
Intelleximus. *Alexandri VI.* LXXVIII. 593.
Intenta ſemper. *Ejuſdem*. XL. 545.
Inter cetera. *Ejuſdem*. XXXI. 531.
Inter cetera. *Ejuſdem*. XLVII. 552.
Inter cetera. *Julii II.* XXIV. 636.
Inter cetera. *Leonis X.* I. 662.
Inter curas. *Alexandri VI.* XV. 510.
Inter curas. *Ejuſdem*. LXIV. 575.
Inter univerſa opera. *Innocentii VIII.* IV. 487.
Inter univerſa opera *Alexandri VI.* XXXVIII. 542.
Inter univerſa opera. *Ejuſdem*. XLVIII. 554.
Inter univerſa opera. *Ejuſdem*. LI. 558.
Inter univerſa. *Ejuſdem*. LXIII. 574.
Juſtis. *Ejuſdem*. IX. 500.
Juſtum & rationabile. *Leonis X.* VII. 669.
Licet nuper. *Julii II.* XLII. 657.
Merentur veſtræ devotionis. *Leonis X.* II. 663.
Nuper nobis. *Julii II.* XXXI. 645.
Ordinis veſtri. *Innocentii VIII.* I. 483.
Paſtoralis officii. *Alexandri VI.* LXII. 573.
Paſtoralis officii. *Ejuſdem*. LXXXI. 596.
Pia decet conſideratione. *Innocentii VIII.* VI. 497.
Pia fidelium. *Ejuſdem*. XVIII. 514.
Piis & honeſtis. *Alexandri VI.* XLI. 546.
Piis & honeſtis. *Ejuſdem*. XLIII. 548.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. XXXVII. 541.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. XLIX. 556.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. LV. 563.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. LXXVIII. 580.
Piis fidelium votis. *Julii II.* V. 609.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem*. XII. 620.
Piis petentium votis. *Ejuſdem*. XI. 620.
Piis ſupplicum votis. *Alexandri VI.* V. 496.
Piis ſupplicum votis. *Ejuſdem*. XIX. 515.

Piis ſupplicum votis. *Ejuſdem*. LIII. 561.
Piis ſupplicum votis. *Ejuſdem*. LVIII. 567.
Piis ſupplicum votis *Ejuſdem*. LXXXII. 598.
Rationi congruit. *Ejuſdem*. I. 488.
Rationi congruit, *Ejuſdem*. II. 493.
Rationi congruit. *Julii II.* I. 602.
Rationi congruit. *Ejuſdem*. II. 605.
Rationi congruit. *Ejuſdem*. III. 606.
Rationi congruit. *Ejuſdem*. XV. 623.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Alexandri VI.* LVI. 564.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Julii II.* XIX. 630.
Regularem vitam. *Alexandri VI.* LXI. 572.
Religionis ſuadet honeſtas. *Leonis X.* IV. 666.
Romanum decet Pontificem. *Julii II.* XXX. 644.
Romanus Pontifex. *Alexandri VI.* LII. 560.
Sacram Ordinis. *Ejuſdem*. XXI. 517.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. VIII. 499.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XXII. 518.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XXVIII. 527.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XLII. 547.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. LIV. 562.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. LXIX. 581.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. LXX. 582.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. LXXIII. 587.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. LXXIX. 594.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. LXXXIII. 599.
Sacræ Religionis. *Julii II.* XXIII. 635.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XLI. 657.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XLIV. 660.
Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ. *Alexandri VI.* XXXIII. 534.
Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. XXXVI. 539.
Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. XLIV. 548.
Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. L. 557.
Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. LXXII. 585.
Sacroſanctæ militantis Eccleſiæ. *Ejuſdem*. LXXIV. 587.
Sancto ac pio deſiderio. *Julii II.* XIII. 621.
Sedes Apoſtolica. *Ejuſdem*. XIV. 622.
Significamus. *Monum. Polon.* II. 679.
Sinceræ devotionis. *Julii II.* XXXV. 650.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem*. XXXVII. 653.
Sinceræ devotionis. *Ejuſdem*. XL. 656.
Univerſa Divinæ majeſtatis. *Ejuſdem*. XXVIII. 640.
Univerſalis Eccleſiæ. *Alexandri VI.* LXVII. 579.
Univerſis & ſingulis. *Monum. Epiſcopi Urbevetani*. 677.
Univerſis & ſingulis. *Mon. Polon.* I. 678.
Univerſis & ſingulis. *Mon. Cardinalis Grimani*. 679.
Votis Domino. *Julii II.* XVI. 627.
Votis fidelium. *Ejuſdem*. XX. 632.
Ut inter æternæ. *Alexandri VI.* XLVI. 552.

FINIS TOMI XV.

Menda, quæ in hujus decimiquinti Tomi editione irrepſerunt, benevole Lector ita corriges.

Pag. 50.	§. XLIII.	*lin.* 5.	Eremitorum	Eremitorium
105.	§. XXVII.	*lin.* 16.	venturum	venturum
117.	§. LVIII.	*lin.* 3.	ſatetur	fatetur
127.	§. XIII.	*lin ult.*	nunime	numine
146.	§. XXX.	*lin.* 12.	XDII.	MDII.
189.	§. XX.	*lin.* 43.	ſuerit	fuerit
192.	§. XXIV.	*lin.* 6.	MDCCXXXIX.	MDCXXXIX.
202.	§. II.	*lin.* 12.	Altatur bus	Altaribus
214.	§. XVI.	*lin.* 5.	Virium	Vicarium
300.	§. XVIII.	*lin* 3.	æmaluturus.	æmulaturus
386.	*in Argumento*		Collegii	Collegiis
397.	§. I.	*lin.* 2.	zevoluerit	revolverit
400.	§. XIII.	*lin.* 11.	prællo	prælio
412.	§. XVI.	*lin.* 1.	plantitie	planitie
428.	§. II.	*lin.* 21.	inhumanatus	inhumatum
448.	§ XII.	*lin.* 21.	procutus	procuratus
478.	§. XXXVII.	*lin.* 4.	opdidi	oppidi

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CHA RI TAS

Digitized by Google